NAZIONALE
55
6 H
21
ROMA
R. BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II

55.6.H.21

HORTORVM LIBRI TRIGINTA.

Collegij Romani Societatis Iesu

Autore Benedicto Curtio Sympho-
riano, equite in Eccleſia
Lugdunenſi.

In quibus continetur arborum hiſtoria, partim ex probatiſſimis quibusq; autoribus, partim ex ipſius autoris obſeruatione collecta.



LVGDVNI
Excudebat Joannes Torneſius Typographus Regius.
M. D. LX.

BENEDICTO BVATIER CANONICO ET CAMERARIO ECCLESIÆ COLLEGIATÆ SANCTI Pauli, ac Officiali Vicario Illuſt. & Reuerend. Cardinalis à Turnone Archiepiſcopi & Comitis Lugdunenſis,

Benedictus Curtius Eques in Eccleſia Lugdunenſi S.

*

CVM *Hortos meos, quos iampridem ſcis me parturire, ſub prælum eſſem miſſurus, eos nominis tui autoritate protectos, in aſpectum hominum lucemq́ proferre volui, tum quòd hoc munimine fulti, liberi eſſent à calumnia quorundam, qui ex eo putant aucupari nomen literatorum, ſi aliſs oblatrent ac eorum ſcripta carpant ac dilacerent: tum etiam quòd ab officio recedere viderer ſi ingrato animo aduerſus eum eſſem quem non vice mecœnatis, ſed pro ipſo mecœnate habeo: non quod mihi arrogare velim, me, dum hoc opus tibi dico, gratiam tibi reddere, ſatis eſt mihi ſi quali animo erga te ſim eo teſter. Id tamen qualecunque ſit, hilari fronte accipies, ac in eo ſynceritatem animi mei potius quàm virium imbecillitatem conſiderabis. De laudibus agriculturæ nihil dicam: ſatis enim conſtat ex veterum libris quanto in pretio fuerit, hoc teſtantur M. Curius, M. Quintius Cincinnatus, M. Valerius Coruinus qui paßim à variſs autoribus ob hoc commendantur, quòd iſs dum ararent aut arbores ſererent, aut aliud aliquid in agro agerent, inſignia magiſtratuum à Pop. Rom. deferebantur: & ipſemet Cyrus minor Perſarum Rex, qui vt ait Cicero, maximam capiebat voluptatem in ſerendis arboribus ac eas in varios ordines diſponendo: aliſq́ innumeri, de quibus antiquorum volumina referta ſunt. Atque vtinam tam parui nunc non fieret agricultura*

vt villicis tantummodo ac agros incolentibus eius cura relinqueretur: ac eam amplecterentur etiam nobiles, ac vrbium incolæ, quàm tranquilliorem iucundioremq́ vitam viuerent! quod vt illis aliqua ex parte perſuadeam, hos hortos iamiam emitto, in quibus multa quæ ipſemet expertus ſum ſcribo: reliqua autem ex quibuſlibet probatiſsimis autoribus compilaui. Hoc igitur in bonam partem accipies, meq́ ſemper in albo tuorum habebis.

Vale.

55-6-H-21

INDEX PRAECIPVARVM RERVM QVAE IN HIS TRIGINTA HORTORVM LIBRIS CONTINENTVR.

A

Abies. 607
Abortus arborum. 317
Acer. 632
Adagia, Laureolam in muſtaceis quærere, & δαφνίτην φέρω βακτηρίαν. 497
Adornatus hortorum, & quòd in his ſtatuæ repoſitæ fuerint. 127
Adrachne. 645
Aeſculus. 593
Aetas transferendarum plantarũ. 274
Aeternitas materierum arborum quarundam, in quibuſdam publicis ædificijs. 394
Agallochi vires. 682
Agallochus. 682
Agaricum. 622
Agricultura regibus grata fuit, maximè verò hortorum, quos non ſegniter coluerunt. 142
Alaternum, Laburnum, Celaſtrus, & Aria. 645
Alimentum arborum, & cibus. 342
Alnus. 628
Amicitia & inimicitia arborum, & quarundam cognatio. 167
Amœnitates hortorum, & quàm mirificè varijs nos rebus afficiant. 134
Amomum. 655
Ammoniacum, & de Iouis Ammonis oraculo. 461
Amor & ſocietas arborum. 165
Amurca olei, & eius vtilitates. 516
Amygdala amara. 570
Amygdalus. 568
Anagyros, de prouerbio Anagyrim ne tangito. 661
Anacardium. 459
Anima arborum. 162
Anni in quatuor tempora diuiſio, & adagia, ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ ἐξαίρειν: & Ver hyemem ſequitur. 213
Antiqui in hortis ſepeliebantur, & de Cyri ſepulcro. 19
Aqua roſarum, & de rhodomelle & paſtillis. 669
Aquifolium, & viſcus, ligandis auium pennis apta. 638
Arbor loton, & eſt fabula, nympham in arborem lotum commutatam. 464
Arbor quid, & qualiter à frutice, & frutex à ſubfrutice differat. 157
Arbor thurifera, in Carmania, & Aegypto naſcitur: & de thuris facultatibus, & fabula Leucothoes. 423
Arbor vnaquæq; ſub quo aere fœliciùs proueniat, & viuat. 251
Arbores ablaqueandæ, & quo tempore. 303
Arbores ad vſum humanum, perquam neceſſariæ, & de antiquitate illarũ. 3
Arbores alienas furtim excidentiũ pœna. 415
Arbores aliæ nonnullæ, ex quibus naues fabricatæ. 399
Arbores aliquid præter genuinos fructus gignere, ac de illarum humore. 200
Arbores anonymæ. 646
Arbores atlanticæ, & nonnullæ aliæ Africæ nuper repertæ. 465
Arbores biferæ, triferæ, quadriferæ've, & nonnullæ quibus ſemper ineſt fructus. 182
Arbores fœlices atq; infœlices, & de Timone Athenienſi. 179
Arbores fœtura preſſæ, ſubleuandæ. 340

Arbores fructiferæ & ſteriles. 178
Arbores in Tylo inſula prouenientes, & in inſulis Araxis fluuij. 426
Arbores nonnullæ ad ſacrificia prophanæ. 74
Arbores nonnullæ aliæ Indiæ. 457
Arbores nonnullæ aliæ Indiæ priſcis incognitæ. 458
Arbores nonnullas eſſe, vt balſamũ, quæ nullibi peregrinentur. 189
Arbores nonnullas eſſe, quæ culturam aſpernentur. 302
Arbores peregrinæ. 186
Arbores Perſidis, & Ombrij inſulæ. 427
Arbores quæ citò, quæ've ſerius creſcãt. 343
Arbores quæ citò tardè've ferant, quæ've perraro. 349
Arbores quæ floreſcant, fructum tamen non ferant: & econtrariò, quæ fructũ ſine flore emittant. 182
Arbores quæ parciùs, quæ've fuſiùs irrigari volunt: & de his, quæ hoc reſpuũt & de aliis præter aquam liquoribus quibus plantæ oblectantur. 309
Arbores quæ ſtercorari nolunt, & de calce & cinere, atq; his, quæ fimi loco inijciuntur. 306
Arbores quibuſdam familijs, & hominibus nomina & cognomina dederunt. 26
Arbores quo tempore amputandæ, & de putationis norma. 312
Arbores quo tẽpore ſerendæ ſunt. 246
Arbores regionibus & fluuijs nomina indidiſſe. 26
Arbores ſerendæ alibi, quàm in hortis, & de topiario. 270
Arbores ſerendæ, iuxta locorũ ſitũ. 262
Arbores ſerendæ ſecundum locorũ differentias. 260
Arbores ſtercorandæ, & quando, & de forma. 305
Arbores translatione vel lætari, vel degenerare, & de nonnullis regionibus in quibus plantarum quædam genera proſperiùs & generoſiùs viuant. 256
Arbores vrbanæ & ſylueſtres. 184
Arbores vrbibus, & alijs locis impoſuiſſe nomina. 27
Arbutus. 556
Arundinum genera. 679
Arundinis natura & vis medica. 680
Arundo. 678
Aronia ſylueſtris. 559
Ars & ingenium, naturam adiuuat & immutat, & de huius ſeculi negligentia. 296
Aſpalathum. 659

B

Balſamum, opobalſamum, & xylobalſamum. 428
Barba Iouis. 645
Bdellium. 448
Bellaria, & adagia, ἀβυδήνων, ἐπιφόρημα, & Attica bellaria. 11
Betulla. 636
Breſilum. 455
Bruta. 436
Buxus. 638

C

Cædendæ materies, & qua anni parte, & decorticandæ materiei tempus. 377
Cæſores arborum, et de præparatione materiei ad templum Hieroſolymitanũ, & de hoc vocabulo ligneus. 376
Calamus ſeligendus, & eius varia appellatio, & quemadmodum è longinquo tranſportentur. 282
Cancanum. 426
Caphura. 454
Caprificatio, & remedia eius, contra aliquot arborum morbos. 331
Caprificus. 555
Carbones, & eorum ad artifices vſus. Et quid carbonum appellatione contineatur, & de dendrophoris. 413
Caries arborum. 648
Carpinus. 632
Caryophyllon. 447

Caſia. 653
Caſia ſyrinx. 654
Caſtanea, & eius genera. 573
Caſus praematurus fructuum. 327
Cato Cenſorius vafer, & ingenioſum documentum, quo patribus delendã fore Carthaginem ſuaſit, & Xerxis iuramentum, & de Saudanis erga Craeſum conſilio, & Philemone. 554
Cauſae morborum quorundam. 317
Cedrus. 48
Ceraſus. 540
Cerrus, & ſplachnus. 593
Chamamyrſine. 660
Cinnamomum. 650
Citrinae menſae, & de pretio illarum. 402
Coggygria, & apharca. 645
Collectio fructuum. 357
Collectio oliuarum, & quales leguli eſſe debeant. 361
Collectiones fructuũ denotantia, ſunt vindemia, & quaedam alia vocabula. 357
Colores fructuum, & florum. 353
Colores roſarum, poetarum fabulae, & de mutatione ſuper illas. 665
Colutea. 645
Colymbades qualiter fiant, & de Epityro. 373
Commendatio arborum. 1
Conceptus arborum & germinatio, & quoto tempore fiant, & de Zephyro & Chlori. 343
Concoctio fructuum, & maturitas. 354
Conditura albarum oliuarum. 372
Conditura oliuarum nigrarum. 373
Conſeruatio malorum punicorum. 364
Conſideratio myrti. 488
Cor arborum. 161
Cornus, & Gordianus nodus. 560
Corona ciuica, & de nonnullis, qui hac donati ſunt. 40
Coronas regum, antiquitus ex arborum fronde fuiſſe, & quòd principum Romanorum inſigne fuit laurus, & de adagio μυῤῥίνην. 35
Corona arborea conuiuarum, nuptiarũ, necnon citharaedorum. 43
Corona frondea nonnullae aliae, & de illarum praemiatoribus, & adagio, Malis ferire. 44
Corona poetarum. 41
Crategum. 644
Cultura arborum, & eius tempus, & de foßione. 299
Cultura & irrigatio ſeminariorum. 243
Culturae vtilitas, & quàm ſit arboribus neceſſaria: & de C. Furio Creſino, & quare leones duo currum Cybeles per aerem trahere fingantur. 294
Cupreſſus Diti ſacra, & fabula Boreae & Cyparißi. 121
Cupreſſus, & de cyparißijs. 602
Cupreßi iuxta Alcmaeonis ſepulcrum: & de Cyparißi fabula, & adagio, Cupreſſum ſimulas. 603
Cynorhodos. 670
Cynosbatos. 669

D

Daphnoides. 662
Deglutinatio materiei. 392
Dei, viri etiam clari, & magnates hortos coluerunt, & agriculturam exercuerunt. 144
Dij ex arboribus cognomina ſortiti, et de inarculo, & albogalero: & quòd ſub quibuſdam arboribus ſacrificatũ. 68
Deorum coronae, & ſtatuarum illorũ ac ſacerdotum, & ſacrificantium. 66
Deorum laurea ac ſacrificantium, & de lauri in ſacrificijs vſu. 70
Deſcriptio Fici arboris, & eius inuentio. & adagium, Folio ficulno anguillam tenes. 544
Deſcriptio mali Punici. 481
Differentiae reſinarum. 612
Diſcrimen aliud materierum, per ſingula opera. 386
Differentiae materierum omnium, quae ſcilicet ad opera faciliores, quaéve interiectabiliores. 383

Diutur

Diuturnitas materierum nonnullarum, & quæ terræ, quæve aquis magis, quæq́ etiam vtrobiq́ perdurent. 392
Dulcis radix. 661

E

Ebenum. 442
Erucæ, culices, et alia huiuſmodi animalia arborum florem, folia, fructumq́ depaſcentes, & de arborũ venenis. 322
Eryx. 681
Euonymos arbor. 441
Euphorbum. 462

F

Fabula corui in ſydus tranſlati, & de nonnullis alijs. 553
Fabula Promethei. 658
Fabula Proſerpinæ à Plutone raptæ, & Agdeſtis. 479
Fabulæ poetarum ſuper ſuccini ortu. 617
Fagus. 596
Feracitas quarundam regionum erga arbores. 250
Feræ nõnullæ, minoráve animalia, aues, & piſces, arborũ fructibus veſcũtur. 21
Feriæ, & feſta, ob arborum fructus inſtitutæ. 77
Fertilitas oleæ, fici, & punicæ. 336
Ferula. 656
Ficus Aegyptia, quam Sycomorum appellant. 438
Ficus Cypria. 440
Ficus, & eius commendatio. 543
Ficus Indica. 443
Ficus ruminalis, & de nonnullis alijs arboribus Romæ, & alibi ſacris. 61
Ficus ſiccandæ. 367
Folia quibus arboribus ſint decidua, & quibus non. 194
Fraxinus. 630
Fructus aliquarum arborum vt ſine oſſe, & putamine fiant, & de nonnullis alijs. 298
Fructus arborũ primi hominũ victus. 5
Fructus in melle condiendi. 369
Fructus in oporothecis conſtituendi, & alij ſeruandi modi. 363
Fructus maturi quando intelligantur. 355
Fructus minutuli conſeruãdi, vt nuces. 366
Fructus præcoces, & ſerotini, ac regij, & duracini, & drupi. 197
Fructus vel præcoces, vel ſerotinos, arte fieri. 297
Fructus ſiccandi, & roſæ conſeruatio. 367
Frutices etiam quoſdam eſſe, qui ad alias regiones proficiſci noluerint. 193
Fuligo thuris. 425

G

Gaiacum. 456
Galla, & eius genera. 596
Gallarum virtus. 597
Genera alia malorum, noſtræ tempeſtatis. 521
Genera cætera ficorum, vt plurimum ſecundum regiones diſtincta. 547
Genera ficorum, & horum prima à præcocibus, & ſerotinis, & à colore differentia. 545
Genera meſpili, epimelides et azarolũ. 558
Genera nonnulla ficorum, à figura, & autoribus. 546
Genera olearum. 500
Genera oleorum. 509
Genera pyrorũ, quæ nunc habentur. 532
Genera quot ſaporum, & de illorum natura, poteſtate, & de ſuccis. 203
Genera roſarum. 666
Genera ſeminariorum & ſeminum. 232
Genera teredinum, & de his quæ non ſentiunt teredinem, & cariem. 394
Genera terrarum, & quod horum hortis magis condecens. 257
Generalis arboris appellatio. 158
Generalis medicina arborum. 329
Generalis natura ficorum. 549
Generalis quædam fructuum appellatio, & de virgulto, & viburno, & nonnullis alijs. 650
Generatio arborum, & cæterarum rerũ, & de varia ſuper hac re philoſophorum opinione. 168

Geniſta.

Geniſta. 673
Geniſtæ vires. 674
Gentes nonnullæ, arborum fructus veſcentes: & quòd exercitus, arborum fructibus aliti. 6
Genus aliquot arborum inſitionem non recipere, etiam Romanorum religione: & quòd nonnullæ trunco inſerantur, non etiam inoculentur. 283
Genus vnumquodq; arborum, quot, quibúsve modis melius proueniat. 235
Glans vnguentaria. 449
Gummi iuniperi, quod vernix vocatur, & vinum eius. 640

H

Hedera. 674
Hederæ genera. 678. 675
Hederarum natura. 676
Hedera, ferula, & picea Baccho dicatæ, & de adagio ϖολλοὶ δὲ ναρθηκοφόροι ϖαῦροι δὲ βάκχοι. 119
Halipbleos. 593
Herba ſabina. 644
Hercynia ſylua, et cateræ Germaniæ ſyluæ. 587
Honores lauri quamplurimi. 39
Horti Alcinoi, Tantali, Adonidis, Midæ regum, & adagia, ἄκαρπος ἐξ ἀδόνιδος κήπων. *& Ex Tantali hortis fructus colligis.* 152
Horti apud Babylonem penſiles, & alij Ioacimi Suſannæ viri. 149
Horti cæteri vrbis Romæ & Italiæ. 154
Horti, & ambulacra publica. 145
Horti & ſyluæ poetis, & viris literatis conducibiliores. 139
Horti Heſperidum, & alij Africæ, & hi qui in Colcho inſula, fuiſſe perhibentur: adagium, à malis Heſperidū. 146
Horti in cuius tutela aſsignati: & de Priapo hortorum deo. 129
Horti quid, & de illorum varia appellatione, & quis primus Athenis inſtituerit. 126
Horti Salluſtiani, & Seneciani. 153

I

Ignaria, faces, & calones. 411
Ilex & coccus, & quid hyphear. 594
Inoculatio & emplaſtratio. 291
Irrigatio arborum, & quòd aqua illis neceſſaria: & ſabula certaminis Herculis & Acheloi. 307
Inſitio arboris, in alia, quàm ſui generis fit. 284
Inſitio in trunco fiſſo. 288
Inſitionis cætera genera. 289
Inſitionis commendatio & vtilitas, & de eius inuentione. 279
Inſitionis tempus. 281
Inſitionem in ſuo quoq; genere fœliciùs prouenire. 284
Inſomnia ex arboribus, & illorum interpretatio. 54
Interualla arborum. 268
Iuniperus, & eius vires. 639

L

Larix. 608
Larix arbor, & Lariganum oppidum à Iulio Cæſare obſeſſum: & de carpino, & buxo, & fumoſis lignis. 412
Laurus. 493
Laurus & lotus Apollini dicati. 310
fabula Daphnes in laurū cōmutatæ. 112
Laurus victoriæ nuntia fuit. 38
Laurea triumphantium fuit. 36
Leges arborum, erga Iudæos, ad ſacrificia. 74
Leges & Senatuſconſulta, propter arborum ſationem latæ. 277
Leges ob fructuum collectionē latæ. 359
Lentiſcus, & de arbore, ſub qua Suſannā reperiſſe Danieli Iudæus reſpondit, & adagium Græcum σχινοτρῶγες. 574
Lentiſcinum vinum, & oleum. 576
Libri Numæ Romanorum Regis, & quid cedria. 486
Ligna thina quid in ſacris Biblijs, & de adagijs ſuper ficulno ligno deductis. 384
Lignum quod ad ignem idoneum. 410
Liguſtrum, & cyprus. 643

Locus ad cellam oleariam ſeligendus. 503
Locus ad oliuitatem præparandus, & de torculari & inſtrumentis. 504
Locus ſeminarijs præparandus, et quando. 234
Lotophagi, & alij, qui ex arborum fructuum victu nomen ſortiti ſunt. 7
Lucus Aricinus, & adagium, Multi Manij Ariciæ. 99
Lucus Camœnarum, ſiue Muſarum. 102
Lucus Daphnes. 95
Lucus, & eius religio, & quòd in lucis, de rebus publicis tractabatur, & in illis diebus ſacris epulabantur. 81
Lucus vnde, & de vocabulis ab eo deductis. 85
Luci aliquot, abſq; numinū appellatiōe. 88
Luci aliquot, pluribus dijs dicati. 107
Luci Apollini dicati. 94
Luci Cereri, Proſerpinæ, Plutoni, Veſtæ, Caſtori & Polluci dicati. 105
Luci Dianæ ſacri. 98
Luci Feroniæ, Albuneæ, Maricæ, Lauernę, Hilernę, Furinę, Hebes, Suadelę. 109
Luci Ioui ſacri. 92
Luci Iunoni ſacri. 93
Luci Mineruæ, Iſidi, Latonæ, Cybele, Oſiridi, & Aeſculapio dicati. 97
Luci Neptuno dicati. 104
Luci veneratio. 84
Luci Vulcano, Veneri, Cupidini, Marti, Bellonæ, Libero patri, Pani, & Syluano dicati. 103
Ludus nucum, antiquorum: & nonnulla alia ad amygdalarum hiſtoriam pertinentia. 569
Ludi nonnulli alij, & de illorum donis, & adagijs, οὐ φυλίας ὁ ἀγὼν: & κιασὸς μετ᾽ ἀνθιστήρια. 34
Ludi Pythij, Apollinares, et Iſthmij, quorū præmiū laurus & pinus, fuerūt. 33
Lunaris circa cædendam materiam, ratio. 378
Lunaris ratio. 217
Lupercal quid, & quare Iuno, Lucina dicta, & nonnullis alijs, à luco tractis vocabulis. 86
Lycium. 658

M

Macer, & macis. 453
Mala Syriæ, & Gomorrhæ, & prouerbium, Ab ouo vſq; ad mala. 525
Mala ſylueſtria. 526
Malicorium, eius radix, & aliæ arboris partes, & de vino. 484
Malobathrum. 436
Malum cotoneum, ſiue Cydonium. 526
Malum, & quot eius apud antiquos genera. 520
Malum perſicum. 529
Malum Punicum, & eius in ſacris vſus & nonnullis eius hiſtorijs. 479
Malus Aſſyria, ſiue Medica, vel citrum. 475
Malua arbor. 462
Manna thuris. 425
Materies ad cætera militaria inſtrumenta. 408
Materies arborum ad deorum ſtatuas, & quid delubrum, & de adagio, ne è quouis ligno Mercurius fiat. 75
Materiæ eiuſdem generis, ex loci natura differunt. 382
Materies menſarum, & de inglandis materie, & trapezophoro. 400
Materies portarum, ſubſelliorum, & poculorum. 403
Materies, quæ inſtrumentis ruſticis apta eſt. 406
Materies reliquorum inſtrumentorum domeſticorum, & tornatilis. 404
Materies tractanda, & dolanda, vel medicanda. Et quid arborum adeps, & quid alburnum. 390
Maturitas oliuarum, & tempus collectionis. 360
Medicina, & vnguenta, ex arboribus. 15
Medicinæ ad erucarum & culicum moleſtias, & arborum plagas. 333
Medica materia vlmi, & de tumulo Prote

Proteſilai. 634
Medica vis amurcæ. 517
Medica vis mali Punici. 482
Medica vis Lauri. 495
Membra arborum, & illorum cum hominis membris conformitas. 159
Membra arborum intrinſeca. 161
Meſpilus. 557
Metopium,& galbanum. 460
Militaria inſtrumenta quæ, & de Demetrio Rege Macedoniæ, & Achillis haſta. 407
Minerua et Saturnus ſuper Athenarũ nominis impoſitione decertarunt. 115
Miracula arborum,& de arboribus fulguritis. 53
Modi alij condiendi, præterquam ex melle. 370
Modus condiendi ficus. 371
Modus inſerendi,& de inſitionum generibus. 286
Modus ſerendi. 274
Montuoſæ regiones, ac montes ipſi, conuallibus & cãpis ſylueſtriores fore. 581
Morbi arborum ex iniuria animalium prouenientes, & quare caper Baccho ſacer. 324
Morbi & vitia arborum. 316
Morbi ex cœli intemperie,& temporum ratione prouenientes, & de ſideratione, ſiue vredine. 318
Morbi iniuria hominũ contingentes. 323
Morbi quidam alij arborum,& de nonnullis quibuſdam peculiaribus. 320
Morus arbor, & fabula Pyrami & Thisbes. 535
Muſcus arborum. 648
Myrrha. 417
Myrrhæ fabula,& de myrrha Bœotica. 420
Myrobalanum. 451
Myrtus, & Myrſines fabula, & quædam memorabiles arbores, adagium, Canere ad myrtum. 488
Myrtus Veneri dicatus. 117
Myxis. 433

N

Narcapthum. 426
Natura arborum in agendis radicibus, & qualiter proſtratæ arbores reſtituantur. 272
Natura & vis mali citrij. 477
Natura & vis malorum. 524
Natura,& vis ſuccini. 621
Natura iuglandis, & de Mithridatis Regis Ponti antidoto. 566
Natura Lauri. 494
Natura malorum. 523
Natura materiei in vniuerſum, ex quatuor elementis, & quæ in opere pandat,quæ've non. 380
Natura,& vis medica ferulæ. 657
Natura Myrti,& vis medica. 489
Natura olei, à qua adagia plura deſumpta. 513
Natura olei Omphacini & Sicyonij. 515
Natura picis,& de eius fuligine, & de foſſili apud Apolloniatas pice. 615
Naues è pinu & abiete, ſalice, alno, fago vt plurimum exædificari. 397
Nauis argo. 398
Naues ex virgultis & alijs. Et quòd in genere nauigiorũ ſit materiei delectus. Et quòd vna eademq́ nauis, ex pluribus lignis fiat,et de nauium membris. 399
Nemora & hortos, plurimùm ad animi curas, tum corporis ac laborum relaxationem et ſolutionem conducere. 138
Nemora ſacra. 79
Nonnullæ aliæ ſexus vtriuſq́ arborum demonſtrationes,& de viduis arboribus. 177
Numen & religio arborum. 58
Nux auellana,& arbor eius corylus. 572
Nux Indica. 449
Nux iuglans. 564
Nux myriſtica. 452

O

Occaſus foliorum,& communis differentia. 195

Odores fructuum. 206
Officium capulatoris,& cuſtodis. 506
Olea apud Athenas in arce Mineruæ. 116
Olea arbor, & ſub qua arbore Latona peperit Apollinem,& adagium, Extra oleas. 499
Olea Mineruæ dicata eſt, quòd olea veniæ & pacis index ſit. 113
Olea veniæ & pacis index eſt, & adagiū ἔλαιον ὐκ ἔνεστιν τῷ ληκύθω. 113
Oleaſter,& quemadmodū Appulus paſtor in oleaſtrum commutatus. 518
Oleæ Aethiopicæ lacryma. 517
Oleæ vis. 501
Oleum à vitijs purgandum. 510
Oleum & vinum ex malis coroneis, & alijs. 528
Oleum ex amygdalis amaris,& de Atys fabula. 571
Oleum iuglandis nucis. 568
Oleum laurinum. 496
Oleum myrteum. 490
Oleum roſaceum. 668
Oleum vbi melius aſſeruetur,et nonnulla eius vitia purganda. 511
Oliuæ quemadmodum condiendæ, & primùm de caducis. 372
Oliuetum,& roſarium fodiendū,& quòd inter arbores nihil ſerendum. 301
Oporothecæ, & aliæ voces idem ſignificantes, & de templo Cereris Micaleſiæ. 362
Oppulus. 630
Ordines arborum. 267
Ornogloſſos. 634
Ornus. 631
Oſtria arbor. 440
Oxyphœnicum. 472
Oxyacantha. 672
Oxyacanthæ vires. 673

P

Pala arbor Indiæ: & alia huic perſimilis. 444
Palimpiſſa, piſſaſphaltos, maltha: & de oleo picino. 616
Palma. 467
Palmam arborem vincentium in certaminibus & ludis fuiſſe præmium, & de adagio, Palmā dare,& cæteris. 29
Palmam multarum regionum eſſe accolam, ſed non vbiq; fructiferam. 254
Palmarum differentiæ. 469
Palmarum genera. 468
Palmæ natura & vis. 470
Palmeum vinum, & eleatinum, ac oleū eleatinum. 473
Palmularum vis medica. 471
Panos & Syringis fabula. 681
Partes roſæ. 665
Perſea. 437
Philoſophi in hortis conuerſati ſunt, & de Athenienſium Academia. 140
Picea,& Pitys fabula. 606
Pictatia. 435
Pinus Cybelæ dicata,de Ida monte Troadis, & pinu in eo pulcherrima, & Aty fabula. 123
Piper. 444
Pix. 614
Plantæ tranſlatio è ſeminario in ſeminariū, & de vlmarijs,& arundinetis. 239
Platanus. 473
Platanus commendatur, & de aliquot eius arboris memorabilibus. 474
Pœna & vindicta horum, qui lucos violarunt. 89
Populus alba & alpina. 625
Populus Herculi,mali punici fructus Mercurio,perſea Harpocrati dicati. 124
Populus nigra. 626
Poſitio hortorum, & ad illos loci præparatio. 265
Poteſtas ac vis lunæ circa inferiora corpora, & quòd eius curſus obſeruatio agricolis maximè conueniat. 216
Præmium ludi Olympici,quorū ex oleaſtro corona fuit. 30

Primus

Primus hominum victus è glandibus, de adagijs, ἄλις δρυὸς, & ἄλλην δρῦν βαλάνιζε. 8
Præparatio ſeminum. 236
Prodigia arborum. 49
Prognoſtica vbertatis futuræ, vel inopiæ, ex ſyderum ſtatu. 350
Propagatio. 244
Prouentus fructuum arborum futurus, ex aëris temperie & intemperie, prognoſticatur. 352
Prudentia, & affectiones arborum. 164
Prunus Aegyptia, ſpinæ Aegyptiæ ſimillima. 440
Prunus, & eius genera. 562
Prunus ſylueſtris. 564
Purgatio arborum. 310
Pyraſter, & Thraſibulus. 535
Pyrus, & eius apud antiquos genera. 531

Q

Quadrupedes depaſci in ſyluis & ſub arboribus, & illa eſſe harũ domicilia, & de fronde & folijs animaliũ cibo. 19
Quercus & iuglans Ioui ſacræ, & nonnulla de ciuica corona, & adagio ϖολλῶν ϖανηγύρειον Διὸς βαλάνων ἔφαγεν. 110
Quercus, & de funebri Prienenſiũ quercu. 589
Quercus natura & vis, & de Bryino beſtiola, & Lynceo. 590

R

Ratio fiſtularum apud antiquos. 405
Ratio fructuum conſeruandorum in ſcrobibus, & vaſis, & alijs modis. 365
Ratio olei faciundi. 507
Ratio ſumma hortorum ſerendorũ. 264
Ratio talearum & ſurculorum. 240
Reditus arborum, vectigal, & pretium: et de nonnullorũ erga aliquas amore. 23
Reges ac Magnates olim arborum fructibus donabantur. 11
Reges Perſarum hortorum ſtudioſi fuerunt. 151
Regio vnaquæq; quid ferre conſueuerit, in arboribus ſerendis, conſtituendiſq́ hortis, conſpiciendum fore. 252
Regiones quædam, in quibus incolæ lanam ex arboribus ad veſtium vſum depectune. 13
Remedia ad flores & fructus deciduos. 336
Remedia ad quarundam arborum morbos peculiares. 334
Remedia arborum, contra cœli iniurias. 330
Remedia contra arborum ſterilitatem. 335
Remedia contra vermiculationem. 332
Remedia contra formicas. ead.
Remedia in genere arborum quarundã, contra fructus deciduos. 337
Remedia lauri erga animalium noxas & quibus item illius remedijs, animalium morbis ſubuenimus, & ab illorum moleſtijs defendimur. 496
Remedia, ſi fructus rugoſi, & hiantes ſint, & ante maturitatem in arbore putreſcant. 338
Reſina lentiſci, quæ maſtix dicitur. 575
Reſinæ. 610
Reſponſa, antiquos ex arboribus accepiſſe, & de oraculo Dodonæo, & adagio, Dodonæum ahenum. 63
Rhamnus. 671
Rhododaphnes. 670
Robur, & eius multiplex fructus. 591
Robur, pons Romæ Sublicius, & ſcandulæ. 388
Roſa, & de adagijs ab ea. 664
Roſa & philyra Veneri dicatæ, & de naucratite corona. 119
Roſmarinus, & eius vires. 683
Rubus, & adagium, Rubo areſacto præfractior. 538
Rubus Idæus. 540

S

Salix. 626
Saltus quid, quid've ſylua paſcua, ac nemus: & de Nemeſtrino deo, de napeis

& Ithia dea. 580
Sambucus. 628
Santalus. 454
Sapientes aliquot, & athletas, nonnulloſq́ alios, ſolis arborum fructibus vitaſſe. 9
Sapinus. 608
Sapores fructuum arborum. 201
Sarcocolla. 427
Scabies, radicatio, tabes, impetigo & morbi ex locorum natura. 319
Sciſtma. 596
Scrobes fodiendæ, & illarum altitudo atq; latitudo, & quanto tempore antea faciendæ. 271
Semina, & illorum differentiæ. 200
Seminarij ſepiendi, & horti, & de roborarijs. 338
Seminarium ex ſemine, & qualiter in quallis ſerantur vt transferantur. 237
Seminarium in ſulcis, & ex clauis faciendum, & quòd arbores auulſione naſcantur. 242
Sexus arborum duplex, maſculinum videlicet, & fœmininum. 174
Siler. 673
Siliqua. 434
Sinides latro. 604
Solſtitia, & æquinoctia, ac bruma. 215
Sorbus. 559
Staphylodendros, & colycea. 633
Stationes nõnullæ peculiares circa quaſdã arbores, et de ſeminarijs oleaginis. 241
Status cœli terræq́ in hortis ponendis, ac ſerendis arboribus, conſiderandus. 249
Stercoratio commendatior et eius inuentio, & de fimorum differentia. 303
Sterilitas arborum, & Pellenorum Dianæ ſimulacrum. 326
Stolones remouendi, & C. Licinius. De lucorum collucatione. Quid ſit compeſcere lucum, quid ſublucare, & interlucare: & de remedijs contra arborum frigora. 314
Strobus. 436
Styrax. 431
Suber, & de adagijs ab ea, et phellodry. 595
Succinum, & eius variæ appellationes. 616
Succinum vbi colligatur, & de varia ſuper hoc autorum ſententia. 618
Summa arborum diuiſio, & de illarum ex ſtipite, ramis, cortice ac radicibus differentijs. 173
Summus deus Ieſus Chriſtus religionem lucorum deorum gentilium execratus eſt, & quæ pœna illorum, qui eos coluerunt, & venerati ſunt. 91
Sycophantæ. 359
Syderalis digeſtio, & qualiter ortus & occaſus ſyderum intelligantur. 221
Syderum quorundam ortus & occaſus, & de Orionis fabula. 222
Sylua cædua quid, quid've ſyluæ conſulares, & quòd Pan deus ſyluarũ ſit. 579
Sylua cædua, quoto tempore, & in quot annos cædenda, & quando frons pecudum cauſa, & alijs, ad aliquot opera cædendis. 379
Sylua quid, et de adagijs, Multam ſyluam geſtas, &, In ſyluam ligna ferre. 578
Syluæ, & arbores primum hominum domicilium, & ſemper animalium fuiſſe: & quòd poetæ homines ex arboribus natos finxerunt: & de adagio, Ex quercubus nati. 3
Syluæ Galliæ, & nonnullarum aliquot regionum. 585
Syluæ Græciæ & Theſſaliæ. 583
Syluæ Hiſpaniæ & Britanniæ. 586
Syluæ quibus in locis, quibus've regionibus magis proueniant. 581
Syluæ vrbis Romæ ac Italiæ. 584
Syringis & Panos fabula. 681

T

Tæda. 608
Tamarix. 641
Taxus. 609
Tempora ex rerum terreſtrium euentu, deſignantur. 224

Tempus

Tempus fructuum condiendorum. 369
Tempus oliuitatis, & quibus machinis oleum melius conficiatur. 507
Terebinthus et de prouerbio, Terebintho ſtultior. 601
Thus et myrrha, et aliæ arbores non peregrinantur. 191
Thus, et de iuuene eiuſdem numinis. 421
Thya arbor, ſiue trogetes. 463
Tilia, et de Oceani filia. 635
Triumphus vnde, et de ouantium corona, et nonnullis alijs frondeis coronis, et quòd arbores in triũphũ ductæ ſunt. 37
Trophæum. 46
Trophæum Ieſu Chriſti, et virginis Mariæ, eius matris. 48
Tubera arboribus inſunt, bruſco, moluſco, ægide, et leuſo. 389
Tuber. 436

V

Varia fructuũ appellatio, et differentia, ac diuerſa in producendo natura. 198
Varia ventorum appellatio. 227
Vaſa olearia, et nonnulla alia ante oliuitatem facienda. 505
Venti. 226
Vermiculatio arborum interiùs. 321
Veſtes, vina, et oleũ, ex arboribus, et alia quædam hominibus neceſſaria. 13
Veteres heroibus et præclaris viris dicaſſe lucos. 87
Victoriæ Athenienſium, et panathenæi ludi, et aliæ ſolennitates, in quibus corona oleagina donabatur. 32
Victus circa animalia, ſunt glandes, et alij fructus arborum. 20
Vinum, acetum è pyris, et de alijs eius confectionibus. 534
Vinum, et oleum cedrinum. 487
Vinum et acetum è roſis. 668
Vinum myrteum. 491
Vinum ſcytes, et acetum è ficis. 552
Vires agarici. 623
Vires amomi. 656
Vires aſpalathi. 660
Vires caprifici. 555
Vires lycij. 659
Vires caſiæ. 654
Vires mali Cydonij. 527
Vires malorum, ſecundum aliquot genera, & ex his vino & aceto. 524
Vires mori. 536
Vires rhamni. 272
Vires rhododaphnæ. 671
Vires ſambuci. 629
Vires tiliæ, & de Cineſia poeta. 635
Viſcus. 598
Viſcus qualiter fiat & glutinum, capiundis auibus aptum, quod etiam viſcum dicitur & de eius vi & natura. 599
Vis, ac natura cinnamomi. 652
Vis et natura vẽtorũ, et de prodromis, eteſijs, et alijs quibuſdã locis peculiaribꝰ. 228
Vis caſtanearum, & natura. 574
Vis ceraſiorum & natura. 541
Vis & natura roſarum. 667
Vis & natura viticis. 663
Vis medica fraxini, & natura. 631
Vis medica oleorum. 514
Vis medica ſalicis. 627
Vis medica tamaricis. 642
Vis perſicorum, & conſideratio. 530
Vis pinorum. 605
Vis prunorum, & natura. 563
Vis pyrorum & natura, & adagium, Tam facile vinces, quàm pyrum vulpes comeſt. 534
Vis reſinarum. 612
Vis rubi ac natura. 539
Vis ſolis in corpora inferiora, & de eius prognoſticis. 219
Vis ſpecialis ficorum erga morbos. 550
Vis ſpecialis ficorum erga venena. 552
Vitia materiei. 389
Vita arborum. 207
Vita arborum aliquarũ longiſſima. 209
Vitex. 662
Vlmus. 633
Vſus arborum ad ſacrificia. 72
Vſus arborum circa chartas, et quòd deorum

rum

rum oracula, in arborũ ſolijs exciperentur: & de adagijs, Folium Sibyllæ: &, Non in foro ligneo iudice: et quando primùm chartæ inuentæ. 16

Uſus arborum in ſepeliendis, vrendis, atq; condendis hominum cadaueribus. 17

Uſus olei in lotione, & adagium, Ut in velabro olearij. 512

Uſus tincturæ ex arboribus & corticibus. 409

Utilitas putationis, & quæ arbores decacuminari nolunt, & qui primus nemora totunderit. 311

Utrunque arborum ſexum, in fertilitate vel ſterilitate, ſecundum arborum genera dignoſci. 175

Z

Zizypha. 433

Zopiſſa. 613

Succincta argumenta ſingulorum librorum.

Primo, continetur arborum commendatio, quamq́; earum vſus humanæ vitæ ſit neceſſarius. 1
Secundo, quanto in honore olim fuerint. 25
Tertio, de earum religione,ac in ſacris vſu. 57
Quarto, quæ ſyluæ, quæ nemora, qui luci dijs gentilibus dicati fuerint. 81
Quinto, quæ genera arborum quibuſq; dijs dicata fuerint ac eius dicationis cauſa. 110
Sexto, hortorum ſignificatio,tutela,ornatus ac amœnitates. 126
Septimo, arborum partes,ac earum varij affectus ac differentiæ. 157
Octauo, ſyderum vis,ac ventorum flatus ac natura. 213
Nono, ſeminarium,ac ſeminum varia genera. 232
Decimo, plantarum tranſmigratio. 246
Vndecimo, inſitiones,ac earum varia tempora ac diuerſi modi. 279
Duodecimo, arborum cultura. 294
Decimotertio, arborum morbi & vitia. 316
Decimoquarto, morborum arborum medela. 329
Decimoquinto, arborum alimentum, cibus, conceptus & germinatio. 342
Decimoſexto, fructuum collectio,condimentũ & conſeruatio. 387
Decimoſeptimo, arborum materies quando & quæ cædenda. 376
Decimooctauo, naues è quibus lignis conſtruantur: variorum item arborum vſus. 397
Decimonono, Arabia quas arbores ferat. 407
Vigeſimo, Indiæ, Africæ, ac nonnullarum aliarum regionum arbores. 442
Vigeſimoprimo, arbores quædam noſtrates vbi proueniant ac earum vires. 467
Vigeſimoſecundo, olea. 499
Vigeſimotertio, mala & pyra. 520
Vigeſimoquarto, Ficus. 543
Vigeſimoquinto, nuces. 562
Vigeſimoſexto, arbores ſylueſtres & glandiferæ. 578
Vigeſimoſeptimo, piniferæ. 601
Vigeſimooctauo, arbores in conuallibus & aquoſis locis prouenientes. 625
Vigeſimonono, arbores ſua ſponte prouenientes, quæ tamen inter domeſticas annumerari debeant. 638
Trigeſimo, frutices. 650

PRAEFATIO.

SENTIO *quoſdam mihi non defuturos ſi quando has noſtras de re arboraria diſputationes lecturi ſint, qui vitiligent & paßim damnent, acriter reprehendant & amarulentius ſubſannent: vt pote qui poſt Theophraſtũ virum in eloquentia tantum, vt inde diuinum nomen ſortitus ſit: M. & Catonem & Varronem, Vergilium Maronem, L. Columellam, C. Plinium & medicos Dioſcoridem, Galenum, cæteroſq́; tam Græcos quàm Latinos omnes, quorum quidem non minimus numerus qui de agricultura, maximè verò arborum cultu & ſimplicium facultatibus diligentißimè atque doctißimè ſcripſere: vt propterea has meas quantulaſcunque nugas publicè edere non veritus, tanquam ſuperuacaneas, parumq́; neceſſarias, vti vrbanius, idq́; etiam cum maiori modeſtia, illis priſcis tot tantiſq́; autoribus morem meo ſilentio geßiſſe debuerim. Verùm mihi acerbius ſatyricum illud impingent: Tenet inſanabile multos ſcribendi cacoëthes. Quamobrẽ anceps incertuſq́; conſilij mei ipſe ego multum diuq́; mecum reluctatus, vtrum id auderem quod multùm iam antea animo conceperam, tandem vixit propoſiti audacia. Primùm verò omnium occurrebat: quòd qui omnes de re arboraria meminerint, nemo adhuc inuentus ſit (quod ſciuerim) qui omnem arborum hiſtoriam abſolutè deſcripſerit: omneſq́; alio atque alio argumento. Alij ipſarum plantarum tantùm culturam, præſertim verò ij qui in vniuerſum agricolationis præcepta tradiderunt, inter quos M. Cato & Varro & is octogenarius, vt iam ſibi ſarcinulas ſuas colligendas arbitraretur, & Vergilius: qui cùm generalem colendi rationem docuerunt, his contigit vt multa præterirent: puta alius arborum deſcriptionem ac figuram, alius vires ſolùm, ac omnes non æquè de omnibus. Quod autem ad hunc præcellentißimum vatem attinet, tribus oleæ generibus nominatis, totidem pyrorum, malo verò tantùm Aſſyria, multa neglexit. M. autem Cato dum opes agrorũ excolit: paucis contentus, adeoq́; breuibus: tanquam ſi ex adytis & ſacra tripode cuiuſdã agriculturæ dei promulgata, ac ſi oracula forent, quorum duorũ & ipſe formulas in ſuis præceptis retinuit, quæ & interprete indigeant. Cæteri verò tantùm medicã materiam,*

riam, quod fuit medicorum officium, vt Galeni Pergameni, & illius ſimiarum, Pauli Æginetæ, Oribaſij, Ætij. Sed vnus Pedacius Dioſcorides diſciplina miles, profeſſione verò medicus, & vires & effigies oſtendit: in quorum primo exceptis paucis approbarunt, in altero verò tanti fecerunt vt huius prouinciam intactam reliquerint: ſcripſit tamen poſt Xenocratem Aphrodiſienſem, Pamphilum Tanitrum, Heraclidem Tarentinum, Crateuum, Manteiam Apollonium, quorum teſtimonijs & ipſe vtitur. Heſiodus primus atq; inter literarum principia ad Perſen fratrem agricolationis præcepta memoriæ reliquit, in quibus tamen nulla de arboribus ab eo mentio facta eſt. Sed quemadmodum priores rem arborariam cum vniuerſa agricultura miſcuerunt, ſic & iſti arbores cum herbis, vt nullus adhuc fuerit, qui omnem arborum materiam per ſe tractauerit, & inter hos omnes Theophraſtus vnus ſit, qui latiùs & induſtriùs arborum hiſtoriam conſecutus, verùm vt cornicum oculos non configerit: etenim & in eo plantarum vires deſiderantur, & hoc etiam inter herbas. At illo C. Plinius Secundus apud Latinos diffuſiùs ab his duobus omnia mutuatus, quorum ſententias ad verbum interpretatus, multa etiam ex alijs addidit. Hæc tamen omnia in generali naturæ hiſtoria. Fuere poſt hos & ante permulti & Græci & Latini, quorum tantum nomen neq; omnium, vt ſuſpicor, remanſit. Interijt enim turba illa à M. Varrone recenſita. Interijt Mago Carthaginienſis Hannibalis frater, ac ſuus Græcus interpres Dionyſius, & huius ex Diophane epitome, interierunt & Gargilius Martialis & Cornelius Celſus: quorum ſi vigiliæ extarent, in cauſa forſan eſſent, quo hoc noſtro labore leuaremur, aut ſaltem vndecunque elucidiora atque ornatiora forent. Ingens poſtea ſubſecuta cohors, verùm incondita, ſine eloquentia, ſine induſtria, ſine ingenio: cuius primipilus fuit Albertus cognomento Magnus, multa ſuo ingenio commentus, plurima quæ nec ipſe ab alio didiſcerit, neque ipſe expertus ſit, neque alius: vt præterea in re arboraria potius paruus quàm magnus merito appellandus ſit, & ij vltimi in hoc albo non erant. Sed qui hos non tam doctrina & eloquentia quàm tempore præceſſerunt, habuerunt quos imitarentur, eoq; modo quo nos illos. Quod non tam in agricultura ſcientia fuit, quàm in omni diſciplina ac doctrina & artificio, vti illorum ingens autoritas & vetuſtum ac egregium nomen ſubſequentium calamum non tenuerit, & vt de paucis oſtendam, Theophraſtus Ariſtotelem non tam auricularem quàm ſcriptorem etiam in plantarum ſcientia magiſtrum habuit. Et hunc neque am-

plitudo, neque dignitas ſermonis præceptoris Platonis in tradendis eiuſdem doctrinæ præceptis compeſcuit. Cuius item admirabilis quædam copia & ingenium cæterorum ſtudia reſtinxit, nec Theophraſtus Zenonem, Academicos, Peripateticos, Stoicos. Et vt Ciceronis teſtimonio vtar in poëtis (vt de Græcis loquar) ſoli Homero locus eſt, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro. Sed horum ſecundi, vel intra ſecundos fuere. Nec defuerunt, qui poſt Homerum Iliada & Vlyſsis errores deſcripſerint, vt tamen ab illorum lectione non abſtineretur, vt probarentur etiam. Nihil enim tam adfabre ſcriptum fuit, quod non expoliendo vel ornando aut illuſtraretur perfectiùs & limatiùs redderetur: vt locus non fuerit ſequentibus. Nec vlla cuiuſque & doctrinæ & artis pars fuit, quæ plures oſtentatores ſui non habuerit. Neque illi omnes tam maleuolo animo atque arroganti fuerunt, vt nollent à ſeſe tractatam rem, ab alijs intactam relinqui: atque ita vt illorum plures viam ſolùm aperuerint, quam vellent ab alijs lapillis & obice expurgari, & ex obſcura & ſalebroſa faciliorem & latiorem fieri. Vt mihi præterea vitio minime dandum ſit, ſi poſt tot agriculturæ claſsicos ſcriptores & expertos medicos, de arboribus diſſeram. Non vt cum eis decertem, quod nobiſcum fortaſſe facient qui poſt venerint, ſed vt ex omnium tabulis (tantum abſit vt naufragium dicam) huiuſce rei nauem ædificem, quorum dictis hæc noſtra conſarcinemus, perq; illorum ſeminaria, fortunata nemora, ex quibus roſas, paradiſiaca mala & mellimella, balſamum, cinnamomum, & quicquid pretioſum & lectu dulciſsimum ſit, colligam, vt ex his hortos meos feram, & adornem. Eo certè iudicio & cura qua potui, vt quicquid quod ad arborum hiſtoriam commodiſsimè, excellentiſsimè coactis illorum ſententijs faceret, in vnum contuli exemplo diligentis apiculæ, quæ omne quod ex ſibi gratis floribus ſelegerit, in ſuis loculis recondit ac diſponit: & Zeuſis Heracleotici pictoris eximij, qui cum Helenen apud Crotoniatas depicturus eſſet, exhiberi ſibi voluit gentis illius virgines cæteris forma præſtantiores quinque. Ex quarum iudicio pulchritudinis typum effigiaret. Neque enim ille picturæ optimus & ingenioſus artifex vno in corpore totius venuſtatis liniamenta deſumere, probè arbitratus. Non vt priſcorum laudi glorioſuſculæ inuiderem, meliora nedum, æque bona edere ſperans: imò verò vt ex illorum ſcriptis gloriam ſi quam aſſecuturus ſim, reportem, non ex hoc meo opere. Non etiam alia ratione quàm vt rem arborariam (vt pleraque fuere artes) ſopitam & neglectui habitam ac pene deperditam reſtaurarem. At id pro

communi vtilitate, & materię dignitate, atque vtilitate. Motus inſuper illorum conſilio, qui paulo ante ætatem noſtram, & etiam noſtra tempeſtate omnes artes fere extinctas vel langueſcentes, ac euaneſcentes, ſuis vigilijs effecerunt, vt iterum reuiuiſcerent atque florerent. Jnter quę verò res herbaria, materię noſtrę perquam vicina iacebat, quę tandem plurimorum cura iam planè ſuos natiuos & flores & fructus, priſtinumq́ nitorem recuperauit. Ægrè enim ferebam rem hanc, vniuerſę agricolationis nobiliſſimam poſt hęc omnia non modò reſtaurata verùm illuſtrata, incuria hominum tam diu iacere: vt ab omnibus pro derelicto non ſine iniuria haberetur. Res inquam vitę humanę tum ad victum, tum ad ſanitatem mortalium quàm quę alia maximè neceſſaria. A qua verò reges manus ſuas non abſtinuerunt, non detrectarunt doctiſſimi, non viri illuſtres operas ſuas ac ſtudium detraxerunt, quę lectu amœna, ſed cognitione atque exercitio multo iucundior. Quam denique prudentiſſimi noſtri maiores plurimi magniq́ ſemper fecerunt. Quę ſeſe vltro cuique offerebat, non negligendam: vt officij eſſet boni viri, atque naturę ſtudioſi, vt huius partes prope ab interitu iam vendicaret. Cuius munere ſi non omnino & ex quaque ſui parte fungi non poſſem, ſaltem id præſtarem, quod poſſem: plurimorum lectionem, ſed maiorem diligentiam, & experientiam, tantam forſan quantam in multis illius præceptoribus inuenias, vt ſat mihi ſatis non fuerint illorum inſtituta, ni hac re illorum interpretes fuerimus, quam tot annis in inſerendis, & inſerendis atque excolendis arboribus nobis magiſtram fecimus. Vt multa quę illi tradiderunt, primum lectione, poſtea verò crebro & fideli vſu didiſcerimus, vt ſuorum pręceptorum non tam teſtes oculati, quàm experientes eſſemus. Jn qua verò tam ardens ſtudium, & incredibilis diligentia fuit, vt multa paruo tempore didiſcerim & expertus fuerim: quem tamen laborem rei voluptate & cupiditate leuauerim. Non vt Nicander Colophonius, qui ab agro remotiſſimus, ruſtica aggredi non veritus. Neque vt Heſiodus qui ſemel mare ingreſſus, nauigandi artē auſus eſt tradere, & Pamphilus quem Galenus reprehendit quod cùm non conſpexerit, nedum per ſomnium viderit, de his tamen ſcripſerit. Ex quibus omnibus non deſperarem arborum ſtudioſis in multis, ſi non omnibus, perplacuiſſe. Vt hac ratione mihi ampliſſimè & magnificè ſatisfactum iri arbitrarer. Quod vltimum præſtare nunquam ſperauimus. Sciebam enim hoc impoſſibile fore, vt vnquam id ex animorum infirmitate alicui contigerit, vt ſiue priſtina eloquentia, ſiue ingenio illis non ſatisfecero, ſaltem cura

noſtræ teſtimonium oſtendiſſe ſufficiat: vt ſi tantopere ab alijs eligantur, quanto ſtudio perfecimus, neque nos,neque alios noſtræ induſtriæ pœnitebit.Dedimus autem ſi non omnia:quæ potuimus tamen propter quod reprehenſioni locus erit nequaquam. Inſtar egregij & exquiſitiſſimi venatoris,qui ſi in magna ſylua feras nonnullas etſi non omnes ceperit, culpæ eius minime dari debet: cùm propter rei difficultatem, tum quod ſibi ex venatione ſua alteri ſibiq; ſat placuiſſe exiſtimet. De me autem nil prædicare poſſum niſi quod confidam hanc meam quantulancunq; operam non paſſim neque ab omnibus reprobatum iri: vt ſi non probi lectoris deſiderium expleuero, ſaltem ſibi in perpaucis placuero,quando in nihilo à bene maléve dictis, aut excogitatis affligitur.Sed aduerſus malos qui ſatyrici ſententia me aggreſſi ſunt,eiuſdem alia vt clypeo me tuebor. Eſt quoddam prodire tenus, ſi non datur vltra,vt etiam Plinius ait, Etiam non aſſecutis, voluiſſe, abunde pulchrum atque magnificum eſt, vt ſaltem ære audaciæ meæ repercutere valeam. Præſertim verò quum haudquaquam ex eorum ſim numero, qui æmulis carere vel poſſim, vel velim. Sed vt ſaltem veniam conſecuturus, ab his quibus quandoq; talia opera moliri,vt labor iſte meus non dicam ambitioſus, arcis vice aduerſus inuidos ſit. Quæ deſunt alij ſuppleant,alius cognitionem,alter eloquentiam, item & artificium,atque alia huiuſcemodi plura:quod ſi faciant ſumus illis gratiam habituri: quum non parum cognouiſſe, ſed in parum cognitu, ſtultè atque diu perſeueraſſe turpe ſit,atque ignominioſum. Propterea quod alterum communi hominū infirmitati, alterum autem ſingulari vniuſcuiuſque vitio attributum. Nobis ſolis negocium ſcioli faceſſent quidam, nihil rectè factum calumniantes. Qui & ſi nihil vnquam ediderint,vel edituri ſunt, faſtidiunt tamen omnia:& quum ad hanc immortalitatis & gloriæ ſpem,ex ingenij ſui exiguitate ac labore aſpirare non poſſint:veluti apum fuci,& improbiſſimi ſycophantæ, vaniq; rerum oſtentatores, ſolitaq; inſolentia & proni atque ingenioſi ad carpendum,vt his maledicendi ſtudium naturaliter inſitum ſit,inaniq; perſuaſione tumeſcentes,& vmbratici,obſcuri atque alienarum vigiliarum arroſores,ex alieni nominis detractione ſcientiæ famam ex laudem,inter ignaros & ſui ſimiles aucupantur.Quorum inuidia ex cæterorum præconio cruciatur, & miſerè torquetur. Quos tamen non moramur, facileq; patimur,vt hoc occultarum reprehenſionum pabulo maleuolentiam ſuam alant. Neque etiam hos, qui tametſi mitius tolerandi ſunt, qui nulla alia mercede, præterquam reprehendendi oblectatione, diligentiam omnem, ſtudiumq; ſuum impendunt. Quæ

verò

verò propoſita adeò accuratè atq; totis viribus in aliena incumbunt, eo vſque etiam adamuſſim ſcrutantur, vt nonnunquam æquè bona, ſæpius meliora reddant. Ut quod ipſi aliter præſtare non poterant, obtrectationis tamen amore aſſequantur. A quibus verò hoc ſolùm impetratum velim, vt ſi in his noſtris hortis, vel quædam pauca, vel fortaſſe plurima neque omnia calumniari poſſunt, quum ex C. Plinij Secundi graui ſententia, nullus tam malus liber, vt ex aliqua parte non proſit, quæ perperam ſata inſitaq́; ſint, vt illis malè ſuboleant, his abſtineant. Futurum enim hac ratione, vt ipſi ſeſe legendi moleſtia leuent, & nos accuſatione quotidiana liberabunt, illis legenda relinquentes quorum neq; aures, neq; iudicium tam ſit ſuperbum, aut auerſum. Mihi ſatis erit ſi paucis, maximè verò tibi D. Camerarie vt ſcribam, cui hæc quantulacunque fuerint, dedicamus.

HORTORVM

LIBRI XXX.

Autore Benedicto Curtio Symphoriano, eccleſiæ Lugdunenſis equite.

LIBER I.

Arborum commendatio. CAPVT I.

DE ARBORIBVS ſcripturus, non fore abſurdum exiſtimauerim, ſi ab illarum laudibus, idq́; etiam ſtatim in ipſo operis limine inchoarem: Non ex rei magnitudine, quod non facile foret, neq; in vno capite, neq; libro in vno, ſed multis ſequentibus: quod tamen & conabor. Quam rem etiam ſequentes adiuuabunt. Ratus equidem indignum eſſe, vt ſine aliqua præfatione ad tam nobilem, tamq́; vtilem, ac neceſſariam progrederer materiam, illotisq; etiam manibus, iuxta Caij Iuriſconſulti ſententiam, quò lectorem ipſum ad has colendas cupidiorem facerem, & ad obſeruanda, quæ ad id pertinent, præcepta ſtudioſiorem redderem, vt tandem illarum illectus amicitia, maiore diligentia, ſcientia, atq; induſtria, promptiori & alacriori animo, arbores ſereret, ſatas inſereret, inſitas excoleret, vt deniq; harum delectatione, fructibus, & omnibus illarum munijs, frueretur, vteretur. Quippe Aphthonius, declamator non incelebris, in ſuis progymnaſmatibus vbi de laudatione agit, hortos, & arbores fore laudandas, memoriæ reliquit. Quòd ſi naturæ pars aliqua non fuerit, quæ contemplantium animos ad ſui quandam admirationem adducere non potuerit, vt etiam philoſophorum ſtudiū, induſtriam, ad illius vis & naturæ notitiam, occupauerit, vt ij non ſolùm ad maiorum animalium, ſed inſectorum, reptilium quoq; perquirendas naturas deſcenderint, vt abſtruſa quæq;, & abdita ſuis vigiliis nobis dilucidiis patefacerent. Verùm hoc maximè in arborum materia, quæ multos ſcriptores, longè plures demiratores habuit, vt potè cæteris vtilior, & ad vſum humanū magis neceſſaria. Eſt præterea aliquid, quod

in his, præter ſummam vtilitatem, amplectamur, & prædicemus. In his etenim vmbra, præter fructum & alias innumeras plantarum commoditates, mirum in modum delectamur, atq; afficimur. Ad quam rem verò non tam fructuoſam quàm ſylueſtrem, non magis laurum, cupreſſum, platanum, aut aliam raram atq; pretioſam arborem, quàm quercū, vlmū, populum've, aut aliam, quæ vltrò ſeſe, ſecundum aut regionis vel loci naturam obtulerit, deſideramus. Quis enim ille erit, qui in illarum ſatu potētiā nō demiretur? Quid enim aliud naturę maius miraculū eſt? vti ex minutiſſimis ſeminibus, qualia ſunt cupreſſi, aut fici, vt vix proſpici queant? & aliis multis, hordei granum minimè excedentibus, ne quis fabam reputet, non admiretur, tam grandes arbores tam latos, longosq; ramos, per aëra longè lateq; ſpatiantes, ac diffuſos oriri? Tam proceras arbores in tam longum tempus permanſuras, vt illarum ætatem nemo eſt qui non ſtupeſcat, à minima quidem radice, paruisq; fibris, & capillamentis, & ali & teneri. Quis enim in vnius arboris ſpecie, puta mali alicuius, aut ficorum, vel prunorum, tot genera, & varias formas, per tot anni ſpatia ſe vertentes, non ſuſpiciat? tot & diuerſos odores, atque ſapores, quibus ac floribus mirum in modum delectamur, vt eæ efficiant, vt quemuis non ſine, vt Cicero ait, admiratione delectent: Homerus enim cùm vult formoſos ſignificare, eos arboribus comparat, velut in Odyſſea,

Νῦν αὖ παιδὸς ἄλαστον ὀδύρομαι ὃν τέκ' Ὀδυσσεὺς
Τηλεμάχου, τὸν ἐπεὶ θρέψαν θεοὶ ἔρνεϊ ἶσον.

In his verò prodigia, & ex illis inſomniorum ſignificationes, tanquam rem diuinam miramur. Fronde illarum, Deorum aras antiqui exornarunt, & ipſos coronarunt, & ad illorum ſacrificia vſi, quibus fructus offerrent, & libarent. Ductæ autem in triumphum, vt eſſent triumphantiū præmium. Propter illarum fructus, feriæ inſtitutæ. De his latæ ſunt leges etiam ab initio, vt, quæ in duodecim Tabulis promulgatæ. Inter ipſas enim lata, promulgata interdicta, edicta, & Senatuſconſulta. Q. enim Hortenſius Dictator, cùm plebs in Ianiculū ſeceſſiſſet, legem in Eſculeto tulit, vt ea, quæ iuſſiſſet, omnes Quirites tenerent. Eæ autem auium latibula, cunæ ſunt requiesq; : in quibus nidificent, cibum capiant, deliteſcant, quibus ſe aduerſus ferarum iniurias tueantur. Igitur arboribus dulcius nihil, nihil iucundius, aut lætius: vt alia præconia hîc prætercam. Illud poſtremum addam, vt paruo impendio (præter quæ ſponte naſcūtur) quàm minima opera, illas feramus, inſeramusq; : ex quibus tamen vberrimam frugem, in longam ætatem, commoditatis plurimum recipiamus: vt à L. Columella bene dictum ſit, Serere ne dubites. quod antè à Vergilio ſcriptum fuerat, addita figura,

Et dubitamus ſerere, atq; impendere curam?

Arboribus, ad vſum humanum, nil magis neceſſarium, & de antiquitate illarum. CAP. II.

OMNIVM

OMNIVM autem rerum, quæ Natura producit, nihil magis vſui humano neceſſarium, nihil ſuperq́; conducibilius, quàm arbores. Quod experientia ipſa cuiq; ſatis etiã compertum. Mille etenim harum vſus, ſine quibus vix conditio humana parum proſperè conſiſtere poſſit. Arborum enim fructibus veſcimur, quæ ad id, vno tempore, alios maturant, alios producunt, atq; ſi ad mortalium neceſſitatem properare videantur, vt hominis ſolius gratia procreatæ intelligantur. His etiam veſcuntur animalia, quibus item poſteà victitamus. Arborum autem (inquit Cicero) confectione, omniq́; materia, & culta & ſylueſtri, partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt tecti, ſeptiq́;, frigora, caloresq́; pellamus. Magnos verò vſus affert ad nauigia facienda, quorum curſibus ſuppeditãtur omnes vndiq; copiæ, quas res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus, maris atq; ventorum, propter nauticarum rerum ſcientiam, plurimisq́; maritimis rebus fruimur, atq; vtimur. Hæc ille. Veſtes igitur ex arborum foliis, atq; corticibus contexuntur. Fit è lignis prætereà ſal (maximum hominis circa ea, quæ comedimus, condimentum) cuius rationem apud Plinium videre eſt. Refert inſuper M. Varro, quod cùm in Gallia tranſalpina intus ad Rhenum exercitum duceret, aliquot regiones acceſſiſſe, vbi ſalem nec foſſiuum, nec marinum haberet, ex quibuſdam tamen ligni combuſti carbonibus ſalſis, pro eo vſum. Arbores item ante animalia natas Porphyrio, & poſt eum Euſebius, ac Theophraſtus autores ſunt: ſed veriſſimus omnium Moſes, qui Deum tertia die lignum pomiferũ protuliſſe ſcribit: ſexta verò animalia. Etenim priùs alimentum oportuit eſſe, quo poſtea nata animalia veſcerentur. At Sardi, vt Apollonius Tyaneus ait, aſſerebant terra fuiſſe antiquiores arbores, vana & falſa opinione.

Lib. 2. de nat. Deorum.

Syluæ, & arbores primum hominum domiciliũ, et ſemper animalium fuiſſe: et quòd poetæ homines ex arboribus natos finxerunt: & de adagio, Ex quercubus nati. CAP. III.

SYLVAS autem, & arbores prima generis humani habitacula fuiſſe, plures ſuis monimentis aſſeruerunt. Primis ſiquidem hominibus (inquit Q. Fabius Pictor) non domus extructæ, ornatæq́;, nec luxuria inſignes erant, & ſplendidæ: ſed viminum, & caua arborum ligna, in quibus tectorum vice victitarent homines. Et Eutropius: Ex frondibus, virgultisq́; contextis caſulas habitabant. & Vitruuius: Naſcebantur antiquo more, veluti feræ, in ſyluis. Et Ouidius in Faſtis:

Vita feris ſimilis, nullos agitata per vſus,
Artis adhuc expers, & rude vulgus erat.

Pro domibus frondes norant.- Et Nemeſianus: - *Sylua domus, cubilia frondes.* quod Iuuenalis, more ſatyrico, ſui temporis in ædificando deteſtatus luxuriam, expreſſit:

De nemore & proauis habitatas linquere ſyluas,

AEdificare domos.- Siquidem illi primi homines, adhuc rudes,ac nudi,nil aliud commodius nacti ſunt, quàm ſyluas,quàm arbores,quarum vmbra, ramis, ac truncis ſeſe aduerſus ſolis moleſtias, pluuias, imbresq;, ac niues tuerentur,& defenderent: tum etiam contra frigora,ex quarum lignis ignes accenderent. Fronde etiam mollior ſpecus. Sed ab illa prima habitatione quædam nationes non receſſerunt, nemora adhuc colentes. Scytharum Argippei,vt Herodotus autor eſt,eam partem,quæ ad auroram vergit,incolunt,ſub excelſorum montiū radicibus.Horū verò quidam ſub arboribus cubant. De Scythis enim Pomponius Mela generaliter ſcribit. Refert etiam Dionyſius, ſuæ Africæ Maſſylos, quibus nulla prorſus agri colendi ratio,nec vllus arandi vſus, per ſyluas & ſaltus errare, & glandibus ferarumq; venatione veſci. Arimphæi Aſiæ populi nemora pro domicilijs habent. Indorum inſupermulti ſub Indica ficu inhabitant, & in æſtate atq; ipſis magnis caloribus, propter ſerpentes,& alia venenoſa animalia,in arboribus lectos ſternūt,vt ibi ſecuriùs dormiāt. Et Brachmanes, qui illorum ſunt ſacerdotes, in ſyluis agunt, & corpus frondibus veſtiunt. Gallorum etiam magi Druidæ, roborum lucos eligebant. Arabum nonnulli in tuguriis ſuper arboribus factis, propter ferarum multitudinem,dormitant.Hyperboreis domus nemora,ſcribente & Plinio, & Solino:quos imitati Phœnices(inquiēte Diodoro Siculo)Et huius priſcæ habitationis quædā apud poſteros, in ludis ipſis & deliciis, veſtigia remanſerunt:ſicuti in comœdiarum ſcenis. Vmbræ etiam F.Pōpeio autore, in ludis Neptunalibus vocabantur caſæ frondeæ:vt hæ tabernaculorum loco eſſent. Nunc & in feſtis diebus,atq; in æſtate publicæ ac priuatæ, ad ſaltandum, & conuiuandum, extruuntur. Fingunt & poëtæ, apud inferos, ac in ipſis campis elyſiis, ne mora eſſe, quæ ſemper vireant,in quibus animæ beatulæ inhabitent & ſpacientur.Seneca:

Nunc Elyſij nemoris tutus Errat in vmbris. de Priamo loquitur. Verùm quòd ſyluæ Deorum habitatio fuerint, Vergilius teſtimonio eſt,

Habitarunt Dij quoq; ſyluas. Lectus præterea,Varrone autore,dicitur à foliis collectis,quibus ſterneretur. Arundinū verò lanugine, quæ Grecè σάμαξ dicitur,vt inquit Pollux,famulis ad cubandum ſternebatur lectus. Ab hac enim prima ſyluarum habitatione Poëtæ homines ex arboribus natos finxerūt planè,vt ait Seruius,cum homines ducta ſecum ſua ſobole è ſyluis egrederentur, ex arboribus procreati crediti ſunt. Vergilius,

Genſq; virum truncis, & duro robore nata.

Quod ad Arcadas primùm quidam retulere, qui ſe ante lunam, & aſtra natos, iactitarent. Statius Papinius:

Lib. Theb. 4. *Arcades hinc veteres aſtris, lunaq; priores*
Agmina fida datis nemorum vos ſtirpe rigenti.
Fama ſatos, cùm prima pedum veſtigia tellus
Admirata tulit: nondum arua, domusq;, nec vrbes,
Connubiuq; modus: quercus, lauriq; ferebant
Cruda puerperia, ac populos vmbroſa creauit

Fraxin

Fraxinus, & fœta viridi puer excidit orno.

Finxit enim antiquitas,hominum primum genus è fraxino procreatum: quod Palephatus ad rem geſtam reducens, Fraxinum hominem fuiſſe ſcribit, cuius liberi Fraxini dicti ſunt,vt Meliæ fœminæ, à Melio viro,ab Helleno verò Hollones, & Græci Iones, ab Iono. Ab hac autem hominum prima origine tractum adagium,Ex quercubus nati. In eos,qui ingenio fero,& agreſti ſunt. Sic enim apud Homerum Hector Achillem alloquitur: ὧ χριὼν τὰ ἐκ δρυὸς καὶ πατρίω.

Arborum fructus, primi hominum victus. CAP. IIII.

PLVTARCHVS Cheroneus, non minus eloquens orator,quàm philoſophus eximius,ac fidelis hiſtoricus,inter ea, quæ tot,tantaq; monimenta nobis reliquit,dialogum conſcripſit, in quo interlocutores Vlyſſem, Circen, & ab ea in beſtiam conuerſum Gryllũ facit:qui Circes munere in priſtinam formam reuerſus, Vlyſſi longè beatiorem fore brutorum quàm hominum vitam, (vtranq; enim expertus fuerat) plurimis oſtendere,ac perſuadere ſatagit:præcipuè verò,quòd brutis naturâ cibus vnus amicabilis ſit. Nonnullis autem herba, aliis radix, fructusq; arboris cuiuſdam. At ſolus homo omnia deguſtat, cuncta experitur & deuorat: vt quod ſibi proprium, conueniensq; ſit, nondum ſibiipſi præſcripſerit:vt vnus ſolus ex omnibus animantibus,vorator ſit.quippe qui ex ſolis plãtis, atq; ſeminibus, ſine labore, ſine arte veſci neſciat: ſuo etiam quoq; tempore, alia atq; alia ſumere, decerpere,vindemiareq;. Verùm huiuſce rei Hippocrates, artis medicæ veriſſimus diſpenſator, cùm de priſcorum medicina agit, homines pomis, ſeminibusq; nutriri debere arbitratur: vt ſine labore nullo alio cibo indigeant:quibus idem homines per exordia vſos aſſerit.Arborum autem fructibus quod eſt illarum primaria dos, ſine frugibus victitamus: totq; diuerſis cibis, vt præ varietate minores ſeligamus, non per tauros ſubactos, curuisq; aratris ſubuerſam terram, terendamq; aream. Quibus verò alias præter natura ingenitas delicias immiſcuimus,ſiue ab homine, adoptione, & connubio, culturaq; blandos ſapores didicerunt,vt ſic inductos homines,cœlum ipſum,fructusq; ipſos ſpectarent, quos etiam ſi attingere pigeat,caducos tamen legimus. Dogma autem Pythagoreum apud Ouidium eſt: *Lib. Metam. 15.*

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora: ſunt fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidæq; in viribus vuæ.

Et idem, de victu hominum poſt illorum creationem loquens: *Lib. 1. Metam.*

Ipſa quoq; immunis, raſtroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus:
Contentiq; cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebant,
Cornaq; & in duris hærentia mora rubetis,
Et, quæ deciderant patula Iouis arbore, glandes.

ſatyra 11. Iuuenalis verò ſuæ tempeſtatis ciborum deteſtatus luxuriam, ſic inquit:

Signinum, Syriumq́ pyrum de corbibus iiſdem
Aemula Pirenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci.
Hæc olim noſtri iam luxurioſa ſenatus,
Cœna fuit. - Idem alibi:
Illas domi natas, noſtraq́ ex arbore menſas
Tempora viderunt: hos lignum ſtabat in vſus,
Annoſam ſi forte nucem deiecerat Eurus.

Athenienſes autem primùm ficubus, Argiui & Tirynthij pyris ſylueſtribus, Medi amygdalis, Indi arundinibus, Carmani palmis, Perſæ terebintho, vt autor eſt Ælianus, victitarunt. Iulius Pollux veterum cibum fuiſſe drupas, & ipſas oliuas ſcribit. In Rhodo plurima ficus, & in Caria naſcitur, vt in annonæ caritate, illis non minimum adiuuamentum ſit. Hyperborei, qui vltra Riphæos montes inhabitant, arborum fructus ſolùm comedunt, vti prodidit Clemens ex Hellanico in ſtromatum libris, & ante illum Plinius & Solinus.

De nonnullis alijs gentibus, arborum fructibus veſcentibus: & quòd exercitus, arborum fructibus aliti. CAP. V.

SICVLVM Venti filium, ex arboribus victum priùs inueniſſe, Euſebius in præparatione euangelica, autor eſt. Non defuerunt tamen, qui poſt inuentam terræ culturam, ac ipſas fruges, arborum fructibus veſci non deſierint, ſiue id agricolationis inſcitia, ſiue deſidia, aut ſoli vbertate, & ſolo ſuæ regionis beneficio contenti, vt in primo eſu remanere maluerint. Plato diuinus philoſophus, cùm de victus hominum ratione diſſerit, primò de Cyclopibus agit, qui cibum ex fructibus ſponte prouenientibus deſumerent. Indi, qui ſecundum Indum fluuium inhabitant, fructibus ſylueſtrium arborum victitant, autore Philoſtrato. Aracis fluuii inſularũ accolæ, vt memoriæ mandauit Herodotus, plantarum maturos fructus colligunt, & ad cibum hyemalem reponunt. Maſſagetæ, qui & inſulas ac montes incolunt, fructibus ſylueſtribus viuunt, & illorum expreſſos ſuccos bibunt, vt Strabo ſcribit. Idem Medos ſeptentrionales iiſdem fructibus veſci ait, & ex malis ſiccis ac tritis, maſſas conficere, & ex amygdalis panes. Caduſii, vt in Artaxerxe autor eſt Plutarchus, pyris, ac malis, aliiſq́; arborum fructibus veſcuntur, ſolo fruges denegante. Aſtomorum Indiæ gentem ad Gangis fontem Plinius poſuit: ſine ore, halitu tantùm, & odore viuunt, quem naribus trahunt. Nullus verò illis cibus: tantùm radicum, florumq́; varios odores olfaciunt, præſertim ſylueſtrium malorum: quæ ſecum in longiore itinere deferunt, ne deſit ex olfactu cibus. Ægyptij, mẽſe Septembri, qui apud eos Thot dicitur, melle & ficubus veſcũtur. In Ruſpina Africæ ciuitate, deſiccatæ fici panis atq; obſonii vicem præbent: quibus cados implent. Sed omnium arborum nulla eſt, quæ plures

plures populos alat,affatimq́; cibũ prębeat,atq; palma.ex ea enim(inquit Plinius) gentium panis. Naſamones, vt Herodotus ſcribit, ſub æſtatem relictis ad mare pecoribus, ad locum Ægilem dictum palmulas decerpturi conſcendunt, quæ ibidem plurimæ,ac prægrandes ſunt. Nam illic fructiferæ omnes. Quas cùm præmaturas legerint, ad ſolem deſiccant, vt poſt aliquot dies maceratas ſorbillent. Nunc & Indi pane palmeo victitant. Hæ etenim fruſtatim diſſectæ, atq; in ſartagine ex oleo frixæ,panis vſum præbent.Arimphæi de quibus iam meminimus,vt refert Herodotus, ex arbore, cui nomen Pontico, viuunt. Magnitudo eadem quæ fico : fructus verò fabæ ſimilis,nucleumq́; inſtar habens.Is enim vbi mitis fuerit, exprimitur. Quod verò nigrum craſſumq́; defluit, nomine aſchi,legunt ac lacte commiſtum potant.Ex eius quoq; craſſitudinis fæce, maſſas ad eſum reponunt. In neceſſitate præterea arbores non homines priuatim, ſed exercitus ingentes aluerunt.Sæpe enim illis euenit,vt deficiente annona, & commeatus facultate, arborum radicibus alerentur. Philippus enim Perſei pater,vti ex Polybio ſcribit Athenęus,cùm Aſiam percurreret,annonaq́; eius militibus defeciſſet,à Magnetibus victum popoſcit,à quibus ficus accepit:& cùm Myuntem poſteà cepiſſet, & regionem Magnetibus,ficuum cauſa donauit.Alexandri autem exercitum vbi ad Indiæ maritima perueniſſet,conſumptis,& deficientibus alijs alimẽtis, & ad vltimum, famem ſentire cœpiſſet,palmarum radicibus, quas rimarentur, & quæ illic vbertim erant,alitum fuiſſe Q. Curtius refert.Iuliani etiam principis exercitus in Perſas proficiſcentis, ſæpiùs palmarum fructu ſatur, plures inſulas prætergreſſus. Prætore autem in Sicilia C.Verre, claſſis Romanorum ibi fame laborauit, vt palmarum ſylueſtrium radicibus victitare coacta ſit,ſcribente in Verrem Cicerone.Iones à Romanis deficientes,& à Gn.Pompeio in fugam verſi, ad propria remeantes, glande fagina enutriti (referente Appiano. Idem cibus,vt Plinius,ex Cornelii Alexandri teſtimonio ſcribit obſeſſos in Chio oppido, durare fecit. Caſelii oppidanis ab Hannibale obſeſſis, Romani, ſiue Præneſtini, nuces per Vulturnum fluuium miſerunt, quibus ſuſtentarentur, vt inde hoſtis longam obſidionem ſuſtinuerint.Et vt ab Hiſtoricis ad poëtas recedam,Achæmenidæ inter Siciliæ ſyluas,ob Cyclopas occultantis,cibus fuit bacca & corna, Ouidio verò glans.

De Lotophagis, & alijs, qui ex arborum fructuum victu nomen ſortiti ſunt. CAP. VI.

NONNVLLI quòd ex cuiuſdam arboris fructu veſcerẽtur, nomen adepti ſunt. Quorum primi,plurium ac memorabilium virorum monimentis,fuerunt Lotophagi, Loti arboris fructu victitantes, qui Libyæ populi fuerunt.Verùm de illorum ſitu, variæ autorum ſententiæ, præſertim verò, vtrum in magna,minori've Syrte fuerint.Siquidẽ Homerus, à quo præcipua illorum, & antiquior fama progreſſa, horum regionem citra Borion, in intimo Syrtis minoris ſinu poſuit: Et poſt eum Herodotus ad

Gindan

Gindanorum oram in mare porrectam. Huius enim opinionis fuit Strabo, vt huius Syrtis minoris, inſignis inſulæ, meminerit, cui nomen Meninx. de qua Silius: Nerintia Meninge natus. Hanc Eratoſthenes, vt ille refert, Lotophagiten dictam ſcribit. Hæc modò Gerbis dicitur. Polybius verò eam non longè à minore Syrte poſuit. Ptolemæus autem inter duas Syrtes, Orientem verſus ad Cyniphen flumen locauit. Alii circa Philenorum aras, Quiq; alii fuerunt geographi, huic opinioni adhæſerunt, vt ſiti ſint ad eam Africæ partem quæ in Italiam vergit. Hæc autem regio, hocq; etiam fructu, exercitus vltrò citroq; per Africam commeantes pauit, vt Plinius ait. Et de Ompheli exercitu, Carthaginem petentis, alii memoriæ mandarunt. Horum vicini, ſecundum mare ſunt, Machlyes, loto & ipſi victitantes, verùm parcius ſuperiores: Homeri enim carminibus nobilitati, vt ab Vlyſſe ad eos miſſos tres exploratores ſcribat. Qui deguſtato loti arboris fructu, atque illius dulcedine illecti, apud Lotophagos manere, quàm ad Vlyſſem reuerti, maluerunt.

Odyſſeæ lib. 9. Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, ὐδὲ νέεσθαι,
Αλλ' αὐτῦ βύλοντο μετ' ἀνδράσι Λωτοφάγοισι
Λῶτον ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόςυ τε λαθέσθαι.

Æthiopum verò Rizophagi, & Topophagi ſunt. Hi enim placentis arborum radicibus in farinam tritis, confectisq; viuunt, vnde nominati. Illi verò ex arborum tenerioribus ramis dente exeſis viuunt, vt Diodorus Siculus tradit. Cæteri verò huius gentis homines arborum fructus edũt, & illorum quidam ex palmæ genere, quæ cyce dicitur, panem conficiũt, quo veſcuntur, vt ſcribit Theophraſtus. Spermophagi, non procul à Meroë Nili inſula, è pomis panem ad victum conficiunt.

Hominum primus è glandibus victus, & de adagijs ἅλις δρυὸς, & ἄλλην δρῦν βαλάνιζε. CAP. VII.

EX omnibus autem plantis, primum hominum victum è glandibus fuiſſe, non defuerunt, qui aſſererent. Verùm, vt autor eſt in Arcadicis Pauſanias, Pelaſgus vir magnus ac ſapiens, primus Arcadas glandium cibu docuit: à quo & ipſa regio poſteà Pelaſgis dicta eſt. Illi enim ac cæteri herbis, & ſtirpium frondibus, & fructibus indifferenter ſæpiùs non ſine periculo, veſcebantur, ſed vitæ cultioris illis autor fuit, & glandium eſu admodum delectati vt potè qui anteà dulciorē cibum deguſtaſſent minime. Ideoq; à Pithyæ oraculo, βαλανοφάγοι, (ſcribente in Coriolano Plutarcho) dicti ſunt. Sic etiam ab Homero nominati. Et hic cibus, vſq; ad Cererem quæ terram colere docuit, durauit. Quod teſtatur Ouidius Naſo, & Valerius Flaccus. ille ſic,

Lib. 1. Faſtorũ. *Officium commune Ceres, & Terra tuentur:*
Hæc præbet cauſam frugibus, illa locum:
Conſortes operum, per quas correcta vetuſtas,
Quernaq; glans victa eſt vtiliore cibo. Hic,

Aut

– Aut curru ſæuos frenaſſe dracones.
Credulus ignaras Cereris quæ vomere terras
Imbuit, & glauca quercum damnauit ariſta. Tibullus etiam.
Glans alat, & priſco more bibantur aquæ:

Vergilius, & Claudianus. Quod ille de Chaonia, hic de Dodonæa ſylua, quæ Epeiri ſunt, glandium feraces, expreſſerunt. Ille,

Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus Georg. lib. 1.
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta. Hic,
Unde datæ populis fruges, & glande relicta, De rap. Proſerp. lib. 1.
Ceſſerit inuentis Dodonia quercus ariſtis.

Et Iuuenalis, ſui temporis luxum deteſtatus:

Contingunt homines veteris faſtidia quercus.

Præterea Vergilius in ſacris Cereris, quernam coronam meſſoribus tribuit, quòd frugum inuentione, glandium victum aboleuerit:

Et Cererem clamore vocent in tecta, neq; antè Georg. lib. 1.
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Victus autem iſte in glandium genere fuit è fago, vt voluit Seruius Maurus. Eſt & eſculus è genere glandiferarum arborũ, ab eſu vocitata, quòd antiqui eius fructum in eſcam deſumerent. Ab hoc enim priſcorum victu, tractum Græcum adagiũ, cuius meminit Cicero ad Atticum, ἅλις δρυὸς, id eſt, ſatis quercus. Quod de diſcedentibus ex viliori vita ad meliorem dicitur. Et aliud ἄλλην δρῦν βαλάνιζε. De his, qui mutuò petunt, & identidem ab eiſdem mutuò accipiunt. Athenis inſuper mos fuit, vtì in nuptiis puer quiſpiam vndiq; ſpineis frondibus, & quernis glandibus opertus, coronatusq́;, cunas panibus plenas ingrediens hæc proferret, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον, id eſt, euaſi mala, meliora nactus. Quæ vox ominabatur ſponſo ſponſæq́;, tanquam eſſent ad meliorem fortunā profecturi. Malum enim vocabant & glandes & ſpinas, panes verò bonum: quòd ſteriles ſint ſpinæ, & glandibus victitarint antiqui. Nec etiam poſt inuentas ſegetes, idem glandium vſus, apud multos ceſſauit. Scribit enim Plinius, ſua tempeſtate glandes multarum gentium fuiſſe opes, pace gaudentium: qui frugum inopia, & areſactis ipſis in farinam, ad panis vſum ſpiſſarent. Luſitani, veluti memoriæ mandauit Strabo, qui in montibus degunt, duabus anni partibus querna victitant glande: quam cùm deſiccauerint, molunt, & in panis vſum recondunt. Allobii, ex Sarmatis populi (inquiente in ſtromatis Clemente) glandibus, & arborum baccis veſcuntur.

Sapientes aliquot, & athletas, nonnullosq; alios, ſolis arborum fructibus victitaſſe. CAP. VIII.

QVVM iam primùm apud omnes reperto frugum vſu, & alijs edulijs, omnes rudem glandium priſtinam vitam exuiſſent: qui tamen arborum fructibus veſcerentur, inuenti: vti philoſophi,

& athletæ,& aliquot nationum ſectæ.Illi enim quod eo cibo promptiores,& animo,ſpirituq́; aptiores ad ſtudiũ, & ad philoſophãdum faciliùs, & conducibiliùs fore arbitrarentur:& multo impedimento eſſe,plurimarum rerum, maximè carnium eſum, ad imbuendam, adipiſcendamq́; ſapientiam. Hi enim, quò ad laborem fortiores, ad curſum leuiores, ad ſudorem vegetiores, quò denique vim & corporis robur augeant. Et horũ primus fuit cibus,ſiccæ fici.Chiton prætereà,Seruio autore, Achillem virum fortem,ac pluſquàm athletam, ſic educauit, vt nullum cibum coctum deguſtaret,verùm vt herbis, bacciſq́; ſylueſtribus tantùm veſceretur.Vnde Euphorion poëta Εἰς ἰστίνη χιλὸν κατήιε πάβανα γευςὸς τοῦ νεχαρμι δονεσμιν ἀχιλλέα φημίξαντο. Perſæ,inquit Strabo,liberos fructibus ſylueſtribus,puta glandibus,& pyris ſylueſtribus veſci docebãt. Hũc autem athletarum victum, Pythagoras exercitator primus, ad carnes commutauit, viamq́; his aperuit, quò audiùs atq; liberiùs, epularentur. Propterea Euripides, in primo Autolico, eijciendos eos cenſuit: nullum ex infinitis, quæ in Græcia exiſterent, malis, athletarum genere deterius, ducens. Nunc de philoſophis. Indorum verò ſapientiores, qui nudi incederent, talæ ſiue palæ arboris fructu alebantur: & arboris alterius fructu,quæ magnitudine,& ramorum amplitudine,mirum in modum præcellẽs eſſet,ac fructuum ſuauitate inſignis.Et apud eoſdemGermanos,cuiuſdam ſelectioris ſectæ philoſophi erant, ij ſyluicolæ,fronde, & arborum ſylueſtrium fructibus, victum deſumebant: veſtes quoq; ex arborum corticibus contexebant, & illi omnium honoratiſſimi habebantur.Eſſeni intereà partem Iudææ,quæ Occidentem tueretur,obtinebant:memorabili diſciplina,non ſolùm à Iudæis receſſerunt,verumetiam ab vniuerſarum gentium ritu,vt ſcribit poſt multos Solinus.Venere abſtinebant, & apud eos nullum cum fœminis commercium. Pecuniam neſciebant: palmis tantùm viuebant.Perſarũ inſuper reges,veluti in Artaxerxe prodit Plutarchus, cùm apud Paraſgadas, ſacris regio more initiarentur, caricas in cibũ ſumebãt. Phraotes quidam Indorũ Rex Apollonio Tyaneo, apud Philoſtratum, ſe palmis,atq; his arborum fructibus quos hortus irriguus ſuppeditaret:quẽ proprijs manibus coleret,victitare aſſerunt.Sed nunc ad aliquos philoſophos,apud quos priuatim,vt apud Phraotem hæc vita tranſiit.Zeno Citieus vt Laërtius in eius vita ſcripſit, caricis tantùm ad vitam vtebatur,quem aliquando Philemon,cùm poſt panem caricas loco obſonii comedentem conſpexiſſet, acerbè taxauit. Menedemus etiam philoſophus ad cœnã ſemel vocatus, menſam lautiſſimis cibis, atq; diligentiori apparatu diuitem tacitus coarguens, ſolùm oleas ſumpſit.Anchimolus & Moſcus in Helide philoſophãtes,vt inquit Athenæus,ſolis ficubus veſcebantur,nihilominus tamen corporibus validis fuerunt, ſed ex hoc victu & aquæ potu, id mali illis euenit, vt illorum ſudor grauis fuerit:ita vt eorum odorem in balneis omnes vitarent. Matris Athenienſis, donec vixit, vel nil, vel certè parum, præter myrti baccas comedit.

Quod

Quòd Reges ac Magnates olim arborum fructibus donarentur. CAP. IX.

IN arborum prætereà fructibus, non deſuit muneris honos. Siquidem verò his & Principes, & Magnates donabantur: quibus amicitiam iramq́; , aut inirent aut placarent. Iſraël autem Ioſepho, qui toti Ægypto ſub regis voluntate imperabat, reſinam, ſtacten, aromata, nuces, & pineas, & amygdalinas filijs deferendas præcipit. Nónne & Abigailis, Dauidi vuas paſſas,& caricarum maſſas ducentas obtulit? quo verò dono, non tam huius iram, quam contra maritum conceperat, extinxit: quàm amorem in eam conciliauerit: vt defuncto marito, eam in vxorem acceperit. Verum quid magnificentius, quid diuinius, quid deniq; admirabilius. Ecce reges Magi, infanti itidem regi, è Saba Arabiæ, quæ miniſterium ſignificat, prælonga regione, ſtella prælucente, ac iter præmonſtrante thus, & myrrham offerunt: quibus certè Deum, ac hominem (proferente diuo Ioanne Chryſoſtomo) confeſſi ſunt. Quippe in thure, Dei honorem, in myrtha, corporis ſepulturam: in auro autem, quod etiam dederunt (vt mihi liceat extra rem parum progredi, maximè vt nil tam diuini myſterij prætereundum ſit) regni potentiam denotarũnt. Artaxerxes Darij nepos, & Xerxis Perſarum potentiſſimi Regis filius, inſignis magnitudinis malum punicum à paupere, qui Miſes vocabatur (authore Æliano) oblatum excipere non veritus eſt: interrogauitq́; eum, è quónam horto lectum: qui reſpondit è domo ſua allatum, & in horto ſuo depromptum. Cui tandem Rex: Per ſolem (inquit) hic homo tali cura, & diligentia, è parua ciuitate, magnam, ſi fidei eius crederetur, quàm celerrimè efficere poſſet. Quibus profectò verbis, cura, & indefeſſo labore, contra etiam naturam, meliores atq; præſtantiores res, omnes effici poſſe, ſignificabat.

De bellarijs, & adagijs, ἀβυδήνων ἐπιφόρημα, *& Attica bellaria.* CAP. X.

SOLIS arborum fructibus olim homines contentos ſuperius docuimus: verùm poſteà augeſcente illorum ingluuie, non abundè ſatis manſuetiores cortis & beſtiæ ac aues ad eſum fuerunt. Alias autem expetimus: viſcum, tendiculaſq́; & ineſcationes atq; retia illis tendimus, paramus. Alias etiam ad illarum prædam enutrimus, & ſtudio peruigili docemus. Feras autem non ſine nonnunquam vitæ periculo etiam venamur: vt ſæpe, dum illis veſci cupimus, ab his occumbamus, & deuoremur: vt nobiſcum pro vitæ tuitione iure naturæ digladientur, nos autem pro ciborum luxuria. Neque enim his terreſtribus & volatilibus animalibus ſolùm contenti: maria longè nauigamus, altè ſcrutamur, cum beluis, & immanibus cetis, bellum gerimus: cum ipſius maris æſtuantis fluctibus congredimur: vt ſæpenumero, dum piſcibus epulari deſideramus,

mus, illorum eſca efficiamur. Iam enim ſoli arborum fructus, ad ſecundas menſas reſeruantur, vt alijs eſcis ingurgitati, ſint tamē ſecundæ menſæ honores. Quod Secundus his perelegantiſſimis verbis teſtatur, præconium aliud non minimum arborum. Ex his recreans membra olei liquor, viresq; potus vini, tot deniq; ſapores annui ſponte venientes, & menſæ. Depugnetur licet earum cauſa, cum feris, & paſti naufragorum corporibus piſces expetantur: etiamnum tamen ſecundæ. Bellaria autem, Macrobius Aurelius, & ante eum A. Gellius, omne ſecundæ menſæ genus, ſignificat. Ariſtophanes, inquit Pollux, menſas ſecundas bellaria vocat, vt etiam bellarijs veſci dici poſſit. Græcè τραγήματα dicuntur, & πέμματα, & ἐπιφορήματα: vt ex verbis Herodoti in primo colligitur: σιτίοις μὲν ὀλίγοις χρέονται ἐπιφορήμασι δὲ πολλοῖς. & etiam ἐπαίκλια. His enim ſecundis dulcia apponebantur: vnde bellaria etiam dulciaria appellabantur, & quia cum lauri folijs comedebantur, quod dicunt κάπτειν, inde cammatidas vocabant folia ipſa. A bello enim, quod bonum ſignificat, Priſcianus bellaria deducit: Et hæ ſecundæ menſæ, ex arborum fructibus conſtabant, vt malis cœna finiretur, vnde Horatius,

ſerm. lib. 1. Sa-t. 3.

- Si collibuiſſet ab ouo
Vſq; ad mala citaret, io Bacche, modò ſumma
Voce, modò hac reſonans, quæ chordis quattuor ima.

Erant autem bellaria, inquiente Polluce, myrtides, caricæ, & meſpili. Græcorum etiam in conuiuijs pyra aqua merſa erant: quod nunc apud nos in æſtate roſacea fit. Plinius etiam ſua tempeſtate, per Hiſpaniam obſeruari dicit, vti in ſecundis menſis, glandibus veſcerentur. Menedemo verò fuiſſe bellaria pyra, & mala punica, tum matura, tum præcocia, ſæpe caricæ & huiuſmodi, memoriæ prodidit Laertius. Plutarchus in Artaxerxe, reges Perſarum de more regio initiandos, pro bellarijs terebinthum deguſtare ſcribit. De bellarijs autem ſic Horatius:

ſerm. lib. 2. Sa-t. 2.

- Tum penſilis vua ſecundas
Et nux ornabat menſas, cum duplice ficu.

Vina quoque dulcia A. Gellius, & Macrobius, in antiquis comœdijs hoc vocabulo dicta annotarunt: vt propterea Liberi bellaria vocarentur. εὐθρυπτα, bellaria delicioſè parata dicuntur, quæ in ſacris inferebantur: vnde Apollo εὔθρυπτος dictus. Hypatus mons in Bœotia (teſte Pauſania) ſuprà Gliſſantem vrbem: In eo autem Iouis templum, ex quo Hypatus cognominatus. Ara in delubri veſtibulo, quod Erechthion appellabant. Ad eam verò nihil, quod animatum eſſet, immolabatur, verùm omnis generis tantùm bellaria, & libamentum. Lacedæmonij bellaria non comedebant: quam ob rem, cùm Thaſij Ageſilao regi eſculentum obtuliſſent, aliquot bobus & pecudibus acceptis, reliqua renuit, inquiens, Date Ilotibus. Hi Spartanorum ſerui erant. Cæterùm, Cornelius Celſus, ſecundam menſam bono ſtomacho nihil nocere, imbecillo verò coaceſcere. Græcum adagium eſt, ἀβυδηνῶν ἐπιφορήματα, id eſt, Abydenorum bellaria. In Abydeno autem Aſiæ ad Helleſpontum ſita ciuitate, quæ & Mileſiorum colonia fuit, mos inoleuerat, vt poſt cœnam nutrices ad

conuiuas

conuiuas infantes deferrent,quorũ eiulatus,quòd ſæpe illis,propter non anteà viſos,& incognitos homines, contingebat:moleſtiæ potiùs,quàm voluptati erat. In eos verò dici vſurpatum, quorum aduentus, animi perturbationem quandam adferret: & eos abeſſe deſiderarent. Eſt aliud adagium, Attica bellaria, quod de lautitijs, & cupedijs dicitur.

Veſtes, vina, & oleum, ex arboribus, & alia quædam hominibus neceſſaria. CAP. XI.

DOMICILIA, victum hominum arbores fuiſſe ſuprà demonſtrauimus:ſupereſt vt ex his etiam veſtes contexamus, quibus illi ad ſolis æſtus, & frigoris algores, ſeſe protegant. Libro, inquit Plinius, veſtis quo veroſimili munere, veluti arbores ipſas ab his tuetur. Cortices enim arborum ac folia, gentium, quibus corpus velarent, prima tegumenta fuerunt. Cognata quidem res, vt à quibus & victum, & domicilia accepiſſent, ita, & veſtes. Maſſagetas inſularum quarundam Scythiæ homines,ſuas arbores veſtire Strabo ſcribit. Aſtomi Indiæ populi,de quorum cibo ſuprà, ex Plinio diximus: ex frondium lanugine veſtiuntur. Arabes, ex arbore cyna vocata, cui folium palmæ ſimile eſt, veſtes componunt. Ex Sarmatis (inquit Clemens in ſtromatis) ij, qui appellantur Allobij, arborum induuntur corticibus. Germani, vt ait Mela, arborum corticibus corpora contegunt. Calcei præterea nunc, & antiquitus, ex ligno confecti, qui Feſto Pompeio calones vocitarentur. Marcello autem Nonio calones dicti ſunt,qui ligna militibus ſubminiſtrarent.κᾶλα enim Græcè ligna dicuntur. Fœminas inſuper ſuberis cortice, in calceatu hyberno vſas fuiſſe, Plinius teſtatus eſt. Quamobrem Græci non infacetè eas arborum cortices, appellabant. Vinum autem, & oleum, præcipui ad hominum vſum liquores ex arborum fructibus: vt etiam vites prætercam,quas arbores eſſe,nemo inficias eat. Quorum rationem,cùm de ſingulis arboribus ſcribemus, docebimus.

De quibuſdam regionibus,in quibus incolæ lanam ex arboribus ad veſtium vſum depectunt. CAP. XII.

PLVRES autem gentes memorantur, apud quas arbores lanigeræ, & integræ, ingenteſq; ſyluæ huiuſmodi ſint: verùm omnium principatum habuerunt Seres populi,vt omnibus pretioſis indumentis illis iam nomen Seres populi dederint: vt iam bombycinas à ſericeis non diſtinguamus.Qui ſi plurimorum teſtimonio,hoc lanicio memorabiles,apud omnes fuerunt, de eorum tamen ſitu, apud multos variatum. Plinius Scythiæ extra Imaum montem populos eſſe voluit, Indis conterminos, qua parte, Seria, Abaſa, Sacæa, inſulæ iacent. Pauſanias verò Græcus ſcriptor, in Æthiopia eſſe, & ſinum rubri maris colere: cui opinioni Vergilij autotitas accedit:

Georg. 2. *Quid nemora Aethiopum molli canentia lana.*
Velleraq́; vt folijs depectant tenuia Seres?

Martianus autem Capella, Perſidis gentes eſſe ſcribit. Seruius, Vergilij interpres, hos apud Indos poſuit. horum nominatiuus ſingularis Ser. Auſonius:

Iam pelago volitat mercator veſtifluus Ser. Et Sidonius:
Aſſyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabaeus.

Nam vermiculus ipſe, vt autor eſt Pauſanias, Ser dicitur. Lanicio ſyluarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium canitiem: vnde geminus fœminis labor, redordiendi fila, rurſumq́; texendi. De his hoc modo Ammianus: Seres, apud quos abundè ſyluæ ſublucidæ, à quibus arborum fœtus, aquarum crebris aſperginibus, veluti quædam vellera, mollientes: Ex lanugine, & liquorum miſtam ſubtilitatem tenerrimam pectunt, nentesq́; ſubtegmina conficiunt ſericum. Aliter Pollux, & Seruius, vt apud eoſdem, in arboribus veſci vermes, qui bõbyces vocirentur, vti in aranearum morem fila tenuiſſima deducant, vnde ſericum fiat, vt illæ lanam arboream non poſſe intelligi, quæ alibi procreetur. De his ſic Silius:

Seres lanigeris repetebant vellera ſuccis.

Nunc de cæteris apud cæteros arboribus. Indos veſtire ſuas arbores, Plinius in ſcripta mandauit. Quod variè ab alijs proditum eſt. Nonnulli verò ibi ſyluas ferre lanas teſtati ſunt, naſciq́; linum candidiſſimum. Arrianus ſubdidit, ex quo illi linteas veſtes contexerent, & eis Macedonas pro tomento vti, & ſagula conficere. Alij autem, ſericum ex corticibus arborum à nonnullis excarminari, quod byſſus diceretur. Theophraſtus enim plantam eſſe, ex qua illi veſtes conſuerent, cuius ſolium mori ſimile haberet, toto autem corpore cynorhodo proximè cerni, quæ ordinatim ſerantur. Vt ſi à longè proſpiciantur, vires appareant. Aſtomi Indiæ etiam populi, de quorum victu ſuprà ex Plinio dictũ, ex frondium lanugine regũtur, & ex alia quadam arbore, quæ mori folio ſimilis eſt, ex qua lineas veſtes facerent. Fert & Ægyptus, vt Pollux autor eſt, arborem ex qua lanificium contexanr, cuius veſtes craſſitudine tantùm à lineis differunt. Denſior arbori fructus, nuci perſimilis, triplici cortice munitus: duobus verò exterioribus detractis, interius hic, vbi nucis inſtar effloruerit, lanam refert, eximitur, atq; in lanam netur. Æthiopia, hoc illo etiam autore, Ægypto contermina, laniferas arbores habet: huic propior, verùm maior, folijs, in quibus lana adnaſcitur, mali punici ſimilibus. In India etiam (prodente Herodoto) arbores ſunr agreſtes, pulchritudine tamen, tum etiam bonitate, nulli alteri cedentes. Pro fructu lanam ferunt, qua ad veſtimenta Indi vtuntur. Arbores in Tylo inſula, atq; in excelſiore ſuggeſtu, laniferas naſci, Theophraſtus autor, quarum folia, ſi maiora eſſent, vitium videri poterant: cucurbitas, mali cotonei amplitudine, producunt, ex quibus telam, dein veſtes, alias viles, alias pretioſas, conſuunt. Cuiuſdam verò inſulæ in Oceano aduerſus Meridiem poſitæ, Diodorus Siculus meminit, eius tamen nomen non ponit: ex

cuius

cuius molli ac ſplendida lanugine, incolæ ſibijpſis veſtes præparant. In Atlante autem plantas cupreſſo aſſimiles naſci, Plinius tradit quæ infrà, tenui lanugine obducuntur, ex quibus, addita arte, veſtes, quales bombycinæ, conficiant. Et vt propiùs ad noſtros accedamus, atque ex ipſo Plinio, in Co inſula, cupreſſi, terebinthi, fraxini, quercus quoq; naſcuntur: ex quarum flore imbribus decuſſo, (terræ halitu animante) vermiculus generetur, qui bombyx vocitetur: qui inſuper ſtamen, ad veſtes bombycinas faciat.

Medicina, & vnguenta, ex arboribus. CAP. XIII.

EST & aliud, quò natura, in arborum fructibus & illorum tot ſuccis atq; odoribus, ad vſum hominum productis, ſui miraculum, non ſatis compleuiſſe, videri poterat: ni parens illa, nulla non ſui parte, ijſdem ad ſanitatem videlicet, ſimul atq; voluptatem prodeſſet. Vt hæc, quæ à terra longiùs abſunt, non ſolum ferrent auxilium. Quorum primo, nec ſyluæ, lucorúmve horridior facies caruerunt, vt deniq; medicina fuerit ſolitudo ipſa, vt hîc tantùm de illa ex ſyluarum habitatione, & conſuetudine generaliùs dicam. De ſingularum autem, quotquot ſunt arborum, & illarum partium facultatibus, quæ ſatis amplæ ſunt, nec inter ea, quæ natura genuerit, ad medendos morbos, minimo impendio, ac leuiori artificio poſteriores plantæ fuerunt. De quibus, dum de illarum, ſuis locis, generibus agemus, dicetur. Itaque exercitatione ipſa, vt omnis medicorum teſtatur ſchola, vel ad corporis augendas, & confirmandas vires, vel tuendam valetudinem, nil ſanè vtilius, nil ſalubrius. Ea tamen Galeno medicorum facilè principi magis commendatur, quæ ſub vmbra miſta fit, quam Græci ὑποσυμμιγῆ vocant, & Celſo eiuſdem profeſſionis autore eam meliorem, quàm quæ inter parietes, atque in ipſis viridarijs, & ſub tecto fit. Vt plurimum enim vento leui, vt auram potiùs dicamus, ſyluæ mouentur: quam arborum folia, ſua leuitate excitant, & aduenientem ſentiunt: aërisq; denſitatem ibi ſiſtere non permittunt. contra etiam valentes flatus ſyluæ, ſua firmitate, nos protegunt. Viridis præterea arborum color, viſum fouet. Quæ res non minimum ſanitati confert. Nam confuſis oculis (vt inquit Seneca) proſunt virentia, & quibuſdam coloribus infirma acies acquieſcit. Nocuis enim & peſtilenti aëri, ſyluas præſertim pomiferas, & odoriferas, ſingulaſq; ſolùm arbores obijcimus: vt ſuaui, & molli vento, nos ab infirmo aëre defendant, & tueantur. Proſunt inſuper non parũ ad euitandã aëris contagionem, ſyluarum vmbræ, & amœnitas: potiſſimum verò fragrantium. Quum enim Romæ, peſtis atrociter ſæuiret, Commodus princeps medicorum conſilio Laurentum ſeceſſit, quòd hæc Regio, lauri crebris ſyluis, vndè nomen accepit, opaca foret. Cuius odores plurimum contra cœli maleficia prodeſſe, cuiq; notum. Hæc Herodianus. Contra peſtilentiam etiam hæc arbos, authore Ariſtophane, foribus affigebatur. Ægeſippus etiam author eſt, Herodem ob vxoris Mariamnæ mortem,

mortem, quam interfici mandauerat, tanta triſtitia affectum, vt in grauem corporis ægritudinem inciderit: quam tantum aër peſtilens auxit, vt dein ſuorum medicorum ſuaſu, ſeſe ſyluarum ſecretis abdiderit,& refuſo paulatim vigore, & venationibus recreatus, ſimul & corporis, & mentis ſalubritatem receperit. Sÿluæ prætereà, quæ picis, reſinæq; gratia raduntur, vtiliſſimas phthiſicis eſſe Plinius ſcripſit,atq; illis,qui longa infirmitate, non recolligunt vires,& illum adiuuare plus cœli aëra,plus ita, quàm Ægyptiam nauigationem, pluſquàm lactis, per montium æſtiua potus herbidos. Vt poſtremum vegetiori corpuſculo ſint,qui puriſſimo fruantur aëre. Sed erant per ſe fructus, ſyluæq; mira, verùm rurſus iuuit luxuria, ea verò ſimul omnia miſcere, & è cunctis odorem facere: vt ita primùm ex his excogitata atq; reperta vnguenta fuerint. Vt arbores non ſolùm, ad hæc, quæ ſuprà commemorauimus, ſatis eſſent, ni ad luxuriam quoq;, ac delicias naſcerentur: Græci ea μύρα, à myrrha arbore, generaliter vocarunt, & in arborum genere nux myrepſice, id eſt, vnguentaria diceretur. Specialem autem appellationem ab his arboribus, ex quibus conſtarent & conficerentur, veluti roſaceum,ſiue rhodinum, elatinum, melinum, malabathrinum, & ſic de cæteris receperunt. Quorum rationem ſuis locis, patefaciemus.

Arborum vſus circa chartas, & quòd deorum oracula, in arborum folijs exciperentur: & de adagijs, Folium Sibyllæ: &, Non in foro ligneo iudice: & quando primùm chartæ inuentæ. CAP. XIIII.

ALIVS arborum non minimus vſus, vt chartarum, & membranarum vicem præberent: & priuſquam ex papyro, & animalium corijs fieri cœpiſſent. Quibus maximè vitæ humanitas, & mortalium memoria poſteris conſtaret. Itaq; primùm hoc munus, palmarum folia præbuerunt,atq; in his ſcriptitatum: vt inde φοινικία γράμματα, è palma dicerentur, quæ Græcè φοῖνιξ vocitatur. Verùm nonnulli, ad literarum inuentionem, quarum inuentores primi Phœnices perhibentur, retulerũt. Sed & Indos quoq;,in his ſtilo ferreo,ex aliquo colore ſcribere,qui apud eos nauigarunt, aiunt. In eiſdem verò folijs Cumæam Sibyllam ſua oracula ſcripſiſſe, Seruius è Varrone, memoriæ mandauit,quod etiam è ſuo Vergilio eſt, etſi palmæ nomen non expreſſerit.

Inſanam vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima eſt,
Fata canit, folijſq́ notas, & nomina mandat,
Quæcunq́ in folijs deſcripſit carmina virgo,
Digerit in numerum, atq́ antro ſecluſa relinquit.

Ex qua re ortum adagium, Folium Sibyllæ, de re veriſſima. Ad quod alludit Iuuenalis:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

Et vt in folijs quarundam arborum oracula Deorum conſcriberentur, religioſiùs

religioſiùs obſeruatum: veluti in lauri folijs,in quibus Apollinis Delphici reſponſa exſcriberentur: Vt de illis intellexerit Vergilius,dum ait:

- Folijs ne carmina manda.

Et Seneca in Oedipo, Hoc me Delphicæ laurus monent. Et ante chartarum inuentionem, leges in aſſeribus ligneis ſcribebantur, quas in medio foro ſuſpendebant: vnde parœmia, Non in foro ligneo, indice autore Ioanne Chæco.De his enim dictum,qui ſine autoritate aliqua quid aſſererent: vt in monimentis ſuis aliqui reliquerunt. Sed poſt arborum folia libri chartarum vſum dederunt: vt inde codices ipſi nomen ſumpſerint,vt ſolius Iuuenalis, in re tam nota, teſtimonio contentus ſim:

- Aut ſummi iam margine libri,
Scriptus, & in tergo, necdum finitus Oreſtes.

Ad quam verò rem, philyræ cortex, quæ tilia dicitur, vt plurimum ſelectus. Quod oſtendit Martianus Capella: Raró verò (inquit) libri philyrea cortice ſubnotati. E philyra autem fieri libros tenuiſſimos, atq; in vtramq; partem replicabiles, in Commodo, Herodianus autor. Inſuper Vlpianus Iuriſconſultus, Librorum appellatione contineri ait, ſiue in philyra, ſiue in tilia, conſcribantur: vt propterea philyræ vocatæ ſint, omnium arborum tuniculæ, ad ſcribendum aptæ. Nomina itemq; coniuratorum, in tabulis tiliaceis, eijſdemq; duplicibus exſcribi ſolitum Ioannes Xiphilinus autor. Arundines etiam (authore Plinio) chartis ſeruiunt, vt illa ad id idoneior ſit, quæ ſyringias (authore Dioſcoride) vocitatur & calami Ægyptij, affinitate quadam papyri,Verùm probatiores Gnidij, & qui in Aſia, circa Aneticum amnem proueniunt. At nunc arundinum calamus tenuiſſimus, maximè Italis,ad ſcribendum accommodatus.Ad hoc enim anteà quàm è pennis auium calamus repertus,& vt de arborum libris teſtimonium aliquod præbeant: documenta cùm priuata, tum publica,in arborum libris exarata mihi pluries legere licuit. Repertæ autem ſunt primùm chartæ, Varrone authore,Alexandri Magni victoria, atq; in Ægypto condita vrbe Alexandrina, nec anteà chartarum vſus fuit.

De Arborum in ſepeliendis, vrendis, atq; condendis hominum cadaueribus vſu. CAP. XV.

SVPEREST alia arborum, poſt tot enumeratas iam illarum dotes commoditas: vt non viuis ſolùm pluriſariàm opitulentur, verùm etiam mortuis, in illorum ſepultura. Cæterùm Plinius Secundus Arabiam ingratam,ac falſam fœlicis cognominis ſubarguit, propter thuris & myrrhæ arbores, quas ſola produxit, vt hoc acceptum ſuperis tantùm ferre debuerit, quorum cauſa genitas fuiſſe,intelligere debuerit,cùm eo plus inferis, impendat, vt illam potius hominum etiam in morte luxuria, beatam fecerit, defunctis vrendis. plus adhibens, vnum præterea ſui dicti exemplum ſubijciens, Neronem ſcilicet principem tantum in nouiſſimo Poppeæ ſuæ die concremaſſe: quantum annuo fœtu ferret: veluti

rerum petiti aſſeuetauerunt. Æſtimetur poſteà,toto orbe (vt verba illius accommodem) ſingulis annis, tot funera aceruatim congeſta, honori cadauerum, quæ dijs per ſingulas micas dantur. Primùm enim hominum cadauera in arcis recondebantur, maximè Græcis,quas è cedro vel cupreſſo,ob materiei diuturnitatem,fabricarunt. Electra enim apud Euripidem ſibi Oreſtiq; fratri,ex cedro exoptat ſepulcrum, & quotiens ille ſepulcri mentionem facit,totiens è cedro confectum ſcribit.Thucydides autem nobilium ac locupletum qui in bello occubuiſſent,capſis cupreſſinis recondi ſolére. Quod Lucanus faſſus,

Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.

Q.Curtius, apud Niſam Indiæ vrbem, oppidanorum ſepulcra è cedro facta eſſe. Pythagorici, atteſtante M.Varrone, in myrti, oleæ, & nigræ populi folijs: condi maluere.Lacedæmonij etiam cadauera inhumantes, oliuæ fronde circundabant, vt Plutarchus in Lycurgo prodit. Et apud Vergilium:

-Pallantis molle pheretrum
Aen. 11. *Arbuteis texunt virgis, & vimine querno:*
Extructoſq́ toros obtentu frondis inumbrant.

Mos autem Ægyptiorum, condendi ad plures annos cadauerum, alius fuit. Siquidem omnem aluum exenterabant,quam exinde cùm diligenter expurgaſſent, rurſum myrrha, caſia, & cæteris odoriferis,excepto ſolummodo thure,contuſis,referciunt,& illud ſic compoſitum,in ligneam hominis effigiem,tanquàm in tumulum includebant. Communior poſteà, & cuiq; hominum conditioni magis aptior, & vſitatior ſepulturæ modus,priſcis fuit,vt cadauera lignis cremarentur,vt tantùm hoc ſepulturæ genus, in Germania claris, reſeruaretur. Vt cæterorum funerum nulla ambitio foret: ſicuti de moribus illorum ſcribit Tacitus, ſed ad id certa ligna requirebantur. Hoc autem non abſq; mathematica ratione fuit. Quippe Heraclitus omnia ex igne conſtare affirmabat, idcirco in igne debere reſolui. Lignorum enim ad hoc congeries, pyra Seruio dicebatur: quæ cùm ardere cœpiſſet,rogus:cùm iam exuſta,buſtum:quem etiam ordinem Vergilius Æneidos vndecimo ſeruauit:

Conſtituere pyras. Et pòſt:
Conditur in tenebras altum caligine cælum,
Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis,
Decurrère rogos. Deinde:
Semiuſtaq́ ſeruant
Buſta. -

Poſtremum illud adde, ex Nicolai Collectaneis, De moribus gentium, quod Colchi defunctos, non ſepelirent, verùm ex arboribus ſuſpendebant.

Quòd in hortis, antiqui ſepelirentur & de Cyri ſepulcro.

CAP. XVI.

IN

IN hortis autem, ex priſcorum monumentis, antiquos ſepultos fuiſſe, legimus. Vt quemadmodum illis in vita delectationis plurimùm accepiſſent, ſic etiam his poſt mortem ad corporis quietem fruerentur: ac ſi animulas ſuas in eis ſpatiari, tanquam apud campos Elyſios exiſtimarent. Alexandrini autem tempore Strabonis, hortos & ſepta condendis cadaueribus dicata habebant. Cyrus autem magnus Perſarum rex in hortis ſepultus, omnium prunorum generibus conſitis: cuius ſepulturam Alexander Magnus, è Iudæa ad Paſagardas rediens, inſpicere deſyderauit, vt Strabo literis mandauit. Erat enim turris non admodum ampla, arborum denſitate latens, & inuiſa, perangustum aditum habens: Parte verò inferiori, ſolida, ſuperiore autem tecto, ac ſacello exornata. Hanc verò Ariſtobulus, iubente rege, ingreſſus: cui deinde auream ſe vidiſſe lecticam retulit menſamq́; cum poculis, ac veſtem plurimam, & aureolum alueolum lapillis ornatum, & incruſtatum. Beli ſepultura in hortis Babylonicis fuit. Meletis verò ſepulcrum, vt Philoſtratus perhibuit, in Smyrnæ luco fuit. Et, vt ad Romanos principes tandem diuertamus, Sergius Galba, in ſuis hortis, authoribus Suetonio & Eutropio, ſepultus. Antoninus Pius, Adriani apud Baias mortui reliquias, Romam peruexiſſe Capitolinus ſcribit, & ſanctè, ac reuerenter, in hortis Domitiæ collocaſſe.

In ſyluis, & ſub arboribus depaſci quadrupedes, & illa eſſe harum domicilia, & de fronde & folijs animalium cibo. CAP. XVII.

QVÆ generi humano ex arboribus neceſſaria forent: ſuprà ediſſeruimus: Nunc ſupereſt vti de illarum circa animalia vſu, dicamus. Erga quæ, vt hominibus, tot ferè ſunt munera. Nam & illorum cibus & cubicula, vt præter homines folijs ac fronde illarum paſcantur. Non ſolùm, quæ terram inhabitant, verùm etiam quæ mare, quæ item per aëra volitant, reptilia quoq́;. Hoc autem omne, ad hominum vtilitatem, vt nobis inſeruiant, quibus etiam pòſt veſcimur. Primùm etenim proderit (autore Vergilio) gregem per æſtatem meridie deducere:

Sicubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendit ramos, aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris, ſacra nemus accubat vmbra.

Inſuper animalia in ſyluis, ſaltibus, æſtate maximè, vbi ſimul & cibum ſumant, & aduerſus ſolis æſtus vmbra ſeſe defendant,

Paſcitur (inquit Maro) *in magna ſylua, formoſa iuuenca.*

Folijs enim arborum viridibus, animalia paſcuntur, vt ſalicis, cytiſi, arbuti: teſte Vergilio:

- Non me paſcente capellæ
Florentem cythiſum, & ſalices carpetis amaras. Et alibi:
Lenta ſalix fæto pecori. Et alibi:

Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis.

Nam capræ arbutum quærunt,vt inquit Horatius:

Impune tutum per nemus arbutos,
Quærunt latenteis, & thyma deuiæ
Olentis vxores mariti.

De ſalice verò expreſſit Iuuenalis in Romanorum gulam:

Hædulus, & toto grege mollior inſcius herbæ,
Necdum auſus virgas humilis mordere ſalicti.

Columella verò laurum viridem, vel iligneam frondem, bobus porrigendam ſcribit, & capris præbenda ad lactis copiam hederæ vel lentiſci cacumina, & vlmi ſamaram. Folia etiam ſicca animalium eſcæ ſunt. E fronde enim, cùm imbribus vel aſſiduis roribus maturuerit (nam anteà inutilis eſt) faſciculos componunt agricolæ, quos ſub tecto ad boum, & pecudum genus in hyemem reſeruant,& is, qui cædit, frondator vocatur. De quo Vergilius,

- Canit frondator ad auras.

Verùm,ſpecialius quædam ex his,quæ bobus magis conueniant,æquum erit,vt digeramus. Inter quadrupedes enim hoc animal homini plus vtilitatis ac commodi affert. Etenim eo terram ad ſegetes vertimus, onera vehimus,& vbi præ ſenio,ad hæc minùs vtilis: ad cibum impinguamus: vt eò magis vtiliores,quò plus ſenuerint,vt plus deniq; nobis inſeruiant: Vt denique nobis in vita ſimulac morte proſint. Si verò fœnum non erit, Aprili, Iunio, Iulio, Auguſto, Septembri menſibus, frondem arboream affatim dandam, agriculturæ authores præcipiunt. Octobri verò, & Nouembri ad Idus, vno boum iugo quæ ſit corbis vnius. Probabitur maximè vlmea: pòſt fraxinea, ſi ſit: ſin minùs ornea. Ab hac enim populnea: vltimæ autem ſunt ilignea, & quernea. Rectè etiam præbetur laurea, hederacea, arundinea, & folia ficulnea. Cato populneæ admiſceri vlmeam, vt ſatis ſit, vult. Attinia autem vlmus, iucundiorem frondem bubus præbet, quòd verò vernacula, longè procerior ac latior ſit. Hoc autem admonendum ex his memoratis authoribus duximus, vt ſi pecus vno frondium genere alueris,ne poſteà alterum ſubſtituas: Nam bobus faſtidium affert. Oues autem hieme repoſitis vlmeis, vel ex fraxino frondibus commodiſſimè, aluntur. Pecus oleaſter, vt Ariſtoteles ait, opimat. Capris fraxinus gratiſſimam præbet frondem. Illud tandem admonemus, ne cuiquam animalium generi, arboris cuiuſque frondem, quæ ſpinas fert, qualis eſt iuniperus aronia, porrigamus. Nam hæc propter aculeos reſpuitur.

De glandium & aliorum fructuum arborum circa animalia victu. CAP. XVIII.

GLANDIVM ſicut hominum, ita & animalium multiſariam victus fuit,& harum multis communis. Columella enim,& Plinius vbi bruma erit, aſpergendam glandem eſſe ſcripſerunt. Cuius rei rationem, ſedulò habendam vt præcipiat ille, vt ſingulis iugis, ſinguli

guli modij dentur: nec minus nec amplius, diebus triginta, quoquo tempore. Largiri autem, valetudinem infeſtat. Quòd ſi parciùs per ver præbeatur, ſcabioſi, vt Higinus ait, fiunt. Vti in ingrato cibo, per tempus, aut parcitas, aut ſatietas, pœnitentia ſit. Plautus in Truculento:

Rus mane dudum hinc ire me iuſſit pater, vt bubus
Glandem prandio depromerem.-

Paleis autem immiſceri, Columella voluit. Nónne & glandes, ſuum pabulum ſunt? Quo verò impingueſcant, carnem tamen humidam facere, Ariſtoteles author. Homerus præthereà aquam nigram, ac copioſam glandem, ſuibus pinguedinem ſuggerere ſcribit. Italiam verò glandibus abundare memoriæ Polybius prodidit, quæ in nemoribus eius regionis atq; in diuerſis locis producatur. idq; in primis teſtimonium eſſe, quòd generis Italici homines, penè infinitam porcorum multitudinem alant: quæ non ſolùm ad priuatos vſus ſufficiens ſit, verùm ad neceſſarium exercitus apparatum, & ad ſacrificia etiam abundè ſuppeditet. Nemora quippe ſuibus conuenientiſſima eſſe, agriculturæ authores aſſeruerunt. vt pote, quæ quercu, ſubere, fago, cerris, ilicibus, oleaſtris, tamaricibus, corylis, pomiferiſq; omnibus, ac ſylueſtribus arboribus, refertæ ſint. vt ſpinæ albæ, græcæ, ſiliquæ, loti. In quibus etiam pinus, cornus, arbutus, prunus, nucum, & ficorum multiplicia genera. Hæ autem arbores affatim deciduos fructus ſuibus, & alijs quadrupedibus ſuppeditant: quibus fruantur, & impingueſcant. In Galliarum etiam multis prouincijs, amplæ glandiferæ ſyluæ. In quibus ſues ſaginentur. Ex quibus etiam domini reditum non minimum faciant, penſo in ſingula ſuum capita, certo pretio. Glande etiam oues pingueſcunt. Nunc & alios ex alijs, quadrupedum proſequamur cibos. Palma autem apud plures gentes animalium eſca. Nam in Ægypto, Cypro, Syria, & Aſſyriæ Seleucia ſues, reliquaq; animalia, palmulis veſcuntur. Babylonij bobus ouibusq; nucleos aqua priùs maceratos, in eſcam offerunt. Et vt palmarum cibum proſequar, illum in feris, finiam: Elephanti in cibatu gratiſſimas palmulas habent. Boues ficubus pingueſcunt: quibus Cariæ paſtores ſuas pecudes alunt, vt in vita Apollonij ſcribit Philoſtratus. Sues etiam fraxini fructu ad pinguedinem perducuntur, vt Ælianus ſcribit: ſed qui coxarum vertebræ dolorem contrahat.

De feris nonnullis, minoribúsue animalibus, auibus, & piſcibus, arborum fructibus veſcentibus. CAP. XIX.

NVNC reliquos arborum fructus proſequamur: quibus feræ, minoraq; animaleula, aues quoque, ac piſces veſcuntur. Omnes autem feras beſtias, quæ pluribus aut quibuſdam particulatim arborum fructibus veſcuntur, longum enumerare. Quod ſi facilè, tamen oneroſum, & minùs idoneum. Vrſus, & aliæ permultæ feræ, fructus omnes arborum omnium edit: quibus vt fruatur, arbores lubrico corpore, conſcendit, in horreaq; ſua, in multam hyemem recondit. Tauri, biſontes, vt Pauſanias in Pho-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

cenſibus memoriæ reliquit, non alium pabulum habent. Pinus tamen ſatiuæ nucleos,putaminibus euolutos,vix attingunt. Glires,ſciuri omnis generis glandes in arborum cauernulis ac ſuis horteis, per hyemem, repoſitas rodunt:talpæ radices etiam. Et vt ad minora animalia ſectaq; deueniamus, Vermiculos, ex quibus ſericum fiat, apud Seras populos (de quibus ſuprà) naſci Pauſanias mandauit memoriæ,& arundine prædulci paſtu ali. Nunc & in Gallia, Italia, Hiſpania, multisq; alijs prouincijs,vermes bombyces mori albæ folijs alicubi propter hoc ſatæ quadraginta, à Vergiliarum exortu, vſq; ad ſequens ſolſtitium, diebus, enutriunt, qui vellus conficiunt. Olim principum, magnatum, & magiſtratuum veſtis, nunc verò plebeiorum, ſordidarumq; & infamium perſonarum. Vt quod olim inſigne ac decorum fuerat nunc vile, & multis repræhenſibile, & ſi auctius pretium. Tanta eſt huius ſeculi in veſtitu, ſicut in cæteris, rebus luxuria. Nunc de auibus, quarum etiam arborum fructus eſca fuit. Turdi, picæ, glandes cùm deficiunt, recolligunt, atque in ſua repoſitoria abditas, ad victum reſeruant. Ficus exſiccatas, & in tenues partes comminutas, & aqua per viginti dies dilutas, anſerculis, vbi adoleuerint, in cibum præbent. Valent ad iam grandiores impinguandos. Turdi in domeſtica domo enutriti, myrti baccis, hederæ, lentiſciq; fructu paſcuntur. Hi etiam ac merulæ iuniperi baccis paſcuntur, ſibi ipſis gratiſſimo cibo,nec alio eſu gratiorem carnem nanciſcuntur:quæ è loci opportunitate, iuniperæ vocentur. Veſcuntur etiam olearum folijs, vt teſtis Epicharmus apud Athenæum. Supereſt vt de piſcibus agamus.: vt marinos à fluuiatilibus,in cibo etiam ſeparemus:vt primùm de marinis, atq; de thynnis dicamus, quorum victus fuit glans, tam multiplex fuit eius erga tot animantium genera eſus. Quercum autem admodum humilem;ſed fructu maximo impendio vberem, apud Cartaiani Hiſpaniæ regionem prope maris litus naſci, Strabo ſcribit. Fructus autem in mare delapſus, vel vento deiectus, & aquarum æſtu longè iactatus, thynnos alit, eximieq; pinguefacit, vt longè macriores ſint, deficiente alimento. Qui autem longius abſunt,& eſu inſipidiores,vt quum etiam glandium fuerit abundantia, thynnorum item ſit copia. Quare non aberrarunt, qui eos porcos marinos vocitarunt. Hæc eadẽ prodit Polybius Megalopolitanus.Sepia in maritimis arborum fructus ſuffuratur,& ſæpe deprænenſa,furti pœnas luit. Nunc de his, qui in lacubus,ſtagnis've,ac piſcina includuntur. Quibus dandũ eſſe,ſi facultas fuerit, Columella ſcribit poma viridia aperta,nuces digitis infractas, ficos molles, & cõminutas, aut elixũ molle ſorbum. Quòd ſi propter hyemis ſæuitiam eius generis eſca dari non potuerit,ſi qua temporis ſint poma conciſa, ficus arida,ſemper obijciantur, eximia ſi ſint,vt Beticæ, Numidicæq; regionum. Et vt hanc rem ſatis amplam minimo animali finiam, cicadæ, ſicuti memoriæ reliquit Ariſtoteles, naſci minimè poſſunt,vbi defuerint arbores. Vt hac ratione circa Cyrenam nullæ ſunt,in oppido verò permultæ, quia ibi plurimæ arbores. Hîc de animalium ex arboribus victu, ſimul atque vno in loco, quod etiam ad harum laudes ſpectet, dixiſſe ſat eſt: ne etiam,cùm de ipſis ſpeciatim ſcripturus,hæc referre neceſſe ſit.

De arborum reditu, vectigalibus, & pretio: & de nonnullorum erga aliquas amore. CAP. XX.

ARBORVM reditus, commoditas, & neceſſitas ipſa facit, & harum maximè, quarum plus indigemus. vt quum illarum plurimus, ac frequentior vſus eſt, puta ipſo eſu, materie, paſtu, venatione, & alijs non paucis illarum etiam genera, raritas pretia augent. Plurimum verò regiones, vt vnaquæque plus altero indigeat, alia verò materiæ, propter maris vicinitatem, ad ædificandum naues. Sterilitas etiam vicinarum, etiam reditum adauget. Vti abſolutam reditus rationem præſcribere, ſicuti nec de vnaquaq; re, impoſſibile ſit. Habet enim, quæque regio harum pretium, quod augetur vel minuitur. Tantùm verò, quarundam apud antiquos reditum referam. Sylua prætereà cupreſſorum apud antiquos quæſtuoſiſſima fuit: Quòd harum, tam marium quàm fœminarum, aſſerum & perticarum amputationem admitterent: quæ Plinij tempeſtate, tertiodecimo anno ſingulis denarijs venirent: vt plantaria, filiarum dotem, appellare, in more eſſet. Arborum vectigalia publica, etiamnum priuata, pluribus fuere ſolùm de his, ex quibus vectigal publicè, penſum eſt, dicemus. Arabas autem ſingula millia talentorum thuris annua Perſarum regibus penſitaſſe, author Herodotus: Pro quo etiam pendunt Gebanitarum Regi: cui eidem Sabæi, quartam partem exſoluiſſe ſcribit Plinius. E balſamo autem Romanis Iudæi tributa pendebant, vt in illorum auaritiam exclamauerit Iuuenalis:

Omnis enim populo mercedem pendere iuſſa eſt Satyra 3.
Arbor, & eiectis mendicat ſylua camœnis.

Poſteà verò eam ſeuit fiſcus, vt propterea in eam, ſicut in vitam ſuam, ſæuirent Iudæi. Contrà defendere Romani: vt pro ea tandem dimicatum ſit. Sarmenta quoque eius in merce fuerunt. Nam amputatio ipſa, & ſurculus intra quintum annum DCCCC. venit. Ex cocco alteram tributi penſionem Hiſpaniæ pauperes ſoluebant. Morini ob platanos, & vmbram ipſam vectigalia luebant. Nec minus miraculum (vt Secundi verba ſubijciam) in pomo eſt multarum circa ſuburbana fructu annuo addicto binis millibus nummum maiore ſingularum reditu, quàm erat apud antiquos prædiorum. Si qua autem tellus, ingruentibus bellis, vel iam finitis, coli deſiiſſet, aut iam inculta remanſiſſet, in hunc modum proclamare iubebant Romani (Appiano ſcribente) vt volentibus illam colere, quintam partem vectigalis fructuum arborum anteà perceptorum exoluerent. Rhodiorum quippe tributa fuerunt ficus, vinum, oleũ: Quorum ſubſidijs illorum rempublicam adminiſtrarent, & ſuſtentarent. Et noſtra tempeſtate Luſitanorum Regum præcipui reditus, ex vectigalibus fructuum arborum Indicarum, ſicut & olim Romanorum, plurimarum arborum fructus, De quibus Martianus Iuriſconſultus, in Digeſtorum libris. De pretijs autem arborum idem atq; de illarum reditu cenſendum, vti certum aſſignari poſſit minimè: etiam ſi venales fuerint.

fuerint. In qua verò re, genus, raritas, ingens craſſities, coma ampla, denique vmbra, exiſtimanda forent: verùm maximè circa aliquas, quorundam affectio. Aut quod eas ſeuerint ætatis quandoq; teſtimonium, aut parentes maiorésve: ſed inter hæc maximè locus. Pluris enim facimus, in compluuio, cortéve, quàm in ſuburbijs ſatam. Pluris quæ publicè, quàm quæ priuatorum vmbræ creuit: Omnia tamen, ex temporum ratione, & diuitiarum modo ac luxuria. Quòd vno L.Craſſi, & Cn.Domitij Ænobarbi, ex Plinij & Valerij Maximi teſtimonijs, exemplo comprobabimus. Ambo enim nobiliſſimarum gentium, ambo ſimul, cenſuram, pòſt conſulatum geſſere. Anno autem conditæ vrbis ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo, frequentem iurgijs, propter morum diſſimilitudinem. Craſſo verò domus erat, quæ olim fuerat Q.Catuli, qui Cimbros cùm C.Mario fudit. Domitij autem illa, quæ fuit C.Aquilij equitis Romani & clariſſimi Iuriſconſulti, multum verò pulcherrima, conſenſu omnium, ea ætate, in colle Viminali. Cn.Domitius, vt erat vehemens natura, accenſus præterea odio, quod auidiſsimum ex æmulatione eſſe ſolet, Collegæ (altercatione orta) obiecit, quòd columnas Hymettij marmoris in porticu domus haberet, increpuitq; tanti Cenſorem habitare, pro domo eius millia nummorum identidem promittens. Quem Craſſus continuò, vt præſens ingenio ſemper, & faceto lepore ſolers erat, Quanti ipſe domũ ſuam æſtimaret, interrogauit? Qui reſpondit, ſexagies ſeſtertia. Quo ergo illam, inquit, minoris fore æſtimas, ſi ſex arbuſculas inde ſuccidero? Ipſe tricies ſeſtertia (inquit Domitius) ac ne vno quidem denario, ſi hæ adimerentur. Tunc Craſſus, Vtrúmne igitur ego ſum, inquit, quæſo, Domiti exemplo grauius, & ab ipſa mea cenſura notandus: qui in domo, quæ mihi hæreditate obuenit, comiter inhabitem? an tu, qui ſex arbuſcularum vmbram tricies ſeſtertium ſumma compenſas? Eæ autem fuere loti, patula ramorum opacitate laſciuæ: tanta igitur tunc fuit Romanorum opulentia, tantoq; plus honoris, arbores domibus afferebant, vt ſine illis ne inimicitiarum quidem pretium ſeruauerit Domitius. Communem verò arborum æſtimationem, priuata nonnullorum affectio, & amor ſuperauit. Fuit autem mori eximia arbor in luco collis, qui Corne appellatur, agri Tuſculani. Hanc autem Paſsienus Criſpus, bis conſul, & orator percelebris, Agrippinæ etiam matrimonio, & Nerone priuigno poſteà clarior, Plinij temporibus in tantum adamauit, vt eam amplecti, oſculariq; ſit ſolitus, non modò ſub ea cubare, atque vinum illi fundere.

*

Præfatio libri ſecundi.

QVAM vtiles, quamq́ neceſſariæ, ad vitam humanam ſint arbores, ſuprà demonſtratum. Ut non ſolùm homines, verùm animalia quædam enutriant, quibus poſtmodum veſcamur: atque ferè omnibus, quibus arborum, frondium, herbarumq́ cibus eſt, veluti ceruis, capreis, apris, leporibus, cuniculis, & multis alijs, quæ enumerare longum. Sic enim natura comparatū, vt ab illo inter homines & animantia communi eſu, quædam ſympathia generi humano, comparata ſit, vt his, poſt mortem ad eſcam vtamur fruamur. Ab his autem, quibus caro cibus eſt, omnino abſtinemus: veluti leonibus, lupis, vulpibus, & cæteris, quorum etiam ferocior natura: quorum item à conſuetudine & contubernio ſæpiùs oſores ſumus, vt à nobis prorſus aliena iudicemus. Sed poſt arborum erga genus humanum infinitas dotes, ſequitur, vt de illarum honore, hoc ſecundo libro dicamus, quo multis modis cùm priuatim, tum etiam publicè, honeſtatæ fuerunt. Nam priſca illa ætas, agnitis tot harum commoditatibus, & neceſſario vſu, animi munificentia quadam, quàm plurimis honoribus eas condonare voluit. Antiquorum etenim regum, ac magnatum coronæ, & diademata fuerunt, quibus ſe magis, quàm auro, quàm gemmis, vel alia quacunq; re pretioſiori, vel aliquo ſubtili artificio, honoratos exiſtimarunt. Triumphantium autem decus, victoriarum geſtamen, & in ſacris ac publicis certaminibus præmium, vti his victores inſignirentur. Poëtarum inſuper coronæ, conuiuarum lætitia. Apud Cæſarum enim & flaminum ianuas excubatrices: lictorum itidem faſces, atq; militum iacula: nauium quoque roſtra exornarunt præfixæ. Itaque in foro, ad tribunalia, quibus non contenti homines, ni quoque ipſas regiones, etiam ſinus, vrbes, ad perpetuam rei memoriam, illarum appellatione honorarent.

HORTORVM LIBER SECVNDVS.

De quibuſdam familijs, & hominibus, quibus arbores nomina & cognomina dederunt. CAPVT I.

ARBORVM honores nunc proſequi conſentaneum: atque primùm circa homines: vt ab his, tanquam à digniori materia, incipiamus. Quibus verò tantum ipſa antiquitas tribuit, vt ab illis quaſdam familias denominauerit, vt illarum cognomina homines non reſpuerint. Vt generalius ab ipſo ſyluarum nomine, inchoëmus: Syluani plures denominati, & Syluij, vt Poſthumius, qui & Syluius, cognominatus. Is enim fuit Æneæ è Lauinia filius poſthúmus, Aſcanij frater. ſic dictus, quòd in ſyluis natus eſſet. Ouidius:

Lib. 4. Faſt. *Poſthumus hinc: qui, quòd ſyluis eſt natus in altis,*
Syluius in Latia gente vocatus erat.

Ab eo autem Albanorum Reges poſteà Syluij vocati, vt inquit Euſebius in chronicis, C.Lucinio, M.Varrone, & Plinio atteſtantibus: Stolonis cognomen fuit inditum, vt eius genti poſtmodum hoc cognomen culturæ diligentia conſeruauerit. Ab hortis etiam Hortenſij vocati, vt Romæ Q.Hortenſius Dictator, & M.Caſſius Hortenſius. Militi etiam, Frondij nomen impoſitum, quòd fronde capiti impoſita, Vulturnum tranſnauerit: & præclara aduerſus Hannibalem facinora ediderit. Vna arbor laurus eſt, cuius nomen Latina lingua (inquit Plinius) viris imponatur, vt Ciceronis liberto, cui Laurea nomen fuit. Fœminæ verò plures, quæ hanc appellationẽ ſortitæ ſunt, tam apud Græcos, & Latinos etiam, Græca appellatione. Nam in pluribus antiquis marmoribus, Daphnis pro viro ac fœmina legere eſt. Arbuſcula, nomen fuit inſignis meretricis Romæ, quo tempore Cytheris. De qua Horatius, *Exploſa Arbuſcula.*

Arbores regionibus & fluuijs nomina indidiſſe. CAP. II.

REGIONIBVS etiam nomina, ſiue ab vno arborum genere, ſiue ſimul à pluribus impoſita ſunt. Nam Hyrcania Aſiæ prouincia, ab Hyrcana ſylua dicta. Et Pieria Macedoniæ regio, à Pierio nemore, vt Plinius ait. Meluſſa, vna ex tribus Sirenis, ante Lacinium promontorium, non tam à pecoris, quàm pomorum abundantia dicta: quemadmodum Meluſſa,

luſſa, quæ Hiſpaniæ adſcribitur, quæ nonnunquam Peloponneſus nuncupata. Madera, Atlantici Oceani inſula, non parum añte tempeſtatem noſtram à Luſitanis inuenta, deinde cohabitata, à lignorum copia ſic vocitata. Nam ligna ſic vicinæ gentes vocant. Quam verò, vt inhabitaretur, ac coleretur, lignis antè expurgare, præſertim igne, propter difficultatem, neceſſum fuit: quandoquidem tota ſyluis opaca, atque inuia eſſet. Ex qua poſt cedrinæ menſæ,& alia materies, ad ſupellectilem lignariam ad exteros exportata. Nape, Metynei campicollis, ſic vocatur, quòd arboribus circundata ſit. A quercu verò vallis Syriæ, quam alij à terebintho denominãt,in qua Dauid gigantem Paleſthinum interfecit.Nunc de his, quæ à ſingulis arborum generibus, nomen acceperunt. Myſi populi, ab arbore, quæ Græcis ὀξύη, Lydis autem μύση, fagus Latinè, quòd horum mons Olympus, hac veſtiatur. A pyrorum enim prouentu, Peloponneſum Apiam dictam, Athenæus author.In qua ſententia, Stephanus. Theocriti tamen interpres, pyra à Peloponneſo nomen accepiſſe putat, quòd in ea primùm hic fructus apparuerit. Gadera inſula, Cotiuſæ nomen habuit, ab oleaſtro illic naſcente, qui cotinus etiam vocaretur. Cedros, inſula in litoribus Germaniæ, ſic appellata,quòd cedri arbore ſyluoſa ſit. A pinu etiam Græca voce Pityodes & Pityuſæ inſulæ,in mari Balearico: & alia etiam eiuſdem appellationis in ſinu Argolico. Lampſacus,Helleſponti vrbs Troianis temporibus, prius Laomedontea, Pityuſa, & Homero Pityus. In Peloponneſo, ſinus Saronicus, à nemore querno redimitus, ita Græcia quercum ſic antiquitus vocitante. Pauſanias tamen à Sarone, qui poſt Athipum regnauit, dictam vult. In eadem regione etiam Cypariſſius ſinus, cuius circuitus quandoque ad ſeptuaginta milliaria. A picea,quæ Pades Gallicè vocatur,Septius Metrodorus, apud Plinium, & Marcus Cato in libris originum Padum vocatum ſcribunt: quòd hæc arbos plurima circa eius fontem adnaſcatur. Alon etiam fluuius Hiſpaniæ citerioris, ab arbore, quæ Græcè πτελέα, vlmus Latinè dicitur, vt quibuſdam placet, vocatur. Cedrus nomen fluuij in Sardinia, Ptolemæo authore.

Arbores vrbibus, & alijs locis impoſuiſſe nomina.

CAP. III.

SVPEREST vt de vrbibus & locis, quibus arbores appellationes impoſuere,quæ plures vt regiones fuere.Daulis Phocenſium ciuitas, ab arborum denſitate, vt multis placet, nomen habuit, quòd ibi, priuſquàm conderetur, δαυλοὺς, denſos veteres appellabant: Ficana, oppidum olim clarum Latij Plinio à ficis dictum: de quo F.Pompeius his verbis: Puilia ſaxa eſſe, ad portum, qui ſecundum Tyberim eſſe ait Fabius Pictor. Quem locum putat Labeo dici, vbi fuerit Ficana, via Hoſtienſi, ad lapidem vndecimum. In Ægypto etiam Hiera ſycaminos, ſic cognominata.Nam Hegeſiſtratus exul,quærens ſedem,Delphos peruenit,deumq; de ſede conſuluit: cui Phœbus ibi eam collocauit,vbi colonos oleaginis

coronis ornatos cerneret. Itaque in Aſiam profectus, huiuſmodi colonos circunſpicit, vrbemq; ibi exædificauit. Plutarchus in parallelis. Myletus vrbs Cariæ, anteà Lelegeis, & Pityuſa vetuſtiore vocabulo. Cuius etiam incolæ φθίρες, vel quaſi φθειρῶν ὄρος. Pinorum enim ſyluis abundauit, quarum fructus vel flores, vt alijs placet, φθεῖρες dicuntur. Præneſte oppidum Italiæ, non longè ab vrbe ἀπὸ τῶν πρίνων, id eſt, ab ilicibus (inquiente Seruio) dictum. Telegonus autem Vlyſſis & Circes filius ad inueſtigandum patrem dimiſſus, deorum reſponſis commonefactus, vti vrbem in eo loco conderet, vbi certantes cum coronis colonos videret. Italiam itaq; ingreſſus, huiuſmodi colonos ſaltare cernit, ibiq; oppidum condidit: quod à coronis arboreis Priniſtum vocauit, Romanis Præneſte. Buxetum etiam in Italia oppidum, à buxo, Græcis tamen propriam ſignificationem ſeruat. Nam illis Pyxus vocatur. In ea etiam Corneta, à loco, vbi abſciſſa cornus, vt voluit Varro de lingua Latina. Cypariſſia Græciæ ciuitas, à multa ibi cypariſſo, vt oſtendit Homerus in ſecundo Iliados. A palmis autem, duæ inſignes ciuitates memorantur: vna, quæ fuit Romanorum, Maior inſularum Balearium. Alia Syriæ, Palmyra dicta. Illorum verò lingua, Thadamus nuncupata: quandoque Adrianopolis, à Salomone Rege condita, Odonati principis nomine, & bellis aduerſus Traianum, & Adrianum Principes geſtis, clara. Ceraſus, Ponti ciuitas, à ceraſis dicta. Verùm ſicut à lauro homines, ita & vrbes nomen deſumpſerunt. Laurentum, Italiæ oppidum, anteà Lauinium & Lauinia dictum, authore Seruio: ſic dictum, quòd cùm Latinus Telegoni fratet & Circes filius, & Ænæ ſocer, poſt Lauinij fratris mortem, quum Lauinium amplificaret, in arce laurum reperit: ſic canente Vergilio:

Aen. 7. *Laurus erat tecti medio in penetralibus altis*
Sacra comam, multosq; metu ſeruata per annos:
Quam pater inuentam primas cùm conderet arces,
Ipſe ferebatur Phœbo ſacraſſe Latinus,
Laurentisq; ab ea nomen poſuiſſe colonis.

Seruius autem à priſco lauri nomine, Lauinium vocat. Regio etiam Italiæ, hoc nomine, quòd hac arbore opaca: de qua ſuprà Herodiano autore. Et vt de à lauro nominibus, vno in loco finiam, Laurentum locus fuit Romæ, in Auentino monte, à ſylua ibi laurea Ioui ſacra, vbi ſepultus Tatius. Daphne etiam Aſiæ vrbs, in qua Antiochus cognomine Epiphanes, percelebres fecit ludos. Et Daphnus, Daphnuſa, & Daphnitis, inſula, & palatium Daphne. Gaddir Hiſpaniæ ciuitas, aliquando Tarteſſum, & Cotinuſa ab oleaſtri vbertate, ſi Euſtathio credimus. Oleaſtrum oppidi in Bætica Hiſpaniæ (Ptolemæo) nomen. Myrrhinus Atticæ vrbs Pauſaniæ Peloponneſi à myrtorũ copia, quas myrrhinas vocant. Rhamnus, Atticæ ciuitas, Stephano Rhanunta, in tribu Eantide. Sic dicta, Pauſania, & Ariſtophanis interprete, authoribus: quod hic abundè rhamnus frutex germinet. Cyprus inſula Carpathij maris, etiam à cypro frutice, quòd ibi frequens, vt voluit Euſtathius. Elea ciuitas, ab oliua, Græca voce,

ca voce. Nunc de alijs nonnullis locis, ab arboribus & plantis, ſic vocatis. In ipſa vrbe Roma priùs memorabimus. Vt primùm de portis, vt de Capena, Neuia, & Viminali: illa autem à Capenis lucis, iuxta Camœnas, de quibus Vergilius,

– Lucosq́ Capenos.

Nunc ſancti Sebaſtiani dicitur. Altera à Neuijs nemoribus: vt Varroni placitum, quæ nunc porta maior exiſtimatur. Hæc autem à viminum ſylua, authore Feſto: vbi Acio conſecratæ ædes: Quæ & Numentana etiam dicitur, & modò diuæ Agnetis. Cæteri verò à Iouis Viminei fano dicunt: inter quos M. Varro. Eſt & quæ Querculana, ſiue Quercularia, quòd quercetum iuxta ſe, intra muros haberet. Romæ locus in regione quinta, qui Malum punicum diceretur, vt voluit Suetonius. Qui etiam alta ſemita diceretur, vt eſt apud Martialem. Vbi thermæ Diocletiani fuerunt, & domus, in qua natus Domitianus, quam in templum gentis Flauiæ conuertit. Æſculetum etiam, ab æſculo dictum. Conſtantinopoli verò domus permagna atq; magnifica, à nuce, quòd huius generis arborem, ante veſtibulum haberet, cognominata. In qua diuus Acatius martyrium ſumpſit. In cuius rei teſtimonium, poſt erectum oratorium, in quo Arcadius princeps orauit, vt ſcribit in hiſtoria eccleſiaſtica Socrates. Contra hanc ſuburbium poſitum, nomine Oliua.

Palmam arborem vincentium in certaminibus & ludis fuiſſe præmium, & de adagio, Palmam dare, & cæteris. CAP. IIII.

ARBORVM non minimus in coronis decertantium ac vincentium honos: vt quas auro, argentóve, lapillis, alijſq; rei pretioſiori antiquitas prætulerit. Vt illæ naturæ vis, & corporis exercitij, & velocitatis atque dexteritatis apud omnes teſtes fuerint: & præmium, & ſpecimen quoddam virtutis, quod non Græciæ & cuiuſq; alterius regionis illuſtres ac reges ipſi non detrectarunt. Vt qui maiorem apud ſuos, exterosq́; gloriam ſpectarent, pluris arboream, quàm auream facerent. Qua non ſemel pluriésve contenti, ni iterum ac ſæpiùs, illa inſignirentur, vt tanto plus ſe accepiſſe decoris, quò multoties in ludis ſacris, & certaminibus viciſſent. In qua verò re, non pluris mitiorem, quàm ſylueſtrem facerent. Et inter cæteras præcipuam victoriam, obtinuit palma. Siquidem hæc certaminum ſymbolum fuit, atteſtante in Sympoſijs Plutarcho, cuius etiam rei hæc perhibetur ratio: Theſeum enim deuicto Minotauro, è Creta redeuntem, Delum appuliſſe ferunt, & in ea, ob adeptam victoriam, Apollini ſacros ludos inſtituiſſe, in quibus victores Deliaca palma donarentur. Alij ibi è ſacra palma ramum decerpſiſſe, & ſecum detuliſſe, vt inde poſteà inoleuerit mos, vt cuiuſque certaminis victor, palmæ ramis condonaretur. Pauſanias enim huic rei aliam cauſam attribuit. Nam Iaſium vbi in Olympicis vixiſſet, dextra palmæ termitē geſtaſſe ſcribit, & equo inſidentem abijſſe: vt inde dextris, palma portata, victoriæ indicium

cium ſit. Alij aliter & à palmæ natura, quòd ſcilicet longæ vitæ, ſicut & victorum gloria ſit: aut quòd huiuſmodi ingenij ſit, vt vrgentibus, ac opprimentibus ponderibus, minimè cedat, authore & Plinio & A. Gellio: à qua verò vi ac natura, Græci victoriam νίκην vocant, quaſi παρὰ τὸ μὴ εἴκειν. L. autem Papyrio, & Sp. Caruilio Conſulibus, Deuictis Samnitibus, captiſq; illorum oppidis, Aquilonia videlicet & Coruino, palma victoribus data. More tunc primum è Græcia, apud Romanos tranſlato. Poſteà autem inoleuit vt qui certaturi forent, ſpadicem haberent. Claudianus, *Nutant ad mutua palmæ Fœdera.* Cæſar autem in Hiſpania, contra Pompeij liberos decertauit, atque eos deuicit. In eo autem campo, vbi bellatum, palmæ ramus ſtatim poſt victoriam agnatus: quod non ad Cæſarem, ſed ad Octauium, è ſorore filium portendit. Nam ibi prælians multa præclara armis facinora peregit, quibus clarus futurus erat. Hæc Xiphilinus in epitome Dionis. Muſæ præterea (Phurnuto autore) palma coronatæ, propter homonymiam, quòd Phœnices primi inueniſſe literas credantur. nam palma Græcè φοῖνιξ. Hanc tamen rationem non probat ille: verùm ob arboris teneritudinem, propter quam non facilè ſcanditur, ſicut nec ad Muſas & poëſim propter etiam eius virorem & beneficentiam. Nam dulciſſimos fert fructus. Ab huiuſcemodi corona palmea poſteà vſurpatum, vt hoc vocabulum palma, victoriam deſignaret. Cuius verò ſignificationis, vno Ciceronis, altero Vergilij, tertio Ouidij, teſtimonijs, contentus. Ille, de Senectute: quam palmam vtinam Dij immortales tibi, Scipio, reſeruent. Alter,

-Eliadum palmas Epeiros equarum. Hic,

Et lentæ victoris præmia palmæ.

Vnde prouerbium natum: Palmam dare: & palmam ferre, deferre, palmam tribuere, palmam præripere, accipere in aliqua re. Habere palmam ex aliquo, Reſeruare alicui. Quæ omnia ad victoriam referuntur. Et palmarium, authore Plinio, quicquid in victoria ſit. Dicitur etiam Vlpiano Iuriſconſulto, victoriæ ſalarium. Et ſi nomine palmarij cautum ſit. Terentius in Eunucho: tum hoc alterum, id verò eſt, quo mihi puto palmarium. Victoriam, deam Palmarem Apuleius vocitat: & palmaris veſtis, ſiue palmata: propriè triumphantium fuit, quam merebantur, qui de hoſtibus palmam reportaſſent. Etiam in pace Conſulum fuit. Auſonius in Panegyrico, Palmata veſtis, vt in pace conſulis eſt, ſic in victoria triumphalis. Et palmaris ſententia quæ vincit. Cicero, Sententia philoſophorum palmaris. Et palmaris ſtatua, quæ alicui propter victoriam erigebatur. Cicero, Sed illa ſtatua palmaris.

De ludis Olympicis, quorum præmium ex oleaſtro corona fuit. CAP. V.

APVD Olympiam Græciæ vrbem, quæ & Piſa etiam, authore Stephano, ludi in quinque annos celebrabantur. Vnde Græci ſuis Olympiadibus nomen indiderunt: Romani luſtrum vocant. Spatium autem erat, quinque annorum. Piſa autem Arcadiæ ciuitas,

tas, ſtadijs ſex ab Eli diſtans. Didymus autem per Elim, Piſam intelligit. Quare Seneca in Troade, Coronis Elida claram dicit. Elim, fluuius Alpheus iuxta Piſam præterlabitur. Horum autem inſtitutores primi fuerunt, Oenomaus, & Pelops, in Iouis honorem: Herculem verò primum inuentorem Pindarus vult. in Pelopis enim honorem Papinius conſtitutos eſſe ſcribit:

- Piſea per arua,
Hunc pius Alcides Pelopi certauit honorem.
Puluereumq́ fera crinem detorſit oliua.

Hi autem Curulia fuerunt, prope Alpheum. Paucis hæc omnia complexus Vergilius, Georg. 3.

Aut Alphea rotis prælabi flumina Piſæ,
Et Iouis in luco currus agitare volantes.

De quibus etiam Horatius in epiſtolis:

Quis circum pagos, & circum compita pugnax,
Magna coronari contemnat Olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis ſine puluere palmæ. Et alibi:
Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum Collegiſſe iuuat.

Horum enim victor, Olympices dicebatur: cuius præmium, ex oleaſtro corona. Quòd primus Hercules, in cuius honorem inuenti, hanc arborem, ex Hyperboreis attulerit. Iuuenalis:

Quid enim velocis gloria plantæ,
Et eſuriens Piſeæ ramus oliuæ.

Id eſt, oleaſtri, ſicut & illud ſuprà Papinij, accipi debet, vt Placidus eius interpres voluit. Ante Olympiam templum fuit: & ante illud lucus oleaſtris conſitus, ex quibus victores contextis ramis coronabantur. Iupiter in eo ſumma reuerentia colebatur: qui Olympius dicebatur. A Pelago autem Triopæ filio conditum, vt Hyginus ſcripſit. Alij autem iuxta Alpheum: cæteri circa Trozenios Herculis clauam in oleaſtrum ſpontè effloruiſſe dicunt. Hoc autem oleæ genus, ex quo corona donaretur, ἐλαία καλλιστέφανος vocabatur vt quæ ab alijs differret. Eiuſmodi folia contrario modo ſeſe habent. Siquidem ramos, vt myrtus fert, & intus folia non albeſcunt. Hunc autem certaminis morem, poſt acceptam, apud Thermopylas cladem, quum à captiuis didiſciſſet Tigranes Artabani filius, coram omnibus ad Mardonium exclamauit, Papæ Mardoni, in quos viros nos induxiſti, qui non pecuniarum, ſed virtutis certamina agitent. Quinque enim diebus durabant, & ab vndecimo incipiebant (inquit Pindarus.) Thelephorij autem ij dicebantur, qui in his oleæ ramos geſtarent. Hoc autem munus ſenum proprium fuit, & horum etiam, qui nulli alij rei vtiles forent, quàm ſalibus comicis, & talibus ferendis.. Hoc item poſteà vetulæ obierunt. Apud Athenæum autem in Olympicis Alcibiadem primo ſecundóve ac tertio viciſſe legimus. In cuius victorias Euripides epinicium ſcripſit: cuius plura carmina Plutarchus in illius vita tranſcripſit. Pyndarus etiam plures, diuite vena, memorauit, Lyricorum poëtarum omnium ἐνδοξότατος. Et Pauſanias

non

non paucos in Eliacis. Olympicorum ludorum poſteà apud Romanos vſus tranſlatus. Nam Cato in M.Fauonij ædilitate, ſpectaculum in theatro edidit. In quo victoribus, ex oleaſtro coronas, veluti in Olympicis propoſuit: ſcribente in eius vita Plutarcho. Ad inſtar autem horum ludorum Æneas ludos curules ſecit,vt ſcribit Vergilius,in quibus victores corona oleagina donauit,

Aen.lib.5. *- Tres præmia primi*

Accipient: flauaq́ caput nectentur oliua.

Antiquum verò Græciæ conſulatum Olympicum Cicero victoriam appellat.

De victorijs Athenienſium, & panathenais ludis, & alijs ſolennitatibus, in quibus corona oleagina donabatur. CAP. VI.

IN victorijs autem Athenienſium, & alijs ſolennitatibus corona oleagina donum & geſtamen fuit. Tanti enim Athenienſes, propter victoriam Palladis, ſuper nominis Athenarum vrbis impoſitione oleam ſecere,vt poſteà victoriæ ſignum apud eos eſſe cœperit,vt ſcribit Dionyſius Halicarnaſeus,in præceptis orationis panegyricę.Dictys enim Cretenſis, Græcos Achilli & Aiaci, ob hoſtium victoriam ac prædas, coronam ex olea condonaſſe, memoriæ mandauit. In bello autem, quod Græci cum Xerxe geſſerunt, Themiſtocli & Euribadi eandem condonarunt. Qui etiam pro republica aliquod egregium facinus peregiſſent, illa vtiq; donabantur. Thraſybulus autem occupato loco, cui Phila nomen,& cùm triginta Athenienſium tyrannos ſuſtuliſſet, atq; ciuitatem in priſtinam libertatem vindicaſſet, prædicta corona inſignitus, nec quicquam ampliùs requiſiuit,nec quemquam alium hoc honore eum anteuertiſſe exiſtimauit, hoc ſolùm ciuili munere contentus. Hac enim donare bonos ciues conſueuiſſe Athenienſes,Valerius Maximus autor.Hæc enim duobus connexis ramis fiebat, qua Periclis cinctum caput eſt. Seneca in Hercule furente, gentilem frondem Athenienſium vocat,

Te ramus oleæ fronde gentili tegat Theſeu & Athenienſes, patriam coronam.

Panathenæa,quæ & magna ſacra,dicebãtur, Athenis ſingulis annis celebrari conſueuerant.Theſeus autem in Mineruæ honorẽ primus inſtituit. Pueri tantùm decertabant: quorum victoris præmium corona oleagina fuit, & vas æneum oleo plenum, quod ex olea ſacra preſſum erat.Verùm de Romanorum erga oleam honore nunc dicendum. Oleæ quippe honorem, inquit Plinius, Romana maieſtas magnum præbuit, turmas equitum, Idibus Iulijs coronando. Cuius ſolennitatis Dionyſius Halicarnaſeus meminit. Ait enim, Romanos Idibus Quintilibus, quæ dies cladis Latinorum fuit, Polluci & Caſtori ſacra facere, & milites, quibus nonnullis equi è publico donati ſunt, tributim, curiatimq́;, ac cateruatim, olea coronatos incedere, ac ſi è pugna ac victoria redirent, ab æde Martis,vſque ad illorum ædem,quæ extra vrbem erat, progrediendo.

De

De ludis Pythijs, Apollinaribus, & Iſthmijs: quorum præmium laurus & pinus, fuerunt. CAP. VII.

PYTHIA certamina, à Pythone ſerpente, quem Apollo interfecerat, dicta. Ouidius in primo Metamorph.

Hunc deus arcitenens, & nunquàm talibus armis
Antè, niſi in damis, capreiſq́ fugacibus, vſus,
Mille grauem telis, exhauſta penè pharetra
Perdidit, effuſo per vulnera nigra veneno:
Ne've operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

Alij à verbo πύθομαι, quod putreſcere eſt, quòd ibi ſerpens computruerit, vel à πυνθάνεσθαι, quod eſt ſcrutari, quòd illuc profecti Apollinis oraculum ſciſcitarentur. Alij à Pythone, quæ vrbs eſt apud Delphos, quæ primùm Nepe, deinde Petreeſſa: poſteà verò Criſſa, tandem Pytho. Quidam primùm ab Eurylocho Theſſalo atque Amphictyonum duce, debellatis Cyrrheis, in Apollinis gratiam inſtitutos volunt. Pyndarus ad Cliſthenem refert. Ab initio verò, in nouem annos peragebantur, poſteà autem ad quinque annos redacti. Præmium, pecunia primo fuit, poſteà verò è lauro Theſſalonica, corona, non delphica, vt Lucano placuit:

- Hinc maxima ſerpens
Deſcendit Python Cyrrhæaq́ flexit in antra:
Vnde & Theſſaliæ veniunt ad Pythia laurus.

Ouidius tamen coronam prius ex æſculo fuiſſe ſcribit:

Hinc iuuenum quicunq́ manus, pedibúſve, rotáve
Vinxerit: æſculeæ cingebat frondis honorem. Sed addidit,
Nondum laurus erat.-

Pindarus tamen & Callimachus, Græci poëtæ atque Ouidio longè antiquiores, Apollinem poſt deuictum draconem lauream induiſſe teſtantur, hac verò ratione è lauro fuit, quod Apollo Daphnen Ladonis filiam adamauit, quæ mutata in laurũ fuit, vt inquit Pauſanias, in Phocenſibus. Lucianus etiam cum lauro poma addit, quæ præponeret Phœbi ſacerdos. Sunt etiam qui pro lauro, poma intelligant. Romæ etiam ludi in honorem Apollinis fiebant, vnde Apollinares dicti, Feſto memoriæ mandante, quos Romanus populus laureatus ſpectabat, ſtipe, pro cuiuſque copia data. Iſthmia certamina, ſic dicta, quòd in Iſthmo Corynthiaco, apud Cenchreæ oppidum, & Neptuni fanum, celebrarentur, authore Mela. Melicertæ autem ſacra fuerunt. Plutarchus tamen in Theſeo, Neptuno attribuit. Fuit autem Melicerta, ſiue mauis Palæmonem dicere (vtroque enim nomine vocabatur.) Iunonis & Athamantis Thebanorum Regis filius, qui cùm ſe in pelagus demerſiſſet, deorum miſeratione in Portunum conuerſus. Hæc autem inſtituta fuere, quòd quinque maria Peloponnenſium oram adlatrent. Quinquennalia enim fuere. In quibus victores, qui pythionices dicerentur, corona pinea præ-

miabantur. Pindarus tamen antè apio coronatos dicit. In his enim Philonus, Diophorus, & Simonides.

ἴσθμια καὶ Διοφῶνα Φίλανος ἐνίκα ἅλμα,
Ποδωκέιην, δίσκον, ἄκοντα πάλην.

De quatuor ludis Græcorum, & illorum præmijs circunfertur tale Archiæ epigramma,

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροί.
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνὸς, λητοΐδαο, παλαίμονος ἀρχεμόροιο.
ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα σέλινα, πίτυς.

De nonnullis alijs ludis, & illorum donis, & adagijs οὐ φυλίας ὁ ἀγών: & κισσὸς μετ' ἀνθεστήρια.

CAP. VIII.

MEMORANTVR, & Herea certamina: quæ & hecatombea etiam dicerentur, in honorem Iunonis, cui boues centum mactarentur. Argis fiebant: in quibus quidem victores, corona myrtea, atque æneo clypeo donari conſueuerant. Apud Eleos etiam, authore Theophraſto, pulchritudinis certamen fieri ſolitum: quorum victor arma, quæ Palladi offerebat, & coronam myrteam accipiebat, qua verò redimitus concomitantibus amicis, ad Palladis ædem ducebatur. Vnde adagium, οὐ φυλίας ὁ ἀγών, quod interpretatur, Hoc certamen non eſt de oleaſtro. Quod dicitur, quoties de gloria, & pecunia, non de nugis agitur. *Anthiſteria* certamina, ab Aprili menſe dicta, qui anthiſterion appellatur: in his victores hædera condonabantur. Vnde Græcum adagium ὁ κίσσος μετ' ἀνθεστήρια. Id eſt, hedera poſt anthiſteria. Cùm quid ſerò adhibetur. Nonnulli Floralia ea eſſe apud Romanos exiſtimauerunt. In his ſacerdotes liberianæ, vt ſcribit M. Varro hedera coronatæ, per totum oppidum cum libis ſedebant, & foculo, pro emptore ſacrificantes. De ludis aliquot ſacris, per ſtatiua tempora, atque certis locis, fieri ſolitis, deq; eorum ex arboribus publicis muneribus ſuprà dictum. Ad quorum verò imitationem, poſteà idem honor, & eadem ſolennitas, ad ludos ſiue votiuos, ſiue voluntarios meauit, vt propterea donaticæ coronæ dictæ. Quod his victores in ludis donabantur, authore Pompeio. Quæ poſteà magnificentiæ cauſa inſtitutæ ſunt, ſecundum capitis amplitudinem, vt cùm lares ornantur. Votiua erat quæ in votiuis ludis donabatur: qualis fuit populnea corona, quæ in ſacris certaminibus annuatim dabatur, quæ Euander in honorem Herculis deuouerat: ea quippe die, qua hic Cacum deuicerat. De qua Vergilius:

- Herculea bicolor, cùm populus vmbra
Velauitq; comas, folijsq; innexa pependit.

Poſteà enim cœptum eſt, vt ludorum ſpectatores coronis etiam inſignirentur. Quem morem expreſſit Vergilius. Sic enim apud eundem fatur Æneas, ſpectatores alloquens:

- Cingite

- Cingite tempora ramis.

Et in certamine nauali:

Cætera populea velatur fronde iuuentus.

Papyrius Maſſo myrto coronatus ludos Circenſes ſpectare ſolitus erat. De huiuſmodi nonnullis præmijs, hoc modo Statius Papinius:

- Quid Achæa mereri Lib. Syluar. 5.
Præmia, nunc ramis Phœbi, nunc germine Lernæ,
Nunc Athamantæa protectum tempora pinu? Et paulò pòſt.
Nam quod me mixta quercus non preſſit oliua,
Et fugit ſperatus honos, cùm dulce parentis
Inuida Tarpeij, caneret te noſtra magiſtro.

Regum coronas, antiquitus ex arborum fronde fuiſſe. Et quòd principum Romanorum inſigne fuit laurus, & de adagio μυῤῥινῶν. CAP. IX.

A Victoribus ad Reges, poſteà arborum coronæ tranſlatæ. Perſæ enim Reges omnium, qui memorantur, diuitijs, agrorum amplitudine, ac hominũ numero maiores ſemper, & vbiq; habiti, ſiue opum abundantia, ſiue regni amplitudine, & ſubditorum potentia, veſtis ac aulæ etiam magnificentia, deniq; ſceptri dignitate: Vt quotiens Græci authores, de his mentionem faciunt, totiens magnos Reges nominent. Horum tamen diadema ex arbore myrrha, & labizo contextum fuit: vt Dion ſcribit. Alexander, à rebus geſtis cognomento Magnus, qui etiam Darium, Perſarum Regem potentiſſimum, bis iuſto bello ſuperauit, Perſea arbore coronari ſolitus, atq; id in Perſei ataui ſui honorem, quòd is plantam hanc è Perſide Memphim tranſtulerit. Principes etiam, ſi Suidæ credimus, coronas myrteas tulerunt: vnde ortum prouerbium μυῤῥινῶν, id eſt, myrteam ambis. Quod in eos dicitur, qui aut magiſtratum aut tyrannidem ambirent. Romanorum autem principum corona è lauro fuit. Nam vt memoriæ Appianus reliquit, Iulium Cæſarem poſt ciuilia bella in vrbem reuerſum, multi Regem appellarunt, & vt aliqui ex ſermone rem ipſam exprimerent, eius imaginem lauro coronarunt, tænijs albis inſertis. M. etiam Antonius conſul ſicuti ex Plutarcho in illius vita eſt, illi in foro lauream porrexit. Quam quum huic ſemel atq; iterum repudiatam denuò obtuliſſet, iuſſit in capitolium deferri, offerentem pauci faciens. Ipſi verò renuenti, plures congratulati, vt cauſas libertatis Reipublicæ aſſertori. Scribit tamen Dion, ciuibus inuitis poſt victorias obtinuiſſe, vti in conuentibus, veſte regia, & corona laurea, ornari perpetuo ſibi liceret: cuius rei cauſam afferebat, quòd caluus eſſet. Decretum inſuper eſt, vt Auguſti palatium lauros propoſitas haberet, ex quibus corona cornea penderet: quaſi ipſe hoſtes perpetuò vinceret, & ciues conſeruaret. Iulianum autem nondum principem, Socrates in hiſtoria eccleſiaſtica refert, quandam ciuitatem ingreſſum, & lauream coronam inter columnas pendentẽ, rupto fune, ſuper eum decidiſſe: & illum am-

pliſſimè coronaſſe. Quòd qui viderent, hoc ſignum futuri imperij fore acclamarunt.

Lauream triumphantium fuiſſe. CAP. X.

A Ludis,& illorum victorijs,inde obſeruatum,vt qui de hoſtibus victoriam adepti eſſent, ſimili honore afficerenrur, vt propterea triumphantes ex lauro corona caput ſuum cingerent. Nam, vt ait Plinius, hæc propriè triumphis data fuit: vt in Ariſtide,Plutarchus dicat,vt quicquid ob victoriam publicitùs fieret: id cum lauro erat:vt ea præterea victoriæ ſignum. Quemadmodum enim in victorijs Delphicis lauro coronabantur, ſic Romæ triumphantes. quare de ea ſic Ouidius Naſo:

-Tu ducibus lætis, cùm læta triumphis
Vox canet.-

Iuuenalis in octaua ſatyra,

Nobilis ornetur lauro collega ſecunda.

De Mario loquitur, qui ſecundò de Cimbris triumphauit. Lucanus:

Actaq́ lauriferæ damnat Syllana iuuentæ.

Hoc autem dixit, propter Syllam qui Pompeij adhuc iuuenis, detrectaret triumphum. Nonnulli tamen leguntur,qui in hac pompa,non lauream corollam geſtarint, verùm tantùm lauri ramum dextra. quod ſolum Plutarchi,& Appiani teſtimonijs clarum patefaciam:Hic in Libyco. Scipionem de Carthaginienſibus triumphantem altera manu ſceptrum, altera laurum tenuiſſe ſcribit: Ille Paulum Æmilium in triumpho dextra lauri ramum detuliſſe meminit. Gordianus etiam Carthaginem ingrediens, ramum lauri tantùm tulit, atteſtante Herodiano. Ex alia arbore præterquàm ex lauro coronas geſtaſſe triumphantes, legere eſt: Siquidem Papyrius Naſo (is autem auus maternus ſequentis Africani fuit.) de Sardis triumphans, myrtea vſus corona, quòd illos in campis myrteis debellaſſet. Hunc autem à ſenatu impetraſſe triumphum, Valerius Maximus negat: ſed in Albano monte triumphandi feciſſe initium. Cæſar etiam in triumpho Gallico, è citro induiſſe coronam, autor Paterculus, ſi cuique is probatus autor erit. Poſt autem Auguſtum natum, hæc corona deſumi è lauro quòd primùm in palatio conſueuit, atque ea die qua Auguſtus natus, germinaſſe dicitur, vt Seruius Maurus memoriæ mandauit. Verùm,vt paulò altiùs hiſtoriam repetamus,Suetonius autor eſt, aquilam præteruolantem, & gallinam albam, lauri ramulum roſtro ſetentem,appræhenſam: in Liuiæ gremium,poſt Auguſti nuptias,quum Veientanum ſuum reuiſeret, demiſiſſe. Quem cùm pangi placuiſſet, poſteà adnatum lauretum, ex quo deinde triumphaturi Cæſares, laureas decerperent, vt alias eadem loco ſererent, quas ſub cuiuſque ſatorum obitu, vt elanguerent obſeruatum. Neronis verò ante interitum omnis ſylua exaruit, & genus albarum gallinarum interijt. Fuit autem vltimus è Cæſaribus, qui ab Ænea proceſſerint. hæc Dion. Ramus autem lauri baccas habuit,vt aliquid magnum ſignificaret, eodem authore. Hæ autem

tem coronæ triumphales & Feſto & Gellio inquientibus dictæ. Quæ in ipſo triumpho, ad Iouis Capitolini pedes deponebantur. Quod Lucanus exprimere videtur,

- Haud ſacras poſcunt Capitolia laurus.

Nazarius,ſiue alius ſit, qui panegyrim Conſtantino dixerit,Vidiſti enim Apollinem tuum, comitante victoria, coronas tibi laureas offerentem. Corona autem oleagina vſi ſunt, authoribus Pompeio & Gellio, qui in prælio non interfuerunt, ſed triumphum procurarunt. Illo verò,miniſtri triumphi, dicti. Hac videlicet ratione, quòd Pallas, cui hæc planta dicatur, belli dea ſit. Poſteà verò augeſcente huiuſmodi ſolennitate, milites etiam laureati, triumphantis currum ſecuti ſunt: vt ſic purgati à ſorde humana,vt exiſtimabant illi,vrbem ingrederentur. Lucanus,

Lauriferos nullo comitentur vulnere currus.

Primùm autem, hac corona triumphaſſe reperiuntur Liber pater, de Indis, & Romulus deuicto Acrone, Ceninenſium Rege,ſcribente Dionyſio Halicarnaſeo.

Triumphus vnde, & de ouantium corona, & nonnullis alijs frondeis coronis, & quòd arbores in triumphum ductæ ſunt. CAP. XI.

OVATIO triumphum ſequitur, paulò (propter rei difficultatem) imminuto honore. Nam ſine curru, & pedites à plebeis,non equitibus,in Capitolium ducebantur: ſunt tamen qui vno equo vſos exiſtiment. Tunc enim fiebat, cùm ſine ſanguine parta eſſet victoria, vt incruenta eſſet, fugatis hoſtibus, & non interfectis, & cùm bellum non eſſet indictum. Ouantes, redimiti corona erant, quæ oualis diceretur: contextaq; ex myrto fuit. Hac autem ratione quòd hæc arbor Veneri dicata fuerit, quæ vim ac bellum peroſa ſit. Primus Poſthumius libertus, in conſulatu myrto coronatus inceſſit: vt eam ipſam arborem hoſtibus optabilem fecerit,vt poſteà ouantium corona fuerit.Sic enim F.Pompeius ait:Oualis corona, eſt myrtea, quam habebant, qui ouantes introibant cùm bella non erant indicta, aut ſine ſanguine confecta. Poſteà verò ouantium corona è lauro fuit. Nam M.Craſſus, qui fugitiuos & Spartacum vicit, cum ea ouauit, Maſſurio authore: ſicut triumphantium è myrto, vt L.Piſo tradidit, M.autem Valerius, duabus vſus, laurea videlicet, ac myrtea,qui hoc vouerat. Nero etiam,vt Xiphilinus autor, è Græcia Romam reuerſus ouauit oliua coronatus,laurum pythicam præ ſe ferens, tanti enim in victorijs Romani laurum fecere,vt ſæpiùs pro victoria acciperetur. Horatius in Odis,

Cui laurus æternos honores Lib.Carm.2.
Dalmatico peperit triumpho.

Scribit enim, teſte Acrone, ad Aſinium Pollionem, qui Solonas apud Dalmatiam ciuitatem ceperat, & lauream tanquàm Poëtæ, & triumphanti dedicauit. Idem ad Pompeium Varum:

Longaq; feſſum militia latus
Depone ſub lauru mea.

Nempe victores, præterquàm in triumphis, laurea donabantur, ſicut ſuprà docuimus. Cleanthus enim, ab Ænea Vergiliano laurea corona largitus, viridiq; aduolat tempora lauro. Quòd is primus Fidenam irrupiſſet. Hic autem Tulli Hoſtilij Regis auus fuit: & in Samnitium bello P.Dencium, tribunum militum ſeruauit, imperatore exercitus Cornelio conſule. Primùm enim obſeruatum, vt nullo cuiuſque arboris habito diſcrimine, coronæ darentur. Frondea enim Romulus Hoſtum Hoſtilium coronauit. Triumphus præterea à ficorum folijs dictus, quæ θρῖα, vocantur, quibus Bacchi, ipſius triumphi inuentoris milites poſt Indicam victoriam, vultus cooperuiſſe ferunt: vbi & arbores ducerentur. Clarum quoq; dictum fuit Pompeij Magni, in triumpho arbores quoq; duximus. Is enim, authore Solino, ex India Mithridatico triumpho, hebenum primò exhibuit. Vrbi autem balſami arborem principes Veſpaſianus, & Titus, oſtenderunt.

Laurum victoriæ nuntiam eſſe. CAP. XII.

LAVRVS aliter præterquàm in triumphis etiam victoriæ nuntia fuit: quod vt id exprimerent homines, tabernacula, faſces, literas, naues: atq; militum iacula hac, vt dictum eſt, adornarunt. Pompeiani itaq; milites, de futura contra Cæſarem victoria confidentes, ſua tabernacula lauro condecorarunt. Plutarchus tamen in Pompeio, poſt eius fugam contubernia in ſuis caſtris myrto coronata, fuiſſe inuenta ſcribit. Idem Paulum Æmilium, Perſam Macedonum Regem expugnaſſe, & poſt victoriam ad tabernacula reuerſos milites, illa lauro, atq; hædera ornaſſe: Luculus, vt Appianus in Mithridatico autor eſt capto apud Lemnum inſulam Varo, Alexandro, ac Dionyſio eunucho: nauem lauro ornatam, vt in victoria (vt ille ſubdit) mos eſt, cum literis Romam miſit. Literæ etiam, quæ victoriam nuntiarent, lauri folijs inſigniebantur. Sic enim libro quinto Liuius ait, Literæ à Poſthumio laureatæ ſequuntur, victoriam populi Romani eſſe, Æquorum exercitum deletum. Idem, Poſt deuictum Perſeum nuntius laureatas literas conſuli C.Licinio, victoriæ nuntias. Iulianus ad prouinciarum ſigna, literas laureatas miſit, vt teſtatur Ammianus: quibus ſe in expeditionibus inter primores verſatum ſignificaret. Sic enim Acron in Odis Horatianis inquit, Laureatæ literæ de victoria mittebantur. De faſcibus, hoc vnum tantùm è Plutarcho in vita Luculli exemplum erit. Lucullum autem, ac Pompeium, in quodam Galatiæ vico conueniſſe ſcribit. Laureatos vterque propter victoriam faſces ferebat: verùm longo Pompeij per loca ſquallida, & arida, atq; arboribus ſterilia itinere, lauri circa faſces palluerant, ac fermè aruerant. quod vbi Lucculliani lictores aduerterunt, ex proprijs, quas recentes, & virides in manu habebant, liberaliter contulere: currumq; Pompeij frondibus impleuerunt: quod in bonum Pompeij omen ceſſit. Etenim Luculli

Res

Res geſtæ Pompeij imperium perornarunt. Idem in Pompeio, Tabellarios vt Mithridatis mortem, Pompeio gratam viſu nuntiarent, iaculorum cuſpides lauro adornaſſe: memoriæ mandauit. Dion in Nerone: Nuntius ad Neronem veniens, laurum ferebat, vt illi ſignificaret victoriam, quam Corbulus, de Vologeſo Parthorum Rege, & Teriolate, Armeniæ principe habuiſſet. Mos etiam priſcorum fuit, vt vates lauro coronatus, ac ſi de futura victoria ſperaret, & facem geſtans, aciem præcederet. A quo verò omnes abſtinerent, quòd ferrum in ſacrum virum ſtringere nefas eſſet. Vnde adagium: Ne igniſer quidem ſuperfuit. Cùm ſignificare velimus, omnes ad vnum interijſſe. Quòd autem laurus ſymbolum fuerit victoriæ, Horatius in Odis teſtis eſt, cùm de Auguſti in Hiſpanos victoria meminit.

Herculis ritu modò dictus, ô plebs,
Morte venalem petijſti laurum
Cæſar, Hiſpana repetit penateis
Victor ab ora.-

De cæteris ex lauro honoribus. CAP. XIII.

LAVRI verò præter id, quòd victoriæ ſignum fuerit, aliæ celebritates, quibus antiquis decora atque honorabilis extiterit, Gratiſſima (inquit Plinius) domibus, ianitrix, Cæſarum, pontificum, ſola & domos exornat, ad limina excubat: Menſe quippe Martio ingrediente, vt ſcribit Macrobius, tum in regia, curijsq́; atque flaminum domibus laureæ veteres, nouis laureis mutabantur. Apollo enim apud Ouidium laurum ſic alloquitur,

Poſtibus auguſtis eadem fidiſſima cuſtos, ante fores ſtabis.

Feſtis poſteà diebus lauro ornare poſtes cœperunt: vt his Tertullianus atteſtatur, Cur die læto non lauteis poſtes obumbrent: quod oſtendit Iuuenalis,

Pone domi lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumq́ bouem.-

Magiſtratibus etiam prima menſis Ianuarij, folia lauri à populo porrigebantur. Laurum prætereà omnibus ſuffitionibus adhiberi ſolitum erat, quòd omni tempore vireat, vt ſimiliter Reſpublica vireſcat. Peractis enim funerum ſolennitatibus, vt aqua lauri ramo aſpergerentur aſtantes, mos apud antiquos fuit. Quod Vergilius in ſexto Æneidos, in oliuæ ramum commutauit, atq; id in Auguſti gratiam. Ad rem enim lugubrem laurum adaptare noluit:

Idem ter ſocios pura circuntulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo fœlicis oliuæ.

Romæ autem extra Capenam portam fons Mercurio ſacer, à quo nomen acceperit, ſub eius enim tutela mercatores ſunt: ad quem cùm mercatores irent, vnuſquiſque alterius caput eius aqua cum lauri ramo inuocato Mercurio, aſpergebat prolatis in futuri periurij exprobrationem

quibuſdam

quibuſdam verbis. Huius verò rei ampliſſimus teſtis Ouidius, cuius largum teſtimonium hic inſerere, quòd rem maximè exprimat, non fui veritus,

Eſt aqua Mercurij portæ vicina Capenæ:
Si iuuat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & vrna
Purus ſuffuſa, quam feret, haurit aquam.
Vda fit hinc laurus: lauro ſparguntur ab vda
Omnia, quæ dominos ſunt habitura nouos,
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Et peragit ſolita fallere voce preces.
Ablue præteriti periuria temporis, inquit:
Ablue præterita perfida verba fide.
Siue ego te feci teſtem, falſo ve citaui,
Non audituri numina vana Iouis:
Siue deum prudens alium, diuámve feſelli,
Abſtulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant, veniente die, periuria nobis:
Nec curent ſuperi, ſi qua locutus ero.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro:
Et face, vt emptori verba dediſſe iuuet.

De ciuica corona, & de nonnullis, qui hac donati ſunt.

CAP. XIIII.

NVNC de ciuica corona dicendum, cuius quidem plurimus honos. Militum virtutis inſigne clariſſimum: Imperatorum (inquit Plinius) clementia, poſtquàm ciuilium bellorum, profano meritum cœpit videri, ciuem non occidere. Cedunt autem ijs murales, vallareſq́;, & aureæ tametſi pretio antecederent. Cedunt & roſtratæ, cui tantus præterea attributus honos: vt nil proſint teſtes, modò ſeruatus ciuis fateatur, vt alias non creſcat, magis in Rege, aut imperatore liberatis, quàm in ciue decus: quoniam vrbium conditores, in quocunque ciue ſummum eſſe voluerunt. Qua ſemel accepta vti perpetuò licuit: vt incœptis ludis ſemper illi aſſurgerent etiam à Senatu in more fuit: ſedendi ius, in proximo ſenatui. Ipſi autem vacatio omnium munerum, patriq́;, & auo paterno. Cuius præconium, ſic is verbis his finiuit: O mores æternos, qui tanta opera, honore ſolo, donauerunt clara profeſſione, ſeruari quidem hominem, nefas eſſe, lucri cauſa. Hæc autem primùm fuit iligna. Nam huiuſmodi coronam Pompeius dedit: poſteà verò magis ex æſculo placuit, quòd Ioui ſacra eſſet. Variatumq́;, in quercu, eſt propter glandium differentiam. Plutarchus ex quercu donari ſolitum: quòd in expeditionibus glandiferi generis, hanc adinuenire, facile ſit, vel quòd Ioui, & Iunoni ſacra, qui vrbibus præſidere dicuntur. Nunc autem nonnullos, qui ea donati, referre placet. P. Decius Mus, tribunus militum in bello Samnitico,

nitico, ea donatus, inquiente Cornelio Nepote, vel, vt alijs libet, Plinio Secundo de viris illuſtribus. Sext.Capitolinus. Is quidem de duce Seruilio. Africanus autem de patre apud Trebiam accipere noluit. M.Antonino Philoſopho, & L.Aurelio Vero fratribus oblata. Aurelianus princeps bis ea donatus. Probus in bello Sarmatico ſemel, & Valerianus. Manlius autem octo, quarum aliam, propter ſeruatum Seruilium magiſtrum equitum fuit. L.Sicinius Dentatus, qui Romæ Achilles exiſtimatus, vt mandauit F.Pompeius, quatuordecim donatus Cæſar (Suetonius autor) à T.Thermo, in expugnationé Mitylenarum illa donatus. Coriolanus, vti Plutarchus refert, à Dictatore ciuica donatus, propter ciuem in prælio, quod Latini poſt exactum Tarquinium, cum Romanis fecere, ſeruatum. Scipio Africanus (de ſuperiore loquitur V.Maximus) conſulem patrem, apud Ticinum amnem, aduerſis auſpicijs cum Hannibale præliantem ſaucium, interceſſu ſuo, ſeruauit. Quamobrem duabus coronis donatus, ſcilicet vt duplici gloria conſpicuus foret, quòd & patrem, & conſulem ſeruaſſet. Rufus Heluius, miles gregarius, obſeruatum ciuem in bello, quod Tarſarmias in Africa, contra Romanos geſſit, à Cæſare ciuica corona donatus. Ciceroni, propter ſeruatam contra L.Catilinæ, & cæterorum coniurationem vrbem, L.Gellius, vir præclariſſimus à Republica dandam ciuicam coronam arbitratus: vt ille, de ſeipſo teſtatur. Illud enim, non omnino extra rem adijcere placuit, inter ciuicam, & obſidionalem coronas, hoc intereſſe quòd hæc ſingularis ſalutis ſit, altera autem diuerſorum ciuium ſeruatorum.

De coronis poëtarum. CAP. XV.

TRIVMPHANTIVM verò, ouantium, & cæteras coronas, ſequitur poëtarum corona, ac præmium, quibus ex illorum continuo labore atque vigilijs, non minor honor debetur, vt illorum gratia atq; vt doctrinæ periculum, & ingenij tyrocinium fieret. Et ludi literarij, pluribus locis inſtituti eſſent, vt idem honos vincentibus, atque in ludis Olympicis, Iſthmijs, & cæteris concederetur. Fuitq; illorum duplex, ex lauro videlicet atq; hedera. Verùm vt quidam in his diſcrimen aliquod adhibuerint, vt maiores lauro, minores hedera coronarentur: Maurus tamen Seruius, hederam, futurum poëtam indicare, ex hoc Vergiliano aſſerit,

Paſtores hedera naſcentem ornate poetam
Arcades.

Quòd autem lauro coronati fuerint, poëtæ, in re ſatis apud literatos viros nota, paucorum teſtimonio contentus ero. Horatius:

Coronandis conſueta poetis
Laurea. Idem in Odis.
Et mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Et alibi de Pindaro: *Lib.4.Carm.*

Immenſus ruit profundo

Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari. Statius:
- Sed nec ſolitæ mihi vertice laurus,
Nec fronti vittatus honos.-

Hac enim ratione coronandos lauro poëtas antiquitas cenſuit, quòd hæc Apollini, qui Muſis præficiatur, ſacra ſit. Scribit enim Heſiodus ſtatim in limine ſuæ Theogoniæ, ad illum iuxta Heliconem montem, mulieres nouem veniſſe (hæ Muſæ erant) & ramum heliconicæ laurus illi manducandum porrexiſſe. Qui cùm deguſtaſſet, repentè vniuerſa doctrina, & poëtica repletus. Cuius rei meminit Ouidius:
Non mihi ſunt viſæ Clio, Cliusq́; ſorores
Aſcra tuis.-
Fortaſſis etiam Iuuenalis:
Eloquium vocale modis, laurumq́; momordit.
Hedera autem poëtas coronari, teſtes ipſi, inter Latinos, poëtæ, Horatius, Iuuenalis, ac Propertius. Ille in Odis:
Me doctarum hederæ præmia frontium
Dijs miſcent ſuperis. Hic,
Tunc capiti ſacros patiar pendere corymbos:
Nam ſine te noſtrum non valet ingenium. Alius:
Qui facis in parua ſublimia carmina cella,
Ut dignus venias hederis, & imagine macra.

Hedera præterea coronati, propter montem Parnaſſum Muſis, & Libero Patri ſacrum cui hedera dedicata. Alij aliter: quòd facilè obuia ſit, propter etiam folia virentia, & quòd frontem obumbret: aut etiam quòd intenſionem in nectendo patiatur. Et illud vltimum, quòd citra odorem refrigeret. Vti huiuſmodi corona huic conueniens ſit, qui autocabulos muſicos refert, ab authore, qui ſic eos docuerat, appellatos. Qui poſteà Iambeorum poëtæ vocati ſunt, qui hac vſi ſunt, autore Athenęo. Vnius inſuper generis hederæ Dioſcorides meminit, quæ propter poëtarum coronas, poëtica dicitur. Alterum autem genus habere ſemen crocatum Plinius ſcribit, Cuius coronis poëtæ vterentur. Poëtis autem certamina literaria, ſicut athletis exercitationes, inſtituta, quibus vincentibus laurus, ac hedera, præmium fuerunt. Huiuſmodi autem ludos Ptolemæus Alexandriæ (inquiente Vitruuio) dedicauit. Eiuſmodi etiam, apud Nicopolim Epiri vrbem, in eius ſuburbijs, quinquennales. Fuerunt etiam Romæ, in quibus Valerius Pudens ſuperior euaſit: ſicuti in epigrammate marmori inſculpto, apud Hyſconium Ferentanorum oppidum, Guaſtum modò dicitur, nunc legitur. Huiuſmodi enim eſt (vt hoc ſolo contentus ſim). L. VALERIO PVDENTI. L. FILIO HIC CVM ESSET ANNORVM XIII. ROMÆ CERTAMINE IOVIS CAPITOLINI LVSTRO SEXTO CLARITATE INGENII CORONATVS EST. INTER POETAS LATINOS OMNIBVS SENTENTIIS IVDICVM HVIC PLEBS VNIVERSA HISCONIENSIVM STATVAM ÆRE COLLATO DECREVIT.

Horum enim ludorum quædam veſtigia apud Tholoſam, & Rothomagum, Galliæ præclariſſimas vrbes remanſerunt.

De conuiuarum, nuptiarum, necnon citharœdorum, arboreis coronis. CAP. XVI.

CONVIVARVM, nuptiarum, atq; citharœdorum frondeæ coronæ nunc veniunt. Non ſatis enim antiquis publicè, atq; in magna lætitia honoraſſe arbores viſum fuit, ni priuatim quoque in conuiuijs frondeas coronas adhiberent. Vt non magnificè, atq; hilariter, & feſtiuè ſe cœnaſſe arbitrarentur, ni coronati epularentur. Feſtis etiam diebus conuiuæ coronati epulabantur, vt Seruius ait in hoc Vergiliano carmine,

– Frondenti tempora ramo.

Tantum enim arborum in coronis honos fuit. Et hæ enim non ſolius arboris, ſed plurium. Dionyſium autem primum inſtituiſſe, vt hedera conuiuæ cingerentur inuenio: vt cùm vino plus ſatis indulſiſſent, & audaciuſculè pluſculùm ſe inuicem ad mutuos hauſtus inuitaſſent, hederæ frigiditate vini potentiam retunderent. Vti hac ratione, hederæ facultatibus, reſtincta ebrietatis vi, liberiùs biberent: & hac moleſtia minùs afficerentur. Fuit quippe Libero Patri vinum potentiſſimum, atque iucundiſſimum medicamentum. Fuerunt item huiuſmodi ex lauro & roſis. Martialis:

Pingueſcat minio madidus mihi canus,
Laſſeturq; roſis tempora ſubtilibus.

Conuiuarum etiam fuit corona philyrea: ſicuti ex Ouidio in quinto Faſtorum patet:

Ebrius incinctis philyra conuiua capillis
Saltat, & imprudens vertitur arte meri.

Contexuerunt enim antiqui è philyræ prætenuiſſimis, quæ inter lignum & corticem ſunt, tunicis coronas. Quibus lemniſci quaſi lanitij: id eſt faſciolæ pendulæ aſſuerentur. Quibus verò non niſi aurei appendi debuerunt: propter Hetruſcos. De his Horatius:

Diſplicent nexæ philyra coronæ.

Qui enim deferebant, Græcè philyrini ſynthomatici dicti. Nec idem coronarum honor, in nuptijs defuit: vt in ſuo aſino aureo libro quarto, oſtendit Apuleius. Quo autore, domus, in qua futuræ nuptiæ celebrandæ erant, lauro adornabatur, & longè ante eum Iuuenalis:

– Necte coronam
Poſtibus, & denſos per limina necte corymbos.

Vti ex hedera fuiſſe oſtendat, hac ratione, vt de conuiuarum ſupradictum. Nam & in nuptijs conuiuia, & lautiſſima atq; opipara ſolent fieri. in quibus liberiùs & hilariùs etiam potare liceat. Et vt aliquid præter coronas ex arboribus ad nuptias addamus, quinq; tædis antiqui in nuptijs vtebantur, videlicet in honorem quinque deorum, Iouis ſcilicet adulti, Iunonis adultæ, Veneris Suadelæ, & Lucinæ. Plutarchus in problematis

 Romanis.

Romanis. Vergilius, in Cyri:

Pronuba nec caſtos accendit pinus odores.

De teda pinea Plinius libro vigeſimoprimo. De qua ſi Catullus in Epithalamio: *Pineam quate tedam.* In nuptijs, priſca ætas, nuces religioſas fecit, vt feſcenninorum comites eſſent, vt honor ijs maturæ peculiaris eſſet, propter geminum operimentum, pulninati calicis, mox lignei putaminis, tot modis fœtu munito: quod veriſimilius Plinius putat. Spargendarum autem nucum Varroni (referente Seruio) hæc fuit ratio, vt Iouis omine, matrimonium celebretur, vt nupta matura ſit, ſicuti Iuno. Vel, Feſto autore, vt nuptæ nouæ domum noui mariti intranti, fiat auſpicium ſecundum. Nam illud vulgare eſt, ſpargi nuces: vt à rapientibus pueris fiat ſtrepitus. Aut quia cadendo tripudium, ſonúmve emittant, ne puellæ, virginitatem deponentis vox exaudiatur. Nuptiarum etiam cauſa, pinus alba, religioſa fuit, & ſpina quædam. Solebant enim antiqui noctu nubere: vt ignis in face, quæ ex ſpina alba eſſet, A noua nupta offerretur. Et id apud Nonium Marcellum, ex M.Varrone, libro ſecundo, de vita patrum confirmatur: cùm inquit, à noua nupta ignis in face afferetur. Idem in Geruntio didaſcalo: Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu nubere ſolita, nunc pinea fax indicat. Omnia hæc Vergilius in Bucolicis expreſſit:

Sparge marite nuces, nouas incende faces.

Tibi ducitur vxor. Spinæ autem nominis Plinius non meminit: vt ea ex fruticibus an herbis ſit ignoretur: Facibus autem hæc auſpicatiſſima, quoniam idem fecerint paſtores, qui rapuerunt Sabinas. Nuptiarum autem coronis, citharœdorum coronas iungere, par eſt. Rarò etenim nuptiæ abſque inſtrumentis muſicis olim, ſicut & nunc quoque, celebrabantur. Fuit enim Romæ antiquitus citharœdorum apud Capitolium certamen, in quo vincentes, quernea corona donabantur, ſicuti ex Iuuenale videre eſt:

An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare, & fidibus promittere.-

Et etiam ex Martiale:

O cui Tarpeios licuit contingere quercus. Et alibi:
Quid pro Tarpeiæ frondis honore poteſt.

De nonnullis alijs frondeis coronis & illarum præmiatoribus, & adagio, Malis ferire. CAP. XVII.

PRÆTER coronas ſupradictas ſupereſt, vt illas, quæ varijs ludis, diuerſiſq; ſolennitatibus & alijs in rebus conſtitutæ ac deuotæ fuerunt enarremus, vt ſequentia capita patefacient. E myrto plures, præter iam memoratas, leguntur. Porrò Athenienſium theſmothetæ, myrto coronati Acropolim profecti, iurabant, ſe leges obſeruaturos, munera non accepturos, nec ſtateram auream perſoluturos. Autor Iulius Pollux Elotis, è myrto corona dicta fuit, quæ cubitorum viginti ambitu erat. Hanc autem

tem Corinthij in feſtis Elotijs Europes oſſa continentem ferebant. Hac verò ratione ex myrto nexa, quòd illius oſſa in hac arbore condita fuiſſent: vt ipſam etiam Europen Elotida appellauerint. Leſbij inſuper myrti ramulos, hypothimidas vocabant. Quibus implexis floribus, ſe cingebant. Alij coronas pectorales, quibus & ceruices etiam coronabant ſuas, ſic vocabant. Ex vitice autem corona vſos antiquos conſtar, ſi Anacreonti credimus. Cuius originem Samij, Careſq; dederunt. Ex varijs cauſis, cuius aliam ex Menodoro Samio tradunt. Admete igitur Euryſthei filia, ex Argis in Samum inſulam aufugit: Ibiq; rempli Iunonis, quod à Lelegibus, & nymphis conditum fuerat, curam ſuſcepit. Propter quam rem indignati Argiui, Tyrrhenis piratis, promiſſa pecunia, perſuaſerunt vt Iunonis ſimulacrum è fano auferrent. Hoc modo, aliquid mali, Admeten à Samijs perpeſſuram ſperantes. Quod facile fuit. Nam ædem, ſine foribus eſſe, illis contigit, vt inde libera ſigni auferendi facultas eſſet. Quo ſublato, velis, remiſq; è portu ſoluere fruſtra nixi ſunt. Idq; diuino numine fieri exiſtimantes idolum è naui rollentes, in litore collocarunt: vt libis placata dea, timoreq; pleni, inde abierint. At vbi Admete, manè ſimulacrum abeſſe conſpexiſſet, dimiſſis inquiſitoribus, in litore, viticis ramis inuolutum illa inuenit, & ſolutum in priori baſi collocauit. Darumq; poſteà Caribus oraculum, vt vitice ſimulacri caput coronarent, qui deæ vinxerant idolum. Lacedæmonij autem corollas texuerunt, quas in monimentum victoriæ Thyriæ Meſſeniorum vrbis, thyriacas vocabant: cuius rei meminit Papinius,

– Et Lacedæmonum Thyræ lectura cruorem.

Has poſteà φιλίνες, vocauere. Reliquum erit, vt vincentium decus, vna celebritate finiam: hancq; ex Plutarchi Chæronæi in Sympoſiacis teſtimonio: vt mala punica roſas nonnulli in eos, qui ſemper vincere conſueuerant iacerent. Vnde ortum deuerbium, Malis ferire. Quod in eos quadrat, qui muneribus aſſequi ſtudent, quod optant.

De Athenienſium ſolennitate, quam ἐιρεσιώνην vocabant.

CAP. XVIII.

ATHENIS enim, huiuſmodi celebritatem antiquitus fieri ſolitam, multorum monimentis clarum. Nam menſis Octobris, qui apud illos, autore Lactantio Pyanepſion eſt: atq; die octaua ereſionem Apollini offerebant. Cuius inſtitutionis origo talis fuit. Cùm enim Theſeus è Creta incolumis cum adoleſcentibus Athenas reuerſus, vel, vt alijs placet, antequàm proficiſci vellet, ſupplicationem Apollini Delphico pro fœlici reditu peregit. ἐιρεσιώνην offerens. Erat enim ramus è ſacra olea, alba lana implexus. ἔριον ſiue εἴριον, apud Græcos, lana. In quo verò plurimarum arborum fructus, quem actodrya vocabant circumpendebant. Hunc etiam ramum à ſupplicationis vſu, hiceteriam vocitabant. Ariſtophanes in Pluto ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων. A Theſeo enim pòſt, Athenienſes annuatim votum Apollini perſoluerunt. Hunc enim ra-

mum puer in Apollinis foribus affigebat. Singuli vero pòſt ante ædium ianuas. Eadem etiam die, ὠσχοφόρια celebrabantur: vt meminit Plutarchus in Theſeo. A ferendis enim ramis hoc modo nuncupata, ac ſi ramalia dicas. ὦσχος enim ramus eſt. Strabo autem in primo Geographiæ ſcribit, poëtam non decere ſibi vendicare omnes virtutes, non magis quàm ereſionem, quæ ramis, & fructibus abundabat, non tamen omnibus.

De trophæo. CAP. XIX.

DETRVNCATIS, & cæſis ad coronas victrices, arborum frondibus, non tamen illarum truncis honor defuit, vt in illis ſua trophæa, & Græci, & Romani conſtituerint, victores. Non ab vno ſolo, neq; in vnius vincentis ſolùm laudem erecta verùm in totius exercitus gloriam, & victoriæ monumentum, longè anteà quàm triumphi erigi conſueta. Et, vt à Romanis exordiar: vrbis igitur primus fundator Romulus, deuicto Rege Acrone, exercituq; eius in fugam verſo, lauro coronatus, vt ſuprà retulimus exercituq; eius omni in armis ſequente, in vrbem contendit. Excipientibusq; magna lætitia ac plauſu ciuibus ad quercum ſacram paſtoribus, quæ prope Capitolium, ad Iouis templum, qui ab hoſte feriendo, Feretrius dictus Regis occiſi ſpolia depoſuit, vt inde poſteà ex eius ramis ſertula fierent, quæ manibus in triumphantium pompis deferrentur. Dictum quippe trophæum à τροφὴ Græca dictione illa fugam, ſiue hoſtium verſionem ſignificante, vt Varro voluit. Alij à τροπὴ, quæ idem ſignificat. Aqua itidem tropæum maluerunt ſcribere. Seruius tamen ἀπὸ τοῦ τρέπεσθαι: quod idem eſt. Vt proptereà trophæum mererentur, qui hoſtes fugaſſent. Sic enim antiquitus fieri ſolitum. Vbi enim hoſtes victi, fugatiq; fuerant, conſpicua arbos, ſuis ramis detruncabatur: & ibi poſteà hoſtium ſpolia in ornamentum, & victoriæ monumentum affigebantur, non minori gloria, quàm ſi in Capitolio aſſeruarentur, aut in foro locarentur. Quod exprimit ad Herennium Cicero: hic in Macedonia, trophæa poſuit: Ea, quæ bellicæ laudis, victoriæq; omnes gentes inſignia, & monimenta eſſe voluerunt. Nec alicuius arboris, ſicuti in coronis diſcrimen aliquod habitum. Dionyſius tamen Halicarnaſeus, in præceptis orationis panegyricæ, antiquos in olea etexiſſe ſcribit, quòd prior nata, & quòd victoriæ ſignum ſit quod minimè obſeruatum, vt ex ſequentibus apparebit: maximè verò quòd olea non vbique naſcatur. Plurimùm enim eminentioribus locis collocari conſuetum. Nam, vt retulit Seruius in Æneid. Salluſtius de Pompeio in hiſtorijs loquens, Deuictis Hiſpanis trophæa in Pyrenæis iugis conſtituit. Græci frequentiùs quàm Romani, trophæa erexerunt. ſicuti ex vtrorumq; hiſtorijs videre eſt. Apud illos tamen triumphandi modus vſitatior. Syracuſani, vt auror eſt in Nicia Plutarchus interfectis aliquot, & aufugientibus Athenienſibus trophæa apud Aſſinaram flumen, poſuerunt obtruncatis ingentibus arboribus, quæ creberrimæ in amnis ripa erant, quas captiuorum ſpolijs

ſpolijs exornarunt. Caligulam autem in expeditione Germanica Suetonius ſcribit, deficiente iam belli materia, ex cuſtodia Germanos trans Rhenum traijci, occuliq́; iuſſiſſe, & ſibi poſt prandium, hoſtem quàm tumultuoſiſſimè adeſſe nuntiari. Quo facto, cum amicis, & parte equitum prætorianorum in proximam ſyluam proripuiſſe, pertruncatisq́; arboribus plurimis, & in modnm trophæorum adornatis, ad ſuos reuertiſſe & illorum timiditatem, atq; ignauiam, qui ſecuti illum non fuerant, corripuiſſe. Iulianus Decebalum Dacorum Regem, ſub Domitiano deuicit. Veritus enim ne victores Romani in eius regiam irruerent ac deprædarentur, arbores prope eam ſuccidi, & arma truncis dependi iuſſit, vt ibi adeſſe milites ſuſpicarentur, ac reuerterentur. Megaris, vt ſcribit Theophraſtus, in foro per multos annos ſtetit oleaſter, in qua viri fortes arma defixerunt, & illic tanto tempore inuiolata, ex trophæi religione permanſit, vt inde longa ætate, ambiente cortice, ea occuluerit. Fuitq́; arbor illa fatalis, excidio vrbis præmonito, oraculo, cùm arbor arma peperiſſet. Quòd ſuccisæ accidit, ocreis, galeisq́; intus repertis. Diſceptatum multum, atque etiam non ſine periculo, inter Athenienſes, & Lacedæmonios, occiſo Mardonio, cæſisq́; ducentis, & ſexaginta hoſtium millibus, & Artabazo cum quadraginta millibus fugato, deponendo trophæo. Cum illi Lacedæmonijs, qui fortiter rem peregiſſent, trophæum denegarent. Verùm res hæc tandem Græcorū arbitrio ſedata, vt ſeorſum hi, ſeorſum illi trophæa erigerent. Græcorū etiam decreto, quibuſdam, ne triumpharent, prohibitū, vt Macedonibus. Hac ratione: cùm enim Caranus, Macedonum Rex, Ciſſeum barbarorum propinquum regem bello ſuperaſſet, atq; ex Argiuorum inſtitutis trophæum conſtituiſſet, Leo ex Olympo ferocior adueniens illud euertit, ac deiecit, quod inde ominoſum planè ſancitum. Quamobrem ſtatutum, ne dein Macedoniæ Reges trophæa erigerent, vt ea res inimicitias indicaret ἀδιαλλάκτους, velut dicas inconciliabiles. Vt etiam Alexander ex illorum lege, ſuperato pluries Dario, fugatisq́; Indiæ, & plurimarum aliarum prouinciarum tot regibus nullum tamen trophæum erexerit. Trophæi autem modum, & formam, Vergilius, & Statius appoſitè deſcripſerunt. Ille enim Æneam de ſpolijs Mezentij Marti trophæum erexiſſe, cecinit:

Ingentem quercum, deciſis vndiq; ramis, Aen. 12.
Conſtituit tumulo: fulgentiaq́; induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaq́; trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumq́; locis: clypeumq́; ex ære ſiniſtræ
Subligat: atq; enſem collo ſuſpendit eburnum.

Hic verò longiùs Thebaidos libro ſecundo: Tydæus verò Palladis in honorem erigit:

Et meritæ pulchrum tibi Pallas honorem,
Sanguinea de ſtrage parat, prædamq́; iacentem
Comportat gaudens, ingentiaq́; acta recenſet.

Quercus

Quercus erat tenera iamdudum oblita iuuentæ
Aggere camporum medio, quam plurimus ambit
Frondibus incuruis, & crudo robore cortex.
Huic leues galeas, perfoſſaq́ vulnere crebrò
Inſerit arma ferens, huic truncos ictibus enſes
Subligat, & fractas membris ſpirantibus haſtas.
Corpora tunc, atq́ arma ſimul cumulata ſuperſtans
Incipit. Cui poſt multam orationem,
Nunc tibi fracta virum ſpolia, informesq́ dicamus
Exuuias, atſi patrijs Parthaonis aruis
Inſerar, & reduce pateat mihi martia Pleuron,
Aurea tunc medijs vrbis tibi templa dicabo
Collibus, &c.

Creſcente poſteà ex opulentia luxuria, cœperunt, non in campis, neque in arbore ipſa, trophæa erigi, verùm in media vrbe, atque in marmore, & arcubus ipſis, in quibus prælium geſtum, & quicquid ſpoliorum ex hoſtibus eſſet, miro artificio effigiaretur. In cuius verò ſumptus, ſic profligatos. Iuuenalis, more ſatyrico exclamat:

Iuuen. ſaty. 10.
Bellorum exuuiæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta, de caſſide buccula pendens:
Et curtum temone iugum, victaq́ triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captiuus in arcu.

Humanis maiora bonis creduntur. Trophæis autem præeſſe dicitur Iupiter: vnde Græcè τροπαιοῦχος dicitur, & Pauſanias in Laconicis meminit Iouis tropæi templi. Et ſimili ratione Iuno trophæa, quam Græci τροπαίαν ἥραν vocitant. Ex ſuperioribus trophæum à triumpho differre, ſatis ſuperq́; notum. Cuius rei ſolum teſtimonium Mamertini in Diocletiani, & Maximiani genethliaco adducam, Mitto etiam dies feſtos victorijs, triumphis celebratos. Taceo trophæa Germanica, in media defixa barbaria.

De trophæo IESV CHRISTI, *& virginis Mariæ, eius matris.* CAP. XX.

EXTRA inſtitutum noſtrum, non omnino aberraſſe videbor: ſi de IESV CHRISTI, & eius matris, virginis Mariæ trophæo, in hortis meis meminero. Vt præter communes hortorum fructus ac delicias, vltrò nonnihil lectores recipiant: quò plus magis mentem atq; animum, ad CHRISTVM ipſum erigamus: & vti ex religionis noſtræ Chriſtianæ, aliquo inſito, aliquid contemplemur ac meditemur. Vt item intelligant ipſi quanto illud, cæteris quotquot vnquàm erecti fuerint, celebrius ac dignius fuerit. Vt longè plus etiam vtilitatis ac honoris, ſuis attulerit, quàm quot omnes vel Græci, vel Latini, ac quotquot cæteri pro patriæ tuitione, redemptione, gloriáue erexerunt: vtque etiam quantò dedecoroſius, oneroſius, ac crudelius, ignominioſiusq́; fuerit, eò tamen,

pro quibus ſuſtulerit, glorioſius ac laudabilius. A quo quidem cæleſtis gratia, largitioq; inæſtimabilis progreſſa eſt. Ille ipſe enim totius orbis princeps, ac dominus atq; inſtitutor, qui etiam victorias omnes, cui, & vbi vult condonat, vt propterea dominus exercituum ex re ipſa ſemper vocitatus. Non enim veritus eſt corpus proprium pro ſuis exhibere. Cuius verò morte ablatum principium ac imperium præſulis tartarei, & copiarum eius, vti Adæ ſcilicet protoplaſtæ, & Euæ primorum parentum noxam dilueret. Per hoc autem (vt inquit Ioannes Damaſcenus) ad antiquam beatitudinem regreſſio præparata, portæ paradiſi patefactæ, filij Dei, & hæredes facti. Hæredes quidem regni ſui cæleſtis, regni videlicet æterni, in quo mortales amplius, ſed ſemper iuuenes, abſque vlla moleſtia, inæternum cum ingenti gloria victuri ſumus. Suum autem IESVS CHRISTVS, in monte Caluario loco edito, inſigni, & conſpicuo velut ex ara quadam conſpicua, & è loco ſuperiore: non in arbore fronde ſua truncata, verùm in cruce. Quod ſupplicium apud priſcos ſeruile erat, deteſtandum & ignominioſum, ſed & omnium deterrimum, reisq; ad mortem iudicatis deſtinatum. Verùm poſteà à CHRISTI morte, mirum dictu, meditatuq; ſtupendum, venerandum, ſacroſanctum eſſe cœpit. In qua verò pater omnipotens maximus Iſaacum, ſuum filium dilectiſſimum, primogenitum, eundemq; vnigenitum ſacrificatum voluit. In ea autem, non arma, non cruentas loricas, galeas, aliaq; hoſtium ſpolia, ſed corpus proprium affigi voluit, iam omnino lacerum, nudum, vndique ſanguine fluens. In qua verò dominus noſter ipſe CHRISTVS, omnes iniuriarum, contumeliarum, pœnarum, oculis, auribus, ore, capite, manibus, pedibusq; indignitates hauſit. Illuc ſponte, tanquam ouis ad occiſionem, ductus, inſons inter ſontes, Rex inter reos, pius inter impios, mitis, veluti agnus, inter crudeles. Vbi expanſis vlnis in ſinum ſuum, ac præſidium ſuum nos aſſiduè euocat. Vbi verò non ex oleaſtri, non è pinus, lauri, myrtive, aut ex illuſtrioris alterius cuiuſcunque frondis corona inſignitus, verùm è ſpinis horridioribus, quæ caput ſuum, & tempora vndiquaque cingerent, & illa perforarent, ac ſanguine fœdarent. In qua etiam in corpus demortuum ſæuitum. Hæc enim ara, & pignus miſericordiæ, ad quod ſupplicibus, & rerum capitalium reis certiſſimum perfugium patet. Chriſtus in crucem pro nobis ipſis reis actus, vt nos in gradum ſalutis beatiſſimæ immortalitatis reponeret, & ab orci mancipio, & à nexu diræ noxæ vindicaret. Victoriæ autem virginis Mariæ CHRISTI matris, è palmæ ramo trophæum fuit, ſcribente Nicephoro.

De arborum prodigijs. CAP. XXI.

EST & arboribus, ſicut in multis alijs prodigijs locus, vt portendant quędá, vt de his hoc loco dicamus. Quorũ apud Græcos Ariſtandi volumen fuit, apud Latinos verò C. Epidij commentarij, in quibus multæ locutæ reperiuntur (referente Secundo.) Quorum ſi lucubrationes ſupereſſent in cauſa forſitan eſſent, vt mode-

ſtiùs de his tacendum nobis fore exiſtimaremus. Verùm vbi vtriuſque monimentis caremus non ſuperuacaneum omnino duxerim,vt quæ de his ex aliorum autorum, plurimum verò Iulij Obſequentis, libris, quos mihi legere contigit, in vnum locum conferamus: vt ſi non illorum omnem operam, & eloquentiam præſtare valeamus, ſaltem vti illorum iacturam in paucis reſarcire poſſimus. Sed iam ad rem. Donatus autem inſignis grammaticus prodigia ea eſſe dicit, quæ aduerſa nuntiarent, & quæ præter naturæ regulam eueniunt vt nonnunquam aliquid portendant. Solita enim nullo modo demiramur, vt ſanè in plantis, veluti ac cæteris rebus, intelligi debeant. Tantum enim abeſt, vt plura etiam,quæ præter naturam eueniunt,inter oſtenta computemus: ſed neque aruſpices ita interpretantur. Præſertim verò illa, quæ regionis ratione euenire contingunt: vti cùm mutantur quædam, quemadmodum punicum commutari in Ægypto Theophraſtus ait: aut cùm vniuerſi fructus, omnéſve arbores: aut cùm ſemina in aliud genus, vt ex alba populo nigra fiat: aut cùm vna tantùm duæ've, aut econtrario fiant: vel cùm hoc ſtatis cuiuſque anni temporibus fit. Nam quandoq; fructibus etiam temeritas quædam contingit: vt cùm ficus ramulis auerſa poma edit, & punica. Nonnunquàm etiam nonnullæ temporis intemperie,amiſſis folijs, fructificant: quod oleæ Theſſalo Piſiſtrati filio,vt prodit ille, accidit. Vel cùm ſtatua arborea exudat in qua aliquid pinguidinis ineſt, veluti in cedrina, cupreſſina, oleagina. Cœlo nanq; auſtrino, & humecto, ita plerunque afficiuntur. Multa enim accidunt, quæ naturali normæ incongrua iudicantur: quæ nec ad manifeſtas, & apparentes rationes, reduci poſſunt. Quæ pro abſurdis itaque animaduerti debent. Primum autem fortuitam mutationem, tum fructuum, tum arborum ipſarum, prodigium eſſe, attendere oportet. Vt cùm punicum acidum profert dulce: contrà dulce,acidum. Rurſus,cùm arbores ipſæ ſicuti cùm è dulci acida, vel ex acida dulcis. Verùm id grauius deteriusq;, cùm in acidos è dulcibus etiam à ſaporis ipſius maiori, propter elegantiam,alteratione. Item magis cùm è ficu, oleaq; in caprificum, & oleaſtrum fit conuerſio, quàm ſi econtrario euenerit. Iterum cùm è candida ficu, nigra fit magis quàm ſi econuerſo. Laodiceæ enim Xerxis aduentu, platanus in oleam mutata eſt. Oſtenta etiam fuerunt arbores,ſine vlla tempeſtatis vi repentè collapſæ: aut cùm ſpontè ſurrexerunt. Vt illud cuiuſdam Reipublicæ, aut priuatim alicuius elationis: alterum verò caſus prognoſticum fuerit attamen non vt ex his, neque ex alijs,certum quid, affirmandum ſit. Factum itaq; hoc per Cimbrica bella, in Nucerio Iunonis luco conſulibus C.Mario, C.Flacco. Vlmi enim cacumine amputato, quoniam in aram ipſam procumberet, ſpontè reſtituta, vt protinus floruerit. A quo deinde tempore, maieſtas populi Romani reſurrexit, quæ anteà cladibus obtrita, atq; inuaſtata longiùs fuerat. Memoratur hoc idem factum Philippis, ſalice procidua, atque detruncata, non tamen circundolata, vt ait Theophraſtus: Aruſpex tunc quidam, vt ſacrificarent ſuaſit,& arborem cuſtodirent:id fauſto oſtento factum arbitratus.In Stagiris etiam in muſæo

ſæo populo alba, fauſto etiam omine hoc euenit. Apud inſulas Capreas veterrimæ ilicis demiſſos, iamq; in terram, ac languentes ramos, Augusti principis aduentu conualuiſſe, Suetonius ſcribit. Quare adeò lætatus ille vt eas cum Republica Neapolitanorum, data etiam Ænaria, permutauerit. Ante Veſpaſiani imperium arbor quoque cupreſſus in agro auito ad ſextum milliarium è Nurſia Spoletum euntibus, vbi magnam vitæ partem degiſſet, ſine ulla tempeſtatis vi radicitus euulſa, atque proſtrata, poſtero die viridior ac firmior, quàm antea, reſurrexit hæc Tacitus, & Dion. Paulò ante eius mortem, vt Tranquillus memorat, eodem loco arbor euulſa reſurrexit, tunc demum rurſus repentè corruit. Olea (prodente Pauſania) quæ ſacra in Athenarum arce erat, cum vrbe (Medorum incendio) conflagrauit: verùm eodem die, in duorum cubitorum pro ceritatem germinauit. S P.Poſthumio, L.Piſone conſulibus, vaſto vrbis incendio, vt ſacrarium cum regia quoque vreretur, altera laurus ex incendijs inuiolata permanſit. Per ea enim tempora quando cum Perſeo Macedonum Rege præliarentur, palmam in area publicè natam, priuatim verò in impluuio ſuo, T.Martius Figulus nuntiauit, referente T.Liuio. Verùm maximè mirum quod Theophraſtus ait: vt admiratione ſuperiora antecedant, vti platanus Antandri, longitudine decem cubitorum, craſſitudine verò vlnarum quatuor duobus lateribus circundolatis, flatu proſtrata, noctu ſurrexit, quam iterum cortex circuntexit. Nunc caſus exempla afferamus. Diſſidentibus enim in Mileto Ioniæ vrbe, inter ſe diuitibus, ac popularibus, ſacra olea ſponte exarſit. Paulò item ante Pompeij Magni ciuilia bella, in Cumano agro, arbor paucis ramulis eminentibus, graui portento ſuccidit. Conſulibus verò Q. Fabio Maximo, & M.Marcello, in Apulia palma viridis exarſit. Tunc temporis Hannibal in Italiam peruaderat. Alexandri Seueri mortis hæc ſigna fuerunt: laurus in palatio cuiuſdam ciuitatis, ad quam ad bellum proficiſcebatur ingens & antiqua tota ſubitò decidit. Fici tres, quæ ante illius tentorium eſſent, quibus & tentoria imperatoria adnexa erant, ſubitò deciderunt. Iulius Cæſar (vt in Octauio meminit Suetonius) quum apud Mundam Hiſpaniæ vrbem locum caſtris caperet, & ſyluam ad id excideret, palmæ arborem reperit: quam in omen victoriæ conſeruari iuſſit. Ex hac enim continuò enata ſoboles, vſq; paucis diebus adoleuit vt non modò matricem æquipararet, verùm etiam obtegeret. Frequentata item columbarum nidis: quamuis hoc auium genus duram, & aſperam frondem euitet. Quo oſtento præcipuè motum Cæſarem ferunt, ne quem alium ſibi ſuccedere, quàm ſororis nepotem, vellet, quod in Octauio fuit. Paulò enim ante mortem Aurelij Ambroſij, Britannorũ Regis, Londini (quod regni princeps oppidum) arbores virentes ſubitò arſiſſe, & vetera ligna iampridem exciſa, fronduiſſe & floruiſſe illorum annales prodiderunt. Eſt & in harum natiuitate omen etiam: ſi quando genus aliquod in alio agnaſcatur aut aliud quicquàm in eis, vel cùm alibi, præter illarum naturam natæ fuerint puta ædibus ſacris, publico, priuatóve ædificio. Sæpe cùm ſub tecto, inopinatè ortæ ſint. Cyzici enim ante obſidionem, ficus

in lauro nata, vt ſcribit Plinius. M. Marcello, P. Sulpitio conſulibus, Veienti lana ex arboribus nata. Seruio autem Flacco, Q. Calpurnio conſulibus, Bononiæ in arboribus fruges natæ. Eutropius autem idem refert, cùm Viriatus in Luſitania cum Romanis bellum gereret. An idem & vnum tempus ſit, videant lectores. P. Plautio, M. Fuluio conſulibus, oleum in Veiente pluit. Antonini verò Pij tempeſtate hordeum in Mœſia in arborum culminibus adnatum. In Arcadia, in quodam fano ilex, & olea ex vna radice ſpectatæ: ſicut meminit Pauſanias. Trallibus, vt de ſeipſo in ſuis commentarijs memoriæ mandauit Cæſar, & Plutarchus in eius vita: per eos dies quum ipſe cum Pompeio in campis Pharſalicis præliaretur, in Victoriæ templo, in quo Cæſari ſtatuam conſecrauerant, palma circa baſim eius in pauimento ſolidis ac duriſſimis lapidibus coagmentato nata. Quintilianus hæc. Auguſtus Taraconenſibus nunciantibus, palmam in ara eius enatam: Apparet (inquit) quàm ſæpe attendatis. Ante cuius domum inter lapidum iuncturas alia orta, quam ipſe in compluuium Deorum penatium, vt coaleſceret tranſtulit. Romæ quoque in Capitolio, bis bello Perſei nata, victoriam ac triumphos portendens. Quæ pòſt tempeſtatibus euerſa. Eodem item loco, ficus enata, M. Meſſalæ, C. Caſſij cenſorum luſtro. A quo verò tempore pudicitiam ſubuerſam Piſo (referente Plinio) prodidit. In Macedonia conſulibus L. Cornelio Lentulo, A. Iulio Apulo, in puppi nauis laurus orta. Tunc enim Philippus cùm Athenienſibus bellum gerebat. In Flauiorum ſuburbano, quercus antiqua Marti ſacra fuit quæ per tres Veſpaſiæ familiæ partus, ſingulos repentè ramos edidit, haud dubia ſigna cuiuſque fati. Primum quidem exilem, & citò areſactum, ideoq; puella nata quæ non perennauerit: Alterum prævalidum, ac prolixum, vt qui magnam fœlicitatem portenderet. Tertium autem arboris inſtar, quò ipſe natus Veſpaſianus princeps. Quare ferunt Sabinum patrem, aruſpicio inſuper confirmatum, tunc matri renuntiaſſe nepotem ei Cæſarem genitum. Nata autem in domo Alexandri Seueri laurus, iuxta perſici arborem, quæ intra annum vnum hanc vicit: vnde coniectores, Perſas ab eo vincendos dixerunt. Per ea enim tempora, quibus Hannibal Apenninum tranſcendit, Arpis in cœlo viſa palma. Anno, qui ſupra octingenteſimum tertius ac trigeſimus humanæ ſalutis fuit, vt Sabellicus in Rapſodijs ſcribit, & alij plures, in Thuringis arbor altitudine pedum quinquagenûm, craſſitudine autem bis ſeptenûm, ſua ſponte in diuerſum locum à priori vigintiquinque pedibus diſtantem ſe tranſtulit. Sed ſuper hæc omnia, quæ vnquam audita ſunt hoc prodigium erit, quòd in æuo Plinij fuit, vt ipſe bis teſtatur. Quod in Neronis principis ruinam factum eſt. In agro enim Mamertino, atq; in Vectij Marcelli, e primis equeſtris ordinis olìueto vniuerſo viam publicam tranſgreſſo, aruiſq; econtrario in locum olìueti profectis.

De arborum miraculis, & arboribus fulguritis.

CAP. XXII.

QVÆD

QVÆDAM etiam ex arboribus leguntur, quæ admirationi ſunt. Veluti de arbore perſea, quæ in Hermopoli, Thebaidis ciuitate fuit, cuius folium, fructúsve, cortex quoque languentium collo appenſus, morbos omnes abigeret, quod in huius generis cæteris minimè eſt. Ferunt etenim hanc arborem CHRISTVM IESVM Herodem fugientem, ac in Ægyptum proficiſcentem, adoraſſe, & ad terram vſque ſeſe inclinaſſe. Regis verò Bebrycis tumulus, à ſupremo die, lauro tectus quam inſanam vocauerunt: quoniam ſiquid ex ea manibus decerptum, importatúmve fuerit iurgia, donec abijciatur, fiant vnde tractum adagium, Inſana laurus adeſt. Quod de homine rixarum autore dicitur. In Trœzenijs (vrbs Peloponneſi eſt) myrtum fuiſſe, quæ lancinata folia habuit (autor Pauſanias.) Ab eo enim tempore euenit, quo primùm Phædra ex amoris in Hippolytum mœrore, acum, quam in crinibus habuit illi addidit, quod minimè huic erat, quum primùm germinauit. Apud ſepulcrum Geryonis Erythreæ Gaditani maris inſulæ Regis, quæ nunc Gadira, & antè Cotinuſa, & Cerberi fratris ab Hercule interfecti, duæ arbores plantatæ, quæ ſanguinem diſtillarunt. In Aulide, ante Dianæ templum, palmæ enatæ ſunt, quorum fructus vſui minimè ſit. Thebarum porta vna fuit, quæ Nete diceretur: prope Menœcæ Creontis filij monumentum. Quo enim tempore, Polynices vnà cum exercitu Argis diſceſſit, ex Delphici Apollinis oraculo ſpontè ſe interfecit. Ad monumentum enim malus punica excreuit, cuius fructus, cùm maturuerit ſi corticem abrumpas, nil intus, niſi quid ſanguinem referens inuenies Arbor ſemper viridis. Reliquum vt de fulguritis arboribus agamus. Quod & Romani in prodigium accepere vt Iulius Obſequens atteſtatur, & augurium captabatur ideo fanaticæ dictæ & inter ſacras etiam habuit antiquitas. Nam & Cicero omnem diuinandi peritiam in duas diuidit partes: aut in furorem, aut in artem: vt in aruſpicibus, fulguratoribus, ſiue fulguritis auguribus: quibus farto, quodam libi genere ſacrificabant. (Feſto autore) vt inde ſacrificantes ſtrueſertarij dicti ſint. Neque omnia inſita miſceri fas eſt (inquit Plinius) ſicut nec ſpinas inſeri quando fulgura hoc modo expiari non facilè queant. Quot enim genera inſita fuerunt, tot fulgura vno ictu pronuntiantur. Q. Fabio Maximo, & M. Marcello conſulibus, nux de cœlo tacta fuit, vt prodigium fuerit. Abietem autem fulminatam interitum dominæ ſignificare Seruius ſcribit: vt non ſine cauſa Vergilius de equo Troiano dixerit,

– Sectaq́ intexunt abiete coſtas.

Quòd Troia per fœminam interierit. Et alibi,

Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non læua fuiſſet,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

De inſomnijs ex arboribus, & illorum interpretatione.

CAP. XXIII.

SOMNIA ex arboribus, veluti ex cæteris ob rerum cauſas eſſe ſatis cuique clarum. Omnes enim ſomniamus, atque ab ipſis multotiens ac pluriſariam afficimur ac perturbamur. Infinitæ etenim ſomniorum atque inſomniorum cauſæ quæ nonnunquàm futura præſagiunt: ſicuti plerunque ex rerum euentu poſteà manifeſtè compertum. Quam ob rem de his poſt illatum prodigia diſſeruiſſe, non abſque ratione oportuit. Non tamen vt de his, ac de illis, quid certum coniectari neceſſariò ſit: vtpotè quæ nec omnia Dei ſummi oracula ſint: ſicut nec etiam fidei Chriſtianæ conueniat: vt qui hæc interpretentur, vt plurimum mentiantur, & fallantur: vt diuinatores omnes, nec veri, certiq; inſomniorum interpretes ſint, veluti Ioſephus Pharaonis Ægyptiorum Regis ſomniorum diuinus fuit. Sed huiuſce Rei meminiſſe debui, ne quid huic noſtro operi, ad rem arborariam deſit. Potiſſimùm verò, quod lectorem, inter tantam lectionem, aliquantum oblectari feſtiuum duxerim, neque vt ſequentibus prorſus fidem vllam adhibeat: dignoſcatq; quanta in his antiquorum vana, ac ſuperſtitioſa curioſitas fuerit. Et hæc omnia ferè ex Hippocrate, & eò magis plura ex Artemidoro Dardiano philoſopho, ex alijs quædam etiam, vt præmonitum anteà lectorem, vt etiam ex ſequentibus apparebit, inſomniorum ſignificationes ex rerum natura vti plurimum antiquos accepiſſe. Verùm rem ipſam aggrediamur: vt primùm tamen ab ipſa arborum vniuerſitate incipiamus. Syluas enim, & ſaltus in ſomnis, qui viderint triſtitias omnes, timores, animiq; perturbationes, & otia præſignant: Maleſactoribus autem, ac ſeruis, plagas, atque tormenta: diuitibus verò, producerà quòd cædantur, & ſemper quid amittant, damna. Præſtat autem eas penetrare, atque in ipſis vias reperire, & ab his in campos exire atque in his ſomnò non obrui. Syluam enim, pro quadam rerum confuſione & inconditam rerum molem, atq; ſeriem ſemper arioli acceperunt. Qui enim ſeſe plantare arbores viſi ſint, præſagium quidem bonum, præſertim verò his, qui vxorem quærunt, & liberos non habent. Ager quippe nil aliud eſt, quàm mulier, ex qua ſicut ex agro plantæ, liberi producantur. Verùm ſi quis ægrotet in domo eius, qui hæc ſomniauerit, morietur. Nam & quemadmodum ſemina terræ mandantur, ſic hominum quoque cadauera. Cous Hippocrates, cauſarum naturalium euentus, diligens, ac prudens ſcrutator, arbores germinantes, & multis fructibus onuſtas, ſanitatem homini huic portendere, corpusq; ſeſe bene habere, ſcribit: & idem de languentium ſomnijs diſſeruit. Contrà, ſi ſine fructu, infœcundæ, nec fructiferæ cernantur ſeminis humani corruptionem. Sin autem folia decidere, humidis ac frigidis humoribus lædi. Quòd ſi germinent, nec fructus ferant, calidis, & ſiccis idem. Huic verò Artemidori illud propinquiùs accedit, vt qui arbores florentes ac fructum ferentes bonum, at contrà areſactas, aut funditus euerſas, ictasq; fulmine, vel aliâs igne combuſtas contrariæ ſint ſignificationis. Infructuoſæ verò frugiferis ſemper peiores exceptis his, qui ex ipſis, & per has quæſtum faciunt.

Frugiferæ ſylueſtribus,vtique meliores : item ex frugiferis, quæ foliorum lapſu non caluescunt dempta olea, quæ ægrotantibus, mortis præſignatio eſt proptereà quod cum mortuis efferatur. Quæ verò tardè eueniũt, & annoſas videre proſperum quidem hoc illud erit. Nam & hæ,dilationis ſigna habent, vtq; tardiùs mala eueniant : atque in morbis ſalutares. Contrariæ autem ſignificationis erunt citò prouenientes. In oleto enim ſi quis ſe excrementa eijcere ſomniauerit proſperum erit : quòd huiuſmodi excrementis, olea ſummoperè delectetur. Qui verò quancunque plantam ex corpore ſuo productam ſomniauerit,iuxta quorundam opinionem, citò emoriturus. Hac videlicet coniectura, vt velut è terra oriuntur plantæ, ita & in ea reſoluuntur corpora. Verùm has indicationes, non ab his plantis, quæ in aliquo membro enaſcuntur, ſumere eſt. Non enim ſemper interitum portendunt, ſed horum tantùm membrorum ſectiones, & chirurgicas operationes. Quidam ſomniauit, ſe in prægrandem arborem transformari, cuius pars vna eſſet populus alba, altera verò pinus : in populo verò, omnis generis aues inſidere, in pino autem lari,& mergi,& quodcunque marinarum generis auium eſt. Nati illi filij duo,quorum alter athleticam ac laborioſam vitam duxit, & multas regiones peragrans, omnis generis homines, præter agnatos & affines pertulit. Alter nauclerus factus, atque non ignobilis nauta, tametſi agricolæ filius. Hunc pinus,illum populus præſignarunt. Qui enim hæc ſomniauit, ad longam ætatem peruenit, propter illarum diuturnitatem, & fœliciter vitam peregit quod deſignauit arboris proceritas. Perſica,& huius generis præcocia,& ſimiles fructus fugaces, præter mora,voluptates, & deceptiones denotant,extra verò tempus congruum,varios labores. Qui mori arborem viderit, progeniem ſignificat. Quòd ſi florida fuerit, proſperum quid futurum prædicit. Sin verò radicitùs euertatur, progeniem eius peſſundat. Qui verò, ſe mala dulcia, aut verna, atq; matura, & videre, & comedere inſomniat, bonum præſagit. Quandoquidem & multam venerem, atque iucunditatem deſignant, maximè verò his, qui de amica, aut vxore curioſi ſunt : quòd eiuſmodi mala, in Veneris tutela, propter dulcedinem, eſſe credantur : contrà verò acida, ſeditiones & contentiones. Liti enim dedicata ſunt. Cydonia ob adſtringendi facultatem,triſtitiam inducunt. Mora mala punica,vulnerum ſunt ſignificatiua, propter colorem rubrum, qui cum vulneribus commune eſt : & tormenta etiam ob pœnas : item & ſeruitutem atque ſubiectionem, propter fabulam, quæ de Eleuſina fertur. Ficus enim circa proprium tempus bonæ erunt:& ex his albæ nigris iucundiores.verùm præter illarum tempus opportunum apparentes calumnias, & detractiones prædicunt. Quibus ſub dio opera ſunt, illæ ſerenitatem hæ autem tempeſtatem & imbres.Quandoq; verò per has nil aliud denuntiatur,quàm qualis aëris futura ſit conſtitutio. Pyra ſatiua proſperum, quòd horum fructus ſolerter adſeruatus, atque conditus, nec putreſcens, diu permaneat. Olea mulierem,& certamen ſignificat atque principatum, ac libertatem : quare floridam & radicibus innixam, & maturum fructum, &

tempeſt

tempeſtiuum habentem proſperum erit. At oleæ vindemia, omnibus præterquam ſeruis bonum: quòd his plagas præſagiat, cùm & illarum fructus, plagis decutiatur. Eas autem legere aut terere labores, & moleſtias ſignificat. Nuces amygdalæ, iuglandes, auellanæ,& quæcunque infringuntur, propter illarum ſtrepitum, turbationes, & triſtitias quòd ex amara natura exiſtant. Laurus mulierem, propter viriditatem denotat: opulentam enim,atque formoſam ob eius ſpecioſitatem. Eorum autem quæ ſperamus,irritum ſucceſſum, propter fructus amarulentiam:& quia minimè edendo ſint. In vatibus enim & medicis, ad artẽ propter Apollinem, cui quoque referenda erit. Quercus, viros deſignat opulentos ob antiquorum alimoniam: ſenium etiam, propter illius annoſitatem. Pinus, ſtrobili, naucleris, & omnibus nauigantibus ad naues referenda: quod ex his hæ compaginentur,& picem & reſinam,quam ferunt nauibus idoneas. Reliquis verò pigritiam, & timores propter ſolitudinis amorem. Platani, vlmi, fraxini, nigræ populi, & omnia ſimilia ſolis his tantùm conducunt qui ad bellum, & militiam ferunt, & fabris etiam lignarijs propter quæſtum, quem ex his faciunt. Illis verò quòd haſtis, ex huiuſcemodi materia confectis vtantur: cæteris autem paupertatem & inopiam propter illarum infructuoſitatem. Ex populi enim genere, ſola alba athletis confert, quoniam Herculi ſacra ſit qui optimus athleta fuit. Myrtus verò, & buxus, ſcorta, & impudicas mulieres: proſperum quidem his, qui ad aliquid agendum prodeunt: Ægris autem refectionem ac ſanitatem. Reliquis verò, vani laboris ſigna erunt. Hanc autem tornare, & ſtatuas facere, mœchis bonum, ac rhetoribus, & falſarijs, atque omnibus fraudulosis hominibus. Nam & eæ artes vera eſſe oſtendunt quæ non ſunt: cæteris verò nominis celebritatem,& turbarum concurſus. Cùm hæc opera multis oſtendantur, inſomniorum ex illarum coronis deſignationes hæ ſunt. Vt de his tamen generaliùs quædam anteà proſequamur: vt qui arboream coronam ſe, alibi quàm ſupra caput geſtare ſomniauerit,quid ſæpe illi ſiniſtri accidat.Nam & coronarum propria ſedes caput eſt. Zoilus enim ad Olympica certamina ducens filios duos,illorum talos olea & oleaſtro coronatos in ſomnis vidit: quo inſomnio hilaris factus quòd poſt victoriam illos coronis donaturos ſperaret: verùm aliter, & præter eius ſententiam contigit illis priuſquam ad certamen deueniſſent vita functis. Nam coronæ circa talos locatæ, non procul à terra abſunt. Xerxes in Græciam profecturus,& multis id auertentibus,maximè verò Artabano patruo,ſe habere caput oleagina corona procinctum,cuius ramis vniuerſa Græcia occuparetur,ſomniauit quo ſomnio in Græciæ accenſus profectionem fuit,eo omine,quòd Athenæ (prima vrbs Græciæ) oleæ inuentrix fuiſſet. E palma & olea coronæ: liberarum mulierum, nuptias conciliant propter nexum. Liberos etiam diuturnos,ac longæuos ob illarum longam vitam.Sed palma filium,olea verò filiam.Pauperibus & athletis conferunt: his enim confidentiam,ac robur,illis verò opulentiam pollicentur,& ſeruis libertatem,cùm liberorum ſint propriè coronæ,tum maximè cùm è certamine,eas accepiſſe viderint.

derint. Occulta enim reuelant, propter illarum celebritatem. Similis præſagij, ſunt laureæ & quernæ. Myrtea, eademq; oleagina mulieribus promittit, quod hæc planta & Cereri, & Veneri communis ſit. In fruticibus, ſicuti in arboribus, inſomnia. De quibus poſt arbores dicere conuenit. Rhododaphne, ſcorta, & impudicas mulieres ſignificat: verùm huic proſperum, qui ad agendum aliquid prodit. Ægris verò ſanitatem & confirmationem, reliquis verò vanos labores. Eius flos, ſolis agricolis, & hortulanis, bonus, cæteris verò peregrinationes atque dolores. Spinæ autem, rubiq; ad ſecuritatem, & omnia commoda exiſtunt, propterea quòd inde ſepes fiant. Quidam verò viſus eſt ſe culum thure extergere: impietatis enim poſteà damnatus. Nam & thure deos colimus. Sed vt fruticeis coronis hoc caput finiamus, Hederaceæ Dionyſiacis artificibus ſolis conferunt. Alijs autem vincula, propter pampinos retortos,& fruticis complexus aut morbum eadem ratione: Facinoroſis decollationem, quòd hæc ferro reſecetur. Ex roſis ſecundum tempus opportunum: quum roſa facilè marceſcat. Hoc enim manifeſtant propter odorem. Quod ſi hyeme etiam viſæ ſint, quod propter illarum ætatem fit, proſperum dijudicandum.

Præfatio libri tertij.

QVANTO *in honore, quantáve veneratione, apud antiquos arbores ipſæ fuerint, ſuperiori libro ſatis (vt arbitror) exaratum. Reliquum eſt, vt hoc de illarum religione nunc dicamus, quarum dignitas priùs erga Deos ipſos fuit, quam illarum in ludis atq; certaminibus ac hominum honoribus: in templis namq;, atque deorum ſacris, ſupplicationibus, & ceremonijs his vſi ſunt mortales: in quibus verò omnibus Deos ſuos antiſtites exornarunt, & coronarunt, victimas quoque ipſas, atq; in ſacrificijs, & ipſi coronati interfuerunt. Vt hoc modo, ſibi propitios magis deos habere, & maleficia omnia auertere, & noxia cauere crederent: nihilq; proſperum aliàs futurum ſperantes vt non omnibus tamen ad id diſcriminatim vterentur, ſed & quaſdam omnino ab his ablegarent, & ad id profanas prorſus exiſtimarent, eſſentq; illorum religione damnatæ, vt pollutas immolationes exiſtimarent, ſi caſu in his inuentæ fuiſſent. Verùm aliud illarum maior honos, ac reuerentia: Si quidem integræ, atque in ſyluis & locis publicis venerabatur. A quibus etiam reſponſa cùm priuatè, tum publicè peterentur, auſcultarentur.*

rentur. Et ad rei perpetuæ memoriam, ex arborum ipſarum materie illorum ſimulacra fabricata,ac in ædibus ſacris locata,illorum etiam et altaria erecta. Verùm hoc etiam, non ex qualibet arbore, ſed ex ea, quæ diuturnitate, ac duritia cæteras nonnullas ſua virtute antecelleret, quò opus longius permaneret, & elegantiùs appareret, vt infrà amplius edocebitur.

HORTORVM LIBER TERTIVS.

De arborum numinibus, & religione. CAPVT I.

PRISCI certè arbores veluti numina quædam venerati ſunt. Primùm enim arborum omnium Deum Pana dixerunt: quin & Syluanos, & Faunos, à quibus & fana dicta, & fanalia feſta, in honorem Fauni. Nonis enim Decembribus, in ſyluis & pratis fieri ſolita (teſte Acrone) ex Odis Horatianis,

Ludit herboſo pecus omne campo,
Cùm tibi Nonæ redeunt Decembres.

Cui Romæ erectum templum, quod G.Domitius prætor vrbanus dedicauit, P.Cornelio, Scipione Africano, & Valerio Sempronio Longo, conſulibus. Hoc ædiles biennio antè ex mulctatitio argento faciundum locauerant. Ioui etiam Romæ fuit ſacellum, quòd fagutal vocitatum, & ipſe Iupiter fagutalis, à fago, vt voluit Feſtus, quæ fuit,ipſi Deo ſacra,vel, vt alij volunt à fageo luco. Lacus fagutalis (Varrone autore) fuit in Exquilina ſecundo vrbis regione, vbi eodem ſcriptore ſacellum querquetulanum. Alia Deorum genera, ſyluarum numina tanquàm è cœlo attributa, credidit religioſa vetuſtas. Nónne & Pomona, à pomis dicta,quaſi, vt ait Varro, pomorum pater ſit. A qua flamen pomonalis, cui tantum vetus religio tribuit, vt & ſi cæteri flamines, & quidem dialis, maieſtatis ſuæ diſcrimen ſubeant, minimè tamen ille, & Pomonal. Feſto Pompeio, in agro Solonio, via Hoſtienſi, ad duodecimum lapidem. Num & Dryades, & Hamadryades ſyluarum nymphæ, quas Seruius ἀπὸ τῆς δρυὸς, id eſt, quercus ſpecie, dictas vult, vel ἀπὸ τοῦ δρυμοῦ, id eſt, à ſylua, vt in primo aliquod genus pro vniuerſo poſuerit. Hamadryades autem ſic appellatas quòd ſimul cum arboribus & pereant ac naſcantur

naſcantur, iuxta Homeri & Pindari ſententiam, ἅμα enim ſimul. Vnde Statius:

- Nec amplexæ dimittunt robora nymphæ.

Plerunque ita euenit, vt cæſa arbore, ſanguis emanet. Quod euenit, cùm Eriſichthon arborem inciderit (vt ſcribit Probus) vt primo vox eruperit, deinde ſanguis effluxerit. Quod teſtatur Ouidius in ſua Metamorphoſi cuius verſus, & ſi oblongi, hic tamen inſerere libuit, cùm rem appoſitè deſcriberet:

Contremuit, gemitumq́ dedit Dodonia quercus:
Et pariter frondes, pariter palleſcere glandes
Cœpere, ac longi pallorem ducere rami.
Cuius vt in trunco fecit manus impia vulnus,
Haud aliter fluxit, diſcuſſo cortice, ſanguis
Quàm ſolet, ante aras ingens vbi victima taurus
Concidit, abrupta cruor è ceruice profundi. Et pòſt:
Editus è medio ſonus eſt, cum robore talis:
Nympha ſub hoc ego ſum Cereri gratiſſima ligno,
Quæ tibi factorum pœnas inſtare tuorum
Vaticinor moriens noſtri ſolatia lethi.

Querculanæ etiam F.Pompeio dictæ, quòd querceto præſint: Mediæ quidem inter homines & Deos. Muſæ etiam Cythereides, à Cythere ſaltu appellatæ: & illarum vna Thalia, à ſyluarum virore. Fuit autem, autore Diodoro Siculo, in Erijs Siciliæ montibus ſylua, in qua laurus frequens, in quam etiam & Nymphæ diuerterent: ibiq́; natum ex Mercurio & Nympha filium, qui Daphnis vocatus. Is primùm carmen bucolicum inuenit. Priſco etiam ritu, Deorum templa arbores fuerunt, vti nec magis auro atq; ebore fulgentia & nitentia ſimulacra, quàm lucos fecerunt. In quibus verò numina adorarũt, & venerati ſunt vt à quibuſdam etiam, tanquam ab oraculis, reſponſa deſiderarunt & auſcultarunt. Et poſt illarum cuiuſque generis arboris lucos ſeligentes ſuis Dijs dedicarunt: aut ex omnibus vnam præcellentem rura vrbésve, priuatim etiam vnuſquiſque: poſtremùm, vt illarum fronde, fructúve ad Deorum ſacrificia vſi ſunt.

Quòd antiqui ſyluas, arbores, aut illarum genus vnum coluerint & de Galliarum Druydibus. CAP. II

QVARVNDAM verò gentium, quæ ſyluas, arborúmve aliquot genus colerent, & adorarent, meminerunt antiqui ſcriptores. Indi (vt autor Q. Curtius) arbores colunt, quas violare capitale eſt: vt etiam cortice delibratas Deos putarent. Diuus Iuſtinus martyr, alicubi arbores veneratas, in apologia ſecunda, ad Antoninum Pium teſtis eſt: & diuus Paulinus ad Iouium, cum impijſſima (vt inquit hic) diuinæ maieſtatis iniuria. Lituanos, qui ad Polonos contermini ſunt, noſtra etiam tempeſtate integras ſyluas coluiſſe nonnulli prodiderunt. Cinnamomum, vbi naſcitur, non

priùs,quàm Deus permiſerit, metitur quiſquam (vt ſcribit Plinius) hunc verò Iouem Aſſabinum alij vocant. Quadraginta enim quatuor boum, caprarumq́; , & arietum extis, venia cædendi impetratur. Quod tamen antè Solis ortum, vel poſt occaſum non licet. Sarmenta verò haſta diuidit ſacerdos. Deo primùm partem ponit. Eſt & alia fama,cum ſole diuidi, ternasq́; partes fieri, deinde , ſorte præuia diſcerni. Quodq́; Soli ceſſerit cremari, ac ſponte flagrare. Solinus verò addit : hoc vltimum fieri, ſi iuſtè diuiſum ſit. Thus inter ſolos Sabæos diuiditur,& eorum tantùm trecentas familias, quæ per ſucceſſiones ſibi hoc ius vendicant : & ob id ſacri Arabicè vocantur. Diuiſaq́; certis portionibus ſylua , quæ mutua innocentia tuta eſt. Nemo enim ſaucias arbores cuſtodit : neque vllus furatur. Cùm lucos autem iſtos,vel metunt, vel incidunt,non funeribus interſunt, neq; fœminarum congreſſibus polluuntur. Religioni quippe hoc tributum. Collecti verò thuris Dei, quem vocant Sabim, id eſt, ſolem, cuius delubrum,apud eos,inter omnia regionis illius ſanctiſſimum eſt ſacerdotibus apud Sabotam , menſura , non pondere nec decima perſoluitur. Nec anteà mercari licet. Inde impenſæ publicæ tolerantur. Nam & benignè certo itinerum numero , Deus hoſpites poſcit. Quercus frugiferas (inquit Plutarchus in ſympoſijs) ritè coluerunt. Ficum quandam Athenienſes ſacram appellarunt.Iidem morum excindi vetuerunt , non vt pronos homines ad ſuperſtitionem redderent , verùm vt nos inſtruerent , rerum inſenſibilium atque inanimatarum exemplo, quomodo mutuis inter nos beneficijs certare,atque commercio habere deceat. Druydes verò Gallorum magi nĩl viſcõ, & arbore, in qua naſceretur (modò robur ſit) ſacratius habuerunt.Cuius etiam arboris eligunt lucos , nec vlla ſacra ſine ea arbore conficiunt. Vt his inde Græca interpretatione inditum nomen videri poteſt. Quicquid autem illis agnaſcitur , è cœlo miſſum putant , ſignumq́; ſelectæ à Deo ipſo arboris eſſe. Enimuero,lunã ſexta,ſacrificio, epulisq́; ſub arbore præparatis duos tauros candidi coloris admouent , quorum cornua tunc primùm vinciantur.Sacerdos verò candida veſte indultus:arborem ſcandit,falceq́; aurea, viſcum demetit. Candido id excipitur ſago. Eius corticem, in quodam ſacrorum vſu, religioſum eſſe Plinius ſcribit. Demum victimas immolant , precantes vt ſuum donum proſperum faciat ijs , quibus dederint. Arbores etiam in locis publicis ſacræ fuerunt , non alia ratione quàm muri , aut deorum ſana. Æquorum autem imperator (ſcribente Liuio) quæ mandata habeant à ſenatu Romano legatos ad quercum iubet dicere ſe alia interim acturum. Quercus enim ingens arbor erat : prætorioq́; imminebat : cuius vmbra enata ſedes erat. Tunc legatus vnus abiens & hæc, inquit, ſacrata quercus,& quicquid deorum audiant,fœdus à vobis ruptum, noſtrisq́, & nunc querelis adſunt. Quæ vt eſſent in locis publicis,magna exiſtimatione viri,curarunt.Quorum alter Cimon Athenienſis,platanis in foro ſatis.Etiam nunc tanquam ſacras habemus, quæ ante diuorum templa regias, & loca cætera publica ſatæ , vt longa ætate,tanquàm ab iniuria hominum cuſtodiantur,nulliq́; alij vſui,quàm vmbræ

vmbræ ſeruientes: quarum nedum ramos alicui decerpere permiſſum, vt pluribus locis qui id faciunt, etiam ex foliorum numero, quid certum luant. Priuati etiam aliquot arborum genus ſibi conſecrarunt. Quorum omnium teſtimonium, vno videlicet Horatij confirmabo, qui pinum in ſua villa conſecrauit, vt ſuis carminibus teſtatus eſt: inuidens villæ tua pinus eſto Dianæ officia celebrant. Ad has enim ſacras arbores antiqui ſæpe dona appendebant. Vergilius:

Fortè ſacer Fauno folijs oleaſter amaris,
Hic ſteterat olim nautis venerabile lignum,
Seruati ex vndis, vbi figere dona ſolebant
Laurenti diuo & notas ſuſpendere veſtes. Idem alibi:
Hic arguta ſacra pendebat fiſtula pinu. Lucanus:
Qualis frugifero quercus ſublimis in agro,
Exuuias veteres populi, ſacrataq; geſtant
Dona ducum.

De ficu ruminali, & nonnullis alijs arboribus Romæ, & alibi ſacris. CAP. III.

VBI arbores antiquitus ſacras fuiſſe oſtenderimus, operæpretium forè exiſtimauimus, vt harum nonnullas alicubi memorabiles referamus: vt primùm de ficu ruminali, atque de eius Romæ ſitu diſſeramus. Hanc autem, in loco, qui Gerualium appellatus ſit, primùm fuiſſe M. Varro ſcribit. Seruius verò, vbi Lupercal, & in circo. Hac autem lababatur Tyberis antequàm Vertumnus factis ſacrificijs auerteretur. Plinius autem, in foro ipſo, ac comitio natam: quod nunc è regione diuorum Coſmi & Damiani eſt, tanquàm illuc ſpontè tranſijſſet. Quod mirificè crediderunt Romani. Tam enim diuinam illorum vrbis originem credidere ſiue potius finxere, propter quod, ex re iuxta eam miraculum poſuere. P. Victor in regione octaua locauit. Anteà verò Q. Fabio, P. Decio conſulibus, infantium ſimulacra ſub lupæ vberibus poſita ſunt: ex bonis fœneratorum mulctatis. Adacto autem nauigio, hæc illa illico areſcebat: rurſusq; cura ſacerdotum ſerebatur. Fuit & ante Saturni ædem, vrbis ducenteſimo ſexageſimo anno, ſublata ſacro Veſtalibus facto, cùm Syluani ſimulacrum ſubuerteret. Eadem verò ſatu fortuito, in medio foro poſteà vixit. Qua fidentia imperij fundamenta, fatali oſtento, M. Curtius, maximis bonis, virtute ſcilicet ac pietate, morteq; præclara expleuerat. Æque fortuita eodem loco, vitis, atque olea, vmbræ gratia plebeia ſedulitate ſata. Ara deinde ſublata, gladiatorio munere, diui Iulij. Quòd nouiſſimè pugnauit in foro. Huius autem arboris veſtigia, vſque ad Augusti tempora durarunt, ſi Ouidio fides adhibenda:

Arbor erat, remanent veſtigia: quæq; vocatur
Romula nunc ficus, rumina ficus erat.

Romularem prius dictam Liuius ſcribit: pòſt verò ruminalis, ob memoriam eius, quæ nutrix Romuli & Remi fuit vrbis conditorum, quo-

niam ſub ea, lupa præbuit rumem (priſcis ita mammam vocantibus) teſtibus & Varrone & Pompeio. Gutturis verò partem rumam Seruius vocat. Alij enim propter armentorum ruminationes, quæ ſub ea ob frigora captanda, peragebantur: Feſtus imparentem, id eſt, non parentem, ſiue non obedientem vocat. Quòd ea fuerit plurimorum remediorum. Plinius ſacram potius propter infantes illic lactatos: quàm quòd ibi fulgura conderentur. Huic autem gallinæ immolabantur. Iuxta Monetæ templum, cornum ſacram fuiſſe Plutarchus in Romulo memoriæ mandauit, quo loco experiundi gratia, hic Leontino corneam lanceam iaculatus, quæ altiùs in terra defixa, multis annitentibus, nuſquàm euelli potuit. Quæ poſteà germinauit, ramis in maximam altitudinem, atque latitudinem emiſſis. Verùm hæc fabulis proximiora eſſe, idem ingenuè fatetur. Locus autem is, poſt Romulum cum ſanctiſſimo templo, circunductis parietibus, occluſus, magnaq; religione deinde habitus. Si cuiquam verò propiùs accedenti, minùs frondeſcere at vireſcere, & veluti ſubductis alimentis, langueſcere, atque deficere viſa fuiſſet. Paſſim verò ſibi occurrentibus ſtatim illud acclamitabat. Caio enim Cæſare ibi exædificanti, ac fabris propinquiùs fodientibus, violatiſq; imprudenter radicibus, omninò elanguit, & demum interijt. De hac ſic Ouidius in Metamorphoſi:

Lib. 15. *Vtq́; palatinis hærentem collibus olim,*
Cùm ſubitò vidit frondeſcere Romulus haſtam,
Quæ radice noua, non ferro ſtabat adacto,
Et iam non telum, ſed lenti viminis arbor,
Non expectatas dabat admirantibus vmbras.

An verò hæc Romæ in locis publicis omnium prima ſata ſit, ſe ignorare dicit Plinius. Inter antiquiſſima enim delubra, fatidico quidem & memorabili augurio Quirini, hoc eſt, ipſius Romuli, habetur. Ante ædem ipſam, myrti ſacræ duæ per longum tempus fuerunt. Altera patricia vocitata, altera verò plebeia. Patritia autem multis præualuit annis, flaueſcente plebeia, læta, & exuberans, quàm diu Senatus floruit, illa ingens, plebeia, torrida, ac ſqualida. Quæ poſtquàm eualuit, flaueſcente patricia, Marſico bello languida patrũ authoritas facta eſt, vt paulatim in ſterilitatem emarcuerit maieſtas. Lotos in Vulcanali fuit, via quarta (autore P. Victore) quòd Romulus ex victoria de decumis conſtituit. Altera, quæ capillata, ſiue capillaris arbor dicta, quòd ad eam Veſtalium tonſus capillus deferretur. At ſub ſiliquam arborem, vt ex A. Gellio eſt, vnguium & capilli flaminis dialis ſegmina, terra operiebantur. Surculumq; ex hac maſcula arbore, ſacerdotiſſa dialis habebat. Fuit etiam ilex in Vaticano, in qua titulus æreis Hetruſcis literis, religione iam tunc dignam fuiſſe deſignauit. Fuerunt etiam alibi arbores ſacræ. Olympiæ verò oleaſter, quo primus coronatus Hercules, longo tempore religioſè obſeruata. Cupreſſus prope Cereris templum, ante Troiæ vrbem fuit, vt Vergilius meminit:

Aen. 2. *Eſt vrbe egreſſis tumulus, templumq́; vetuſtum*

Deſertæ Cereris, iuxtaq́; antiqua cupreſſus,
Religione patrum multos ſeruata per annos.

Reſponſa, antiquos ex arboribus accepiſſe, & de oraculo Dodonæo, & adagio, Dodonæum ahenum. CAP. IIII.

PRIMA in ſyluis ipſis, atque lucis ipſis, oracula ſua reddidiſſe ſuos deos, antiquorum religio docuit, & antequàm illis templa ſtruerentur. Etenim cùm in ſyluis hominum primæua habitatio fuerit, vt ſuprà demonſtrauimus, ita & in illis, primùm deos inuocaſſe credendum: vt pòſt tamen ſacris illis ædibus ſtructis, nihilominus tamen poſteà in his coli deſitum ſit. Scribit enim Probus, in illo carmine Vergiliano:

- Et vos agreſtum numina Fauni.

Faunum ipſum in Albunea Latinorum ſylua oraculum habuiſſe. Apud Apollonium autem Rhodium in Colchide iuxta fanum Martis, alnus fuit, ex qua cornix Argonautis vaticinium dederit. Hercules apud Sophoclem, Sellorum ſe lucum ingreſſum, & à patre, & quercu vocali oraculum accepiſſe. Verùm omnium oraculorum, quotquot ex arboribus apud antiquos referuntur, celebratiſſimum fuit Dodonæum, & omnium quidem quæ apud Græcos omnes fuerunt, vt teſtatur Herodotus, vetuſtiſſimum. Ætolis verò & Acarnanibus omnibusq́; inſuper, qui Epeirum incolebant, percelebre. Vt etiam Euſebius Chriſtianæ religionis deuotiſſimus, de præparatione euangelica ſcribat, hoc illud tempore Orphei, Lini, Muſei, poëtarum fuiſſe. Qui fuerunt omnes circa Troiana tempora. Cui tanta fides à priſcis gentibus adhibita, vt quicquid præciniſſet, indubitatæ fidei eſſe, conſtanterq́; euenturum, ab omnibus facilè crederetur: vt etiã Plato diuinus philoſophus, cùm rem minimè credendam fore ſuadere vult, etiam ſi quercus eloqueretur, ſuis ſcriptis pluries enuntiauerit. Quod vulgò nunc dicimus, etiam ſi Angelus præfaretur. quo primùm vti Græcia auſa inquiente in chronicis Euſebio. Et vti rem paulò altiùs ad huius oraculi hiſtoriam attingamus: eſt quidem Dodona Epeirotarum, nobiliorum populorum, vt inquit Strabo & Placidus Statij interpres, vrbs, quod innuit Vergilius in Bucolicis:

Noſtra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.

Et Statius in ſexto Thebaidos:

- Cadit ardua fagus,
Chaoniumq́; nemus.-

Alij eam ſpecialiùs apud Theſprotios Epeiri. Solinus verò apud Moloſſos fuiſſe templum Iouis Dodonæi. Martianus autem Capella hæc: Moloſſi, Dodonæi Iouis fano inclyti, celebratiq́; & Statius:

Moloſſi quercus anhela Iouis. Et in tertio Thebaidos:

- Non Cyrrha deam promiſeris antro
Certius, aut frondes lucis quas fama Moloſſis,
Chaonias ſonuiſſe tibi.-

Vnde

Vnde Iupiter Moloſſus dictus. A Dodone verò Oceani filia, Deucalion nominauit, quum poſt diluuium, Epeirum veniſſet, ibiq; ex oraculo, cum his, qui ſuperfuerant habitaſſet. Sidonius Apollinaris Epiroticos Dodonigenas appellat. Iuxta autem Dodonam nemus fuit querneum. Luciano verò in Gallo, fageum, Glandibus ſemper abundans. Quare Statius ait:

Et nemorum Dodona parens.- Vergilius:

- Et victum Dodona negaret. Et Lucanus:

- Syluaq; Dodones,
Nec quaſiſſe libet primis quod frugibus altrix,
Ore Iouis Dodona ſinet.-

Solinus verò iuxtà templum, fontem fuiſſe frigidiſſimum, miræ naturæ: vt incenſas faces extinguat, ſine igne autem inflammet. De quo ſic Rhemnius:

Hæc regio fontem mirandæ concipit vndæ,
Quem meritò veteres dixerunt nomine ſacrum.
Nam gelidus ſuperat cunctarum frigus aquarum,
Accenſaſq; faces prope ſi quis duxerit vndam,
Extingui flammas: recipit ſed rurſus eoſdem,
Admoueat dextra, cùm extincta lampada fonti.

Ioui enim templum ſacrum fuit. Ouidius (ſi is autor eſt) in obſcœno carmine:

Dodone tibi Iuppiter ſacrata eſt.

Huius verò oraculi, autorum varia ſententia. Alij enim quercus vocales fuiſſe autumant. Probus verò quercum ibi fatidicam Ioui ſacram. Quare Claudianus contra Alaricum:

- Nec Dodona ſubegit
Agmina fatidicam fruſtra iactantia quercum.

Et illic etiam aliud oraculum Iouis Dodonæi. Alij non quercus vocales, ſed columbas ipſis inſidentes, & reſponſa dantes, vt Placidus, Statij interpres autor eſt: quæ exprimerent in mutis animalibus, quid homo adorare vellet. Quarum vna poſteà in Delphos ciuitatem Bœotiæ regionis iuxta Parnaſſum montem tranſuolauit, vbi Delphici Apollinis oraculo orationem parauit. Altera verò Hammonis Iouis templum in Africa tenuit. Nonnulli huius oraculi antiſtites narraſſe, plures ſcribunt. Ex Ægypto duas columbas euolaſſe: vnam in Africam, quæ Afris, vt Hammonis oraculum conderent iuſſit. Alteram apud Epeirotas, quæ fago inſidens, voce humana, eo loci Iouis oraculum condi debere, & ſe interpretem fore, & hoc, quod ipſis anuntiaretur, diuinitus fieri. Iouis verò Thebani ſacerdotes parum ab hac opinione non diſceſſerunt, vt alij produnt, aſſerentes, fœminas duas ſacerdotes è Thebis à Phœnicibus fuiſſe exactas, & vnam in Africa venundatam, alteram verò in Græcia. Quare Vergilius:

- Atq; habitæ Craium oracula quercus.

Et has primas fuiſſe, quæ apud prædictas gentes oracula condidiſſent.

Herod

Herodotus autem mulieres diuinatrices, lingua Theſſalica πελειάδες, id eſt, columbas vocari ſcribit: & is rem ipſam longiùs attingens, tres fuiſſe fœminas ſcribit: vt antiquiſſimæ nomen fuerit Promoneæ, proximæ Timacreæ, minimæ verò natu Nicandreæ. Quas autem fœminas Phœnices ſacerdotes ablegarunt: quæ verò in Græciam ipſam: quæ Pelaſgia vocatur, apud Theſprotos, in Iouis fano, quod ſub fago conditum eſt, ancillata eſt. A Dodonæis igitur columba dicta, quòd barbara eſſet, atq; barbaro ſermone vteretur: quod ſimile quoddam cùm auibus exiſtimabant. Quæ vbi Græcè loqui didiciſſet, humana voce interlocutam interpretati, & nigram columbam, Ægyptiam fœminam. Quod nonnulli ad Semiramidem referunt, quam in columbam verſam Syri crediderunt. Quare Tibullus:

Quid referam vt volitet, crebras intacta per vrbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro?

Ibi enim columbas æreas fuiſſe dicunt. Vt alijs verò placet, ibi columnæ duæ fuerunt, in cuius alterius editiori parte alienum locatum erat. In altera verò, quæ propè erat, puer ſitus, æreum geſtans flagellum, vt ſæpius aura vehementiori in lebetem incidebat, vt inde non minimus ſonitus obſonaret. Suidas verò oraculum lebetibus vndique cinctum fuiſſe ſcribit, ita vt vndique ſeſe inuicem contingerent: ita fieri neceſſum, vt vno quopiam pulſato, viciſſim omnes reſonarent, ſonitu per contractum ab alijs ad alios ſuccedente, Durabatq; in longum tempus tinnitus ille, in orbem redeunte ſono. Vergilius:

Ingens argentum, Dodonæosq; lebetas. Et Auſonius:
Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni,
Ad numerum quoties radijs ferientibus iſta
Reſpondent dociles moderato verbere pelues. Et Iuuenalis mulierum garrulitatem taxans:

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulſari.-

Ab illa enim garrulitate tractum adagium δωδωναῖον χαλκεῖον. Id eſt, Dodonæum ahenum. Quòd in loquaces, & de re puſilla garrulos dicitur. Et apud Pollucem garrulus dicitur, æs Dodonæum. De Dodonæo oraculo ſic Silius:

Nam cui dona Iouis non diuulgata per orbem, Lib. 3.
In gremio Thebas geminas ſediſſe columbas?
Quarum Chaonias pennis quæ contigit oras,
Implet fatidico Dodonida murmure quercum:
At quæ Carpathium ſuper æquor vecta, per auras
In Libyen niueis tranauit concolor alis,
Hanc ſedem primo Cythereia condidit ales.
Hic vbi nunc aras, lucosq; videris opacos,
Ductore electo gregis (admirabile dictu)
Lanigeri capitis media inter cornua perſtans
Marmaricis ales populis reſponſa canebat.

Dodonæi verò oraculi multa apud autores reſponſa, maximè apud Demoſthenem, vt nullius alterius minimè plura: vt propterea Statius, vt ſuprà oſtenſum, propter frequentem interrogantium turbam, anhelam quercum dixerit. Duo tantùm adferre libet, vt ex his appareat, quàm vana, quamq; fallax fuerit antiquorum religio: præſertim verò in hoc, in quo priſca ætas antiquius ſemper habuit nihil. Cuius tamen reſponſa, tam incerta, quàm eius hiſtoria fuerunt. Athenienſes etenim ex hoc oraculo acceperunt vt Siciliam conderent. Eſt autem illo nomine collis non procul ab vrbe Athenarum. Verùm illi Siciliam ſibi ex oraculo promiſſam arbitrantes, Syracuſanis bellum improſperè intulerunt. Pelaſgi autem ſedibus proprijs pulſi, cùm diuerſas terras petiſſent: ad Dodonam pleriq; confluxerunt: & incerti quibus locis adhærerent, tale audiuere reſponſum, quod ex Varrone Macrobius tranſcripſit,

Στείχετε μαιόμενοι σικελῶν Σατουρνίαν αἶαν
ἠδ' ἀβοριγενέων κοτύλην οὗ νᾶσος ὀχεῖται
Αἷς ἀναμιχθέντες δεκάτην ἐκπέμψατε φοίβῳ,
καὶ κεφαλὰς ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Aliud ridiculum, præter promiſſum addam. Liber Pater, vt Higinus autor, mente captus, furore à Iunone immiſſo, per Theſprotiam aufugiens, vt ad Iouis Dodonæi templum perueniret, accepturus quidem ab eo reſponſum, quo ad priſtinum mentis ſtatum, perduceretur. In itinere verò, ei obiecta palus eſt, quam cùm pertranſire nequiret, obuiàrunt illi, aſelli duo, quorum vnum cepit, in quo inſidens aquam pertranſijt: vt minimè aquam pedibus pertingeret. Ad oraculum autem vbi peruenit, continuò, furore liberatus, gratiamq; aſellis retulit, quos & inter aſtra collocauit. Illud poſtremum præterire non cenſui, atq; ex veritate poëtica, quercum illam, cuius formicæ in Myrmidones populos tranſmutatæ ſunt, ex ſemine quercus fatidicæ natam (cecinente Naſone.)

Metam.lib.7. *Fortè fuit iuxtà patulis rariſſima ramis*
Sacra Ioui quercus de ſemine Dodonæo.

De deorum coronis, & ſtatuarum illorum ac ſacerdotum, & ſacrificantium. CAP. V.

HOMINES arborum frondibus olim coronatos, ſuprà oſtenſum, verùm ante eos dij quoque ipſi, & illorum ſacerdotes, & ſacrificantes, victimæ quoque ac illorum ſtatuæ. Scribit enim Secundus, antiquitus, nullam coronam, niſi deo oblatam fuiſſe. Ob id Homerus Cœlo tantùm, & vniuerſo bello tribuit: viritim verò ne in certamine quidem, vlli. Saturnum verò ante omnes coronatum Pherecydes refert, & poſt deuictos Titanas Iouem Diodorus. Verùm Plinius primùm omnium Liberum Patrem capiti ſuo ex hedera coronam impoſuiſſe, ſcribit. Ariſtophanes autem grammaticus Spartanos ex arbore medica deos coronare ſolitos, memoriæ mandauit. Verùm non ex ſola arbore, omnium numinum coronæ fuerunt, quin ex omnibus certam ſinguli delegerunt: atque ex aliqua,

aliqua, dedicarunt mortales. Lacedæmonij dijs ſuis mala heſperida dicarunt. Iouem verò corona oleagina redimiri ſolitum Phurnutus ait. Quod hæc arbor, ſemper in virore ſit, ſuamq́; pinguedinem teneat, & quòd olei vſus vbique plurimus ſit. Libero autem Patri placuiſſe coronam, teſtis in Faſtis Ouidius:

Baccho placuiſſe coronam
Ex Ariadneo ſydere noſſe poteſt.

Panes itaq;, & ſatyri, è pinu factitatas geſtarunt. Lucretius:

Et genus agricolûm latè ſentiſcere cùm Pan
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans. Ouidius:
Pars tibi qui pino tempora nexa geris.

De Pane enim loquitur Propertius: *Et Arcadio pinus amata deo.*
Hac enim ratione illos pinu coronari ſcribit Phurnutus, quòd montanū quid ac ſylueſtre, hæc habeat. Omnibus enim plantarum floribus, coronari Vertumnum, memoriæ relinquit antiquitas, vnde nomen ſumpſiſſe, nonnulli exiſtimant. Quòd primis vertentis anni muneribus donetur. Sic enim apud Propertium de ſe fatur:

Prima mihi variat liuentibus vua racemis,
Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æſtiuo mora rubere die.
Inſitor hic ſoluit pomoſa vota corona,
Cùm pyrus inuito ſtipite mala tulit.

Athenienſes ex arundine contexere coronas, quas Dioſcoris, id eſt, Polluci & Caſtori dicarent, authore ſupradicto Ariſtophane. Poſteà verò deorum templis coronas dicarunt homines. Ex cinnamomo enim interraſili auro incluſo, primus omnium in templis Capitolij atque Pacis dicauit, imperatot Veſpaſianus Auguſtus (ſcribente Plinio.) Vidimus, inquit, etiam is Cinnamomi radicem ingenti ponderis in palatij templo, quod fecerat diuo Auguſto, coniunx Auguſta, aureæ pateræ impoſitam, ex qua guttæ editæ, annis omnibus, in grana durabantur, donec id delubrum incendio conſumptum. Deorum etiam antiquæ ſtatuæ cum arboribus, vel illarum ramis, vel fructibus effigiatæ. Rhamnuſia autem, quæ & Nemeſis, in Rhamnunte Atticæ vrbe, ſimulacrum, è ſolido lapide, magnitudine decem cubitorum habuit Phidiæ opus: fingebatur enim Veneris ſpecie. Quamobrem malum arborem dextra tenebat, vt autor Eudemus: Pauſanias tamen tenere dextra phialam, altera verò ramū fraxineum ſcribit. Apud Sicyoniam Græciæ vrbem Æſculapij ædes, cuius ſimulacrum in veſtibulo ædis fuit ex auro & ebore. Calamidis opus. Imberbis fuit altera manu ſceptrum, altera nucem pineam hortenſem Pauſanias in Corinthiacis. Victimæ poſteà litandæ, coronatæ ſunt. In templo Iouis Olympici, huius ænea ſtatua fuit, quæ ſiniſtra mali punici pomum tenebat, dextræ verò digiti tecti, & rigentibus ſimiles fuerunt. Apud Sicyonios Veneris templum fuit, in quo deæ ſimulacrum Canachi Sicyonij opus, manu altera malum geſtabat. Pòſt verò ſacerdotes coronati,

ronati, ſacrificarunt. Scribit enim in Oedipo tyranno Sophocles, ſacerdotes & ciuitatis electos, in ſacris faciundis, ſupplicibus ramis ad commiſerationem fuiſſe coronatos. Quod de oliua intelligendum cenſeo, vti ex inferius de ea arbore dicendis, patebit. Idem in Oedipo Coloneo: Oedipum ad expiandas Eumenidas, vt illum ſupplicem acciperent, ambabus manibus ter nouẽ oleæ ramos illis obtuliſſe docet Chorus. Apud Statium verò in Thebaide, ſacerdos Ioui ſacra faciens, oliua coronatus.

Huc gemini vates ſanctam canentis oliuæ

Fronde comam niueis ornati tempora vittis. Apud Orpheũ eadem coronati ſacrificia peragunt. Verùm in tantũ poſteà is honos, in ſacrificijs auctus, vt non victimæ ſolùm, & ſacerdotes, ſed & magiſtratus, & cæteri quoq; aſtantes, coronarentur. In qua verò re peragenda, non ſola arbore, verùm diuerſis illarũ generibus ſecundum gentium ritum vſi ſunt. Finxit enim Ariſtophanes, mulierem ſibi quinque puerulis, in texendis ex myrto, ad ſacra cerealia coronis victum parare. Perſæ, vt autor eſt Herodotus, dijs ſacrificantes cinctam myrto Tyaram gerunt. Cyrenenſes (autore Orpheo) Saturno ſacrificantes, ficis recentibus coronabantur, quod eius fructus repertorem credant. In ſacro ambaruali victimam ſequebantur multi clamantes, è quorum vnus corona quernea ornatus, cum ſolenni ſaltatione Cereris (carmine compoſito) laudes decantabant.

Quòd dij ex arboribus cognomina ſortiti, & de inarculo, & albogalero: & quòd ſub quibuſdam arboribus ſacrificatum. CAP. VI.

ARBORES, hominibus, & locis, nomina impoſuiſſe, ſupra viſum eſt: nunc qualiter dijs cognomina indidere, videndum. In Leſbo ſiquidem Apollo myricæ ramos tenet, vnde Myriceus cognominatus, vt Archeus meminit. Antiquiſſimam verò plantam tamaricem, quæ & myrice dicitur eſſe, Metrodorus ait. At Nicander tamaricem ſpecioſum fruticem, ideò μάντιν, id eſt, vatem vocari, ſcribit, à quo vaticinia exquirantur. Quamobrem magi apud Medos, & Scythæ ad ſua vaticinia tamaricis virgis vtebantur. Quod genus diuinationis ab alijs quoque gentibus obſeruatum. Nam Herodotus ſæpe in diuerſis nationibus, ramulis tamaricis, vaticinia fieri, teſtatus. Ægyptij verò ſacerdotes, in Iouis pompa myrica coronati. Autore etiam Plinio, Cappadociæ magi, quos Pyrethos vocant, comprecationes non ſine myricæ virgis faciunt. Viſus enim in myricæ ramo in ſomnis Apollo decorus. Cytinus idem à cytino vocatus. Primus enim mali punici flos eſt, qui decidit, cuius templum in Rheſcyntho monte Thraciæ. Athenis Iupiter μηλίχιος, ſic vocitatus, quòd huic tantùm poma ſacrificarentur, non vllum animalium genus. μῆλα Græci mala vocant. Alij tamen μειλίχιον, per ei in prima ſyllaba ſcribunt: deriuantq; à μειλίχιος, quæ mitem & placabilem ſignificat. Sub quibuſdam autem arboribus olim ex illorum religione ſacrificarunt

runt priſci homines. Nonis enim Iulij, Romanæ fœminæ, liberæ ſimul atq; ancillæ Iunoni Caprotinæ, ſub caprifico: à qua & ipſa Iuno & feriæ ipſæ nuncupatæ. In memoriam ſcilicet virtutis ancillarum, quæ pro reipublicæ conſeruatione, præclarum facinus geſſerunt. Nam poſt vrbem captam, & ſedato iam motu Gallico, Republica mirum in modum attrita fuit. Finitimi enim vrbem inuadendi opportunitatem ſe nactos putantes, Poſthumium Liuium Fidenatium Dictatorem ſibi præficiunt. Qui miſſus ad ſenatum poſtulauit, vt ſi vellent,reliquias ſuæ ciuitatis tutas remanere, virgines, & matresfamilias ſibi dederent. Quæ res diu, ac multum patres anxios ac ſuſpenſos tenuit: donec ancilla vna, nomine Tutela, ſeu, vt alij volunt, Philoſis, pollicita ſit, ſe cum cæteris ancillis ſub nomine & habitu virginum ac dominarum, ad hoſtes ituram. Ad quos, in fidem doloris lacrymantes, cùm ingeſtæ eſſent, à Liuio in caſtris diſtributæ ſunt, quæ viros plurimo mero prouocarunt, diem feſtum apud ſe mentientes. Quibus ſoporatis, è caprifico caſtris proxima, Romanis ſignum, flamma eleuata, dederunt. Qui repentina incurſione erumpentes,hoſtes facilè ſuperarunt. In cuius rei memoriam hæc ſacrificia fiunt: quibus lac, quod ex caprifico manat, adhibetur (vt Varro ait) & ex eadem arbore virga. Plutarchus tamen in Parallelis,id de Gallis,& eorum Rege Atepomaro,ſcribit,dicitq; ancillam vocatam fuiſſe Aretanam. Quod ſentire videtur Ouidius in Arte amandi:

Porrige & ancillæ, qua pœnas luce pependit
Luſa maritali Gallica veſte manus.

Cum priori tamen hiſtoria, alibi cùm Macrobio idem Plutarchus eſt. Inarculum Feſto, virgula, ex malo punico incuruata, quam regina ſacrificans in capite geſtabat. De inarculo ſic Plutarchus: Iunio Bruto & M.Valerio conſulibus.Poſt exactos reges, Rex ſacrificulus inſtitutus fuit, vt per eum ſolum, quædam ſacra fierent. Huius autem vxor regina ſacrorum appellabatur, quæ quoties ſacra faceret,ex malo punico virgam, quam inarculum vocabant, loco infulæ deferebat. & eidem Feſto Albogalerus, à galea denuntiatum. Pileus erat ex hoſtia alba Ioui cæſa factus, cuius apex virga oleagina, erat. Eo vtebantur flamines diales. Februm antiqui Sabinorum lingua,purgamentum dixerunt: hinc februa purgamenta in quibuſcunque ſacrificijs. Plinius hæc. Vulgata priſcis temporibus opinio obtinuit, februa eſſe omnia, quibus malefactorum conſcientia purgarentur, delerenturq; peccata, aut manes animabus defunctorum placidi redderentur. Ramus etiam dicitur, cuius ſacerdotes in ſacrificijs coronabantur, cuius verò rei locupletiſſimus teſtis Ouidius in Faſtis:

Februa Romani dixere piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima ſigna fidem.
Nomen idem ramo, qui cæſus ab arbore pura,
Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit.
Ipſe ego Flaminiam poſcentem februa vidi:
Februa poſcenti, pinea virga data eſt. Et alibi:

Sæpe tuli plena ſebrua toſta manu.

De laurea deorum ac ſacrificantium, & lauri in ſacrificijs vſu. CAP. VII.

TRIVMPHANTIVM coronæ, quæ vt plurimum è lauro fuere, ſuperius dictæ, etenim huiuſce arboris in victorijs, & cæteris hominum feſtiuitatibus frequens vſus fuit, verùm anteà, idem in deorum coronis ex eadem arbore honos verùm maior in ſacrificijs, vt nulla ad hæc communior ſanctior habita, apud gentiles fuerit. Lauro (inquit Nicander) Theſſalica Apollinis coma primùm redimita. Æſculapium lauri corona vinciri ſolitum, ſcribit Plutarchus. Quòd hæc planta, plurimas erga morbos habeat vires, Oreſtes, vt Probus in Bucolica Vergilij ſcripſit, Apollinis templum, iuxtà Reginos exædificauit. Quo loco, re diuina peracta, Regini lauream decerpere ſoliti, quam ſecùm ferrent, cùm Delphos proficiſcerentur. Et Romæ in Tyberis inſula Æſculapio ædem erectam F. Pompeius memoriæ mandauit: cuius idolum laurea coronatum fuit. Quod is Apollinis, cui laurus ſacrata filius fuerit. In Delo Apollinis templum, ad quod cùm Æneas profugus adueniſſet, Regem Annium & ſacerdotem lauro redimitos inuenit (ſcribente Vergilio,)

Vittiſq; & ſacra redimitus tempora lauro.

Ad aram verò maximam (ſcribente Macrobio) ſola lauru, non alia fronde ſacerdotes coronabantur. Quòd ex Varrone, in libro ſecundo humanarum, longè poſt conditam vrbem fuit. Poſteaquàm enim, in Auentino, lauretum cœpit vireſcere, ex monte proximo decerpta fronde, vicinitate offerente opportunitatem coronati. Antea verò coronis populneis vinciebantur. Quòd tempore Euandri factum Vergilius innuit:

Tu ſalis ad cantus, incenſa altaria circum.
Populeis adſunt euincti tempora ramis.

Q. Fabius (vt Liuius ait) legatus Romanus, ad oraculum Delphos miſſus: Laureatus enim oraculum adijt: & re diuina peracta, ſic nauem conſcendit. Nec prius coronam depoſuit, quàm Romam perueniſſet, atque eam in ara Apollinis depoſuiſſet. Marius poſt Cimbricam victoriam laureatus ſacrificauit, collectisq; vilioribus in pyram ſpolijs, coronato exercitu, face pyram incendit (ſcribente in Mario Plutarcho.) Cùm autem poſt victoriam de Mardonio & Perſis, Græcis de faciundo ſacrificio, Pythius reſpondit: ne priùs ſacra tractarent, quàm totius Græciæ ignem, quaſi à Barbaris violatum extinguerent, & poſteà à Delphis, velut à communibus laribus acciperent. Quod factum, è veſtigio reſtinctis omnibus ignibus. Nanq; Euchidas Platæenſis pollicitus eſt, ſe ignem delaturum: Delphosq; perrexit, vbi laurea redimitus, ex ara ignem ſumpſit: & ad Platæas citato gradu detulit. Lacedæmonij in certis ſacrificijs coronabantur, vt autor Soſibius: in qua re peragenda, maximè lauro vſi ſunt. Illi autem hyacinthia celebrantes, hedera, bacchico ritu, coronabantur (teſte Macrobio.) Prætor etiam vrbanus rem diuinam Herculi

faciens,

faciens, è lauru coronam gerebat, teſte eodem, & omnes, qui ad σύμβολον pollucerent. Liuius, decade quarta libro decimo: Maiores duodecim annis coronati, & lauream in manu tenentes ſupplicauerunt. Exercitus, cùm luſtraretur vt ait Acro, cum tauro id fiebat, milites autem ipſi, lauro coronati, ſub dio rem diuinam faciebant. Cæſar poſt bella ciuilia, lauro redimitus, ſacrificauit. Inquiente Appiano, Mithridates Rex, & cæteri incolæ, circa Boſphorum Cimmerium, in Ponticapeo vrbe, omni modo laborarunt, vt laurum & myrtum haberent ſacrorum cauſa. Laurus in ſacrificijs maximè expetita, vſqueadeo vt Pollux eam ac oleam in profanis vſibus prohibitam ſcribat. Æneas Vergilianus ſic Helenum alloquitur:

Qui tripodas Clarij lauros, qui ſydera ſentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ. Lucretius:
Et multò certa ratione magis quàm
Pythia, quæ tripode Phœbi, lauroq́ profatur.

Laurus enim, vt Phurnutus ait, oraculis dicata, dicta quippe eſt παρὰ τοῦ διαβαίνειν, id eſt, à tranſeundo. Purificationibus etiam adhibebatur, & cædis hoſtium ſuffimentum (inquit Plinius.) Vnde Iuuenalis ſat. ſecunda:

Quid Cremera legio, & Cannis conſumpta iuuentus:
Tot bellorum animæ, quoties hinc talis ad illos
Vmbra venit, cuperet luſtrari ſi qua darentur
Sulphura cum tedis, & ſi foret humida laurus.

Huius autem in ſacrificijs vſus fuit, propter diuinandi vim, quam habere dicitur. Quod demonſtrat Græca illius appellatio. Siquidem δάφνη à particula δα dicitur, quæ intentionis vim habet, & φωνεῖν, quod loqui, & canere eſt, vt Ariſtophanis interpres atteſtatur. Lycophron poëta δαφνηφάγον vocat, & Aphthonius rhetor laurum vaticinij ſymbolum eſſe prodidit. Ideò veteres laurum μαντικὸν φυτὸν, id eſt, vaticinam plantam vocauerunt. Ferunt enim Heſiodum, dum paterna armenta puer cuſtodiret, à Muſis adamatum, quæ illi deguſtandam dedere. Eius autem naturæ eſſe eius interpretes, & Proclus, & Iſacius, ac Zeres ſcripſerunt, vt qui eam manducent, vates fiant. Quare Statius:

- Venturi præſcia laurus,
Præceptaq́ templis.-

Scribit etiam Euripides, in Andromache, Caſſandram apud diuinam laurum vaticinantem, Paridem fore occidendum. Hinc veteres crepitantis lauri ratione rerum euentus aucupabantur. Si enim abunde, & ſonantiùs crepuiſſet, fœlix auſpicium exiſtimabatur. Quod intellexit Tibullus illo verſiculo,

Laurus vbi ſigna dedit, gaudete coloni.

E diuerſo autem, ſi tacita deflagraſſet inauſpicatiſſimum rebatur. Quod etiam Propertius expreſſit,

Et iacet extincto laurus aduſta foco.

Quare vaticinatores, lauro veſcebantur: ideò δαφνηφάγοι dicti, & δαφνοφόροι ſacerdotes Apollinis Iſmenij.

De

De arborum ad ſacrificia vſu. CAP. VIII.

QVI primi, inquit Porphyrius, deo ſacrificarunt, non animalibus, verùm herbis primùm & eorum floribus, deinde verò & arboribus, aromatibusq́; ſubfumigarunt, & primos arborum fructus dijs ſuis obtulerunt. Secundus enim thure, Iliacis temporibus ſupplicatum: Cedri autem tantùm & citri, ſuorumq́; fruticum in ſacris fumo conuolutum nidorem veriùs, quàm odorem nouerant. Hoc modo etiam canit Ouidius:

Faſtor. 1. *Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,*
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.

Thure enim primò ſupplicatum. Sunt etenim quidam, qui ſtatim poſt idolum factum eo ſacrificatum aſſerant. Cuius primum Syrophanem Ægyptium autorem ferunt. Ad quod ſerui eius fugitiui veniam mereri ſperantes, thuris munuſcula ferebant, quod domino placere ſciebant. Quòd autem thus ſacrificijs dicatum ſit, vocis etymon exprimit. Nam ἀπὸ τοῦ θύω, quod eſt, ſacrifico, dicitur. Alexandro autem Magno in pueritia, citra parſimoniam thura aræ inijcienti pædagogus Leonides dixit, Sumptuoſe fili ſacrificato, cùm thuriferam regionem ſubiugaueris. Qui pòſt Arabia potitus, illi thure & Cinnamomo onuſtam nauem miſit, cum epiſtola, qua hortatus eſt, ne poſthac in deos auarus eſſet. Socrates enim, vt autor Stobæus, thus dijs conuenire dicebat: ita & laudem viris tribui. Thyos enim ſacrificium intelligitur, & thymiamata, aromata vocantur, quæ deo offerebantur. Thucydides ἁγνὰ θύματα vocat, id eſt, ſacrificia pura, vt thuris, & myrrhæ, vti impura cenſerentur, quæ ſanguinis haberent effuſionem. Bdellij autem vſus in ſacrificijs fuit (inquiente Plinio.) Fuit & tedæ reſina flammis, & lumini ſacrorum grata, vt idem literis mandauit. Platani etiam in ſacrificijs vſus fuit, vt eſt apud Homerum. Perſarum item magi, qui in ſacrificijs præficiuntur, carnes ſuper lauri myrtiq́; virgis poſitas adurunt, & lacte ac melle permiſtis, faſciculis myrteis appræhenſis aſpergunt. Scythiæ diuinatores humi ſinguli ſtrati, virgas ſalignas prætenues comprimentes vaticinantur. Naaëres, quos Herodotus androgynos putat, tiliam trifariam ſcindentes, digitisq́; implicando ac reſoluendo, futura præcinunt. Hæc generaliùs, quo ad deorum ſacrificia. Nunc verò aliquot arborum genera, in ſolius alicuius dei ſacris pertractemus. In Iouis enim Olympij ſacris, alba populo ſacerdotes ſemper vſi ſunt. Ex quo Hercules eam attulit, & ex eadem ſacrificauit. Elienſes etiam Ioui muſcario ſacrificantes, eadem arbore vſi ſunt: vt ſcribit Pauſanias in Eliacis. Pini autem teda, in Cereris ſacrificijs apta fuit, quòd hæc ad inueſtigandam Proſerpinam filiam, geminas pinus pro lampade incenderit, vt indicat Ouidius:

Faſtor. 4. *Alta iacet vaſti ſuper ora Typhoeos Aetna:*
Cuius anhelatis ignibus ardet humus.

Illic

Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris ſacris nunc quoque teda datur.

Cydones verò ſacra Dianæ facientes, ſertum è pinu, aut lentiſco præparant. Athenienſes enim Icari manes, & Erigones eius filiæ, quæ ſe, ob patrem ab his interfectum, ſuſpenderat: placare cupientes, ora è cauatis arborum corticibus aſſumebant, & oſcilla ex alta pinu ſuſpendebant. Sicyonij, Veneri hoſtiarum coxas, ſuibus exceptis, ſacrificarunt: reliquias autem in ſacris altaribus, iuniperi lignis, & folijs herbæ pæderotis, comburebant. Bacchi ſtatuæ faciem Siculi in vindemijs muſto & ficis, oblinebant: quòd vtriuſque arboris inuentorem perhibeant: vnde Morychi cognomen illi inditum, tractumq; inde adagium, Morycho ſtultior: in eos, qui ridiculè, ſtulteq; quid faciunt. In huius verò ſacris, viti ſemper hederam prætulerunt (autore Siculo) quòd hæc nunquàm folia dimittat. Phliaſij Hebæ quotannis feſtum celebrant, quod à ſecanda hedera, ciſſotomos appellatur. Pauſanias hæc. Ægyptij, die decimanona primi menſis ſacra faciebant, in quibus tantùm melle ac ficubus veſcerentur. Numam autem Pompilium dum Pani ſacrificaret, fagineum ramum geſtaſſe, intonſis crinibus obuolutum, apud antiquos legitur. Suidas autem, & Pollux, tale Herculis apud Bœotios fuiſſe ſacrificium memorant. Etenim Herculi rem diuinam malis facere conſueuerant. Cuius ratio talis: porrò hoſtia aries, vel, vt ille ait, bos. Itaque cùm dei feſtum adeſſet, & immolandæ victimæ vrgeret tempus, & ruſtici vi bouem adducerent, ille rupto fune aufugit, aut, vt hic voluit, quum ſeriùs aries deduceretur, & Aſopus fluuius repentinis inundationibus ita ſubitò creuiſſet, vt minimè tranſire poſſet, Iuuenes, qui iuxta aram ludebant, ritum ſacrificij adimplerunt. Maturum enim malum ac perpulchrum deſumentes, ſtipulas quatuor ſubdidere: duas autem pedum vice, reliquas verò cornuum loco. Putantes ad eum modum, ſe arietem ſacrificare. Creditumq; eſt, Herculem, nihilominùs, & ſi per luſum actum, hac tamen victima magnopere delectatum, vt cognomen poſteà huic additum ſit. ἡρακλῆς μήλων. Tibiæ verò, quibus in ſacrificijs vtebantur, non niſi ex buxo fuerunt. Hoc autem exemplum non omnino extra rem, è Pauſania poſtremum addemus. Fons verò in Lycio Arcadiæ monte fuit. Quod ſi fortè ſqualens anni ſiccitas ab incolis timeretur, exhinc & ſtirpium & ſeminum interitus, Iouis Lycæi ſacerdos, primùm latices ſacros veneratus, immolatiſq; hoſtijs, & re diuina de more peracta, quercus ramum, quem manu geſtabat, in fontem dimittebat, ita vt non penitus immergeretur, ſed ſuper aquas nataret. Ex fontis enim motione, quam ſecerat ramus, halitus quidam nubeculæ perſimilis, ſurſum efferebatur, ex quo mox conflabatur nubes, multiſq; ad eam concurrentibus alijs, cœlum omne caligine obducebant, vt non longè poſteà regionem illam irrigarent imbres.

De arborum, erga Judæos, ad ſacrificia, legibus.

CAP. IX.

SVMMVS profectò Deus IESVS CHRISTVS, cui ſoli ſacrificia, cuius tantùm munera accipimus, Moſi in mandatis dedit, vt filijs Iſraëlis præciperet, quatinus oleum purum afferrent, quod iugiter in lucerna ante tabernaculum teſtimonij, à veſpera vſque manè luceret: atq; vt talis cultus per eorum ſucceſſiones filijs Iſraëlis fieret, Moſi iterum iuſſit, vt myrrhæ quàm puriſſimæ ac ſelectæ ſiclos quingentos, Cinnamomi ducentos quinquaginta, & calami aromatici tantundem: caſiæ verò quingentos, olei autem menſuram. Ex quibus omnibus vnguentum arte ſeplaſiaria componerent: quod ſanctum in ſua generatione eſſet: quo hominem inungi, nefas eſſet, nec in alium vſum ſumi: alioquin extorris erit. Quo inſuper tabernaculum illud teſtimonij, arcam menſam, ac candelabrum, cum vaſis illorum, alrare etiam, labrumq́; & baſim, cum omnibus vaſis inungi. Denuò illi ait: Balſamum, ſtacten, galbanum, & thus, æquis portionibus ſumes. Hæcq́; omnia pharmacopolarum arte contundes, incenſumq́; facies. Quod ante tabernaculum pones. Quod ſanctum vtique vobis erit, atque in alium vſum prohibitum. Quod ſi temetè veſtrum alicui contrà euenerit, à gente ſua extorris ſit. Dominus item eidem præcipit, vti decimaquinta die menſis ſeptimi feſtum celebrarent, quo citri fructus ſumerent, & palmarum ſpatulas, & ramos cuiuſdam denſæ arboris, & ſalices, lætarenturq́; coram domino. Hæc autem à me dicta ſunt, non quòd Iudæorum legem gentiles imitatam eſſe, innuere velim. Tanrum enim abfuit, vt horum veſtigia in nonnullo imitata ſint, tanquam à Deo ſummo aliena, & omnino profana, veluti quæ deorum ſpurcorum, & nullius vis & potentiæ eſſent: vt pote qui nil abſq; ſummi Dei iuſſionibus peregerint, quibus nil magis acerbiùs, etiam indicta pœna, prohibitum.

De nonnullis ad ſacrificia profanis arboribus.

CAP. X.

SICVT porrò priſcorum religione, quædam ad ſacrificia Deorum receptæ ac teuerìtæ fuerunt arbores, de quibus ſuprà: par eſt etiam de his differere quæ ad hæc receptæ non fuerunt, imò prorſus damnatæ. Nam & Cicero in ſuis legibus, quas ad inſtar duodecim promulgauit, non omnes, verùm cerras baccas, quas nec ipſe demonſtrauit, ſacerdotibus fore libandas dicit. Flamini enim diali, hederam tangere piaculum erat, imò etiam, quod maius, nominare nefas, F. Pompeio ptodente. Plutarchus autem addidit, nec illac tranſire, quòd illa promineret, aut etiam vmbram ptotenderet. Hac verò ratione, vt ille ait, quòd vinciat quodcunque applicet: hic autem quòd illa ſterilis ſir, atq; hominibus propter frigiditatem inutilis, quodq́; etiam alterius adminiculo ſemper egeat. Vmbra ſolùm iucunda, & viriditate oculos paſcit. A deorum enim templis penitus arcetur. Apud Athenas in Iouis æde, neq; Thebis, in æde Veneris, vnquam viſa. Eſt etiam quoddam hederæ fruticis genus, quòd ſmilax dic

lax dicitur,infauſtum quidem omnibus ſacris, & coronis, quòd hæc lugubris ſit,virginis eius nominis,propter Croci iuuenis amorem,in hunc fruticem,cùm illo commutationem. De quibus Ouidius:

Et Croco in paruos verſum cum Smilace flores.

Id autem vulgus ignorans, plerunque feſta ſua polluit, hederam exiſtimando, ſicut in poëtis, aut Libero patre, aut Sileno. Quis enim (vt ait Plinius) neſcit quibus coronetur? Fuit tamen hedera quibuſdam ſacrificijs comprobata, quam item Ægyptij viti præficiebant (autore Diodoro Siculo) quòd illa ſemper vireat, nec folia dimittat. In Iouis autem Didymæi dedicatione, hederaceis folijs libare mos fuit. In Arcadia ab Acace quatuor ſtadijs, templum Deſpœnæ. In eo autem ignem ex olea, lauróve, vel craſſioris corticis quercu, aliáve arbore,cuius caudex cauus, fungoſusq́; foret, accendere, vel adolere nefas Arcades exiſtimarunt, quòd hæc ligna ominoſa, & deteſtata exiſtimarentur. Satiuarum autem arborum,præter mali punici fructus,illuc importare licet. Cauebant antiqui, ne buxum Veneri offerrent, ne palæſtram veneream expiarent. Opem Bœotij Semelam appellabant, in cuius templo (vt Macrobio placuit) virgam myrteam habere nefas erat: quòd hæc cùm patris amori obſtitiſſet, ab eo virga myrtea tranſuerberata fuerit. In Dianæ item ſacrificijs hæc profana fuit: quòd deæ fugientis tunicæ huius arboris ramus adhæſerit. Flora, quæ & bona dea,& fatua dea Arnobio: alijs etiam gynæcea, ſacrificantes mulieres, in eius ædem myrtum non importunt: quum omnium germinum floribus, eius ſacrificijs vti liceat. Fuit enim Flora Flauij diuinatoris vxor, quæ cùm vino clanculum vberiùs vteretur, à viro deprœhenſa, myrteis virgis, ac flagris cæſa fuit. Alij aliam rationem, quòd hæc arbos Veneri ſacra ſit, vt quòd omne quod maſculum credatur,ab eius ſacrificijs excludatur. Mitiores arbores omnes,præter punicam Arcades in Proſerpinæ fanum inferunr. Id ſcilicet innuentes, quòd matri reſtituta non fuiſſet, quòd mali punici granum deguſtaſſet. Quod indicauit Aſcalaphus, ideò in bubonem deformatus. Et vt generaliùs in omnium deorum ſacrificijs hanc rem finiam, Genus quercus quoddam eſt, quod haliphleon vocant,quod quia fulmine icitur,& ſi altitudine non excellat, ideò ligno eius ad ſacrificia vti, fas habetur. Id Theophraſtus ad Æoles refert.

Arborum materies ad deorum ſtatuas & quid delubrum, & de adagio, Ne è quouis ligno Mercurius fiat.

CAP. XI.

EX arbore & numinum ſimulacra (inquit Plinius) fuere. Nondum enim pretio excogitato, beluarum cadaueri,antequam vt à dijs nato iure luxuriæ, eodem ebore numinum ora ſpectarentur, & menſarum pedes. Quod Tibullus ad alterius rei expreſſionem oſtendit:

Tunc melius tenuere fidem, cùm paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus. Alibi idem:

Neu pudeat priſco vos eſſe è ſtipite factos:
Sic veteris ſedes incoluiſtis aui. Et Ouidius:
Religione ſacer priſca, quò multa ſacerdos
Lignea contulerat veterum ſimulacra deorum.

Plato autem deorum ſtatuas, tantùm è ligno fieri præcipiebat. Aurum enim & argentum tum priuatim, tum publicè, rem inuidioſam eſſe, & infœlicis terræ atque infœcundæ genituram eſſe, & morborum colores repræſentans. Ebur verò rem ſanctam minime fore, quo propter varietatem abutantur homines. Ferrum enim, atque æs, bellorum eſſe materiam. Lapidem verò rem duram ac inanem. Euſebius etiam ex ligno primùm effica ſcribit, quod primùm in Delo inſula Eriſichthon Apollini, & indigenæ Palladi dedicauit: quod ſua tempeſtate (vt ipſe ait) Athenis extaret. Et apud Samios Iunonis ſimulacrum, vt Callimachus apud eundem aſſerebat. Seruius autem delubrum, ligneum ſimulacrum vocat: à libro, hoc eſt, raſo ligno, factum: quod Græcè ξόανον dicitur. Sunt tamen qui ea diſtinguant εἴδωλα deorum, regum ἀνδριάντας, ſapientum εἴκελα. Quæ inſuper viris benemerentibus fierent, βρέτεα. Statuas ligneas priſci Dædala vocarunt, & horum effictorem Dædalum: & ab his etiam dædala feſta, quæ Platæenſes Ioui Citherenio celebrabant: quòd Iupiter ad reconciliandam Iunonem, ſimulacrum veſtibus coopertum currui impoſuerit, vt Platæam aufugeret, ſimulans ſe Aſopi filiam ſecum vehere. Ad quod Iuno cucurrit: & ſciſſa ſimulacri veſte, dædalum tantùm depræhendit, propter quod ſummoperè gauiſa. Ad deorum enim idola, antiqui materiem ipſam, quæ natura diuturnior, quæ've ſolidior eſſet, ſelegerunt, vt elegantius opus effigiaretur: vt propterea & vetuſtas, & dignitas, in his maior eſſet, ſicut & in lignis, quæ eius ſunt naturæ, fieri ſolet. Theophraſtus autem è ſubere primùm factitata ſimulacra dicit. Quo poſteà ſpreto, è palma fabrefacta. Vetera ξόανα ex hebeno, cupreſſo, cedro, loto, thya, & quercu, quantum Pauſanias percipere potuit, vt aſſerat, ſe crebrò animaduertiſſe, lectiores deorum ſtatuas ex his confectas. Quorum hiſtoriam ſpeciatim, ex plurimorum monumentis proſequi placet. Indi verò quaſcunque deorum imagines non niſi ex hebeno habent. Salaminæ autem Aiacis ſimulacrum, ex hebeno fuit. E cupreſſo hæc leguntur. Orphei ſtatua, quæ in Libethris fuit, quæ paulò antè, quàm Alexander cum Dario conflixiſſet, ſudaſſe Plutarchus ſcribit. Veiouis etiam Romæ in arce, quod dicatum ab vrbe condita ſexcenteſimo ſexageſimoprimo anno, durauitq; vſq; ad Plinij tempora. M. autem Antonio, A. Poſthumio conſulibus, ibidem Iunoni reginæ, ſigna duo poſita, etiam cedrina. De quibus etiam legitur quòd in ædem eiuſdem illata fuerint. C. Claudio Marcello, & M. Valerio Licinio conſulibus, nouo ſacrificio à decem viris edicto. De quibus Liuius iſta: Ab æde Apollinis boues fœminæ duæ, albæ, porta Carmentali in vrbem ductæ. Poſteà duo ſigna cupreſſea Iunonis reginæ portabantur, & quæ ſequuntur. Pythagorici autem, vt autor Laërtius in Pythagoræ vita, cupreſſino ligno abſtinebant: quòd ex hac arbore Iouis ſceptrum fabricatum eſſet,

& etiam acerno. Cedrina autem apud authores hæc leguntur, quorum quædam nonnunquam ſudaſſe perhibentur. Epheſi enim in æde ipſius Dianæ: Apollinis autem in templo, quod prope Thebas in colle Iſmenio fuit. Aliud Romæ etiam Apollo Soſianus Seleucia auectus. Apud Vergilium in arce Latini regis, è cedro,

Quinetiam veterum effigies ex ordine auorum Lib. 7. Aen.
Antiqua ex cedro, Italuſq́, paterq́ Sabinus,
Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem,
Saturnuſq́ ſenex, Ianiq́ bifrontis imago,
Veſtibulo aſtabant.

Ex thya arbore Mercurius Cyllenius in Arcadia fuit, qui octopedum altitudine fuiſſe legitur. E quercu enim Lucinæ fabrefactum, autore Euſebio. Platæenſes hoc modo deorum idola factitabant: prope Alalcomenas ingẽs ſylua fuit, cuius quercus magnitudine Bœotiæ arbores omnes facilè ſuperabant. In hanc enim ſyluam ſecum decoctas carnes deferebant, & in fruſta deſectas liberè exponebant. Inter cæteras verò aues, ſolos tantùm coruos obſeruabant: vt quem primum rapta eſca euolantem vidiſſent, oculis quam maximè poterant, illum proſequebantur: arboremq́; in quam primò ſediſſet, quò diligentiùs poterant, animaduertebant. Ex cuius ſtipite, dijs quàm exquiſitiſſime ſimulacra fabricabant. Hæc Pauſanias in Bœoticis. Præter hæc & ex alijs materijs idola effigiata etiam reperiuntur. Ægyptij è perſea, ſtatuas conficiebant, non alia gratia, quàm ex fideli materia: vti ex arbore quam balanum appellant. Ex oleaginis radicibus idola confecta, propter materiei firmitatem & varios colores. E pyraſtro autem Peras Iunoni ſtatuam fecit: quæ ab Argiuis è Tyriulhe ad templum Hæreum, inſulæ Eubœæ allata. In Polliadis verò templo (ſcribente Pauſania) quod intra arcem Athenarum erat, Mercurius fuit, qui lignis myrteis aſpectu perhibebatur. A Cecrope enim dicatus ferebatur. Apud Naxios Baechi facies ficulnea fuit. Ex vitice etiam fabricata, inueniuntur. Nonnullis autem dijs, præſcripta quædam arborum materies, vt non è quouis eorum idola figurarentur. Quod in Mercurio obſeruauit antiquitas. Vnde tractum adagium, ne è quouis ligno Mercurius fiat. Ex quo autem ligno effigiaretur, non memini me legiſſe. Pythagoras tamen aliter ſentiebat, vt is deus ex omni materie exculperetur. In arboribus etiam deorum ſtatuæ antiquitus locatæ. Apud Orchemenios autem in ingenti cedro, Dianæ ſimulacrum poſitum (autor Pauſanias) à quo Diana cedrealis dicta.

De ferijs, & feſtis, ob arborum fructus inſtitutis.

CAP. XII.

NVNC de ferijs, propter plantarum fructus, à Romanis inſtitutis. Tanti enim illi rem ruſticam fecerunt, vt non minùs quàm pro bello, & antequàm pugnam inituri eſſent, nonnulla ſacrificia de more facerent, Dijs litarent, auguria ſciſcitarentur, vrbem luſtrarent, & quod operæpretium facturum eſſet, conſulerent.

rent. Sic enim pro arborum fructuum proſpero ſucceſſu deos placarunt, ferias pro his certis temporibus conſtituerunt. Tria nanque tempora illi fructibus maximè (inquit Plinius) metuebant, propter quæ tot ferias, atque dies feſtos inſtituerunt. Præterea Cicero in ſuis Legibus, ſacerdotibus præcipit, vineta vt augurarentur. Hæ autem fuere, Robigalia, Floralia, Vinalia, de duobus tantùm prioribus dicturus. Illa enim à Robigo deo, & Flora dea dicta. Robigum enim Romani robiginem auertere putabant. Ouidius,

Flamen in antiquis lucum Robiginis ibat.

M. enim Varro ſtatim in limine ſui de re ruſtica libri, Robigum & Floram adueneratur. Quibus propitijs, rubigo neque frumenta, neque arbores corrumpant: vt ne etiam tempeſtiuè floreant. Rubigalia autem, vel, ſi mauis cum Varrone, robigalia dicere, Numa anno regni ſui vndecimo primus inſtituit, quæ ad ſeptimum Maij Calendas celebrarentur. Quoniam tum ferè ſegetes, & arbores rubigo occupat. Hoc enim tempus Varro determinat, Sole Tauri decimam partem obtinente, ſicut tunc ferebat ratio. Sed veram Plinius cauſam fore aſſerit: quòd poſt dies vndeuiginti ab æquinoctio verno, per id quatriduum, varia gentium obſeruatione, in quartum Calendas Maij, Canis occidit. Sydus quidem & per ſe vehemens, & cui præoccidere Caniculam neceſſe ſit. Quamobrem Canis in ſacris Robigi victima fuit. Ouidius in quarto Faſtorum:

Eſt Canis (Icarium dicunt) quo ſydere moto
Tota ſitit tellus, præripiturq́ ſeges:
Pro cane ſydereo, canis hic imponitur aræ,
Et quare fiat, nil niſi nomen habet.

Floralia verò in honorem deæ Floræ celebrabantur, vt arbores affatim effloreſcerent, atque proſperè defloreſcerent: vtq́; etiam ad iuſtam magnitudinem fructus accederent. Inſtituta autem fuere vrbis anno ſextodecimo, ex Sibyllæ oraculis: & quarto Calendas Maij fiebant. Quod teſtatur Ouidius, loco iam memorato:

Exit & in Maias feſtum florale Calendas.

Hanc verò diem idem Varro determinat, Sole Tauri partem quartamdecimam poſſidente. Ergo ſi in hoc quatriduum plenilunium inciderit omnia, quæ floreſcunt, lædi neceſſe erit. Floram enim ex arte meretricia magnas opes quæſiuiſſe Lactantius Firmianus refert, & populum Romanum hæredem ſcripſiſſe, certamq́; pecuniam reliquiſſe ex cuius annuo fœnore natalis ſuus celebraretur, Ludorum editione, quos Floralia appellauit. Quod ſenatui, non ſatis decorum, imò flagitioſum potius viſum fuit. Sed ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, veluti pudendæ quidem rei, dignitas quædam adderetur. Etenim deam eſſe finxerunt. Quæ floribus præſit, eamq́; oportere placari vt fruges cùm arboribus, bene proſpereq́; florerent. Hunc autem colorem nobiliori fictione ſecutus eſt in Faſtis Ouidius: Nam non ignobilem nympham prædicauit, quæ ſit Chloris vocitata, à Zephyro autem vim paſſa, quam tamen poſteà duxit. Quæ & à viro dotis loco id muneris accepit, vti

omn

omnium florum poteſtatem haberet. De hac autem quædam ſuprà.

De nemoribus ſacris. CAP. XIII.

ARBORVM item alius honos, non in deorum ſtatuis neq; in vno aut altero, pluribúsve harum generibus, ſed in integra, atque ampliſſima ſylua, plurimorum etiam generum promiſcua, qualis in nemoribus ſacris, & deorum lucis fuit: in quibus atque inter tot arbores, vnam violare nefas fuit. De nemoribus autem ſacris prius, quàm de lucis dicendum. Etenim quædam publicè, priuatim verò cuidam numini multorum autorum monumentis ſacra reperiuntur. Et antequam vlterius rem attingamus, quomodo ſacrum nemus à luco ipſo differat, oſtendendum: propterea quòd nonnulli idem arbitrati. Quod ex varia exſcribentium lectione euenit, qui ſæpenumero alterum pro alio vſurparunt. In poëtis verò vberior licentia, vt nonnunquam lectori ſcrupulum eueneri, an de nemore vtrúmne de luco illi intellexerint. Nemus autem minùs religioſum minusq; venerabile: vt omnes tamen à cædendis & violandis arboribus abſtinerent. Ingreſſus verò communis, vt plurimum abſque certi numinis veneratione. Quorum item inuicem diſcrimen largius in luci deſcriptione apparebit. Nemoroſa autem & vmbroſa loca numinibus ſacra: Græci pſictera, vt Nicander ait, vocarunt. Hyrnethium, locus iuxta Epidaurum vrbem, oleaſtris ab Hyrnetha Temeni filia conſitus, à qua nomen etiam deſumpſit. Daiphontis vxor fuit: quam cùm à marito, Cerines & Phalces fratres propter illorum ſimultates abducere nixi fuiſſent. Quam cùm arctiori complexu illi marito illam vendicante, ſtringerent, prægnans interfecta eſt. Cui vir poſteà eo in loco ſepulcrum condidit: diuinosq; honores ſanxit. Lata etiam lege, vt ſi quæ eò loci natæ ſua ſponte ſi quæ arbores eſſent, & caſu frangerentur aut occiderent, ne quis colonus aliúsve quiſpiam, eas in domum ſuam deportaret, néve ad vſus priuatos accommodaret, verùm ibi, tanquam Hyrnethæ ſacras, relinqueret. Priuatim verò cuidam numini ſacra, hæc legi: maximè verò è Pauſania, autore Græco, plura tamen Cereri. Apud Anthedonem Bœotiæ ciuitatem, ſub montem Meſabium, Cabirorum templum, & huic vicinum Cereris nemus. Alterum eiuſdem cognominis Cabiriæ & Proſerpinæ filiæ, quod ingredi nemini, præterquam initiatis & ſacerdotibus licebat. Aliud etiam earundem apud Potniam eiuſdem regionis vrbem. Apud Sicyonios ad Phliuntem, recta via, ad ſummum ſtadia decem, ad ſiniſtram, nemus pycea dictum. In quo Ceres cognomine Proſtaſia & Proſerpina colebantur, vbi harum ac Bacchi ſtatuæ. Ibi ſeorſum viri veluti συμφῶνα, ſeorſum verò mulieres feſtum celebrabant. Apud Cyrtonam Apollinis templum & nemus. Corſia Bœotiæ oppidum, ſub quo nemus arboribus ſylueſtribus, & vt plurimum fruticibus conſtat. In eo enim Mercurij ſimulacrum non magnum, ſub dio poſitum. Apud Cyrthonam fons, iuxta quem Nympharum templum, & nemus exiguum, ſalicibus conſitum, non longè ab Aſopo fluuio ilicetum, & templum dearum,

dearum,quas Athenienſes Semnas, id eſt,venerabiles. Sicyonij verò Eumenidas,id eſt,placabiles appellant. Ibi enim ſingulis annis feſtum vnum faciunt,& grauidas oues ſacrificant. In Lerna Arcadiæ prouincia,ſacrum nemus fuit, à Pontine monte incipiens. In Argolico agro nemus, Argo Niobes filio ſacrum, in quod Argiuorum millia quinque à Cleomene deuicti aufugerunt: igne autem incluſi perire,flamma omnia corripiente. Apud Tameſam Brutiorum vrbem ſacellum fuit, Polytæ Vlyſſis ſocio dicatum, oleaſtris circunſeptum, ſcribente Strabone. Chardamylle oppidum Laconicæ regionis,à mari octo ſtadijs diſtans: apud eum nemus Nerei filiabus ſacrum. Apud Olympum nemus Pelopi ſacrum: vnde Pelopium dictum Pauſanias in Eliacis. Morus paſtorum religione ſacra. Siquidem illi nunquam, niſi prius ſanguineo mori ſucco corporibus tinctis, Pana, ſuum numen, votis, precibus,ad gregis ſui, ſuamq; opem, inuocabant.

Præfatio libri quarti.

IN omnibus agendis, vel maximè ſcribendis, nil vtilius atq; præſtantius: quã ſi decens ordo ac ſeries obſeruetur. Hac nanq; ratione omnia & breuius ac dilucidius peraguntur: lectori etiam tum delectationem tum gratiam nõ minimam afferunt. Quæ verò confusè inconditeq; & multa ambage exarantur: obſcuriora ſemper atq; inconcinniora magis apparent vt ſæpè lectori nauſeam inter legendum pariant, & ſi nonnunquam ardua ſint: vt tanquã iaſpis in ſterquilinio iaceant. Quæ ſi conueniens & apta coagmentatio obſeruetur, hunc autori honorem deferent, vt à quo acceperit, minus deprehendatur, vt nobili & ſubtili furta ſua eſſe exiſtimentur, quæ tamen ab alijs accepta ſint: vt de his gloriari valeat: ac ſi Herculi clauam eripuerit. Quod vt facerem, vt potui elaboraui, quò minus materia diuagare dignoſceretur, & aliena ab inſtituto videretur, vt ſequens à priore omnino aberrare non cerneretur, ſed & prior ſequentẽ genuiſſe ac peperiſſe exiſtimaretur. Superiori etenim libro de arborum religione diximus, ſed de ea tantùm, quæ circa nonnullas fuit. Qui verò nunc ſequitur, hoc idem continebit: verùm diuerſo calle & tramite. Hoc autem generalius, vt quæ in ſyluis integris, in nemoribus, lucis dicatis, & dijs gentilibus ſacris. Quæ verò religione maxima ſemper apud ſuos habita, quæ violare, ſummum piaculum, vt ſæpius numinum vindicta (vt illi crediderunt) ſequeretur.

HORTORVM LIBER QVARTVS.

De luco, & eius religione, & quòd in lucis, de rebus publicis tractabatur, & in illis diebus ſacris epulabātur.

CAPVT I.

EST autem lucus, ſylua, dijs, heroibus, vel alicuius cineribus ſacra. Germanos autē veteres nulla deorum templa habuiſſe præter lucos, nemoraq́;, deorum ſuorum nominibus appellata, Cornelius Tacitus ſcribit. Quippe Quintilianus hæc: ſicut ſacros ex vetuſtate lucos adoramus, in quibus grandia & antiqua robora, iam non tantam habent culturam, quantam religionem. Horatius praætereà in epiſtola ad Numitium, diuitias deiectandas, atque virtutem amplectendam ſuadere volens, eos increpat, qui virtutem, tantùm verba exiſtimant, & ſacros lucos nihil aliud, quàm ligna eſſe. Perſius eiuſdem farinæ poëta, ſatyra prima, in eos exclamat, qui vbi lucum ſcripturi forent, cum appingere neſciant, his verbis,

- Nec ponere lucum,
Artifices.-

In lucis verò deorum ſimulacra poſita, quibus ſacrificatum: ibi ſonitus, & deorum voces exauditæ veluti de luco Sybeles, Claudianus atteſtatur. Lucos autem manes, qui vitales lares dicebantur, & heroum animæ, autore Seruio, incolebant. Hinc Vergilius:

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Lucos primùm conſecraſſe Faunus fertur, & numinibus ædes, quæ ab eo fana dicta ſunt (vt autor Probus.) Vnde apud Plautum, in tuo luco, fanoq́ eſſe. Quod Donatus in Adelphis adagionis loco, eſſe ait: hoc eſt, in tua poteſtate, arbitrioq́; eſſe. Separati etenim, atque ſemoti erant, manuq́; conſiti, vt Cicero in ſuis Legibus ſcribit, in agris habendos lucos, propterq́; ſerere eos oportere. Nunquam cædui erant. Ideò arborum vetuſtate venerandi. Aſyla autem dicta ſunt. Sic enim Liuius libro trigeſimoquinto: templum eſt Apollinis Delium, imminens mari, quinque millia paſſuum ab Tanagra abeſt, minùs quatuor millium inde in proximam Euboeæ eſt maris traiectus, vbi & in fano lucoq́;, ea religione, & eo iure ſancto, quo ſunt templa, quæ aſyla Græci appellant. Sic etiam Vergilius:

Et Carmentalem Romano nomine portam,
Quam memorant Nymphæ priſcum Carmentis honorem,
Vatis fatidicæ, cecinit quæ prima futuros
Aeneadas magnos & nomine Pallantæum.
Hunc lucum ingentem quem Romulus acer aſylum
Rettulit.- De quo etiam Ouidius in Faſtis:
Romulus vt ſaxo lucum circundedit alto,
Quilibet, huc, dixit, confuge: tutus eris.

Græcè etiam autore Suida τέμενος dicitur. Vt plurimum enim raró antiquis ſine templo lucus fuit (autore Strabone) vt etiam antiqui poëtæ nuda templa, lucos amœnos vocarint. Vbicunque enim lucum poſuit Vergilius, ſecuta conſecratio eſt, vt annotauit Seruius Maurus:

Lucus in vrbe fuit media, lætiſſimus vmbra,
Quo primùm iactati vndis, & turbine Pœni
Effodere loco ſignum, quod regia Iuno
Monſtrarat, caput acris equi: ſic nam fore bello
Egregiam, & facilem victu per ſecula gentem.
Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine diuæ, &c.

Quòd autem in lucis ſepulti ſint homines, paucorum ero teſtimonio contentus. In Creta enim Amathuſius lucus, in quo Ariadnæ Veneris ſepulcrũ oſtẽdebatur, inquiente Plutarcho. Seruius autem in illo carmine,

Necnon & ſacri monſtrat nemus Argileti.

Hac autem Euander quondam Argum ſuſcepit: qui cùm de eius cogitaret interitu, vt ipſe regnaret, Euandro hæc non ſentiente, ſocij intellexerunt, & Argum necarunt. Cui Euander & ſepulcrum fecit, & lucum ſacrauit: nõ quod ille merebatur, ſed hoſpitalitatis cauſa. Vergilius etiam:

Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ tumuloq́; ſacerdos,
Et lucus latè ſacer additur Anchiſæo. Alibi idem:
Ante vrbem falſi Simoentis ad vndam
Libabant cineri Andromachæ, maneſq́; vocabant.

Scribit etiam Seruius, Æneam & ſocios lucum & cœnotaphium Paliuro dedicaſſe non procul ab Hellia ciuitate Italiæ. In lucis etiam de rebus publicis conſultum. Apud Ceràuniam autem lucus Ioui ſacer, quo loco Achæi de rebus publicis conſulturi coibant. Hunc autem vel alterum eiuſdem concilij Strabo apud Helicem vrbem poſuit, qui Ænarius vocatus ſit. Archidamus enim cùm duo Luxidani de re aliqua diſcepantes in eum conueniſſent, illos in Chalcidicæ Mineruæ lucum ducit, illosq́; iurare coegit, vt quæ arbitratus fuiſſet rata, grataq́; haberent. Quod cùm feciſſent, ſtatuit, ne prius illi de luco abirent, quàm de controuerſijs inuicem conſtituiſſent. Lucus Petilinus Romæ extra portam Frumentariam ſitus. M. Varro in ſeptimo monte qui quinti ceps ſos erat, in regione quinta locauit. Vnde in Capitolium conſpectus non eſſet in quo concilium populi Romani ſuper crimine Manlij indictum,

indictum, vt Plutarchus in Camillo ſcribit. In quo etiam Dictator, autoribus patribus, tulit ad populum, ne cui militum fraudi ſucceſſio eſſet. Apud Ferentinæ lucũ L. Tarquinius Latinis certã diem, vt conuenirent, indicit. Ad quem etiam poſt deuictos à M. Popilio Gallos concilia populorum Latinorum habita ſunt. Quæ verò ibi decreta ſunt, ſanctiora magis ſemper, ob loci religionem habita, vt maius piaculum eſſet, ſi hæc rata, firmaq́; non fuiſſent. In lucis etiam ſacris diebus epulabatur in deorum honorem. Vergilius:

- Aut lucos vocat hoſtia pinguis in altos.

Lucanus autem, & Papinius inter Latinos poëtas ij inuenti, qui appoſitè magis lucum deſcripſerint. Quorum verba, & ſi parum oblongiora ſint, hîc tamen transferre in horum, quæ ſuprà dicta ſunt, teſtimonium decreui: quòd ſperem etiam lectione horum, lectorem minimè grauari. Hic breuius:

Sylua capax æui, validaq́ incurua ſenecta
Aeternum intonſæ frondis ſtat peruia nullis
Solibus: haud illam brumæ minuere, Notúsve
Ius habet, aut Cræcica Boreas impactus ab vrſa.
Subter opaca quies, vacuuſq́ ſilentia ſeruat
Horror, & excluſæ pallet mala lucis imago.
Nec caret vmbra deo, nemori Latonia cultrix
Additur: hanc piceæ, cedriq́, & robore in omni
Effictam, ſanctis occultat ſylua tenebris.

Ille enim verius, ideoq́; longiori vſus ſermone:

Lucus erat longo nunquam violatus ab æuo,
Obſcurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas altè ſummotis ſolibus vmbras. Et pòſt:
Illu & volucres metuunt inſiſtere ramis,
Et luſtris recubare feræ: nec ventus in illas
Incubuit ſyluas, excuſſaq́ nubibus atris
Fulgura: non vllis frondem præbentibus auris,
Arboribus ſuus horror ineſt: tum plurima nigris
Fontibus vnda cadit, ſimulacraq́ mæſta deorum
Arte carent, cæſiſq́ extant informia truncis.
Ipſe ſitus, putriq́ facit iam robore pallor
Attonitos.- Et pòſt:
- Iam fama ferebat
Sæpe cauas motus terræ mugire cauernas,
Et procumbentes iterum conſurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia ſyluæ,
Roboraq́ amplexos circunfulſiſſe dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere Deis medio cùm Phœbus in axe eſt,
Aut cœlum nox atra tenet, pauet ipſe ſacerdos
Acceſſus, dominumq́ timet, deprandere luci.

De luci veneratione. CAP. II.

IN religione enim venerationem ſemper ineſſe oportet. Suprà enim de lucorum religione, in qua deſcribenda non potui, quin ſimul & venerationem immiſcerem, ſicut in hac illam ſimul commiſcere, neceſſe fuit. Inuij enim luci fuerunt, per quos etiam, neque in neceſſitate ipſa meare fas fuit. Prope enim Minturnenſes lucus fuit, quem ad ea, quæ ad mare ferenda eſſent, ingredi compendio indigenæ non auderent. Fuitq; Minturnenſibus impedimento, vt ſcribit in Mario Plutarchus, quum ad mare, cum Mario contenderent. Itaque circuire lucum, & longiorem ire viam expediebat. Vt moris eſſet peregrinantibus, cùm inuia opponeretur, illic pauliſper aſſidere, votumq; poſtulare, & portum apponere, autore Madurenſi Apuleio. Xerxes per Achaiam tranſiens luco Iouis Aphlyſtij, vbi adſuiſſet, abſtinuit & hoc idem ſuis copijs imperauit. In Platæenſi agro apud Meloëtem amnem, atque in loco, qui Argiopius dictus eſt, Cereris Eleuſinæ templum & lucus inſignis admodum Græcorum equidem, duce Pauſania, de Perſis victoria, & nece Mardonij Perſarum etiam duce. In tanto enim excidio, nullus Perſarum ad vitam tuendam, neque templum intrauit, neque in luco occuluit. Quod diuina vi Deæ factum exiſtimatum eſt, in ſui templi vindictam, quod illi antea concremauerant. Herculi autem heroi, poſt Caci necem, & egregium illud facinus, in totius regionis grande bonum atque libertatem, propter ingentes labores anhelanti, ac ſitienti, aquas fontis luci Ægeriæ deguſtare non licuit. Sic enim apud Propertium deprecatur:

Propert.lib.4.

- Vos precor, ò luci ſacro quæ luditis antro,
Pandite defeſſis hoſpita veſtra viris:
Fontis egens erro, circaq; ſonantia lymphis,
Et caua ſuſcepto flumine palma ſat eſt. Et paulò pòſt:
- At talibus alma ſacerdos,
Puniceo canas ſtamine vincta comas,
Parce oculis hoſpes, lucoq; abſcede verendo:
Cede agedum, & tuta limina linque fuga,
Interdicta viris metuenda lege piatur. Et pòſt:
Di tibi dent alios fontes.-

Fuerunt etiam quidam altero ſexui prohibiti, vt ex infrà ſequentibus apparebit. His itaque niſi ad publicos & ſacros vſus frui licebat, vt ſuprà demonſtratum: nec illis ad venationem vti, & illorum animalia occidere, niſi ſacrificij cauſa atque numinum eorundem. Arrianus autor Græcus, inſulam Arabici maris contra Euphratis oſtium poſitam eſſe memoriæ mandauit, quam Alexander Magnus Icarum, ab alia maris Ægæi, ſimilis nominis vocauit. In ea verò Lucus & templum Dianæ, in quo paſſim cerui & capreæ errarent: quas non niſi ad ſacrificium interficere licuit. Strabo etiam Græcus autor in Venetis duos lucos monſtrari ſcribit. Quorum alter Iunoni Argiuæ, alter Dianæ Ætoliæ: in quibus

feræ ita manſueſcunt, vt cerui lupis aggregentur, vt etiam aduentantium hominum manus demulceant: quas ſi canes inſectentur, & illæ aufugerint, ab inſectatione tamen canes deſiſtant. Liuius Latinus autor: nobile templum, ipſa vrbe nobilius (de Crotone loquitur) Liciniæ Iunonis ſanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti ſylua, è proceris abietis arboribus ſeptus. Læta in medio paſcua habuit, vbi omnis generis animalia ſine paſtore paſcebantur. Cuiuſque verò generis ſeparatim egreſſi nocte ad ſtabula remeabat, non ferarum inſidijs, non hominum fraude vnquam violati. Vnde ex pecore magni fructus eſſent. Quidam verò in Lacinio promontorio ſex millia à Crotone diſtante poſuerunt. Verùm non ab his ſolum homines, ſed animalia quoque, certi etiam generis abſtinuerunt. Rarò enim cornices, inquit Plinius, in lucis Mineruæ viſæ ſunt. In luco autem Aricino, nullus additur equus, qua de re infrà dicetur.

Lucus vnde, & de vocabulis ab eo deductis.

CAP. III.

DE luci autem etymo nunc dicendum, quòd illius religionem etiam explicat. Dicitur autem lucus, & Quintiliano, ac Chirio Fortunatiano rhetoribus, & Diomede, ac Donato, atque Priſciano & Flauio Soſipatro grammaticis: quòd vmbra opacus, parum luceat: voce à contrario tracta. Vnde Apuleius lucum ſublucidum, id eſt, parum lucentem, vocat: & Vergilio, ac Horatio, ſubluſtris vmbra, quæ parum luminis habeat. Sunt tamen è recentioribus quidam, qui lucum non per ἀντίφρασιν hoc eſt, verbi ironiam, minimè dictum putent. Quod qui volent pertinacius aſſerere, illorum opinionem adſtruent, quòd lucus, maſculino genere, antiquitus, pro luce vſurparetur. Terentius in Adelphis: cùm primo luco ibo hinc. Ibi enim ignes ſacrificij & religionis cauſa ſæpe apparebant: & Lucani Italiæ populi Pompeio dicti, quod loca herboſa, & multæ lucis apud eos ſint, aut quòd in luco primitus conſederint. Feſtus autem, ſicut & lugere à Græco λύειν τὸν βίον, vel ἀπὸ τοῦ λύπης deducit. Gellius verò ex eo quod Græcè ἀλύειν dicitur, id eſt, languere G, litera in C, conuerſa, & etiam hallucinari, propter tarditatem quandam & animi ſtuporem, qui hallucinantibus plerunque euenit. Oblucinaſſe etiam Pompeio, priſci mente erraſſe dicebant, quaſi in luco quidam deus eis occurriſſet. Poſtremum, alij à luco Aramorum, apud quos ſenem ſignificat, ab arborum ſenio appellatum volunt. Lucullus & lucellus, luci diminutiua ſunt. A luco autem deducta ſunt lucar, vt Feſto placuit. Id autem omne erat, quod ex lucis captabatur alij erogationem, quæ in lucis fiebat. Hoc autem diffuſiùs Plutarchus in Problematis interpretatur, vt id omne eſſet, quod in ſpectaculis impenderetur, ac ſi ex lucorũ prouentu omne illud eſſet. Quod autem ex locis ſacris proueniret, antiqui profanum in priuatos vſus expendi putabant. Lucaris etiam pecunia (autore illo) quod in luco data erat. Quid ſit collucare & compeſcere

lucum, infra libro duodecimo, vbi de remouendis ſtolonibus agetur, dicetur.

Lupercal quid, & quare Iuno, Lucina dicta, & nonnullis alijs, à luco tractis vocabulis. CAP. IIII.

A Luco etiam Iuno Lucina dicta: qui Romæ ſub monte Exquilino, teſte Plinio fuit. Cuius etiam ſententiæ ſubſcribit Ouidius, his verbis:

Monte ſub Exquilio multis incæduus annis
Iunonis Magnæ nomine lucus erat. & infrà:
Gratæ Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus.

Propterea M.Varro Exquilinam regionem, à lucis vocatam arbitratus, vbi lucus, Lupercal dictus, ſylua denſa conſtans, Pani Deo Arcadiæ ſacer: vbi eiuſdem ara. Ibi item petra caua, fontes emittens. In hunc igitur locum, lupa, poſtquam Remum & Romulum pueros allactaſſet, ſeſe recipere conſueuerat. Deuotus quidem ab Euandro, admonente matre Carmenta. Huius meminit Vergilius:

- Et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,
Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.

Pan enim Lycæus dictus, à Lycæo Arcadiæ monte, cui ſacratus: vel quòd ipſe paſtorum deus λύκυς, id eſt, lupos non ſinat in oues ſæuire. Huius etiam meminit Propertius:

Tarpeium nemus, & Tarpeiæ turpe ſepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Iouis.
Lucus erat fœlix hederoſo conditus antro,
Multaq; natiuis obſtrepit arbor aquis:
Syluani ramoſa domus, quò dulcis ab æſtu
Fiſtula poturas ire iubebat oues.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidaq; ſuggeſta caſtra coronat humo.

Nam Syluanus idem & Pan erant. Lucus ille fuit, qui & aſylum, de quo ſuprà dictum habuit, autore Varrone, & Luceres tertiæ tribus homines, ab aſyli luco dicti, ſicuti in Romulo Plutarchus ſcribit. A luco etiamnum aliquot vrbes nomina ceperunt: vt Lucus Auguſti, vrbs in Hiſpania, Oceano propinquior, nunc Lucenſis vrbs. Otra, ſiue Orta, oppidum Hetruriæ ad Tyberis fluenta (vt autor eſt Cato) Hetruſcorum lucus. Tamen ſæpenumero lucum pro ſylua non ſacra vſurpant plures receptæ autoritatis. Inter quos Ouidius,

Mille feras Phœbe ſyluis venata redibat,
Aut plus, aut medium ſole tenente diem.
Vt tetigit lucum, denſa niger ilice lucus,
In medio gelidæ fons erat altus aquæ. Et Lucretius:
Qua formoſa ſua Clitumnus flumina luco
Integit, & niueos abluit vnda boues.

Horum verò duorum teſtimonio contentus ſit lector. Feſta Lucaria,

Feſto

Feſto dicebantur quæ in luco magno, qui intra mare, inter viam Salariam & Tyberim ſitus erat, à Romanis, Calendis Februarij celebrabantur, quod in eo victi à Gallis Romani, à bello fugientes ſeſe occultarunt.

Heroibus, & præclaris viris, veteres dicaſſe lucos.

CAP. V.

HEROAS, viroſq; claros, in lucorum dedicatione, atque deos ipſos, venerata eſt priſca illa ætas, vti illos ſimul ac deos ſuos hacce religione participes voluerit, vtpotè qui deis ipſis propinquiores ipſos exiſtimauerint. Quod præcipuè à Græcis factitatum. Tanti enim ſuos magnates, ſiue virtutis amore, aut ſuarum rerum gloriæ cupiditate fecerunt, vt illos non ſolùm monimentis, atque ſcriptis, verùm religione quoque poſteris incognitos minimè relinquere, ſummoperè laborarint. Quos certè ſi in deos referre non potuerunt, ſaltem lucis, vt hos, honorarunt. Alyzia vrbs Acarnaniæ, quindecim à mari longè ſtadijs. Portus eius Herculi dicatus: & ibi lucus cum fano, quod Herculis certamina continet. Ad Cynoſarges propè Athenas Herculis templum, & lucus circunte ctus, à Philippo incenſus, vt Liuius ſcribit. In Germania vltra Viſurgim flumen ſylua Herculi ſacra (ſcribente in annalibus Tacito.) Trœzenij Peloponneſi populi, lucum Hippolyto dicarunt. In quo templum filio Theſei ſacrum, à Diomede erectum, qui primus dedicauit. Lucus palmarum, iuxta Chemmim Thebaicæ regionis oppidum, Perſeo Danaæ filio ſacer. In medio autem templum (Herodoto autore.) Refert in heroicis Philoſtratus, in Pontico mari eſſe inſulam, quam Ponti oſtium intrantes ſiniſtram habent, & ad partem magis hoſpitalem, vergentem. Hæc autem albarum populorum, vlmorumq;, & aliarum quoque arborum apprimè ferax, vt ſerie quadam, iuxta fanum, ſua ſponte prouenіant. Lucus Achilli ſacer, quem ardeolæ (aues ſunt aquatiles) alarum ſtrepitu & aſpergine exornant. Humi enim paululum ſupra terram ſuſpenſæ volant. Hoc autem feciſſe memorantur à tempore, quo illic Achilles cum Helena habitauit. Alter Achilleum dictus, ante Tanagram Bœotiæ vrbem, à Pœmandro illi ſacratus (autore in Problematis Plutarcho.) Ante Corinthum vrbem cupreſſorum nemus viret, quod Cranion vocant. Ibi enim Bellerophontis lucus, & Veneris Melanidis templum, & Laidis monumentum, in quo ſculpta leæna, quæ prioribus pedibus arietem complecteretur. Athenis verò ſupra Caſtoris & Pollucis ædem, Aglauræ lucus (inquiente Pauſania) & alter, qui Olympiæ dicitur. In via autem, qua ab Athenis Eleuſinem proficiſcitur, quæ ab Athenienſibus ſacra vocitatur, iuxta campum Scyrum vocatum. Laciæ herois lucus, à quo Lacidas populos dixerunt. Non procul à Dardano, Ophrunium, in quo loco conſpicuo Hectoris lucus, vt Strabo atteſtatur. In Chalcide Cherroneſi iſthmo, Lucus Alexandro Philippi filio dicatus, in quo Iones ludos Andria vocatos, quotannis celebrabant. Apud Lacedæmonem iuxta Bacchi templum Herois Lucus. Is enim dux Baccho Spartam eunti fuit, in-

quiente

quiente in Laconicis Pauſania. Eumenis lucus prope Saben ciuitatem fuit. Apud Tanagran Eunoſto templum & lucus ſacer. Et, vt paulò altius de eo, fuit is Cephiſa & Sciadis filius, cui nomen ab Eunoſte nympha, quæ eum educauerat, inditum fuit. Ab Ochna Coloni filia, & propinqua dilectus, verùm ille libidinem eius conuicijs retudit: quod ægrè illa ferens, vim ſibi ab eo illatam, fratribus detulit. Qui quum ſorori fidem adhiberent, Eunoſtum per inſidias ſuſtulerunt. Quamobrem à patre incarcerati. Quorum miſeratione illa commota, ductaq; pœnitentia, vtq; etiam dolore, quem ex amore conceperat, liberaretur, hiſtoriam omnẽ, veluti geſta fuit, patri indicauit: quam omnem è veſtigio ad Colonum renuntiauit: cuius iudicio fratres liberati, Ochna autem ſeipſam præcipitem dedit. Mulieribus autem is lucus inacceſſus fuit, propter Ochnam ipſam, quæ ſuæ necis cauſam præbuerat. Quod ſi quandoque contigiſſet, Tanagræi terræmotum, ſiccitates, imbresq;, aut alias tempeſtates poſtea oriri putabant. Quod vbi eueniſſet, diligenter perquirebant, num mulier clanculum, aut per imprudentiam, templo appropinquaſſet. Idq; primùm à Tanagræenſibus decretum eſt, poſteaquam Cledamus vir inſignis ſibi Eunoſtum cùm lauandi cauſa mulierem templum ingreſſam narraſſet. Lucus Deſpœnæ ſupra Megaram, in Arcadia conſecratus, ambitu lapideo compeſcitus: intra quem ilex, olea, pluresq; aliæ arbores, vna tantùm radice ſimul connatæ. Non tamen abſque diuûm religione, cùm id opus ſine inſitoris artificio ſit. Supra verò lucum, plurimorum deorum aræ: vnde per ſcalas ad Panos ſacellum, aſcenſus patebat. In itinere quod è Sparta in Arcadiam eſt, Cranij cognomento Stemmatij lucus. Pauſanias in Laconicis.

Luci aliquot, abſque numinum appellatione. CAP. VI.

LEGVNTVR & luci aliquot, ſine aliquorum deorum nomine, ſiue id generalius ad deorum omnium cultum & religionem fuerit, ſiue etiam, vt nomen ſcriptorum negligentia numen proprium prætermiſſum ſit: aut quòd adeò omnibus notum ac celebre fuerit, vt nomen addi minimè deberi exiſtimauerint: vt etiam ignorare poſſimus vtrum hæc appellatio potius ad ſyluas & nemora referri debeat, quæ tantùm eſſent incolarum oblectationi, nulli vſui publico reſeruatæ. Quæ citra deorum religionem, omni reuerentia habita, ac luci ipſi vnde nomen deſumpſerunt, ſuprà iam dictum. Sed de nonnullis dicendum. In Lebadia Bœotiæ oppido Lucus fuit: & in eo Agamedis foſſa: & ad eam columna, per quam ad Trophonium antrum deſcenſus foret. Iuxta Caphym Arcadiæ vrbem, lucus, vt ſcribit Plinius. In Paro alius. Incenſus autem, cùm Miltiades vrbem obſideret, vt Probus in eius vita ſcriptis mandauit. Ælianus luci, qui fuit Alexandriæ, meminit. Perpulchra & amœna vmbra, vbi perſeæ arbores conſitæ viſuntur. Apud Chryſam, Lucus cum templo. Iuxta Arſinoen lucus etiam cum templo. Iuxta Paphum (autore Strabone) lucus, qui, vt ait Martianus Capella, à Lecto trecentis ſexaginta

quinque millibus abeſt. Poſidio, in Arabia continuum palmetum, aquis abundans, qui & in magno honore habetur, propterea quòd tota circùm regio, æſtuoſa & arida ſit: vmbrarum quippe omnino expers. Eò autem loci palmarum maxima copia eſt. Luco enim vir & vxor, per genus conſtituti, præſunt, pelliti ambo, è palmulis victitantes. Apud Senorias, inquiente Ammiano Marcellino, lucus ſacer, quem nemo, niſi vinctus ingredi poterat. Quod ſi fortè prolapſus corruiſſet, extolli minimè ei licebat, verùm per humum raptare conueniebat. A Phigalea ad ſtadia fermè triginta, aut non multo plura, lucus ſine nomine. Pauſanias in Arcadicis. A poëtis tam Græcis quàm Latinis memorātur plures, plurimorum etiam deorum: qui ſi fuerint, aut ab ipſis efficti, non eſt noſtrum perquirere, minùs ſcire, tanquam res vana, maximè verò cùm & lucorum religio, cum dijs ſuis iam dudum euanuerit.

De pœna & vindicta horum, qui lucos violarunt.

CAP. VII.

EX religione enim deorum, vindicta circa eos, qui lucos violarunt, ſecuta. Ex veneratione autem, hominum pœna. Lucos enim violare probrum erat. Vt propterea homines, deorum vindicta, quam tamen ſemper non defuturam ſperabant, minimè contenti ſint, quin etiam circa lucorum violatores pœnas conſtituerint. Ne ſi talia facinora, remiſſiore deorum ira, impunita forent, ſaltem mortalium legibus vindicarentur. Hæc autem capitalis fuit, autore Pompeio. Nam violatoris caput expiandum erat: ideò grauiſſima. Communem verò cauſam fuiſſe (vt in Pericle ſcribit Plutarchus) quare Athenienſes, Megarenſes criminarentur quòd ſacrum lucum ſubſecuiſſent. Cicero verò in oratione, quam habuit de prouincijs conſularibus, C. Gabinium obiurgat, quòd nullus in Græcia, tam ſanctus fuerit lucus, in quo vllum ſimulacrum, vllúmve ornamentum, ab illo relictum ſit. Omni autem diligentia, poſtpoſita totius etiam rei domeſticæ ac priuatæ, vti in rebus ſacris, tum etiam publicis eſſe ſolet, cura, ſtudebant gentiles, vt hos ab iniuria defenderent. Quod quum id nimis religioſius quidam obſeruarent, ſæpe ſui excidij cauſam præbuerunt. Etenim in Caria Dianæ templum & lucus prope quoddam oppidum poſitum fuit, quod cùm Cimon Athenienſium copiarum ductor capere optaret, ſtrategemate vſus, noctu lucum incendit. Quo viſo oppidani opem aduerſus ignes laturi, confuſè exierunt. Quare ille facta irruptione, vacuam defenſoribus vrbem facilè cepit. Nunc ad vindictas deorum, vt primùm de Græcis referamus: in Aulide lucus fuit quem Græcanici exercitus dux Agamemnon violauit, caprea in eo paſcente interfecta. Quam ob rem indignata Diana, aërem infecit. Qua lue homines, & penè cætera animalia cuiuſque generis non paruo numero periere: nec antea ſedata fuit, quam huic Iphigenia Agamemnonis filia immolanda offerretur. Huius verò rei, præcipui Græcorum autores poëtæ etiam, teſtimonium ſuis monimentis nobis reliquerunt.

Græcorum quidam Cleomenem in furorem actum ſcribunt, vt inde ſeipſum laniauerit, demum interfecerit propterea quòd lucum apud Argos incendiſſet, & Argiuos quoque, qui in eum aufugerant. De Achillis luco ſuprà ex Philoſtrato ſcripſimus, eodem etiam autore ad hunc nonnunquam appulerunt Amazones imperarunt vtique vt arbores, quibus templum in orbem exornabatur, exciderentur. Verùm id non impunè quidem. Nempe ſecures inuiolatores partim in caput, partim verò in ceruices repercuſſu rediere: omnesq; iuxta arbores ceciderunt. Amazones autem ipſæ omnes, terra mariq; afflictæ, varijs cruciatibus dehinc periere. In Apollinis autem luco, quod in Ida Troadis erat, cornus nata: hanc Græci ad equum ligneum fabricandum exciderunt: qua re iratum Apollinem ſentientes, eum, quàm citius potuerunt, ſacrificijs placarunt, indito à nomine honore. Nam ab illa arbore craneum appellarunt, R litera tranſpoſita. Hæc enim Græcè *χαρνέα* dicitur. Turullius autem M. Antonij præfectus (Valerio Maximo & Lactantio autoribus) claſſem in Cho inſula, Apollinis euerſo luco, præparauit. In eodem verò, poſteà à Cæſaris militibus Auguſti iuſſu interfectus. Eadem autem vindicta non caruerunt, qui lucos heroum prophanarunt. Quod vno Strabonis dicto ſcilicet comprobabitur. Temeſſa Brutiorum vrbs fuit, iuxta quam etiam ſacellum, luco ex oleaſtris circunſeptum, Polytæ vni ex Vlyſſis comitibus ſacrum. Violata verò à Barbaris omnia, ſed grauis poſteà pœna ſubſecuta quæ in adagium cederet: Temeſſæus genius aderit. Quod in eos dicitur, qui pœnam grauem formidarent. Nunc ad poëtarum iudicium, qui idem ſicuti ex re ipſa geſta cognouerant, id impunè poſſe fieri exiſtimabant. Quod Lucanus clarum oſtendit. De Cæſare enim loquitur, lucum prope Maſſiliam proſcindere iubente. De quo etiam ipſe Cæſar in ſuis commentarijs:

Lucan. lib. 1.

Hanc iubet immiſſo ſyluam procumbere ferro:
Nam vicina operi, belloq; intacta priore
Inter nudatos ſtabat denſiſſima montes.
Sed fortes tremuere manus, motiq; verenda
Maieſtate loci: ſi robora ſacra ferirent,
In ſua credebant redituras membra ſecures.
Implicitas magno Cæſar torpore cohortes
Vt vidit, primus raptam vibrare bipennem
Auſus, & aëriam ferro proſcindere quercum,
Effatur merſo violata in robora ferro:
Iam ne quis veſtrum dubitet ſubuertere ſyluam,
Credite me feciſſe nefas. Tunc paruit omnis
Imperijs, non ſublato ſecura pauore
Turba, ſed expenſa ſuperorum, & Cæſaris ira. Et pòſt,
- Gemuere videntes,
Gallorum populi: muris ſed clauſa iuuentus
Exultat. quis enim læſos impune putaret,
Eſſe Deos?-

Hippom

Hippomanes deuicta Atalanta, amoris impatiens, cum ea in matris deum luco concubuit: vnde irata dea, eos in leones conuertit, atque in ſuo curru ſubiugauit: præcepitq́;, ne vnquam leones ſecum coirent. Eriſichthon autem Theſſalus de quo ſuprà, libro tertio, capite primo, quòd Ceteris lucum in Theſſalia ſuccidiſſet, & quercum ibi prægrandem excidiſſet,

Quam vitta mediam (vt verbis Ouidijs vtar) *memoresq́; tabellæ,* Lib. Metam. 8.
Sertaq́; cingebant, voti argumenta potentis.
Sæpe ſub hac Dryades feſtas duxere choreas:
Sæpe etiam manibus nexis ex ordine trunci,
Circuiere modum: menſuraq́; roboris vlnas
Quinq́; ter implebat: necnon & cætera tantum
Sylua ſub hac omnis, quantum fuit herba ſub illa. Et cætera:

Hanc autem meruit pœnam, videlicet vt ſemper fameret: tandem vt comeſtis omnibus ſuis facultatibus filiam etiam ad eſum venundarit: cuius item conſumpto pretio, ſemetipſum, ob famem dilacerauerit. Verùm quidam deorum beneficio, ne violatorum pœnas luerent, vti à lucis abſtinerent, moniti, inter quos verò Mithridates. Iuxtà enim Pataram Lyciæ oppidum, lucus Latonæ ſacer fuit, quem ille conficiendis machinis bellicis aggreſſus, ſed ſomno perterritus, luco pepercit, hæc Appianus.

Quòd ſummus deus IESVS CHRISTVS *religionem lucorum deorum gentilium execratus ſit, ac de pœna illorum, qui eos coluerint, & venerati ſint.*

CAP. VIII.

LVCORVM autem, gentilium deorum, religionem, quantum ſummus ille deus noſter IESVS CHRISTVS arborum omnium, & cæterarum rerum, quæ à terra miniſtrantur, ſeminator, ſator, parens, ac educator, & altor, exoſus, atque deteſtatus ſit, tanquam vanam, & à lege ſua, præceptisq́; ſuis prorſus alienam, tum illius iuſſis, tum eorum vindicta, qui contrà ierint, è ſacris Bibliorum libris patet. Primùm enim lucum iuxta altare ſuum ſeri prohibuit. Ait enim in Deuteronomio: non plantabis tibi lucum ex vllis arboribus iuxtà altare Domini. Suprà autem demonſtratum, & inferius latius, lucos vt plurimum iuxta templa poſitos fuiſſe. Sic etiam per Iſaiam Prophetam prælocutus ait: Diſſipabo, & abſorbebo ſimul. Deſertos faciam montes, & colles & omne gramen eorum exiccabo: & ponam flumina in inſulas, & ſtagna areſaciam. Quibus verbis (vt voluit Theodoritus) idolorum lucos & templa ſignificauit, quæ in eiuſmodi locis erant. Iratus enim Dominus Hieroboamo & Iudæ Hieroſolymitanis regibus, quòd ſibi lucos fecerint. Manaſſes autem & Achabus, Baali lucum fecerunt, & huic ſimulacrum dedicarunt, quod in æde Domini ille repoſuit: ſed non inultus. Nam ab Aſſyrijs captus & Babylonem vinctus perductus. Oſeas autem ſimilem pœnam, ob

tale facinus, apud eiuſdem prouinciæ regem Salmanaſarem fuit: Ioa verò interfecto, populus eius in manus Syrorum deuenit, quòd lucorum religionem amplexati fuerint, Ioachaz autem & Iſraëlitæ in Azaelis Syriæ regis poteſtatem venerunt, quod in Samaria lucum non extirpaſſent. Verùm, non ſolùm populo ſuo Dominus præcepit, vti lucos plantarent minimè, ſed etiam vt alienis dijs iam conſitos euerterent. Quod primùm Gedeoni iuſſum eſt, videlicet vt lucum iuxta Baalis altare excideret. Quem ſecutus Ioſias præclaram rem, atque Deo ſuo gratiſſimam nauauit, prædictum lucum ſubuertens, & idolum de templo Domini eliminans, quod iuxta torrentem Cedron exuſſit: ſed & cæteros lucos ſuccidit, atque oſſibus humanis in ingentem ignominiam impleuit. Hoc & Ezechias peregit, & Aſa. Ioſaphatus proinde Hieruſalem reuerſus, quòd Iudææ lucos omnes excidiſſet, tametſi viro impio & Deum odio habenti auxilium tuliſſet. Tanti enim fecit Deus lucorum excifionem, vt ſuæ veniæ locus apud eum eſſet. Tantum etiam lucorum religio à Summi Dei veneratione aliena fuit, vt etiam Hecatæi Abderitæ tempeſtate, qui Iudæorum hiſtoriam conſcripſit (autore de præparatione euangelica Euſebio) apud Iudæos nullus fuit lucus. Nabuchodonoſor inſuper Holoſernæ præcipit, vt & lucos omnes præcideret, atq; deos omnes deturbaret: non Dei ſummi religione, neq; in eum pietate, ſed vt ipſe ſolus in Deum coleretur.

De lucis Ioui ſacris. CAP. IX.

POST deſcriptam lucorum in vniuerſum religionem, reliquum eſt, vt ſpecialius nunc de his, qui certo numini ſacri, apud autores reperiuntur, dicamus: atque primùm de his, qui Ioui dicati ſunt, vt tanquam à ſummo Gentilium deo exordiamur. Is enim primas in Gentilium religione ſemper obtinuit. In Lycæo Arcadiæ monte, lucus Ioui ſacer, vnde Lycæus dictus, cuius templum ſi quis ingreſſus fuiſſet, annum ſuperuiuere non credebatur. Plinius autor. Aiunt autem quendam Deuichium nomine, quòd carnes pueri Ioui Lycæo immolati deguſtaſſet, in lupum repentè transformatum. Pauſanias autem hoc Lycaoni contigiſſe ſcribit, quòd puerum ſacrificaſſet. De hoc etiam memoriæ mandarunt Græci autores, vt qui hunc aliquando ſiue homines, ſiue feræ etiam, ingreſſi fuiſſent, nullam poſteà feciſſe vmbram: vt feræ etiam intra eum foris viſæ, ſemper ſine vmbra conſpectæ ſint. Omni enim tempore vmbroſum eſt. Alterius Pauſanias in Arcadicis meminit. Iouis etiam Lycæi cognomento Parrhaſij, apud Creteam ad ſiniſtram. Laphyſtius collis à Coronea Bœotiæ ciuitate viginti ſtadijs diſtat: in eo Lucus Iouis eius cognominis Laphyſtij fuit: in quo cùm Athamas Thebarum Rex, Phryxum & Hellen immolaturus eſſet, aurei velleris aries à Ioue miſſus, in quem poſteà incidentes fugiſſe ſcribunt. Inter Argon & Cleonen vna via in montibus Nemæum oppidum, ibi lucus cupreſſorum Ioui ſacer, à quo Nemeus. In quo templum Iouis Nemæi, ſiue Nemæetæ. In cuius herba

Ophelrem

Opheltem à nutrice locatum draco interemit. Hunc autem Heſiodus, ex oraculo apud Delphos accepto euitare cupiens, quòd vitæ finem ex illo intellexerat. Locris in Oene, ab Amphiphane, & Ganetore, Phygiſei liberis interficitur: ſecutaq; eſt oraculi fides. Nam Oene Iouis Nemæi templum appellatur. Apud Olympiam Lucus, Altin mutato nomine vocarũt, vnde Altius Iupiter, vt Pyndari interpres ſcribit, Templum ex Piſæorum manubijs votum, ac erectum, à Libone ædificatum. Simulacrum verò, Phidiæ opus, Pauſanias in Eliacis. Apud Labrandem (vt Herodotus memoriæ mandauit) lucus è platanis conſtans, in quo Iouis militaris templum. Ad illum autem Cares populi poſt acceptam à Perſis ſtragem aufugerunt. Megaris lucus Iouis cognomento Olympici, Vbi templum inſigne & ſimulacrum: cuius vultus ex ebore & auro, reliqua fictilia ſunt, ex gypſo compoſita. Theocoſmus ex ea regione oriundus, adiuuante Phidia, elaborauit. Abſolutum quidem, interueniente Peloponneſiorum contra Athenienſes bello. Dictori Cretæ promontorium, Idæ monti proximum, vbi lucus Iouis Alyſij. Nonnulli autem dictum à δία, καὶ τίκτω, quòd ibi natus ſit Iupiter. Seruio autem Cretæ mons ſic dictus à nympha, quæ ibi colebatur, in quo monte dicitur alitus Iupiter, vnde Dicteus vocitatus. Apud Ægienſes lucus Iouis cognomento ſeruatoris, vbi eius ænea duo ſigna, quorum alter barba caret. Pauſanias in Achaicis. In terra Laconica inter Phelliam fluuium, & Taygetum montem, Lucus Iouis Meſſapei, ſic vocatus à regiuncula Laconicè ſic appellata. Iouis nemus, in cacumine montis Ithomæ, terræ Meſſanicæ. Cùm autem à Dorienſibus non coleretur, Glaucus perfecit vt honores ei haberentur. Pauſanias in Meſſanicis.

De lucis Iunoni ſacris. CAP. X.

IVNONI pauci luci dicati reperiuntur. Sub Exquilio monte Iunoni cognomento Magnæ dicatus fuit: inquiente in Faſtis Ouidio,

Monte ſub Exquilio multis incæduus annis,
Iunoni Magnæ nomine lucus erat.

De Iunone autem Magna ſic Vergilius:

Iunoni Magnæ primùm prece adora.

Soſpita autẽ Iuno Lauinij colebatur, vbi illi & lucus & ædes ſacra erant. Quod teſtatur Titus Liuius libro octauo ab vrbe condita, Lauinijs ciuitas data, ſacraq; ſua reddita, cum eo, vt ædes lucusq; Soſpitæ Iunoni communis Lauinijs municipibus cum populo Romano eſſet. Iunoni Feroniæ lucus apud Tarracinam tertio milliario, Vergilius,

- Et viridi gaudens Feronia luco.

Vbi Seruius ait, Iunonem virginem Feroniam vocitatam. Alij autem Anxuris vxorem fuiſſe. De qua Horatius ſatyr. quinta: Ora manusq; tua lauimus Feronia lympha. Silius libro tredecimo:

Diues vbi ante omneis colitur Feronia luco,
Et ſacer humectat fluuialia rura Capenas.

Fama eſt, intactas longæui ab origine Fauni
Creuiſſe in medium, congeſtis vndiq; donis
Immenſum per tempus opes.

Iunonis Proſymeæ luci meminit Plutarchus de fluminibus, in quo lapides reperiantur, beryllo perſimiles. Quorum ſi vnum aliquis ſecum deferat, & peierauerit, ilico niger fiet. Alius fuit Nuceriæ, vt atteſtatur Plinius. Apud Ægienſes alius, & ſimulacrum eius: hunc autem ſolis mulieribus licet ingredi. Ferunt tamen in eius templo Achillem à Paride interfectum.

De lucis Apollini dicatis. CAP. XI.

APOLLINI autem longè plures dicati leguntur. Athenis in Grynico, Apollinis lucus, qui, vt ſcribit in Atticis Pauſanias, partim ſatiuis, partim ſylueſtribus fuit; quæ etſi infructiferæ aut natura, aut numinis nixu eſſent, aſpectu tamen & odoris fragrantia mirum in modum delectabant. Grynium oppidum Myrineorum fuit (autoribus & Stephano & Strabone) vbi templum candido lapide ſumptuoſum, & artificio ſpectabile, in quo Apollo veneraretur. Ibi etiam locus vaticinandi peruetuſtus fuit: & ibi Mopſum Apollinis filium diuinandi peritiſſimum præfuiſſe dicunt. Alij in Ionia fuiſſe ſcribunt. Seruius autem in quarto Æneidos Clazomenæ ciuitatis meminit, iuxta quam nemus Grynæum fuiſſe, in quo Apollo coleretur, à quo Grynæi cognomen accepit. Sæpe à Poëtis ſic vocitatur. Alij in Ionia fuiſſe commemorant: vt plures Apollines Grynæos fuiſſe oportuerit, aut vt autorum hiſtoria incerta circa rem vanam fuerit. De illo autem eiusq; deo, atque in eo geſtis, necnon de Mopſi ac Calchantis diuinationibus, Euphorion Chalcidenſis, poëma egregium conſcripſit, quod Gallus Latinum fecit: non vt verbum verbo, aut ſenſa ſenſis redderet: ſed argutum magis, vt tam ſuum fecerit, quàm Vergilius Maro, Æneida, Georgica, & Bucolica, in quibus tamen Homerum, Heſiodum, Theocritum æmulatus ſit. De quo ille in Æglogis:

His tibi Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis ſit lucus, quo plus ſe iactet Apollo.

Apud Colophoniæ Ioniæ vrbis agrum, lucus Apollinis Clarij, iuxta Haleſum flumen omnium quotquot ſunt in illa regione frigidiſſimum. Apud Miletum eidem alius, in medio cuius templum, quod Xerxes incendit. Sed pòſt Mileſij extruxerunt; omnium verò maximum, vt propter eius amplitudinem ſine tecto remanſerit. Apud Lycios, iuxta mare alius: ex cuius certo loco, qui Dina appellaretur, vaticinia petebantur. De quibus apud Atheneum videre eſt. In Iſmaro vnus, quem incoluiſſe Maronem Euanthus filium, Homerus ſcribit. Chemnis, aut, vt Herodotus vocat, Echemnis, Inſula laci Ægypti continuò ſupernatans. In ea lucus cum templo ſacer. Apud Delphos lucus Apollinis (Pauſanias in Phocenſibus.) Tithronium vrbs Phocidis, ibi & templum ſine ſimulacro & lucus Apollini ſacer idem autor. Cirrha vrbs, apud eam alius. Pro-

pe Action

pe Action (inquit Strabo) & vt alij volunt, in ſuburbijs Nicopolis Epeiri ciuitatis, alius. Luco autem ſupernè imminet tumulus, Apollini etiam ſacer cum gymnaſio. Ibi aguntur ludi quinquennales, ad inſtar Olympiorum: vnde Actius Apollo dictus. Apud Ladonem fluuium, lucus,& templum Apollinis Onxatæ. In Co inſula eiuſdem numinis lucus, vnde Apollo Cous. Prope Troiam ager,thymbra herba fertilis, lucus, & templum Apollini conſecrata, vnde Apollo Thymbræus dicitur. In templo autem Achilles à Paride occiſus. Phare Meſſeniorum oppidum, ab eo non longè Apollinis Carnij nemus. Pauſanias in Meſſenijs. Achantus, vrbs in Libya lucus eidem. Apud Alexandriam Troadis percelebre oppidum, lucus ibi Smintæo Apollini dicatus. In quo Herophile Sibylla, quam alij Erythræam vocant, antiſtes fuit: in quo tandem ſepulta. In inſula iuxta Oceanum,quæ Celtis oppoſita, lucus, cum templo pulcherrimo, ſtructione rotunda, Apollini dicatum. Diodorus ex Hecatæo affirmauit, Lucum Solis indigetis in Latio, prope Laurentum Plinius poſuit.

De luco Daphnes. CAP. XII.

SVPEREST, vt de luco Daphnes dicamus, qui omnium quotquot Apollini dicati, longè pulcherrimus atque memorabilis fuit. Quamobrem de eo ſeorſum & paulò altius enarrandum: vt oſtendamus etiam antiquorum tam celebrem erga ſuos deos religionem, & cultum, à CHRISTO IESV vtpotè deorum gentilium vindice, fulmine deluſam. Eſt autem Antiochia Syriæ vrbs, ad differentiam cæterarum, huius nominis vrbium, Epidaphne vocata: in ſacris etiam literis, Reblata vocata (vt inquit Ammianus) à Seleuco verò condita (autore Suida) & ab Antiocho eius filio pòſt nominata, tandem à Iuſtiniano principe, poſt terræ motum, Theopolis appellata, vt voluit Stephanus. Habuit portam,ſcribente in vita Ignatij Hieronymo, Daphniticam dictam, forſitan quòd per eam ad ſuburbanum iretur. Fuit autem Daphne prædictæ vrbis ſuburbanum, ſtadijs quadraginta ab ea diſtans. Locus autem hic ſimul & terræ ingenio, & cœli atque aëris temperie peramœnus. Fontes iſtic vberrimi, vt locum totum tacitè irrigent, & etiam fluuius Orontes. Claudianus:

Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.

Inde non minimum oblectamentum ac curarum & animi leuamentum captare potuerint, vti in his rebus, vt pulchrè ait Chryſoſtomus, ſummum & optimum opificem, non Apollinem, laudare poſſimus. In his igitur fontibus ac fluuio lauari Apollinem ſuetum ſuperſtitioſa credidit antiquitas. Mediocris habitatio fuit, vt ait Strabo. Procopius verò miris operibus conſpicuum: quod credendum eſt ob loci amœnitatem. Lucus ibi ingens, octuaginta ſtadiorum ambitu: Seleuciam vſque perueniens. Hic è lauris, quæ ibi præſtantiſſime (autore Auſonio) viſebantur, conſtabat, à quibus etiam dictus: & cupreſſis item immenſæ proceritatis

gnitatis ius dicentibus vetitum fuit,vt ne etiam prolapſam transferre, ne quidem Litucho liceret,tametſi ibi multas inſeruerit. Pro quibus tamen ſingulis, auri libram vnam ab Imperatore acciperet. Tantum enim curauerunt principes, ne lucus ille amœniſſimus, arboribus vacuus eſſet, ne inde deformitas ſequeretur. Eius autem meminerunt, præter hos, quos ſuprà memorauimus, Pauſanias, Arrianus, Cæſar Iulianus, in oratione illa, quæ inſcribitur, Miſopogon, & Capitolinus.

De lucis Mineruæ, Iſidi, Latonæ, Cybelæ, Oſiridi, & Æſculapio dicatis. CAP. XIII.

MINERVÆ luci dicati hi reperiuntur: Chalciocæ verò cognominatæ, lucus in Græcia prope Lacedæmonem, in cuius templo Lycurgus ædiculam erexit, quam Optilim nominauit: propter oculum ſibi ab Alcandro exectum, quum illuc confugeret. Nempe quidem Dorienſes, qui in illa regione inhabitant,oculos optilos vocant. Huius verò meminit Statius in quinto Thebaidos:

Tunc viridis latè lucus iuga celſa Mineruæ
Propter opacat humum niger ipſe: ſed inſuper ingens
Mons premit, & gemina pereunt caligine ſoles.

Alius eidem in Corcyra inſula (atteſtante in Odyſſea Homero inter Coroneam & Alalcomenes, lucus & templum Mineruæ Ithoniæ, ſic ab Ithono Amphictyonis filio nominatæ,antea verò Neonis nominatæ vbi lucus, templum cum ſimulacro Mineruæ dicata. Pauſanias in Bœoticis ac Phocenſibus. Æſculapio aliquot etiam ſacri.Apud Epidaurium huius templum magnificentiſſimum, ſumma religione tam ab incolis, quam exteris frequentatum. Iuxta quod lucus vndique circunſeptus: in quo Tithorea,in cacuminibus Pernaſſi montis vrbs mulierem nec mori,nec parturire poſſe, apud antiquos conſtantiſſima fama fuit. Quod etiam in Delo creditum eſt. Eiuſdem etiam numinis alius in Phœnicia, inter Berytum (quæ nunc Barutum) & Sidonem. Alius in Arcadia, non longè à Luſio flumine. Apud Argiuos etiam alius, inquiente Pauſania. Apud Meliſſam Epidaurij ciuitatem alius, & eius ſimulacrum, & Epionæ vxoris, è marmore pario. Sub dio enim conſiſtunt. Apud Ægienſes huic alius dicatus, in quo huius, & Sanitatis ſimulacra: Pauſanias in Arcadicis. Iſidi pauci ſacri leguntur. In Acrocorintho (Vertex enim montis eſt qui Corintho propinquior eſt) duo Iſidis luci ſunt, quorum alter Iſidi Pelagiæ, alter Iſidi Ægyptiæ Pauſanias in Corinthiacis. In Caria Latonæ Dianæ matri lucus fuit. Alium apud Carymnam ciuitatem ab Artemiſio promontorio ad ſexaginta ſtadia diſtantem, Strabo poſuit. Cybele in Phrygia plurimùm inter deos omnes venerata. In Ida autem eiuſdem regionis monte, illius lucus apprimè ſacer & reueritus: cuius Seneca Tragicus meminit:

Mouere ſyluæ capita
Et excelſum nemus:

Fragore vaſto tonuit
Et lucus ſacer. Claudianus etiam:
Hic ædes auguſta deæ, templiq́ colendi
Relligioſa ſilex, denſis quam pinus obumbrat
Frondibus, & nulla lucos agitare procella
Stridula coniferis modulantur carmina ramis.

Et apud Vergilium ſic loquitur:
Picea ſylua mihi, multos dilecta per annos
Lucus in arce fuit: ſumma quo ſacra ferebant
Nigranti picea, trabibusq́ obſcurus acernis.

Latinium mons Ioniæ: in ea vrbs, à qua ſtadijs ſeptem Iſidis lucus. Oſiridi enim lucum vnum dicatum legi iuxta Memphim, quem foſſa è Nilo producta eſt.

De lucis Dianæ ſacris. CAP. XIIII.

DIANÆ verò lucos plures, non ab re, gentilium vana religio conſecrauit, ea ratione, quòd nemorum & ſyluarum dea foret, quæ virgo inhabitaret, & venando, paucarum virginum comitatu contenta coleret. Inter Pheam & Pitanen ad eius oſtium Dianæ lucus alius Dianæ Alpheoniæ, alius Elaphiæ, ab Olympia ſtadijs octuaginta remotus, in quo præter aquarum fontes, perpulchra floridaq́; vireta. Aſtyram autem vicum ad Myſiam Strabo putauit, alij verò apud Troiæ regionem: in quo Dianæ Aſtyrenæ lucus, & templum, cuius religioni Antandrij præerant. Quibus vicinus hic apprimè erat. In Cythero monte alius, in quo Oedipus morti expoſitus fuit, ſicuti in Phœnice, ſcribit Euripides. Bubaſtis, in media vrbe, Dianæ templum, iuxta quod lucus proceriſſimis arboribus atque manu conſitis ambit. Anagniæ alius fuit. In ſuburbano autem agri Tuſculani collis fuit, qui Corne appellaretur. Ibi enim lucus fuit Dianæ deuotus, faginei nemoris, coma arte tonſili, Latij cuiuſdam opera. Apud Cumas alius, de quo Vergilius in ſexto:

Iam ſubeunt Triuiæ lucos.-

De quibus forſitan his extremis intelligit, Statius, dum canit,
Hos Prænestæ ſacrum, Nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit vmbra,
Tiburis hi lucos, Anienaq́ frigora captant.

Alium huic deæ ſacrum in Sarmatia ponit Ammianus, plurimis populis religioſum. Condylea, locus à Caphyis, vno tantùm ſtadio abeſt, vbi lucus, & templum Dianæ condyleatis. Megalopoli alius, vt ſcribit in Arcadicis Pauſanias. Scilluns Græciæ vrbs, ſub Eleorum imperio: apud eam autem Xenophon templum, & lucum Dianæ Epheſiæ exædificauit. Pauſanias in Eliacis. In Ætolia lucus Dianæ deuotus, animalium aſylum. Nam dum extrà perſequerentur, & illum ingrederentur, amplius conſectari venatores numinis vi deſiſtebant. In Græcia palus Phœbea, iuxta eam autem lucus Dianæ. In eam verò Saronis cadauer deiectum, vt nomen

men illi demutauerit, poſtmodum palus Saronis vocitata. Pauſanias in Corinthiacis. Apud Pellinenſes in Græcia lucus Dianæ cognomento Soſpitæ dicatus, muro circundatus. Hunc non niſi ſacerdotibus ingtedi licet: qui ex indigenis atque ex amplitudine generis eliguntur. Apud Meliſſam Epidauri vrbem, lucus Dianæ ſacer intra vrbem Oeanthæ Phocidis ad mare vrbs, ibi Dianæ lucus cupreſſis & piceis promiſcuè conſitus. Ibi templum & ſimulacrum.

De luco Aricino, & adagio, Multi Manij Aricia.

CAP. XV.

LVCVS Aricinus, omnium, qui Dianæ deuoti, non tantùm apud Græcos, verùm etiam apud Romanos fuerunt, longè memorabilis: de eo igitur ampliſſimè pertractandum: cuius tamen hiſtoria & origo tam ad Græcos, quam Romanos pertinet, à quo etiam horum religio initium accepit. Fuit autem Aricia Italiæ oppidum apud Velletras, viginti paſſuum millibus ab vrbe diſtans. Lucanus in ſexto:

Parua Mycenaa quantum ſacrata Dianæ
Diſtat ab excelſa nemoralis Aricia Roma.

Artemiſium, autore Strabone, dictum, quaſi dianæum, Speculum etiam Dianæ, autore Seruio, vocitatus. Templum in medio fuit, cui circunquaque lacus, inſtar pelagi fluctuans, adiacebat. Supercilium montanum imminebat. Caua autem regio, & aquam & templum excipiebat. Fontes ibi erant, ex quibus lacus explebatur. Quis enim primus dedicauerit, inter autores controuerſia. Manius autem Ariciæ vir clarus fuit, à quo, tanquam ex equo Troiano, multi percelebres, plurimosq́; per annos deſcenderunt, vt inde promulgatum adagium, Multi Manij Ariciæ. Ad quod alludit Perſius ſatyra finali,

- Accedo Bouillas,
Cliuumq́, ad Vrbi, præſtò mihi Manius hæres.

Hunc autem lucum Ariciæ conſecraſſe ferunt. Alij autem Egerium Libium, Tuſculanum dictatorem. An autem Ægeriæ nymphæ, de qua infrà, pater fuerit, me legiſſe non memini. Pauſanias verò in Corinthiacis, quem ſecuti ſunt plures Latini autores, Hippolytum patris Theſei increpationibus diſcerptum, poſteà Æſculapij ope iterum reuixiſſe, & in Italiam apud Aricinos (quum noluiſſet parenti parcere) profectum. Et ibi regnaſſe, atque nemus Dianæ conſecraſſe ſcripſit. Cuius opinionis in Faſtis Ouidius eſt:

Hic iacet Hippolytus furijs diſtractus equorum,
Vnde nemus nullis illud aditur equis. Martialis:
Qua Triuia nemoroſa petit, dum regna viator.

Aliter à Seruio & Acrone nobilibus grammaticis narratum: atque in Oreſte concordatum. Scribit enim hic, Oreſtem furentem de ſanitate oraculum conſuluiſſe, cui ab eo reſponſum eſt, id poſſe, ſi Dianæ Scythicæ ſimulacrum auferret. Quare illuc profectus, ſororem Iphigeniam ſa-

 cerdotem

cerdotem huic præſidentem inuenit, deæ aduenas immolare ſolitam: ſed ab ea agnitus, fratri pepercit. peregrinationis autem cauſam percunctata, & ab eo cognita, ambo ſimulacrum abſtulerunt. Italiamq; delati, ſimulacrum in nemore Aricino collocarunt, nemus conſecrarũt. Quod poſteà Italis immite & aſperum viſum eſt: propter quod, illud ad orientem miſerunt: à Lacedæmonijsq; ſuſceptum, & vt ne ſacrilegium aut crudelitatem facere viderentur, ſtatuerunt illi, vt iuuenis aras conſcenderet, & manus ſuperimponeret, vt ab alio iuuene tandiu loris pro viribus cæderetur, quoad ſupra aram remaneret. Hac enim ratione, ſe numini ſatisfacturum iri crediderunt. Quare ab Horatio, in Odis dictum:

Nec me tam patiens Lacedæmon.

Seruius autem in ſexto Æneidos Oreſtem poſteaquam Thoantem Regem, in Tauricia prouincia regione occidiſſet, cum Iphigenia ſorore & Dianæ ſimulacro aufugiſſe & in Aricia collocaſſe ſcribit. De vtraq; enim hiſtoria cenſuit Ouidius in Metamorphoſi:

Vallis Aricinæ denſis latet abdita ſyluis,
Sacroq́ Oreſteæ gemitu, queſtuq́ Dianæ
Impedit. Cui Hippolytus ait,
Siſte modum, dixit: nec enim fortuna querenda
Sola tua eſt: ſimiles aliorum reſpice caſus,
Mitius iſta feres. Idem in Arte:
Ecce ſuburbanæ templum nemorale Dianæ,
Partaq́ per gladios regna nocente manu. Valerius Flaccus:
Soliq́ immitis Aricia regi.

Cùm autem Dianæ nemoralis ſacrum inſtaret, ab vrbe in nemus Aricinum, accenſis facibus diſcurrebatur. Propertius in ſecundo:

Cùm videt accenſis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ. Ouidius in Faſtis:
Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina, lucentes portat ab vrbe faces.

Hoc autem ſacrificium ſimul atque dedicationem expreſſit Statius in Syluis:

Iamq́ dies aderat, cùm regibus altum
Firmat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conſcius Hippolytus ſplendet lacus.

Strabo tamen, ſacra ſub cuiuſdam dæmonis appellatione ibi haberi, cui iuxta Scytharum morem victimæ immolarentur. Prope autem templum fuit arbor, ex qua ramum defringi nefas erat. Fugitiuo tamen, qui ramum effregiſſet, impunitas dabatur, ſi cùm templi ſacerdote monomachia contendere poſſet, ad priſci ſacrificij reparationem. Erant quippe ſemper è fugitiuis ſacerdotes, ad priſtini ſacrificij fugæ imaginem. Hunc autem lucum Ægeria nympha Numæ Pompilij ſecundi Romanorum Regis vxor inhabitauit. De quibus ſic Ouidius:

Nympha mone nemori, ſtagnoq́ operata Dianæ,
Nympha Numæ coniux ad tua feſta veni.

Vallis

Vallis Aricinæ ſylua præcinctus opaca
Eſt locus, antiqua relligione ſacer.

Noctu autem rex, teſte Liuio, cum quibuſdam comitibus, illuc ad fontem, qui in medio, è ſpecu opaco, perenni aqua, exilibat, ſe conferre ſueuerat, verùm ſummotis arbitris, velut ad deæ congreſſum. Rediens verò comitibus ſuis ſe cum dea permanſiſſe prædicabat, cuius monitu ſacra dijs acceptiſſima ordinare profitebatur. Hoc autem commento, quam voluit, Romanorum animis religionem inſinuauit, Minois aſtutiam imitatus, qui Iouis in antrum ſeſe recondebat, atq; ibi diu moratus, leges, tanquam à Ioue traditas, ferebat. Qui autem nouam aliquam religionem, legésve, aut quid arduum, tanquam quid diuinum, rudi populo ſuadere & ingerere voluerunt, vt deorum, regúmve loco habiti forent, ſemper alicuius numinis commento vſi ſunt. Sic enim Minos Græcis, Numa Romanis, Sertorius Hiſpanis, ſub Iouis, Ægeriæ nymphæ, Dianæ ſpecie, quæ voluerunt, perſuaſerunt. Verùm omnium poſtremus Mahometes Arabs, omnium impoſtorum, qui eum præceſſerunt, impuriſſimus, & religionis Chriſtianæ apoſtata, & conuulſor acerrimus, ſub columbarum ſpecie, quas ſpiritum ſanctum eſſe prædicabat. Sed ad propoſitum redeamus. De luco Aricino Ouidius loco ſuprà citato:

- Nunc idem Virbius eſto:
Hoc nemus inde colo, de dijsq; minoribus vnus,
Numine ſub dominæ lateo, atque aſſentior illi.
Non tamen Aegeriæ luctus aliena leuare
Damna valent, montisq; iacens radicibus imis
Liquitur in lacrymas: donec pietate dolentis
Mota ſoror Phœbi gelidum de corpore fontem
Fecit, & æternas artus tenuauit in vndas.

Propertius:

Lucus ab vmbroſo fecerat orbe nemus.
Fœmineæ loca clauſa deæ, fontésq; piandos
Impunè, & multis ſacra retecta viris.

Iuuenalis etiam ſatyra tertia:

In vallem Aegeriæ deſcendimus & ſpeluncas
Diſsimiles veris. quantò præſtantius eſſet
Numen aquæ, viridi ſi margine clauderet vndas
Herba, nec ingenuum violarent marmora tophum!

De luco enim Ægeriæ Vergilius in ſeptimo Æneidos, quæ præterire ex induſtria nolui. Quia ferè omnia vno loco ingerat, quæ multi pluribus locis: ne etiam tantum autorem, poſt tot in vnius rei teſtimonium adductos taceam: & vt maior illis fides ex eius monimentis adhibeatur:

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius, inſignem quem mater Aricia miſit
Eductum Aegeriæ lucis, Hymettia circum
Littora, pinguis vbi, & placabilis ara Dianæ.
Nanque ferunt fama Hippolytum, poſtquam arte nouercæ

Occiderit, patriaſq́; explerit ſanguine pœnas,
Turbatis diſtractus equis: ad ſydera rurſus
Aetheria, & ſuperas cœli veniſſe ſub auras,
Pæonijs reuocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitæ,
Ipſe repertorem medicinæ talis, & artis,
Fulmine Phœbigenam Stygias detruſit ad vndas.
At Triuia Hippolytum ſecretis alma recondit
Sedibus, & Nymphæ Aegeriæ, nemoriq́; relegat:
Solus vbi in ſyluis Italis, ignobilis æuum
Exigeret, verſoq́; vbi nomine Virbius eſſet.
Vnde etiam Triuiæ templo, lucisq́; ſacratis,
Cornipedes arcentur equi: quòd littore currum,
Et vt iuuenem monſtris pauidi effudere marinis.

Hanc autem Nympham in fontem ſui nominis verſam ſcribunt.

De luco Camœnarum, ſiue Muſarum. CAP. XVI.

SVPRA de luco Aricino & Numa Pompilio, qui ibidem Camœnis ſiue Muſis lucum conſecrauit: de quo Liuius libro vndecimo, illum enim Muſis dedicaſſe lucum ait, quem medius ex ſpecu opaco, fons perenni rigabat aqua. Scribit enim Soſipater Chariſius, aquam religioſam è luco Camœnarum afferri ſolitam, purificandi cauſa. Fuit autem is lucus (autore Aſconio Pediano) extra portam Capenam, anteà portam Camœnam, ſiue Fontinalem ab aqua fontinali dictam. Hodie verò porta illa putatur, quæ ſancti Sebaſtiani dicitur. Solenne enim ſoli fidei Numa inſtituit. Ad id enim ſacrarium flamines bigis, curru armato vehi iuſſit, manuq́; ad digitos vſque inuoluta, rem diuinam facere, ſignificantes, fidem tutandam. Habebantq́; ædem à dextris ſacram. Qui autem in ſacrificijs præerat, rex Nemorenſis vocabatur, cuius meminit Suetonius in Caligula, vt multi ab eo lucum Nemorenſem vocitarunt. Ibi poſteà fuit habitatio Iudæorum mutata, propter ædificia, religione. Quare Iuuenalis:

Satyra 3. *Subſtitit ad veteres arcus, madidamq́; Capenam,*
Hic vbi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ:
Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur.

Iudæis quorum cophinus, fœnumq́; ſupellex. De luco Camœnarum, ſic Ouidius:

Aegeria eſt, quæ præbet aquas dea grata Camœnis.

Idem in Metamorphoſi:

Metam. lib. 15. *Coniuge qui fœlix nympha, ducibusq́; Camœnis*
Sacrificos docuit ritus, gentemq́; feroci
Aſſuetam bello, pacis traduxit ad artes.

De luco Camœnarum Victruuius in octauo: In Helicone Muſis lucus ſacer

ſacer fuit, vbi Ephemes, quæ fuit Muſarum nutrix, ſtatua. In Camœnarum verò æde poëtæ poſt illorum mortem ſtatua, hedera coronato, donabantur, quæ propter illorum ſtudium facie macra effigiabatur. Actius tamen viuus ſibi ſtatuam poſuit: Eroſas fuiſſe ſcribunt Muſarũ corollas.

De lucis Vulcano, Veneri, Cupidini, Marti, Bellonæ, Libero Patri, Pani, & Syluano dicatis.

CAP. XVII.

VVLCANO lucus & templum in Ætna Siciliæ monte fuit: Templum autem circunſepiebat lucus. In eo enim ignis inextinguibilis fuit. Mirumq́; eſt, quod de eo retulit credula gentilitas. Nam & luci & templi cuſtodia canum fuit. Malis autem hominibus lucum intrare volentibus adlatrabant, & mordicus dilacerabant, ac ſi illorum ſuo ingreſſu ſacra profanaturi eſſent. At bonis, caudæ ac totius corporis motu ac geſtu, blandiebantur, veluti ſi de eorum aduentu gratularentur. Veneri luci plures in Ægypto fuerunt, quos ſub Aureæ nomine dicarunt. Propterea Homerus Auream Venerem (autore Iuſtino martyre, & Euſebio Cæſarienſi de præparatione euangelica) nuncupauit. Iliados. ξ. πρὸς ἔφη χρυσῶν ἀφροδίτην. Lucus Romæ Veneri Libentinæ. Libentina verò dicta (ſcribente Feſto) quòd ſepulcris præeſſet, & quòd ingredientium & egredientium vitam det, vel ab eo quòd lubeat, vnde prolubies & prolubedo, Nonio Marcello inquiente. In Gnido inſula lucus Veneri ſacer, in quo templum & Veneris ſtatua. Praxitelis opus, toto orbe memoratiſſimum, de quibus plura in Luciani amoribus. Leuctris (vrbs Bœotiæ) Cupidinis & templum ac lucus eſt. Lacus hunc præterfluit, qui etſi maximè veris tempore creſcat, cadentia tamen in eum folia cum aquis minimè commiſcentur. Illud præterea de Venere ad ſacrificia addendum, quòd apud Sicyonios coleretur, cuius ſacrum in iunipero adolebatur. Martis autem hi memorantur Athenis in Areopago: Alius in Ponti finibus apud Colchidem regionem, vbi repoſitum vellus aureum, ſuſpenſum quidem in ſumma quercu, teſte Apollonio Rhodio. Gerunthre, oppidum Laconicæ regionis: ibi Martis & lucus & templum, Pauſanias in Laconicis. Romæ iuxta Exquilias Martis lucus, & templum (ſcribente M. Varrone) qui Fagutalis dictus, in quo Amulius, regni incubator, Rheam Numitoris fratris ætate maioris filiam, in perpetuam virginitatem recluſit, ne quis ſexus virilis, ex fratris genere, regni vindex emergeret, vt illa ſacerdos electa videretur: verùm in templo vim paſſa, in luco Remum & Romulum peperit. de quo Iuuenalis à limine primæ ſuæ ſatyræ:

Nota magis nulli domus eſt ſua, quàm mihi lucus
Martis, & Aeolijs vicinum rupibus antrum.

Quibus verbis hiſtoriam originis vrbis intelligere voluit. De luco Martis prope Argum ſupradictum eſt. Bellonæ autem vnum tantum legi, idq́; Romæ ſicut in marmore, quod eſt in ſuburbano Marij à Mellinis legitur.

tur. Pani in Lycæo Arcadiæ monte & templum & lucus ſacer, inquiente Pauſania, de quo ſuprà: ibi enim natus perhibetur, autore Placido Cælio. Lucum autem Syluano prope Agylinam ciuitatem Vergilius attribuit his verbis in octauo Æneidos:

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Relligione patrum latè ſacer: vndique colles
Incluſere caui, & nigra nemus abiete cingunt.
Syluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos
Aruorum, pecoriſq́; Deo lucumq́; diemq́;
Qui primi fines aliquando habuere Latinos.

Libero patri item plures, Athenis vnus: alius in Thracia, in quo quum Octauius pater Octauij Cæſaris Auguſti, vt ſcribit in eius vita Suetonius, exercitum per ſecreta duceret, de filio, barbaris ceremonijs conſuluit. Itaque à templi ſacerdotibus affirmatum eſt, quòd infuſo ſuper altaria mero, tantum flammæ emicuiſſet, vt ſupergreſſa templi faſtigium, ad cœlum vſque efferretur. Simile item Alexandro Magno, apud eaſdem aras ſacrificanti eueniſſe. Athenis in Ceraunio, lucus Bacchi. Alius apud Meliſſam vrbem Epidaurij, intra vrbem. Alius apud Argiuos, cognomento Creſij, vt ait Pauſanias. Statius autem in primo Achilleidos de Agenoris luco meminit hiſce verbis:

Lucus Agenorei ſublimis ad orgia Bacchi
Stabat, & admiſſum cælo nemus, huius in vmbra
Alternum renouare piæ trieterica matres
Conſuerant, ſciſſumq́; pecus, terraq́; reuulſas
Ferre trabes, gratoſq́; Deo præſtare furores.
Lex procul ire mares: iterat præcepta verendus
Ductor, inacceſſumq́; viris edicitur antrum.
Nec ſatis eſt: ſtat fine dato metuenda ſacerdos,
Exploratq́; aditus: ne quis temerator oberret
Agmine fœmineo.

De lucis Neptuno dicatis. CAP. XVIII.

NEPTVNO autem multi in Græcia luci dicati, quorum vnus fuit iuxta mare, prope Helicen Achaiæ vrbem, vti ab eo Heliceus diceretur, vbi templum. Quum enim Achæi, ſupplices quoſdam viros, qui ad Neptuni ædem, tanquam ad aſylum confugiſſent, extraxiſſent, & interfeciſſent: iratus incolis Neptunus, regionem totam inundauit, vt lucum ita occuparit, vt tantùm arborum cacumina apparerent. Apud Oncheſton alius, Homero Iliados ſecundo percelebris: Pyrrhaſus dictus. Strabo autem ibi ſolum templum fuiſſe aſſerit, & Homerum templum luco exornaſſe. Fuit enim Oncheſtus (vt vbi ille fuerit intelligas) in Haliartorum Bœotiæ regione vrbs, ab Oncheſto Bœotij filio, vt ait Heſiodus, condita. Alij tamen ab Oncheſto Neptuni, qui ibi inhabitauit: quare ab Ouidio Oncheſtius cognominatus. Alius in Tænaro (promontorium eſt Laconicæ

iuxta

iuxta Spartam) ædem continens ſacram, vt inquit Strabo. Pauſanias verò apud Lacedæmonios poſuit, cognomento etiam Tænarij. Apud Tricolonos eidem alius, vt in Arcadicis autor eſt Pauſanias: & alius apud Helicen, eodem autore. Apud Athenas locus, qui collis equeſter dicebatur, non longè ab Academia, vbi Neptuni & ſanum & lucus, quem Antigonus incendit, facta in agrum Athenienſium irruptione. Supra Myoniam Locrorum ciuitatem Neptuni lucus, qui Neptunius vocitabatur: ibi templum, in quo Pauſaniæ tempeſtate nullum ſignum erat, vt ipſe teſtatur. Poſidonium ſiue Neptunium lucus dictus, ad mare poſitus, cui præexcelſum cacumen antè Samium mare incumbit: ſic enim vocatur locus, nunc autem locus, vbi Samos fuit. In Iſthmo autem Corinthiaco, huic Deo alius deuotus, qui à loco Iſthmius vocatus. Templum autem picearum arboribus circunclusum eſt. Ibi ludi Iſthmij olim celebrati. In Teno vrbe, extra eius muros lucus cum ſano Neptuni ſacratus, vt memoriæ mandare voluit Strabo. In eo enim capaciſſima ad diſcumbendum & epulandum, ædificata triclinia, vt finitimorum abundantē multitudinem cum oppidanis, poſt ſacrificia capere poſſet.

De lucis Cereri, Proſerpinæ, Plutoni, Veſtæ, Caſtori & Polluci dicatis. CAP. XIX.

CERERI autem dicatos lucos apud nonnullos ſcriptores, hos ſelegi. Apud Pyraſum vrbem, à Thebis viginti ſtadijs diſtantem, & ab illa duobus ſtadijs lucus abeſt. In templo ſacra ſtatua. Cereri autem ἐνέλει appellatæ alius à Megalopoli. Arcadiæ vrbe quinque ſtadijs diſtans propè Menalum in palude. Illum autem ingredi, niſi mulieribus, fas non eſt. Supra campum Pyliacum, lucus etiam in Græcia alius, egregia fertilitate conſpicuus. Alius non longè à Mantinea, in monte Aleſio, Pauſanias in Arcadicis. Apud Lernam, quæ ad mare iacet, alius, vt ait Pauſanias. Proſerpinæ verò Cereris filiæ aliquot leguntur. Apud Dircen Bœotiæ fontem, quem ingredi nemo poterat, niſi qui eius myſterijs anteà initiatus eſſet. Megalopoli autem alius, non adeò magnis arboribus conſitus, & vallo circunſeptus, magnarum dearum, vt ipſi vocabant, id eſt Cereris & Proſerpinæ: iuxta quem templum ingens. Plutoni autem Proſerpinæ amatori dicatos etiam legi, quorum alter in Græcia: in quo Pericles bellum initurus, hominem ingenti ſtatura, comaq; venerabilem, & altiſſimis cothurnis, veſteq; purpurea indutum, atque in curru equorum candidorum ſublimem conſtituit. Qui dato ſigno extra lucum prouectus, voce magna, Periclem ciens, illi dicit, deos Athenienſes adeſſe, vt hoc commento ſuos ad prælium alacriores redderet. Quòd fecit, vt primo penè teli coniectu, hoſtes in fugam verterit. Alius ſupra Megaram, ſecto lapide incluſus: vbi arbores pulcherrimæ, verùm tantùm ex olea & ilicibus, Pauſanias in Corinthiacis. Minthe, mons Peloponneſi in eo nemus Plutoni ſacer, vt ſcribit Iulius Pollux, vbi ἡδύσματα tractat, id eſt, cōdimenta. Fuit autem Minthe Plutonis pellex: à Proſerpina in mentham hortula-

nam conuerſa. Veſtæ autem alius Romæ, qui à palatij radicibus in viam nouam deuexus erat. Ex quo ante captam vrbem exaudita vox, quæ muros ac portas reficiendas monebat. Futurum autem eſſe, niſi prouiſum foret, vt Roma caperetur (autor Cicero de Diuinatione.) Caſtori & Polluci lucus, à Patrenſium oppido circiter quindecim ſtadia abſens. Lauri in eo potiſſimùm naſcuntur. Simulacrum autem huius Romam tranſlatum, inquiente in Achaicis Pauſania.

De lucis Feroniæ, Albuneæ, Maricæ, Lauernæ, Hilernæ, Furinæ, Hebes, Suadelæ. CAP. XX.

NVNC & alij luci ſuperſunt, quibuſdam dijs, & nonnullis particulatim populis tantùm ſacri, atque ſæpenumero in ſola vrbe & incolis eius reueriti, & pro dijs habiti: quorum nulla religio & reuerentia atq; memoria apud exteros extaret. Fuit autem Feronia dea, quæ à ferendis arboribus appellationem accepit. Huius autem lucus ſub Soracte monte, in agro Capenate fuit. Accolis verò & finitimis hæc dea ſumma religione colebatur. Tradunt enim, quum fortuito aliquando incendio lucus arſiſſet, & vellent eius incolæ illius ſimulacrum inde transferre, ſubitò euiruiſſe. Quare Vergilius:

Qui ſaltus Tyberine tuos, ſacrumq́ Numici
Littus arant, Rutuloſq́ exercent vomere colles,
Circæumq́ iugum, queis Iuppiter Anxurus aruis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco.

Ante Pallanteum oppidum Vergilius fuiſſe fingit. Qui autem eius numine afflabantur, ſupèr accenſos carbones, ac calidiſſimum cinerem, nudis pedibus, abſq; vlla læſione, & offenſione gradiebantur. Templum opulentiſſimum fuit, quod Hannibal, contempta religione diruit, poſtquam ad Anienem cum Romanis congredi non valuit. Tunc temporis, ibi ſigna quatuor, per diem noctemq́; continuò deſudarunt: quare Pontificum decreto, tota die ſupplicatum eſt. Albunea dea, in regione Tyburtina, fontis præſes. Eius autem lucus trans Tyberim fuit, vbi bos alba mactari ſolita erat. Vergilius in ſeptimo:

- Lucoſq́ ſub alta
Conſulit Albuneæ: nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſæuamq́ exhalat opaca Mephitim. Horatius in Odis:
Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tyburti lucus, & vda
Mobilibus Pomona riuis.

Maricam deam Minturnenſes in Campania maximè coluerunt. Lactantius Firmianus hanc Circen fuiſſe dicit, quæ facta dea ſic nominaretur. Seruius autem Fauni vxorem fuiſſe ſcribit. Lucus eius apud Hordoniam fuit. In eo autem Marius latuit. De cœlo enim tactus, C. Claudio Marcello, M. Valerio Leuino conſulibus. De hac autem Horatius in Odis:

Qui Formiarum mœnia dicitur

Princeps,

Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuiſſe Lyrim
Latè tyrannus.

Quòd Lyris Minturnenſium vrbem, per medium perfluat. De ea diuus Aurelius Auguſtinus in ſecundo Dei ciuitatis: Lauernæ deæ lucus Romæ prope portam huius ciuitatis: à quo porta Lauernalis. In eius verò deæ tutela, fuerunt fures, vt hi antiquitus lauerniones appellarentur, autore Feſto. In huius enim luco, abdito loco atque obſcuro, ſoliti erant illi prædam, furtaq́; inter ſe diuidere, ac partiri. Hilernæ etiam lucus in vrbe fuit: de quo ſic Ouidius:

Adiacet antiquis Tyberinæ lucus Hilernæ,
Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt.

Furina dea, à Romanis, teſte de natura Deorum libro tertio Cicerone, Quæ (inquit) ſi deæ ſunt, quarum & Athenis fanum eſt, & apud nos, vt ego interpretor, lucus Furinæ, Furiæ deæ ſunt, ſpeculatrices, credo, & vindices & facinorum, & ſceleris. Idem huius meminit ad Atticum. Hæ autem deæ nullibi, quàm in Italia, & Romæ, celebratæ: ſicut & aliæ in Græcia, & apud Athenas ipſas, quòd Ciceronis teſtimonio proximè citato patet. Apud Græcos hæ referuntur. Phlaſia vrbs Achaiæ, in cuius arce templum, & cupreſſorum lucus, Ganymedæ deæ dicatus. Sic enim Phlaſiorum antiquiſſimi vocabant, recentiores Heben. Eius feſta κισσοτόμους vocitabant: Magna veneratione apud eos colebatur, vt ancillæ apud deam ſupplices veniam mererentur, vt pòſt, compedes & pedicas in luco ad arbores ſuſpenderent. Suadelæ templum iuxta Sytham amnem apud Ægialenſes. Lucus ibi Cæſaribus dicatus, vt in Corinthiacis Pauſanias memoriæ dedit.

Luci aliquot, pluribus dijs dicati. CAP. XXI.

LVCI autem plures reperiuntur multorum numinum, vt plurimorum verò, duorum religione participes. Apud Myoneam vrbem, non procul à Naupacto, lucus fuit, & ara, in excelſi montis vertice, placidorum deorum. Græci θεοὺς μειλίχους vocant, quibus nocturna ſacrificia fiebant, vt omnes ſacrificij carnes antè, quàm ſol exoriretur, deuorare oportebat. Hermione Græciæ ciuitas lucum habet Soli & Charitibus dicatum, inquit Pauſanias in Atticis. Nereidibus luci apud Pæmenenſes ſacri, vt ſcribit idem in Corinthiacis. Marius oppidum Laconicæ regionis: ibi autem templum omnibus Dijs commune, circa quod lucus, in quo fontes limpidiſſimi. Mons Parnaſſus Nymphis dicatus (teſte Horatio in Odis.)

- Me gelidum nemus, Ode 1. lib. 1.
Nympharumq́ leues cum Satyris chori
Secernunt populo.

Apud Academiam prope Athenas lucus dijs ſacer fuit, quem Sylla in Athenarum obſidione, ad aggerem extruendum excidit. In Pyræo Atti-

ex portu, lucus Ioui & Palladi eius filiæ, religione communis, qui vtriuſq; numinis ſimulacra habuit: patris verò ſceptrum & victoriam ferebat, filiæ autem haſtam. Inter Tralles & Nyſſam vicus Acharaca dictus, iuxta quem Lucus Iunoni & Plutoni ſacer. Lucis autem finem impoſiturus, de quibuſdam ſub varia appellatione dicamus. Honoris autem lucus Romæ fuiſſe perhibetur: verùm quo loco, autorum varia lectione incertum. Quidam enim intra vrbem, ad portam Appiam poſuerunt: alij autem extra, atque ad eandem portam. Lucus etiam Larum, & Mephytis. Pilumni autem in Italia iuxta Troiam, De quo Vergilius, in nono:

- Luco tum fortè parentis
Pilumni Turnus ſacrata ſedebat.

Fuit & lucus Capenatis, cuius è Catone, in primo originum, meminit Priſcianus.

Præfatio libri quinti.

SVPEREST, *vt hoc quinto libro, arborum apud antiquos deuotionem finiamus. In qua verò dum vltra modum nimis diligens fui, ne quorundam, etiam plurimorum cauillum optimo iure merear, pertimeſco vt pote qui in re tam vana futiliq; ac ſuperſtitioſa, & ridenda antiquitate, & quòd maius eſt, ab homine chriſtiano prorſus explodenda, vt in hac curioſior, quàm deceat, fuerim. Verùm mihi, optimo iure, venia condonanda, vt hæc à me intelligant lectores, ad antiquorum deorum religionis exprobrationem magis hæc fuiſſe conſcripta quàm illorum venerationem. Sed & alia ratione venia condonandus. Me autem arborum hiſtoriam, poſt tot tam Græcos quàm Latinos tractantem & deſcribentē, hoc vnum curare & cauere oportuit, vt nihil huic meo operi ſuperforet, quod in alijs deforet, ne in alijs requireretur, quod meo operi deficeret, vt hæc ſuperiora me præfari oportuerit. Arborum autem iſto libro ſpeciatim genera, quædam proſequemur, vt non contentam ſuperſtitioſam antiquitatem, ſuis dijs ſyluas integras, etiam promiſcui & indifferentis arborum generis, ni quoque aliquod arborum genus conſecraſſet, non tamen ſine mathematica ratione, vt nonnulli arbitrati. Et hæc fuit illorum ratio. Alij autem ſuis dijs dedicarunt, quod à ſe repertas, exiſtimauerint, vel illarum vſum aliquem mortalibus primùm oſtenderint, aut quod etiam ſe-*

cures

cures fecerint. Diodorus Siculus illas dijs dicatas, quòd continuam & perpetuam viriditatem haberent: veluti in lauro, myrto, hadera fuit, ſed hoc minimè verum, quum & aliquæ reperiantur: quæ ſi hac viriditatis dote caruerint nonnullis tamen illorum dijs dedicentur, vt robur, populus, & ſic de reliquis. Harum verò cauſas, quum de his diſputabimus, aperiemus. Verùm priſca illa ætas, dijs ſuis dicare arbores, non ſolum contenta, ni affectionibus quoque ac paſſionibus etiam deuoueret. Nam acer in ſtuporis tutela eſſe, perhibetur. Quamobrem ex acernis trabibus exædificatũ equum Troianum, aſſerunt. Vti eo viſo obſtupuerint Troiani (inquiente Vergilio) Pars ſtupet, innuptæ exitiale Mineruæ. Sed præter has quæ in vniuerſum apud omnes vno ac certo numini dicatæ fuerint, nonnullas alterius generis, deo quodam ſacratas inuenimus. Sæpenumero enim incolæ, paſtores, cuiuſdam loci vnam altiſſimam & pulcherrimam arborem ſelegerunt, puta quercum, fraxinum, vel populum aut aliam quam ſuo Pani dedicarent, & ſub ea feſta celebrarent: choreas ducerent conuiuarentur. A Garete autem fluuio, ſtadijs decem, templum & quercum Pani dicata Pauſanias in Arcadicis ſcribit. Priuatim verò nonnulli vt Horatius, qui apud villam ſuam pinum Dianæ deuouit. Quod in ſuis odis teſtatur. Imminens villæ tua pinus eſto. Dianam alloquitur.

*

HORTORVM LIBER QVINTVS.

De quercu, & iuglande, Ioui ſacris, & nonnulla de ciuica corona, & adagio, πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βαλάνων ἔφαγεν. CAPVT I.

AESCVLVS, vel, vt Plutarcho placet, quercus Ioui dicata. Galli enim Iouem colebant. Iouis autem ſignum, altiſſima quercus erat: Hinc quercum ſacram ferunt, quòd vitæ cauſa, in hac primùm arbore, mortalibus fuerit, qui primùm glandibus veſcerentur. Ouidius:

Et quæ deciderant patulæ Iouis arbore glandes.

Per hanc enim ſuos populos primùm aluiſſe dicitur: qua re Iouis arbor dicta. Vnde adagium πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βαλάνων ἔφαγεν. Id eſt, multorum feſtorum Iouis glandes comedit. De ſene, & plurimarum rerum & longo vſu docto dicitur. De ciuica corona aliqua ſuprà, quum de coronis tractabamus, diſſeruimus: verùm hîc nonnulla item dicere, propter appoſitam materiam conuenit. Nonnulli, inter quos Plutarchus in Coriolano, propterea quercum Ioui ſacram dicunt, quòd ex ea ciuica corona, quæ ei dabatur, qui ciuem ſeruaſſet, contexeretur. Vnde Lucanus:

Lælius emeriti gerens inſignia doni,
Seruati ciuis referentem præmia quercum.

Valerius Maximus libro tertio: Cæterum ad quercum pronæ manus porrigantur, vbi ob ciues ſeruatos corona danda eſt. Idcirco Vergilius quercum ciuilem vocat:

Aen. 7. *At qui vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.*

Erant præterea ciuitates in Iouis tutela, quæ & à militibus defenduntur. Quibus verò tum ocyus, tum paſſim quercus fructum exhibet. Iuglandes etiam in Iouis tutela perhibentur, quippe quæ quaſi Iouis glandes dicantur.

De lauro, & loto Apollini dicatis. CAP. II.

APOLLINI dicatam laurum, omnes conſentiunt: quare Vergilius:

- Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt lauri. -

Hanc

Hanc enim ob rem, Eurotam fluuium, qui Spartam præterfluit, quòd lauris ab vtraque ripæ parte obſitus ſit, Apollini ſacrum poëtæ dixerunt. Inter quos hic, in Sileno:

Omnia quæ Phœbo, quondam meditante beatus
Audijt Eurotas iuſſitq; ediſcere lauros.

Inſuper Parnaſſus mons cæterùm huic ſacer, quòd laurus in eo ſpectatiſſima ſemper proueniat. Lucanus:

Cardine Parnaſſus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo, Bromioq; ſacer.

Hæc autem laurus Vergilio Phocaica, quòd Parnaſſus mons in Phocaica regione ſitus ſit:

Candida Phocaica complectitur infula lauro.

Ferunt prætereà templum, quod toto orbe terrarum Apollini primùm erectum, apud Delphos ædificatum fuiſſe: atque tantùm è lauri ramis, è Tempe ac Penneo Theſſaliæ petitis, ac in terram in ſpecus morem defixis, ſcribente Pauſania in Phocenſibus. Exin poſteà, in Apollinis ſacro feſto ac pomparum ſolemnitate puer ſolitus ſacram geſtare laurum. Iſmenus collis, à quo Apollo Iſmenius, licet quidam non à colle, ſed à fluuio dictum velint: extra dextram Thebarum portam. In eo autem templum Apollini ſacrum, cuius ſacerdos Daphnophorus, id eſt, laurifer cognominatus. Daphnites etiam à Syracuſanis Apollo dictus, autore Heſychio. Sed nunc ad rationem dedicationis deueniamus: cuius variæ ſunt autorum, ſicuti in re vana, opiniones. Diodorus autem Siculus, hanc cauſam affirmat, quòd ille prius hanc plantam inuenerit: cæterùm alij quòd hæc fulmine non iciatur. Phurnutus, quòd facile incendatur, & ad purgationes in primis idonea, propterea deo mundiſſimò ac flagrantiſſimo dedicatur. Et huic opinioni aſſentit Euſebius, propter vim igneam. Lactantius verò grammaticus propter vim diuinandi triplicem, præteritorum ſcilicet, præſentium, & futurorum. Ideoq; maximè illi laurum Delphicam deuouit, quòd hanc radices tres habere exiſtimet: vt propterea Apollo vatum præſes habeatur. Vt ij atque ſacerdotes ad artis inſigne, lauro coronentur, vt ſentit Ariſtophanis interpres: vt perpetuò daphnophagi dicti ſint. Aphthonius inſuper laurum diuinationis ſymbolum eſſe teſtatur: & Dionyſius Halicarnaſeus, in panegyricorum ratione laurum μαντικὸν φυτὸν appellat. At Theogoniæ Heſiodi interpres laurum ἐνεργεῖν πρὸς τοὺς ἐνθουσιασμούς. & in Caſſandra Sophocles ait, δάφνην φαγὼν ὀδοῦσι πρίετο στόμα. & Lycophron, δάφνην φοιβάζειν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Hinc Tibulli de Sibylla locus:

Vera cano, ſit vſque ſacras innoxia laurus
Veſcar, & æternùm ſit mihi virginitas. & Latinus Poëta:
- Laurumq; momordi.

Lotum arborem etiam Apollini dicatam credidit antiquitas. Nullam apud autores rationem inueni.

De Daphnes fabula, in laurum commutata. CAP. II.

LAVRVM Apollini dicatam, quòd Daphne in laurum commutata, & ab eo adamata, plures affirmarunt. Sed vt rem paulò longius pertractemus: fuit Daphne, quæ priori nomine Paſiphaë dicta eſt, Plutarcho in Agide autore, Penei Theſſaliæ amnis filia: quare Ouidius Peneiam vocat. Alij verò Ladonis Arcadiæ fluuij, & terræ: Philoſtratus tamen Aſſyrios aſſerere ſcribit, Ladonem fluuium apud eos eſſe, & templum Apollinis Daphnæi: quod & intrauit Apollonius Tyaneus. Diodorus verò Tireſiæ, Parthenius autem Amydeſi, Plutarchus prædicto loco, Amyclæ. Huius autem amore percitus Apollo, eam ſectatus eſt: quæ quum fugæ labore ſe deuictam cerneret, Peneium ac Tellurem parentes deprecata eſt. Quorum miſeratione in laurum arborem conuerſa, quam & viuam & arborem ille amauit. Fraudatus enim ſuis amoribus arborem circumplexus eſt atque ex eius ramis ſuo capiti coronam aptauit. Sic enim Naſo ait:

Metam.lib.1. *Hanc quoque Phœbus amat.*

Et ille pòſt ad eundem:

At quoniam coniux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, mea: ſemper habebunt
Te coma, te citharæ, te noſtræ laure pharetræ.

Chryſoſtomus autem apud Lucum Daphnenſem, de quo ſuprà ſatis abundè, in arborem mutatam ait. Scribunt inſuper Leucippum Oenomai Piſæ Regis filium, illam mirum in modum exarſiſſe: Qui quum eius nuptias aſſequi nequiſſet (exoſa enim illa maſculinum ſexum erat) habitu muliebri, comaq; in modum virginum contexta, ad eam acceſſit, mentitusq; eſt ſe Oenomai filiam. Qui quum generis nobilitate, ac venandi peritia, cæteras virgines antecelleret, Daphnes beneuolentiam facilè ſibi conciliauit. Hæc autẽ quum aliquando cum cæteris Nymphis in Ladone lauaretur, Leucippum per laſciuiam vi expoliat, cogitq; vt vnà ſecum lauaret, & nataret. Depræhenſus itaque mas, haſtis & pugionibus eſt confoſſus. Qui verò Apollinis erga Daphnen amores celebrant, illum Leucippo, antequam exueretur, inuidiſſe aiunt. Quæ verò fuerit huius fabulæ ratio mathematica, hæc perhibetur: Dilectam equidem ab Apolline Fulgentius ſcribit, quòd qui de ſomniorum interpretatione ſcripſere, aiunt laurum ſub dormientium appoſitam capite, vera ſomnia ſe viſuros. Peneis amnis filiam dixerunt, quòd in eius ripis plurima adnaſcatur laurus. Hanc verò Apollinem adamaſſe fingunt. Enimuero Sol, qui & Apollo, ignis, & in ipſa arbore vis ignea plurimum ineſt, & ille Deus certa oracula reddere dicebatur. Hæc autem diuinationis eſſe ſignum dicitur. Nam & vaticinijs accenſa auxiliari dicitur. Cæterùm & puellam Sophronem, id eſt, temperantiam, vel ſobrietatem appellarunt, quòd diuinatio ex ſobrietate proueniat. Vocata etiam Sibylla, quæ pluries Spartanis reſpondit.

De olea Mineruæ dicata, & quòd olea veniæ & pacis index ſit. CAP. IIII.

MINERVÆ oleam hac ratione dicatam aiunt, quòd illius inuentrix fuerit. Vnde Vergilius:

- Oleæq; Minerua Georg. 1.
Inuentrix.-

Volunt enim oliuam manu virginea ſatam, & exculitam, vberiores fructus præbere. Puritatis ſiquidem amantiſſima, labiſq; neſcia: ideò Mineruæ virgini dedicata. Diodorus tamen oleæ inuentorem Mercurium fuiſſe ſcribit, non Mineruam, quemadmodum Græci. Alibi tamen hic huic oleæ, oleiq; educendi exprimendiq; inuentionem tribuit. Nam ante Mineruam, hæc cum cæteris ſyluestribus, immiſta, ignotaq; erat, viliſq; habebatur. Cicero verò de natura Deorum, Ariſteum Apollinis filium oleæ inuentorem ſcribit. Martianus autem Capella, Mineruæ ſacram dicit, quòd artes & diſciplinæ, quarum illa Dea eſt, oleo, ac lucernarum lucubrationibus perdiſcantur. Sic enim ait:

Hic nam vernicomæ frondent tibi munera oliuæ,
Ars & cura vigil per te quòd diſcat oliuæ.

Præterea olei munus, Mineruæ eſſe, Phurnutus ſcribit, quod etiam mortalibus dedit: Semper enim in virore eſt, & glaucum colorem præſefert. Oleum inſuper adulterari alio humore nequit, verùm ſemper in ſua ſinceritate permanet.

Quod olea veniæ & pacis index ſit, & adagio ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν τῷ λημύθῳ. CAP. V.

GRÆCI oleam ἐλαίαν vocant, & oleum ἔλαιον ab ἔλεος, id eſt, miſericordia. Etenim pacis ſupplicantium ac contriſtantium ſymbolum olea eſt. Vt qui veniam poſcerent, oleam manibus geſtarent. Athenienſes enim contrà Timocratem ſordidati, & oliuam geſtantes ſupplicare ſoliti fuerant, autore Demoſthene. Artaxerxe Ocho, vt in vita Philippi autor Siculus, Sidonem obſidente, quingenti ciuitatis primores, oleæ ramos ferentes Artaxerxi obuiarunt, pacem poſtulantes. Xerxe autem in Athenienſes expeditionem ducente, Timon & Androbolus, quum primùm oraculum conſuluiſſent, & infauſtum reſponſum ab eo accepiſſent, ſecundum illud ramos oleaginos ferentes conſulũt. Deuictis item Carthaginienſibus, conſulente Annibale, ad Scipionem ad deprecandam pacem & miſericordiam, decem è ciuitatis principibus illi ſeligunt, quos enim nauis, oliuæ ramis velata, deferebat. Cùm autem Romani cum Perſa Macedoniæ Rege, bellum gererent. Alexandrini legati, ſordidati, barba & capillo promiſſis, & oleæ ramos ferentes, in curiam Romanam progreſſi ad miſerationem procubuerunt: vt ſcribit Liuius: quo item autore, eodem etiam rege deuicto, Rhodiorum oratores, habita priùs oratione, veniam deprecantes, & ramos oleæ geſtantes vniuerſi procideruut.

derunt. Apud Apuleium mulieres propter homicidium viduæ, ſibi ipſis à iudicibus commiſereri cupientes, ramos oleaginos ferunt. Sed iam ad poëtas diuertamus, vt his maior fides, propter illorum fictiones ex his, quæ ſuprà ex hiſtoriarum ſchola retulimus, adhibeatur. Vt à principe Latinorum, videlicet ipſo Vergilio incipiamus, vt potè etiam, qui longioribus hanc rem patefecerit:

- Placitam paci nutritor oliuam.

Æneas apud eundem, nauium funes, ob tempeſtatem ſoluendas iubet, & olea ad commiſerationem implorandam coronatus. Sic enim de eo ille:

Aen. lib. 5. *Ipſe caput tonſæ folijs euinctus oliuæ*
Stans procul in prora pateram tenet: extaq́ ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes.

Et idem Æneas apud eundem:

Aen. lib. 7. *Centum oratores auguſta ad mœnia regis*
Ire iubet ramis velatos Palladis omnes:
Donaq́ ferre viro, pacemq́ expoſcere Teucris.

Et idem Pallanti occurſanti Æneas:

Aen. lib. 8. *Paciferaq́ manu ramum prætendit oliuæ.* Et in vndecimo:
Iamq́ oratores aderant ex vrbe Latina
Velati ramis oleæ, veniamq́ rogantes.

Vbi Seruius, non coronatos inceſſiſſe ait, quod lugentes non decebat, ſed in manibus tantùm ramos detuliſſe, quod miſerantium erat. Statius in duodecimo Thebaidos:

Mite nemus circa, cultaq́ inſigne verendo
Vittata laurus, & ſupplicis arbor oliuæ.

Reliquum, vti hanc rem inſigni Dauidis Regis teſtimonio finiam. Ait enim Pſaltes ille regius: Ego autem ſum ſicut oliua fructifera in domo Dei. Speraui in miſericordia Dei, in æternum & in ſeculum ſeculi. Aliud nobile elogium ſupereſt. Columba enim, poſt commune omnium animantium naufragium, à Noa ex arcæ ergaſtulo, tertiò emiſſa roſtro oliuæ ramum pertulit: Generi videlicet humano à Deo ſummo pacem redditam ſignificare volens. Græcum etiam adagium eſt, ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν τῷ ληκύθῳ. Id eſt, Non eſt oleum in lecytho. Vbi precibus iam non eſt locus. Ab Ariſtophane in Auibus refertur. Quare autem pacis & miſericordiæ ſignum olea ſit, apud neminem legi, quod meminerim. Quapropter hanc ex meipſo promere libet ſententiam. Quòd hæc arbos, Mineruæ, Deæ, mulieri, & virgini dicata ſit, à quibus faciliùs venia impetratur.

De Minerua & Saturni ſuper Athenarum nominis impoſitione, certamine. CAP. VI.

LONGA & varia, diuerſorum autorum, tum poëtarum, tum aliorum quoq; ſuper Athenarum totius Græciæ vrbis nobiliſſimæ atque ampliſſimæ, & omnium bonarum doctrinarum & artium cultricis ſtudioſiſſimæ, & feracis agri opulentiſſimæ, nominis impoſitione hiſtoria, vt non ab re poëtæ ſuos Deos, itemq; apud eos celebratiſſimos, Neptunum videlicet, & Mineruam, ſuper hac re diſceptaſſe, etiam ad ſuccumbentis vſque vindictam, finxerint. Sic enim Cicero pro L.Flacco, de ea ſcribit: De quorum vrbis poſitione, propter pulchritudinem, inter Deos certamen proditum eſt. Cùm enim à primordio diſſoluta elementorum commiſtione tellus primùm Athenis emicuiſſe dicitur, hac ratione plurimum & loci pulchritudine capti Neptunus, & Minerua, deq; ſibi ciuitatis dicando nomine, contendere cœperunt. Verùm Iupiter illorum controuerſiam dimouere exoptans edixit, eum oppidi principatu potiturum, qui hoc meliori poſſeſſione donaret. Neptunus tunc portu, atque naualibus exornat, Minerua autem in Acropoli, cùm lætam & virentem, tum fructiferam oliuam edit, cuius ramum in coronam contorquens, capiti ſuo impoſuit, omniumq; calculo vicit, & ciuitatem de ſuo nomine nuncupauit: quippe Minerua ἀθήνη dicitur. Multi Areopagorum iudicio id ſancitum arbitrantur. Aliter ab Hygino: aliter autem à Seruio. Scribit enim ille, decertatum inter eoſdem Deos fuiſſe, qui primus eorum in terra Attica oppidum conderet, ſecundumq; Mineruam à Ioue, quòd in ea terra oleam ſeuiſſet, iudicatum. Hic autem hoc modo: Poſt enim illorum longam contentionem, dijs placuit, vt eius nomine ciuitas appellaretur, qui munus hoc mortalibus melius protuliſſet. Tunc Neptunus percuſſo litore, tellus equum animal, bellis aptum produxit: Minerua autem iacta haſta, oliuam procreauit, quæ res melior comprobata, quòd pacis inſigne foret. At nonnulli Neptunum tridente arcem percuſſiſſe, & inde aquarum falſi hauſtus proſiluiſſe: vt pòſt fons in arce fuit, qui Neptuni diceretur: Mineruam verò in eadem cuſpidis haſtæ ictu oleam euocaſſe, quæ quia vtilior omnibus viſa eſt, vt ei Athenæ cederent, arbitratum. Alij aliter, vt poſt longam altercationem, in id à litem dirimentibus, conuentum fuiſſe, vt ambo ſimul Athenis præſiderent. De hac enim contentione ſic Statius in Thebaide:

Ipſe quoque in pugnos vacuatur collis, vbi ingens
Lis ſuperum, dubijs donec noua ſurgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare frangeret vmbra.

Et Vergilius:

- Tuq; ô cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti,
Neptune.-

Locus autem, vbi Neptunus & Pallas iudicium acceperunt, Iouis ſuffragium appellatum fuiſſe Probus ſcribit. Ab hoc enim certamine ſeptimus apud Athenienſes menſis ποσειδεὼν dicitur: & eſt duodecimus. M. autem Varro, hanc fabellam ad rem veram hoc modo traducit: Ædificatis enim Athenis, & ibi imperante indigena Cecrope, in arce ſpontè

enata olea, & ibidem alio loco, aquarum ſcaturigo. His verò prodigijs perterritus Rex, atque timens, ne hæc portenta, futurarum calamitatum forent prænuntia, certos Apollinem Delphicum ſciſcitatum miſit. Quibus tandem reſpondit, vti bono eſſent animo, neque oſtentum illud, mortalium malo aliquo eueniſſe, verùm Deorum contentione binorum de nominis ſuper vrbe impoſitione decertantium. Per oleam enim Mineruam, per vndam verò Neptunum ſignificari, liberumq́; nunc eſſe Athenienſibus, ex vtrius Dei appellatione ciuitatem ſuam denominare. His autem à legatis Cecropis renuntiatis, mares & fœminas, ad conferenda ſuffragia conuocat. Per id enim tempus, mulieres ad publicas conſultationes aduocabantur. Mares autem pro Neptuno, mulieres pro Minerua ſententiam tulere: & quia hæ numero plures, vt ferè vbique eſt in ſexu fœmineo, pro Minerua vicerunt. Quare Neptunus indignatus, marinis fluctibus Athenienſium omnem terram inundauit, vt viſa ſit mari perſimilis quædam facies. Quem vt triplici mulierum ſupplicio placarent, cenſuerunt Athenienſes. Primùm, ne quis mulieres ἀθηναίας vocaret, néve naſcentiū vllus materno cenſeretur nomine. Tertiò ne poſthac mulieres ſuffragia ferrent. Horum verò nonnulla, diuus Aurelius Auguſtinus, dùm Dei magnam plurimis doctrinarum variarum cæmentis ſtruit ciuitatem. Fabulæ autem locum, ex re ipſa, Themiſtoclem dediſſe, Plutarchus in eius vita autor. Etenim ſummo labore effecit is, vti ciues, omiſſa nauigatione, ac maris ſtudio, arbores conſererent, atq; vt regionem illis adimplerent, fertilioremq́; redderent, maximè verò oleis, quarum ager Atticus apprimè ferax eſſet, & ex illarum fructu non minimum quæſtum facerent: vnde lex poſteà apud eos lata, cuius Demoſthenes contra Macartatum meminit: ne quis Athenis oleam effoderet, niſi ad templorum Athenienſium, vel ad municipalia munera, aut cùm ad funus vtendum eſt, ad ſuos verò vſus, quotannis binas oleas tollat. Quod ſi contrà quiſquam effecerit, pro ſingulis oleis, drachmas centum ærario publico pendunto: cuius verò mulctæ decima pars Mineruæ ſunto.

De olea apud Athenas in arce Mineruæ. CAP. VII.

AB hac autem, de nomine Athenis imponendo controuerſia, ſiue etiam propter oleæ arboris in illa patria feracitatem & vtilitatem, poſteà ſemper Athenis maximo in honore fuit: vt poſt hanc victoriam inoleuerit, vt cum meliorem ſignificare velimus, cui oliuæ ramum porrexerimus. Quod expreſſit Vergilianus Æneas, cùm ait,

Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et victa comptos voluit prætendere ramos.

De oliua enim intellexit, vt interpretatur Seruius. Præterea Dionyſius Halicarnaſeus, in præceptis orationis panegyricæ, ſignum victoriæ oliuam eſſe dicit. Ab eo item certamine, ferunt poſtea oleam illam à Minerua excitatam, per longiſſima tempora in arce perduraſſe. Quæ ſumma religione, ac veneratione, ſi qua apud gentes omnes vnquam alia, ab Atheni

Athenienſibus & cæteris Græcis habita. Hæc Morias dicta, à cæde Halirrhothij Neptuni filij. Sophocles in Oedipo Coloneo ſacras oleas Athenis fuiſſe ſcribit: Quarum autem Iupiter cognomento Morios cuſtos erat, cuius ſacellum prope Academiam erat, quòd ibi primùm ficut & ficus inuenta ſit. Alij ſecundam ibi fuiſſe aſſerunt. Verùm vt ad hiſtoriam Halirrhothij reuertamur: hunc Mars de medio ſuſtulit, quum vim Alcippæ, quam ex Agraulo Cecropis filia genuerat, intuliſſet. Verùm in hac hiſtoria diſſentiunt etiam autores. Etenim plures oleas ponunt, quas quũ Halirrhothius Neptuni filius excidere in odium Palladis victoriæ tentaſſet, ſibimet ſecurim, cùm aberraſſet, impegit vt inde occumberet, vt à caſu hoc, oleæ nomen deſumpſerit, vel quia quiſquis oleas poſſideret, portionem, quam μέρος vocant, Panathenæis perſolueret. Herodotus autem in arce Athenarum templum Erechtheios terrigenæ fuiſſe ſcribit, & in eo oleam Mineruæ; & mare in Neptuni, & illius teſtimonium diſſenſionis. Hæc autem arſit, cùm Athenæ Medorum incendio conflagraſſent: ſed eodem die ad duorum cubitorum altitudinem repullulauit (autor Pauſanias.) Perſæ iterum cùm Xerxes Græciam inuaſiſſet, illam exuſſerũt. Ad quam quum Athenienſes, altera ab incenſione die, ad rem diuinam miſſi templum aſcendiſſent, fructificaſſe inuenerunt, edito à ſtipite, virgulti inſtar. Epimenides autem Pheſtius, ab Athenienſibus accerſitus, Solonis, ad legum condendarum rationem adiutor fuit, in quibus nonnulla, prout illi ac ſummo viro atq; ſapientiſſimo, minimè viſa idonea, commutauit, multaq; ad Deorum cultum, & religionem, ſtatumq; Reipublicæ inſtituit. Diſcedens verò ab Athenienſibus honores & opes largientibus nihil aliud, quàm ex ſacra olea ramum popoſcit. M. Antonius, accepto de Ventidij in Parthos victoria nuntio, & Labieni ab eo interfecti, Athenis, Græcis epulum dedit, & ludos in vrbe fecit, quibus & ipſe, depoſitis inſignibus, cum iuuenibus præfuit, atq; ſaltauit. Ab his verò contra Antiochum Commagenem proficiſcens, ſertum ex olea ſacra excerpſit. In foro oleæ ara fuit, vt in Atticis Pauſanias meminit, quã præ cæteris alijs Græcis, Athenienſes magis colunt, & præferunt: quoniam humanæ vitæ & rerum difficultati potiſſimùm condicat. Fuerunt & aliæ apud Græcos oleæ ſacræ, vt apud Mileſios, quæ poſt diuitum ac popularium inteſtina & pernicioſa bella, ſponte exaruit. Tanti omnis Græcia hanc arborem fecit, propter primariæ vrbis nominis impoſitionem. Apud Sicyonios, ante Mineruæ templum ab Epepeo extructum, effluxiſſe oleum, non pauci obſeruarunt.

De myrto Veneri dicato. CAP. VIII.

MYRTVS Veneris tutelæ ſubiecta, & coniunctioni dicatur; quare Vergilius,

Formoſæ myrtus Veneri.

Et apud eundem, Æneas Veneris filius ſpectaturus ludos,

Velat materna tempora myrto. Georg. 1.

Et alibi de Auguſto Iulij adoptiuo:

Et te maximus orbis
Autorem frugum, tempeſtatumq́ potentem,
Accipiat, cingens materna tempora myrto.

Habuit enim Iulius originem ab Ænea, de quo idem:

Solido Paphia de robore myrtus.

Hic etiam ſyluam myrteam apud inferos cingere campo fingit, in quibus eſſent, qui amore roderentur: quòd Venus amoris dea eſſet:

Aeneid. lib. 6. *Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem*
Lugentes campi, ſic illos nomine dicunt:
Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit.

Statius etiam myrtum Paphiam vocat, propter inſulam Paphum Veneri dicatam. Mulieres inſuper, vt Plutarchus in Numa prodit, menſe Aprili, Veneri ſacrificabant, quòd is menſis huic Deæ ſacratus eſſet, ad cuius Calendas myrto coronatæ lauarentur. Veneri myrtææ Romæ ad vicum intimum ſub monte Auentino ara vetus fuit. M. autem Varro Murtatam vocabat. Poſteà verò Plutarcho, Murtia dicta eſt. Quod probat Liuius, dum ait, Ad Murtiæ datæ ſedes Latinis, ſcilicet à rege Anco, ad habitandum. Et Apuleius in ſexto ſui aſini aurei: Conuenitant (inquit) retro ad metas Murtias Mercurium prædicatorem. Sic enim antiqui vocarunt, quod præter modum, non moueat, ac hominem murcidum faceret, & minùs deſidioſum. Veneri ſimulacrum ex myrto pullulante ad flumen Hermũ fecit Pelops. Quare Hippodamiæ conſecutus eſt nuptias. Nunc proſequendum, quare hæc planta Veneri dicata ſit: & variæ à pluribus opiniones aſſignantur. Phurnutus hanc rationẽ eſſe ait, quòd hæc planta ad amores conciliandos faciat. Alij quòd Venus in mari, videlicet Cyprio, nata ſit, vnde ἀφροδίτη & Cyprigena. Amat enim myrtus maris litora, quare Veneri ſacra: vel, vt etiam Seruius ait, quòd huius arboris in mulierum neceſsitatibus, vſus multus ac plurimus ſit, ſicuti medicorum libri indicant. Cæteri verò ob arboris odorem: nempe Venus & odoribus & vnguentis delectatur. Cauebant etiam ne Veneri buxum offerrent, expiantes ſuam ſalacitatem. Propter Venerem inſuper, non temerè coniunctioni conſecratur myrtus: vnde genus vnum myrti, coniugalo à Plinio dicitur, quod electum fuit, quum Romani & Sabini propter raptas virgines dimicare voluiſſent, vt ſubinde locus, vbi pacificati eſſent, Veneri Cloacinæ dicatus ſit: à verbo cloare, quod antiquitus purgare erat. Græcorum etiam antiqui muſici, vt Plutarchus in Sympoſiorum libro primo ex Ariſtoxeno & Phili autoritate ſcribit, diſpoſitis circa vnam menſam lectis, accumbentes myrteis per vices coronis redimiti, ſententias & amatorias cantilenas per obliqua carmina ſuccinere conſueuerant.

De roſa & philyra Veneri dicatis, & de naucratite corona.

CAP. IX.

ROSA etiam Veneri ſacra eſt. Vergilius in roſa:
Sideris,& floris eſt domina vna Venus. Gratias numero tres, ex Libero patre progenitas fingunt poetæ. Quarũ in Elide atque in foro templum fuit,& illarum ſimulacrum, cuius vultus,manus,& pedes,ex candido marmore fuerunt. Veſtimenta autem aurea. Harum enim vna roſam tenebat, media talum, tertia verò myrti ramum non admodum magnum:hoc modo effigiatæ, quòd myrtus & roſa Veneri dicata ſint. Hac autem ratione Veneri roſam dicarunt antiqui, vt quemadmodum breui hæc tempore duret, & ocyſſimè marceſcat, ſic forma & voluptas venerea citò pereunt. Quod Hieronymus Angerianus feſtiuo diſticho notauit:

Pulchra breui duras roſa tempore forma breuiq;
Tempore; ſic forma par roſa tempus habes.

Rubet prætereà, pungitq;. Nam & libido ipſa verecundiæ opprobrio erubeſcit, pererratiq; aculeo ſtimulatur. Græcorum tamen nonnulli, Palladi roſam, vt oleam, attribuunt, propter Myrſinen Athenienſem puellam,huic multum dilectam: à iuuene autem,quòd eum palæſtra,curſuq; ſupetaſſet,interfectam, & in myrtum conuerſam dicunt. Roſæ verò fructum, Philoſtratus Cupidini, non eius matri,deuouit, quem tota facie æmulari videtur. Primùm enim paruo tempore permanet,& recens ſemper ſit,temporis non ſentiens ſenium:ita Cupido recens,atq; ſemper iuuenis, mollisq; eſt. Coma item aurea eſt. Nam & roſa, aureum quid in floſculo habet. Pro ſpinis roſæ,iaculum fert,pro folijs alas,pro facibus fulgorem. Philyram etiam Veneri Phurnutus dedicat, quia appoſita Venerem ciat, & quòd ad nectendas coronas ea maximè vtantur. Ad vltimũ de naucratite corona dicendum. Ea enim è myrto contexta fuit: huius verò hanc originem perhibent. Vigeſima ſiquidem tertia Olympiade, Horoſtratus, ciuis Naucratiotes, & negotiator præpotens, Veneris imagunculam dodrantalem (opus antiquiſſimæ artis) Paphi mercatus eſt. Quam cùm Naucratim, in patriam veheret, adeò ingens circa Ægyptum exorta tempeſtas,vt vbi locorum nautæ eſſent, omninò ignoraret. Omneſq; ad Veneris ſignum conuerſi, ſalutem exorarunt. (Fuit enim dea Venus, Naucratiotibus ſemper propitia) quæ precibus permota, & ſedata tempeſtate,omnia ſibi adiacentia,in myrtos virides, repentè conuertit, totamq; nauim ſuauiſſimo odore repleuit. In patriam verò reuerſus Horoſtratus, ſimulacrum ſimul cum myrtis in Veneris templo repoſuit,& ad conuiuia conuocatos amicos,omnes myrto coronauit, eamq; coronam Naucratitem appellauit. Prætereo hîc ſuper hac corona Græcorum controuerſias.

De hedera, ferula,& picea Baccho dicatis,& de adagio, πολλοὶ δὲ ναρθηκοφόροι παῦροι δὲ βάκχοι. CAP. X.

HEDERAM Græci Dionyſio dedicarunt. Ouidius in Faſtis:
Hedera gratiſſima Baccho eſt.
Nonnulli inſuper Dionyſium ab hedera vocitatum dicunt, quam

quam τὸ διονύσιον vocant, Acarne populus Atticus, Dionyſium & hederam vno & eodem nomine κισσὸν vocabat, illicq́; primùm viſam contendebant: autor Pauſanias. Veruntamen Antipater in notiſsimo epigrammate ἀχαρνίτην per epitheton, hederam vocat. Coronabatur etiam Bacchus hederæ pampinis, & ficulneis frondibus: vnde corymbifer. Ouidius:

Feſta corymbiferi colebat Græcia Bacchi.

Nyſam autem vrbem in India, ſub radicibus montis Meri, inter Cephenum & Indum amnes Bacchum condidiſſe, plures ſuis monimentis prodidere, & ibi hederam in ſui memoriam plantaſſe, quæ ſolùm eo loci alatur. Nam in tota India hederam, niſi in Mero monte prouenire negant. Is autem mons Liberi Patris femur vocatur: quòd is in Iouis femore ſubcreuerit. Hunc autem Alexander Magnus, cum amicorum comitatu, & peditum agmine, conſcendit, atq; hedera veſtitum comperit. Quod vbi Macedones conſpexere, ea coronati, Libero Patri laudes lætabundi cecinere. Nam iam antea longo tempore, longo etiam itinere, in omni India, hunc fruticem non conſpexerant. Alexandrum inſuper, coronatos ex hedera exercitu, victorem ex India, exemplo Liberi Patris rediſſe ferunt. Euan enim Bacchi nomen eſt. Quare Indi hederam, euam vocant, veluti memoriæ mandauit Heſychius. Apud Lacedæmonios autem, Liberi Patris ſimulacrum, haſta inſigne, colebatur (inquiente Macrobio) cuius mucro hedera lambente protegebatur. Ciſſus præterea Liberi Patris puſio fuit, & illius ſaltator. Qui quum ante Deum tripudiaret, ad terram prolapſus interijt. Terra autem in honorem Bacchi, fruticem ſui nominis produxit, qui vitem (Liberi Patris inuentum) inter germinandum circumplecti ſolet, eo modo, quo adoleſcens Bacchum in ſaltationibus amplecti conſueuerat. Ægyptij verò Oſirim hederam inueniſſe aſſerebant, quare illi dedicarunt, autore Diodoro Siculo, vocabantq́; illi chenoſirin, vt Plutarcho in Onoſiride eſt. Hæc enim vox Oſiridis plantam denotat. Oſirim autem idem cum Baccho eſſe, multi prodiderunt: ſicuti etiam ex geſtorũ & hiſtoriæ conformitate deprehenditur. Lucius Apuleius in ſomnis, ſe vidiſſe Oſiridis ſacerdotes, thyrſos & hederam ferentes quemadmodum Bacchi ſacerdotes faciunt. Quare autem hedera Libero Patri dicata ſit, alij ad hederæ naturam referunt, cæteri verò ad hiſtoriam. Nam Ouidius in Faſtis Nyſiades Nymphas Bacchum puerum (quærente nouerca) in cunis hedera cooperuiſſe ſcribit. Phurnutus autem ad hederæ naturam retulit. Frequentioribus enim articulis nodoſa, quibus ſignificet, ebrios vacillare, & titubare, & portatu faciles. Vel quòd ebriorum vox, quaſi articulata ſit, ac titubans, nec vno contextu intelligibilis. Quare thyrſus, cuius mucro, lambente hedera protegebatur, Baccho dicatus, quo (inquiente Macrobio) denotabatur impetus furoris, patientiæ vinculo obligandos eſſe. Nam hedera vinciendi ac obligandi naturam habet. Etenim ebriorum pedes, parum ſuum officium efficiunt. Feſto, etiam hac ratione dicata, quòd ille ſemper iuuenis, ita quoq; hæc ſemper virens: vel quòd ſicut illa hominum mentes illiget, ita & ille. Alij contrariæ

riæ opinionis ſunt:non quòd ebrietatem repræſentet,aut quòd vino aduerſetur,vt Plutarcho placuit, verùm quòd ille anni tempeſtates imitatus ſit. Nam cùm vitiligineam coronam deſideraret, & ex anni ætate, vitis frondibus vidua eſſet, hedera faciem cœpit adornare, qua demum vitis vice vſus. Similitudine etiam horum, qui cùm vini amantes ſint eo carentes, hederaceo potu vtuntur. Ea etiam (vt inquit Phurnutus) Bacchi caput cingitur, quòd ea non admodum viti diſsimilis ſit, & quòd hederæ baccæ vinearum botris reſpondeant. Eam præterea Bacchanalibus, & nocturnis ſacris adeſſe Plutarchus in Problematis ait, quòd cùm mulieres bacchicis furoribus corrumpi & afflari velint, & cupiant, ad hederam ex tempore ferebantur, quam manibus diuellebant, & lacerabant. Nam & ſpiritum habere credebant, quo mentes in furorem concitarentur, & loco mouerentur, vt ebrietatem etiam atq; vinum induceret, ac hilarem faceret, vt in furorem procliues eſſent. Hac inſuper thyrſos, galeas, & ſcuta adornabant. Nunc de ferula, quæ etiam Baccho, & Sileno, alijsq; comitibus dicata eſt. Vergilius in Gallo:

Venit & agreſti capitis Syluanus honore,
Florentes ferulas.-

His autem propterea dicata, quòd ad baculum aptiſſima ſit, & infirmos in ebrietate pedes, leui hoc pedamento regat. Euſebius enim de præparatione euangelica, ideò Bacchum ναρθηκοφόρον appellatum dicit, quia cùm homines merum biberent, & in furorem verterentur, ſe bacculis inuicem feriebant:vt ſæpe inde mori contingeret, & vt malum iſtud euitarent, ferulis vti ſuaſit, quarum leuis, & non ad mortem ictus eſſet. Alij autem quòd aſinorum pabulo gratiſſima ſit: quare hoc animal Baccho dedicatum. Aliam verò Plutarchus, in Sympoſiacis affert cauſam, quòd ſi inter pocula, qua in parte quandoque peccatum ſit, leuis puerilisq; repræhenſio ſufficiat. Nam & pueri ferula caſtigantur. Libero autem Patri initiati ferulam geſtabant, Græcè ναρθηκοφοροῦντες, dicti, & ναρθηκοφόροι, Platoni in Phædone, Bacchi miniſtri, quaſi feruligeri: vnde manauit adagium, πολλοὶ δὲ ναρθηκοφόροι, παῦροι δὲ βάκχοι. Piceam etiam veteres Libero Patri dicarunt, quòd vina gratiora ac ſuauiora reddat, ſi eo loci nata ſit vinea, vbi antea piceæ ſubereuerint. Nam & locis calidiſſimis fœliciſſimè proueniunt, cuiuſmodi loca vitis deſyderat.

De cupreſſo Diti ſacra, & fabula Borea & Cypariſſi.

CAP. XI.

CVPRESSVS Diti conſecrata eſt. Quare autem id, varias ac multiplices cauſas, partim ex arboris natura, partim ex poëtarum fabellis, multi attulerunt. Nam eius generis arbos exciſa, nunquam amplius ex ea quicquam renaſcitur, vt nihil propterea ex ea, atque de mortuo ſperandum ſit. Mortuorum autem animas omnes ad inferos deſcendere, quorũ Deum Ditem, arbitrabatur antiquitas. Propterea Hor. ait, nullam, quam viui ſeuimus, arborem nos ſequi mortuos, quàm cupreſſum: ſic enim in Odis ait:

Neque harum, quas colis, arborum,
Te, præter inuiſas cupreſſos
Vlla breuem dominum ſequetur.

Ad ædes enim poſita,ſignio funebri eſt.Per eam enim funeſta oſtenditur domus: ſicut frondes feſtæ lætam indicant. Alia etiam ratione affigebatur,ne quiſquam pontifex,per ignorantiam domum ingrediens, polluere tur. Quare feralis dicta. Vergilius:

Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos
Conſtituunt.- Petronius Arbiter:
Gaudent ferali circùm tumulata cupreſſu. Et Silius:
At ferale decus mæſtas ad buſta cupreſſos
Funereas.-

Quippe etiam vrendis funeribus apta. Vergilius:

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus, atraq́ cupreſſo. Lucanus:
Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.

Statius in ſexto Thebaidos:

Triſtibus intereà ramis, teneraq́ cupreſſo
Damnatus flammæ torus, & puerile pheretrum
Texitur.- Claudianus:
- *Tumulos teſtata cupreſſus.*

M.præterea Varro, pyras cupreſſo circundari ſcribit, propter grauem vſtrinæ odorem,ne ea offendatur populi circundantis corona, quæ tandem ſtabat,reſpondens fletibus præficæ, id eſt, planctuũ principi, quandiu conſumpto cadauere,collectisq́; cineribus,dicebat nouiſſimum verbum, Ilicet,quod ire licet.ſignificabat. Hinc Vergilius:

- *Dixitq́ nouiſſima verba.*

Bene præterea, quod etiam Seruius teſtatur, Vergilius ante Cereris deæ lugentis ædes,cupreſſum,funebrem arborem poſuit,

- *Templumq́ vetuſtum*
Æn. 2. *Deſertæ Cereris, iuxtaq́ antiqua cupreſſus*
Relligione patrum multos ſeruata per annos.

Thucydides etiam illorum oſſa, qui in bello occubuiſſent, in arcis cupreſſinis condi ſolita eſſe ſcribit: quòd hæc arbos feralis eſſet, aut etiam propter eius materiei diuturnitatem. Alia ratione cupreſſum luctuoſam Aſclepiades ediſſerit. Fuit enim Boreas Geltarum Rex, qui filiam Cypariſſam genuerit, quæ cùm mortua fuiſſet, ad eius tumulum cupreſſum plantauit, vt poſteris ob eam cauſam funebris fuerit. Aliter Lactantius Placidus: Cypariſſus Telephi filius ob ceruum in Chio inſula interfectum,tantum condoluit,vt cibo omnino abſtinuerit, & inde contabuerit. Vel etiam quòd infructuoſa ſit. Addidit etiam Romanos inclytas familias hac denotare. Omen vnum, futuræ mortis Seueri principis fuit, referente Ælio Spartiano. Æthiops quidam, è numero militari fuit, claræ quidem inter ſcurras famæ, & iocorum non illepidus artifex. Is cum corona è

rona è cupreſſu factitata principi occurrit. Quem protinus princeps ira percitus ab oculis abigi præcipit,motusq; omine illo,aſtantibus ioci cauſa dixiſſe fertur. Totum fuiſti, totum viciſti, iam deus victor. Martianus tamen ex hebeno coronatum ſcribit,hiſce verbis: Pluto lucifuga,inumbratione palleſcens, in capite coronam ex hebeno, tartareæ noctis obſcuritate ferueſcens. Indi tamen cupreſſum venerantur, atque inter aromata connumerant.

De pinu Cybelæ dicata, de Ida monte Troadis, & pinu in eo pulcherrima, & Aty fabula. CAP. XII.

PINVS Cybelæ, Deorum matri dicata: Quare pini nuces, poma Cybeles Martiali feſtiuo poëtæ dicuntur:

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Cybelæ idcirco ſacra, propter Atym ab ea adamatum,atq; in hanc arborem transformatum. Vnde Ouidius in ſua Metamorphoſi:

Et ſuccincta comas, hirſutaq́ vertice pinus
Grata Deum matri, ſiquidem Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoq́ induruit illo.

Fabulam autem hanc, vt nihil ad eius cognitionem deſit, ex plurium monimentis longius deſcribere animo eſt. Atys autem ſpecioſus puer fuit,qui ſacris matris magnæ præfuit. A ſuæ autem ciuitatis Rege flagranter dilectus. Qui cùm ab eo ſibi vim inferri intelligeret,in ſyluas ad Cybelem profugit. A rege autem inuentus, cùm illi vim adferre conaretur, Dea ſtupratoris verenda abſcidit. Qui moriens, & facinus vlſciſci cupiens, puero eadem perſcindit. Quem quum ſub pinu ſemianimem iacentem Cybeles antiſtites inueniſſent, in templum deportarunt, nixiq; ſunt, verùm fruſtrà, reficere. Mortuum verò ſepelierunt: ſed vt eius in perpetuum memoria permaneret, edixit Deorum mater, vti quotannis plangeretur,cuius etiam cultores caſtrarentur. Iuuenalis:

Semiuir obſcæno facies reuerenda minori, Satyra 6.
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta. Ouidius:
- Molleſq́ miniſtri,
Cædunt iactatis vilia membra comis.

Pinum autem arborem, ſub qua ille iacuerat, tutelæ ſuæ Dea adſcripſit. Sunt qui Atym, cùm per mare Phrygium nauigaret, ad flumen Gallum vſq; perueniſſe memorent,cuius potu ad inſaniam verſus,ſilice teſtes ſibi amputaſſe. Hanc autem fabulam Arnobius contra gentes, aliter, atq; latius deſcribit.Fuit autem Atys Nanæ Sangarij amnis natæ filius.Hæc autem illum hircino lacte enutriuit. Phryges verò hircum,atagum vocant, vt indè Atys nomen ſortiretur. Hunc Deorum mater enixiſſimè adamauit,ſed perditiſſimè Acdeſtis.Quod Midas Rex Peſſinuntius ſentiens, atq; vt illum ab infami,nefandaq; eius coniunctione tutum faceret,filiam ſuam ei matrimonio deſtinat:& vt nequis eius munia nuptialia violaret, eos intra oppidum recludit,illudq; muris, turribusq; circummunit. Cy-

bele autem Atys reſciens fatum, ciuitatem ingreditur, turribus ſpoliat: vnde poſteà turrita viſa,& cognominata. Quod ad eius libertatem fecit. Sciebat enim non aliàs inter mortales ſaluum & liberū quemquam eſſe, quādiu matrimonij fœdere vinctus eſſet. Acdeſtis verò amore, iraq; exæſtuans, propter puerum à ſe alienatum, conuiuantibus furorem ingerit, fitq; non minima rixa. Ad vltimum verò Atys ſub pini arbore ſe proijcit, genitalia ſibi deſecat, quæ in Acdeſtim iaculatur, prolatis his verbis: Habes hæc, propter quæ tantos furialium diſcriminum nobis concitaſti motus. Tandem cum ſanguine vitam efflat. Abſciſſa autem Deûm mater legit, veſte inuoluit,& in terra recondit. Flos & viola è ſanguine naſcitur, ex qua arbor redimitur, cœptumq; poſteà eſt, ſacras pinos hoc flore velarier,ac coronarier. Acdeſtis enim Iouem deprecatur,vt Atys reuiuiſceret: quod ſinit minimè, donat tamen, vt corpus nequaquam putreſcat, verùm in comas ſemper virides creſcat,& minutiſſimis folijs viuat,quod teſtaretur illorum continuus motus. Ida mons Phrygiæ pinis refertiſſimus, quam ob rem matri magnæ attribuunt. In eo enim fuit pinus ingens,quæ à magnitudine & ſpecioſitate, Pulchra nominata eſt. Ambitus eius fuit pedum vigintiquatuor, altitudo à radice ſexaginta & ſeptem. Tota eius altitudo,duorum iugerum,& quindecim cubitorum ſpatium amplectebatur. De hac Attalus apud Strabonem. Diſtabat ab Adramyttho ſtadijs centum octoginta ad Septentrionem. Fraudi etiam pinum conſecratam Seruius ait,quòd eius poma per fraudem interimant.

De populo Herculi, mali punici fructu Mercurio, Perſea Harpocrati, dicatis. CAP. XIII.

HERCVLI populus conſecrata fuit. Vergilius: Populus Alcidæ gratiſſima. De qua etiam intelligit,dum dixit:

- Herculeaq́, arbos, vmbroſa corona.

Idem in quinto in ludis iuuentutem fronde populea velatam fingit:quòd ἥβη, id eſt, Hebe, ſiue iuuentus, Herculis vxor ſit,cui populus dicata eſt. Hoc autem phyſici,vt Probus ait, ad naturalem cauſam allegoricôs referentes, Herculem tempus ſignificant, ac ei populum deuouent,propter colorem album,quo dies accipitur,& nigrum, quo nox. Vnde Salij Herculi ad aram maximam in foro Boario ſacra facientes,populi fronde coronabantur. Vnde Vergilius:

Æneid.lib.8. *- Herculea bicolor cùm populus vmbra*
Velauitq́, comas, folijsq́, innexa pependit. Et non longè pòſt:
Tum Salij ad cantus, incenſa altaria circum
Populeis adſunt euincti tempora ramis.

Docent tamen alij coronam lauream his præfici. Cæteri verò ad fabulas referunt,& ad albam tantùm populum. Vnde Pauſanias, albam populum acheroidin vocat, contrà Ariſtoteles nigram. Quòd primus is, iuxta Acherontē Theſprotidos amnem genitam ad Græcos tranſtulerit. Ideò Homerus Acheroidam appellauit:vt fabulæ dein originem dederit, propter Acherontem inferorum fluuium. Quum autem apud inferos Hercules

cules deſcenderet, & labore defatigaretur, corona ex hac arbore complexa, caput, propter ſudorem, velaſſe dicitur. Vnde foliorum pars altera, quæ temporibus adhærebat, exalbuit: pars verò exterior, propter inferorũ calorem nigra permanſit. Qui colores in ea permanſerunt, vt bicolor poſteà fuerit. Alij autem eum ab inferis redeuntem, primùm arborē iſtam contemplaſſe, atque ſe inde coronaſſe, conueniente plantæ, colore albo huic euentui, quum è tenebris in lucem commearet. Perſeam arborem Ægyptios Harpocrati dicaſſe, Plutarchus in eò libro, quem de Iſide & Oſiride conſcripſit, autor. Hac enim ratione, quòd eius folium linguæ, fructus verò cordi perſimilis ſit, atq; ſi duobus his ſilentium intelligere velit. Loquitur enim lingua, quod cor cogitauerit. Quippe Harpocrates ſilentij deus. Quod intelligitur ex digito labra comprimente, vt nos tacere debere moneat. Apud Græcos, qui eruditiſſimi fuere, vt Clemens Alexandrinus in Stromatis prodit, Mercurio mali punicæ fructum dicarũt. Nam veluti in eo quamplurimæ latebræ ſunt, ſic & in oratione, quam Mercurio attribuerunt. Malum tamen punicam, in honorē Iunonis plantari, Apollonius Tyaneus dicebat. Hæc fuit antiquorum erga ſuos deos religio, vt illis arbores deuouerent, & illas adorarent. Sub his etiam ſacrificia facerent, & ab his reſponſa peterent. Ad quas Chriſtianæ fidei athletæ ſæpe trahebantur, vti illorum ritu adorarent, & venerarentur. Quod quum facere renuerent, ſæpe illorum imprecatione, & Chriſti miraculo, radicibus euulſæ, aut efflagratæ corruerunt. Vltimo tandem ſupplicio afflicti ſua morte, Chriſti fidei teſtimonium præbuerunt.

Præfatio libri ſexti.

HACTENVS arborum laudes ac religio: iam enim locus ſeſe offert, vti inſtitutum noſtrum aggrediamur: vt ante tamen nonnihil de hortorum ſignificatione, illorum ornatu, tutela, amœnitatibus, & nonnullis multis alijs illos pertingentibus, diſſeramus. Quod omninò ſilere & præterire, ingratum fore exiſtimauerim: præſertim verò, cùm has noſtras commentationes & vigilias ſub illorum appellatione, cuique legendas, in publicum emiſerim. In quibus verò, non tam exoticarum, quàm cicurum, & nonnullorum fruticum, hiſtoriam aggreſſus, vt in vniuerſum illarum materiam, ſub illorum denominatione amplecti voluerim: Non enim plus domeſticam, quàm ſylueſtrem faciunt homines quidam, tanta eſt illorum erga arbores amicitia, vt omnes hor-

torum nomine & illorum incolatu, digna apud eos viſa ſint, vt indifferenter has in hortis, in corte, ante ædes tum publicas, tum priuatas ſæpius habeamus, quarum aſpectu, quarum vmbra, mirum abſque vllo delectu, afficimur, delectamur. Sed iam hortos ipſos ingrediamur.

HORTORVM LIBER SEXTVS.

Horti quid, & de illorum varia appellatione, & quis primus Athenis inſtituerit. CAPVT I.

SVNT autem horti, vt ab illorum inſtitutione incipiamus, ſi plurali numero proferantur, non olerum, aliarúmve herbarum, verùm arborum: vt horti Alcinoi, Salluſtiani, Luculliani, Pompeiani, Curtiani. Et horum ſignificatio, ſiue etiam ſingulari numero enuntietur, apud antiquos (Feſto Pompeio autore) latiſſima fuit, vt etiam omnis villa compræhenderetur: Dicti quippe ſunt, quòd ibi oriantur, qui arma capere poſſint. In duodecim prætereà legum Romanarum tabulis, vt Plinius ait, nuſquam nominatur villa, ſemper in ea ſignificatione hortus, in horti verò hæredium: vt hacce appellatione non huiuſmodi priuatus cuiuſq; locus contineatur, verùm amplæ latæq; regiones, quæ fertilitate perſpicuæ, & arboribus domeſticis frugiferæ, riguæq;, & amœnæ compræhendantur. Omnis enim Panhormitis Siciliæ regio, à Græcis κῆπος, id eſt, hortus, appellata eſt: quod (inquit Callias) tota fructiferis arboribus referta ſit. Et vniuerſam Italiam, pomarium, ſuis temporibus vnum fuiſſe M. Varro, ab arborum conſitarum copia, ſcribit. Quod ſentit etiam Horatius, dum hortorum ſuæ tempeſtatis damnat luxuriam. Cuius verſus hîc inſerere, lectori minimè oneroſum fore arbitror:

Libro 2. Carm.

Iam pauca aratro iugera regiæ
Moles relinquent: vndique latius
Extenta viſentur Lucrino
Stagna lacu, platanuſq; cœlebs
Euincet vlmos: tum violaria &
Myrtus, & omnis copia narium
Spargent oliuetis odorem

Fertilibus domino priori.
Tum ſpiſſa ramis laurea feruidos
Excludet ictus.

Omnis quoq; Iordanis & Pentapoleos regio, antequam deleretur, hortorum deſignatione, propter arborum copiam & regionis fertilitatem, hortorum appellatione (inquiente diuo Aurelio Auguſtino) demonſtrata eſt. Hortorum autem ſignificationis ſunt & alia plura vocabula veluti pomarium, à pomi ampla denotatione. Ouidius:

Id metuens, ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Mœnibus.

Palladius Rutilius pometum etiam dicit. Alij verò pomarium maluerunt dicere. Arbuſtum etiam, etſi improprioгe vocabulo. Arboretum enim Q. Claudius, in primo annalium, referente Aulo Gellio, his verbis, Conualles (inquit) & arboreta magna. Quod tamen ignobilius verbum, hic exiſtimat, Arbuſtum verò celebratius. Græcè παράδεισοι (autore etiam apud Latinos Aulo Gellio.) Hanc tamen vocem, quidam Perſicam, vt Xenophon, arbitrantur: quod Iulius Pollux etiam innuere videtur, cùm ait vocabulum barbarum eſſe, verùm conſuetudine, in vſum Græcum perueniſſe conſtat, vt alia multa Perſica. Oppidi etiam nomen in Cœleſyria, Strabone autore. Sylua etiam pro hortis accipitur. Cicero in Verrem, actione ſexta, quæ ſigna nunc Verres, vbi ſunt? Illa quæro, quæ apud te nuper, ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumnijs, in ſylua deniq; diſpoſita, ſub dio vidimus. Vbi Aſconius exponit, in ſylua, id eſt, in viridario. Græci autem campos, planities, viridaria, hortos quoq; vna voce, πεδίον vocant. Vlpianus Iuriſconſultorum conſultiſſimus, De fundo inſtructo, in Digeſtis ſeu Pandectis, de præfectis curandis viridarijs meminit. Hoc enim poſtremum addendum, Epicurum hortorum magiſtrum Athenis conſtituiſſe, atq; vt in ipſa vrbe hortos, agros, villasq; poſſiderent, quibus delicijs indulgerent. Vſq; enim ad eum, in oppidis nullus arua coluerat. Hortos verò ille octoginta minis comparauerat. De quibus ſic Statius:

Luxuq; carentes
Deliciæ, quas ipſe ſuis digreſſus Athenis
Mallet deſerto ſenior Gargettius horto.

Epicurũ enim intelligit, qui è pago Gargettio natus fuerat. Iuuenalis etiã,

Non Epicurum Satyra 13.
Suſpicit exigui lætum plantaribus horti. Et alibi: Satyra 14.
Quantum Epicure tibi paruis ſuffecit in hortis.

Macelatam Iones, M. Varrone ſcribente, hortorum oſtium vocabant.

De hortorum adornatu, & quòd in his ſtatuæ repoſitæ fuerint. CAP. II.

IN adornandis verò hortis, antiquorum non minima, neque ſegnis cura fuit, vt ne labori quidem & diuitijs ijdem pepercerint, quo ſumptuoſis ædificijs pretioſiores, atque amœniores

ſemper forent: quod teſtatur Iuuenalis:

Contentus fama iaceat Lucanus in hortis

Marmoreis. Siquidem in his porticus, & longè, lateq; deambulacra erecta. In his ſtructa ſphæriſteria, hypocauſta, vt Celſus, referente Vlpiano libro octauo Digeſtorum teſtis eſt. Longè perquiſiti fontes non tam irrigationis cauſa, quàm delectationis. In his etiam Deorum ædes, cauata viuaria, varijs etiam picturis ditati. Ibidem enim ſigna, diſpoſiti obeliſci, vt ibi nihil ad decorem, nihil ad oblectationem faciundum, prætererierint, quæ ad animorum voluptatem, ad bonam corporis valetudinem, & incolumitatem facerent, ac deſiderarentur, prout per loci opportunitatem licuit, & dominorum facultates, vt non magis ad vtilitatem quàm ad delicias poſiti ſint. Scribit præterea Ammianus obeliſcum alterum in hortos Salluſtianos eſſe tranſlatum. Statuas autem hortis repoſitas, clarè in Verrem Cicero edocuit. Hæc & alia (de ſignis loquitur) Scipio non negligenter obiecerat, ſed & Thermitanis reſtituerat. Non quò ipſe hortos, aut ſuburbanum, aut locum omnino, vbi ea poneret, vllum haberet, ſed ſi abſtuliſſet, non diu Scipionis appellarentur, ſed eorum, ad quoſcunq; ipſius morte veniſſent. Idem alibi: Iuxta Romam, quæ aſportata ſunt à M. Marcello è Syracuſis, ad ædem Honoris atq; Virtutis. Itemq; alijs locis videmus, nihil in ædibus, nihil in hortis poſuit, nihil in ſuburbano. Idem pro domo ſua ad pontifices dicit, P. Clodium in ædilitate ſua è Græcia de inſulis ſigna deportaſſe, quæ partim in arca, partim in hortis ſuis locauit. Scribit itaque Plinius, Domitium Tullum hortos ampliſſimos habuiſſe, & eodem, quo emerat, die, plurimis atq; antiquiſſimis ſtatuis inſtruxiſſe: ſed iam ad ſigna, quæ in illis ſigillatim repoſita inueniuntur, tranſgrediamur: Quorum transferendorum Græcorum conſuetudo fuit, quos & imitatos Romanos, & alios par eſt dicere. Alcamenes Venerē à ſe effictam, in ſuis hortis Athenis poſuit, inquiente in Imaginibus Luciano. Opus quidem inter ea, quæ in ciuitate illa viſerentur, & in pretio haberentur, præcipui ſpectaculi. Plinius enim illic in Adrianis hortis fuiſſe commemorat. In Seruilianis hortis Romæ Ceres, Flora, Triptolemus, Praxitelis opera fuerunt: & in illis etiam Veſta ſedens circa eam cum duabus chameratis, Scopæ opus, & Calamidis cælatoris Apollo Pythias Dactylidis. Amphiſtrati verò Calliſthenes hiſtoriarum ſcriptor. Quos laudatos fuiſſe, hic ſcribit. Nero autem princeps, vt hic etiam aſſerit, ſe depingi in linteo iuſſit. Longitudine verò centum viginti pedum. Illud incognitum ad illa tempora. Hæc autem pictura, cùm peracta fuiſſet, atq; in hortis Marianis locata, fulmine accenſa, cum optima hortorum parte conflagrauit. Hoc enim modo in hortis poſita ſigna, poſteà vendere contra religionem prohibitum fuit. Fallanio autem prætentum crimen ſcribit Tacitus, quòd diuenditis hortis, Auguſti ſimul ſtatuam mancipauiſſet. Nam in priſca illa ætate, in hortorum venditione numinum ſimulacra & ſtatuæ minimè venibant: quod contra eſſe poſteà Tiberius declarauit. Nunc & hodie quoq; hunc priſtinum morem Romæ obſeruari videmus, vt quicquid ex antiquis ſtatuis reliquum eſt, in

hortis ſeorſum ponatur. Quod autem ad templa pertinet, conſtat Romanos, Fortunæ templum, in hortis à Cæſare populo legatis exædificaſſe. Cæſarem autem Fortunæ beneficio, ad ſummum euectum faſtigium, illi exiſtimarunt. Cæterùm quicquid viſu memoratuq; dignum antiquis viſum fuit, in hortis deſignabant, veluti Puſionis & Secundillæ corpora fuere. Quæ autem in Salluſtianorum hortorum conditorio ob proceritatem repoſita ſunt, quæ fuit, autore Plinio nonûm pedum & totidem vnciarum, addito ſemipede. Vixere enim illi ſub diuo Auguſto. In hortis etiam conuiuia, præcipuè verò feſtiuiora, atq; celebriora peragebantur. Sic enim in Philippicis Cicero: dat natalitia in hortis. De M. Antonio loquitur. Nuptias ibi etiam fieri, teſtis Scæuola Iuriſconſultus, in his eius fragmentis, quæ impiè Iuſtinianus nobis tantum reliquit, videlicet in titulo, de donationibus inter virum & vxorem. In hortis etiam natus M. Antoninus Philoſophus, in monte Cælio, vt prodit Capitolinus. Et vt aliquid extra Ethnicorum hiſtorias conferam, Nonne Adamũ & Euam, noſtros primos parentes, IESVS CHRISTVS totius orbis conditor, in hortis, quos in Eden Orientis regionem ſeuit, plaſmauit, & ad ſuam ſimilitudinem effigiauit? In quibus ſedes noſtras conſtituerat, ſed ab his illi ob illorum reatum expulſi, atq; exules & extorres facti.

In cuius tutela, horti aſſignati: & de Priapo hortorum deo. CAP. III.

HORTOS etiam religio quædam comitata eſt, tantum contra inuidentium effaſcinationes dicata, atq; in remedio ſatyrica ſigna poſita ſunt. Veneris tutelæ aſſignauit Plautus, Feſtus Pompeius, illi duo templa conſecrata, duodecimo Calendas Septembris fuiſſe ſcribit: alterũ ad Circum maximum, alterum in luco Libitinenſi. M. etiam Varro, ad rem ruſticam Venerem aduenerabatur, cuius procuratio hortorum ſit. Quo nomine vinalia ruſtica ſunt. Priapum autem hortorum deum cæteri voluerunt. Dictus autem Græcè ἰθύφαλλος, quæ vox etiam columnam recti membri denotat. φάλλος enim priapus eſt, ἰθὺς rectus, quare in obſcœno carmine legitur,

Aſtans inguinibus columna noſtris.

Vnde phalagogia ſacrificia, quæ Priapo fierent. Ægyptijs verò Typhon M. Varro inter deos Semnones, qui neq; cæleſtes, neq; terreni eſſent, recenſuit. Inter deos verò à Græcis receptus, propter eam corporis partem, in qua omnium animantium ortus ſit. Vt iſta appellatione animalium progenerationes demonſtrarentur: vt propterea in honore eſſet: & ab generationis cauſa hortorum curam aſſignauerunt, quòd hortis nihil fœcundius. Phurnutus enim ait Priapum idem & Pan eſſe: Ambo enim è dæmonum numero, & Priapum fœcundum aſſeruerunt. Magnitudo autem membri virilis ſeminalem materiam ſignificat. Diuus Aurelius Auguſtinus Mutinum deum eſſe, eum quem Græci Priapum vocant, ſcribit: Sunt autores, qui Beelphegora Priapum exiſtiment. Bacchi autem

r & Ven

& Veneris filius fuit, vti Apollonius, Diodorus Siculus, & Theodoritus de affectionibus Græcorum, ſuis monimentis mandarunt. Hac ſcilicet ratione: Voluptatem enim Veneri, ebrietatẽ verò Baccho. Voluptas enim ebrietati iuncta, obſcœnas corporis partes intendit, vt Hierophantes, id eſt, ſacrorum magiſter interpretatur. Idcirco hunc ac Silenos Liberi Patris comites Euſtathius ſcribit. Porrò ex Græcis epigrammatibus animaduertere eſt, Priapo vt plurimum, in maris litoribus dicata fuiſſe templa. Quòd hominum genitura, vt mare, ſalſa ſit: & à Priapo Lampſacum, nobile Helleſponti oppidum, portu inſigne, ad mare conditum eſt: atque etiam propter viniorum copiam Demoſthenes ſcripſit. Suidas verò ex Ioue ac Venere progenitum affirmat. Quam quum grauidam Iuno ſenſiſſet, Zelotypia commota, faſcino quodam, Veneris vterum attigit, effecitq; vt turpis, præter omnes, ac deformis, ingenti pene dehoneſtatus, naſceretur, & exiguæ ſtaturæ, vt ait Theodoritus, quod oſtendit Auſonius, Quòd pube pudenda Helleſpontiaci ridetur forma Priapi. Cuius verò deformitatem, quum puderet matrem, in monte quodam expoſuiſſe ferunt: & à paſtore educatum, qui lingua Itala Priapus vocitaretur. Alij verò, quorum alter Apollonius, in Lampſaco derelictum, quare vrbi nomen primo ἀπαρνὶς, deinde literæ mutatione ἀβαρνὶς, quòd ibi filiũ denegauerit: τὸ γὰρ ἀπαρνεῖσθαι, negare ſignificat. Quum poſtea Lampſacenis mulieribus pernimium gratus fuiſſet, à viris exactus eſt. Verùm quum poſteà aliquo malo afflicti fuiſſent, eidem templum erexerunt, ac ſacrificia conſtituerunt. Ægyptij Oſiridem à Titanibus interemptum dicunt, & eius corpus in fruſta diuiſum, atq; æquis portionibus illorum cuiq; largitum, demptis pudendis, quòd ea ſinguli reſpuerent. Ideoq; in flumen deiecta. Sed Iſis, occiſis Titanibus, mariti necem vlta, omnes cadaueris partes in hominis priſtinam effigiem compoſuit, quam ſepeliendam ſacerdotibus tradidit. Verùm cùm ſola deficerent virilia, nec reperiri poſſent, illorum figuram, in templo, quod iuxta Nilum eſt, ſuſpendi, ac coli iuſſit. Lucianus autem Priapum vnum è Titanibus aut Ideis dactylis fuiſſe arbitratur, quem Iuno Marti obtulit: durum porrò rudemq;, verùm ſupramodum virilem. Quem prius quàm armorum peritum redderet, ſaltatorem peritiſſimum effecit. Priſci nanq;, inquiente Diodoro, cùm vellent hominum pudenda occultius, ac honeſtiore vocabulo nominare, Priapum dicebant. Quod noſtra quoq; etiam tempeſtate verecundius fit: vt hæc etiam dictio nihil honeſtatis nedum deitatis habeat, ab omnibus in re etiam obſcœna exoſa. Demoſthenes etiam in oratione contra Cononem probrum eſſe ait, quod nonnullis Priapi aut helluonis cognomina imponantur. Hortis dicitur præeſſe, propter eorum fertilitatem & fœcunditatem, vt iam ſupradictum eſt. Nam cæteri agelli, ſemel quid annuatim procreent, horti verò fructu aliquo ſemper perennes ſunt. Columella:

Neu tibi Dedaleæ quærantur munera dextræ,
Nec Polycletea, vel Phragmonis aut Ageladæ,
Arte laboratus, ſed truncum forte dolatum

i-

Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli,
Terribilis membri, medio qui ſemper in horto,
Inguinibus puero, prædoni falce minetur. Tibullus:
Pomoſiſq́; ruber cuſtos ponatur in hortis,
Arceat vt ſæua falce Priapus aues. Vergilius:
Et cuſtos furum, atq; auium, cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſeruet tutela Priapi. Georg. 4.

Verùm non ſolùm hortorum, ſed & vinearum atque agrorum tutelam illi commiſerunt priſci. Quod de vineis vno epigrammate expreſſit Valerius Martialis. Priapus loquitur:

Non rudis indocta fecit me falce colonus: Lib. 6.
Diſpenſatoris nobile cernis opus.
Nam Cæretani cultor notiſſimus agri,
Hos Hilarus colles, & iuga læta tenet.
Aſpice quàm certò videar non ligneus ore,
Nec deuota focis, inguinis arma geram:
Sed mihi perpetua nunquam moritura cupreſſo,
Phidiaca rigeat mentula digna manu.
Vicini (moneo) ſanctum celebrare Priapum,
Et bis ſeptenis parcite iugeribus.

De pluribus alio expreſsit epigrammate:

Non horti, neq; palmitis beati,
Sed cari nemoris Priape cuſtos,
Ex quo natus es, & potes renaſci,
Furaces, moneo, manus repellas,
Si defeceris hoc, & ipſe lignum es. Vergilius in Bucolicis:
Sinum lactis, & hæc te liba Priape, quotannis Ecloga 7.
Expectare ſat eſt: cuſtos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Phurnutus autem ſic depingebat: omnis enim generis fructus in ſuo ſinu gerit: quòd fructuum indicat copiam, qui intra terræ ſinum, ſtatis temporibus & naſcuntur, & oſtenduntur. Propterea hortorum deus traditur, quòd eius ſit, ea & ſeruare, & tueri, quæ genuerit. Falcem verò manu gerit cuius vſus in putandis vineis & arboribus eſt, vt eius putatione multa fertiliora reddat, quæ poſteà denuò excidat, depopuletur, & perdat, vt ad laborandum iterum conuertat homines, vt otioſi non ſint, & bona conſequantur. Ægyptij, qui nil in ſuis tum publicis ac religioſis ceremonijs, ſine quadam rerum naturali ratione figurant, aliter eum depingunt, quem humana facie ſtatuunt. Dextra manu ſceptrum geſtantem, perinde ac ſi ab eodem terra mareq; in lucem edita fuiſſent: ſiniſtra verò, ſuijpſius erectum membrum tenet, quo ſemina humo aſperſa in apertum mittat, cuius motu celeritatem ſignificat, & diſco, orbis circunferentiam, illi ſolem exiſtimant. Sacerdotes autem illius non nouitios, ſed ſacris iam initiatos eſſe oportebat. Hanc autem effigiem, & eius deſigna-

tionem, poëtæ ſuprà citati oſtenderunt, & explanatius Horatius, cuius carmina ſequuntur:

Serm. lib. 1. ſat. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus ſcamnum, facerétne Priapum:
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego furum, auiumq́
Maxima formido: nam fures dextra coërcet,
Obſcœnoq́ ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucres in vertice arundo,
Terret fixa, vetatq́ nouis conſidere in hortis. At Ouidius:
Quicunq́ deus fures, vel falce, vel inguine terret.

Latini autores, vt ex iam relatis manifeſtum eſt, ex ligno ficulno fabrefactum dixere, ita & Græci: inter quos Theocritus σύκινον εὑρήσεις ἀρτιγλυφὲς ξόανον. Corinthij magna veneratione Priapi ſacellum cultum, vt ſcribit Strabo, habuerunt. Non in templo ſolum colebatur, ſed in agreſtibus locis, vbi caprarum, ouiumq́; paſcua eſſent, & apum examina, Pauſanias in Bœoticis. Ægyptij hircum vocabant, propter eam corporis partem, à qua ſit omnium ortus. Quare Orpheus eum protogonon vocauit. Apud Blammias & Nubatas Æthiopiæ populos (vt inquit Procopius) vbiq; huic cum riſu & ludo ſacrificabant, veluti etiam autore Syneſio illi & Cotydi, turpitudinis deæ, ſacrificia peragebant, vt quiq; comam conſtringerent, & vnguento perungerent: quod turpe ſemper exiſtimarunt. Alibi verò quibuſdam feſtis florea corona velare ſolebant, ſcribente diuo Auguſtino: quod ex Valerio Flacco etiam cognoſci poteſt, cùm canit:

Lib. Argon. 2.

- Tranſmiſſaq́ pupi
Lampſacus: Ogygij, quam nec trieterica Bacchi
Sacra, nec arcanis Phrygius furor inuehit antris.
Sed ſuus in Venerem raptat Deus, illius aras,
Vrbe ſuper, celſiq́ vident velamina templi.

Per ea verò velamina intelligit, vt plures interpretantur, ſimulacri velamenta. Apud Lampſacũ autem Priapo lætabilis victima aſellus erat: cuius ſacrificij ratio in Faſtorum primo & ſeptimo libris ab Ouidio reddita. Cuius verba, quia nimis oblonga, hic inſerere placuit. Quum autem Dij Deæq́; omnes ad feſtum Matris Magnæ conueniſſent, & vino bene poti omnes, epuliſq́; diſtenti, luſibus noctem, humi quieſcentes, tranſigerent. Veſta verò, vel vt ille in primo ait, Lotis nympha obdormiuit, cuius ſomno ac pudicitiæ, animaduertens hoc Priapus, inſidiari cœpit. Verùm illa aſini clamore, quo Silenus ad feſtum vectus fuerat, excitata, libido amatoris detecta eſt. Quare in vltionem illi mactatur aſellus. Aliter enim qui Phænomena ſcripſerunt, inter quos Higinus. Liber Pater aſino, quòd eum furijs à Iunone immiſſis agitatum, paludem tranſuexiſſet, vt Dodonam expiandi cauſa peteret, præmij loco dedit, vt voce humana loqueretur. Inter hunc autem & Priapum ſuper membri virilis magnitudine ortum certamen, in quo ſuperior fuit aſellus. Quamobrem iratus Deus, victorem interemit. Verùm aliter Lactantius, idq́; magis verius. Nam

cùm

cùm in hoc animali, membri genitalis magnitudo enormis ſit, nulla huic monſtro victima aptior potuit reperiri, quàm quæ ipſum, cui mactatur, poſſet imitari. Coruus auis etiam illi dicatur, quòd illius ſimulacrum (vt ferunt) adueneretur. Quod ipſe Deus apud Horatium teſtatur:

Mentior at ſiquid, merdis caput inquiner albis
Coruorum.-

Hæc etiam auis ſatyrica dicitur. L. Florus: Iterum Pontino agro, cùm in ſimili pugna Lucius Valerius, inſidente galeæ ſatyrica alite adiutus, retulit ſpolia. Et inde Coruini nomen ſortitus. Eruca etiam herba iuxta Priapi ſtatuam ſerebatur, quòd Venerem incitet, vt oſtendit Columella:

Et quæ frugifero ſeritur vicina Priapo,
Excitet vt Veneri tardos eruca maritos.

Priapi elogium in prophanis poëtis in Catullo poëta feſtiuiſſimo & doctiſſimo finire decreui:

Hunc lucum tibi conſecro Priape
Qua domus tua Lampſaci eſt, quáue Priape.
Nam te præcipuè in ſuis vrbibus colit ora,
Helleſpontia: cæteris oſtrioſior oris.

Alibi idem atque profuſius:

Hunc ego iuuenes locum, villulamq́ paluſtrem
Tectam vimine iunceo, caricúq manipliſ,
Quercus arida, ruſtica conformata ſecuri,
Nutriui magis, & magis vt beata quotannis.
Huius nam domini colunt me, deumq́ ſalutant
Pauperis tugurij pater, filiuſq́
Alter aſsidua colens diligentia, vt herba
Dumoſa, aſperaq́ à meo ſit remota ſacello,
Alter parua ferens manu ſemper munera longa.
Florido mihi ponitur, picta vere corolla
Primitiæ, & teneræ virens ſpica mollis ariſtæ.
Luteæ violæ mihi, lacteumq́ papauer,
Pallenteſq́ cucurbitæ, & ſuaueolentia mala,
Vua pampinea rubens educata ſub vmbra,
Sanguinea etiam mihi (ſed tacebitis) arma
Barbatus linit hirculus, cornipeſq́ capella:
Pro queis omnia honoribus hoc neceſſe Priapo
Præſtare, & domini hortulum vineamq́ tueri,
Quare hinc ô pueri malas abſtinete rapinas:
Vicinus propè diues eſt, negligenſq́ Priapus
Inde ſumite, ſemita hæc deinde vos feret ipſa.

Supereſt vti ex Bibliorum hiſtorijs nonnihil ad hunc obſcœnum Deum afferamus. Aſa Rex Iudæ Maacham matrem, à principatu amouit, quòd lucos conſecraſſet, & ibi Priapi ſignum erexiſſet. Quod ille iuxta torrentem Cedron ſubuertit, confregitq; & combuſſit. Huius verò nominis ciuitas in Aſia, prope Dardaniam fuit. Huic autem nomen inditum, quòd

ibi Priapus magno cum honore coleretur. Quidam enim à Mileſijs, alij à Cyzenis conditam ſcribunt. Ad hanc autem Alexander Magnus tranſcendiſſe fertur. Vereor ne in deſcribenda huius tam obſcœni Dei hiſtoria, à pleriſq; , ob nimiam diligentiam, optimo iure coarguar, vtq; etiam hominem caſtum ac Chriſtianum, hæc parum deceant. Verùm enimuerò hæc magis in Gentilium ſpurcam, & deridendam, infandamq; religionem ſcripta vnumquemq; ſcire velim, quàm in eius Dei notitiam. Et non alia à me ratione deſcripta, quàm à Prudentio viro docto ac Chriſtianiſſimo, memorata fuere. Itaq; dum hortos meos omni cura, atq; omnibus monimentis, quanta poſſum opera atq; induſtria ſero, illorum numen me præterire non oportuit: vt tamen eius cognomina & multa alia ex induſtria obticuerim. Sed quid de illo Deo ſenſerit Prudētius, videamus:

Ecce Deum in numero formatus, & aneus aſtat,
Grauis homo, anguſta quæ Numæ praſulget in arce:
Strenuus exculti dominus quondam fuit agri.
Hortorumq; opibus memorabilis, hic tamen idem
Scortator nimius, multaq; libidine ſuetus,
Ruſticolas vexare lupas, interq; ſalicta,
Et denſas ſepes, obſcœna cubilia inire:
Indomitum intendens animum, ſemperq; paratum
Ad facinus: nunquam calidis dabat otia venis,
Hic Deus è patrio prænobilis Helleſponto,
Venit ad vſq; Italas, ſacris cum turpibus hortos
Sinum lactis, & hac votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris ſeruat vineta Sabini:
Turpiter adfixi pudeat quem viſere ramo.

Sed iam ad alia tranſeamus.

Hortorum amœnitates, & quàm mirificè varijs nos rebus afficiant. CAP. IIII.

INTER eas verò res, quæ delectatione quadam nos afficere ſolent, & poſſunt, pluris faciundæ, atq; magis æſtimandæ ſunt quæ cum voluptate ipſa, vtilitatem ſimul & honeſtatem nobis afferunt. In quarum verò numero, primas ſibi vendicant horti ipſi: vt in his ambigi poſſit, plúſne vtilitatis, quàm amœnitatis habeant: vt tamen poſſimus exiſtimare, quanta ſit in his iucunditas & voluptas. In quibus etiam nihil eſt, quò minus homines, ſobrij, eruditi, quiq; modicè ad virtutem, quantum ſatis eſt, ſapienter vtantur fruantur. Nemo enim ab his ſapiens vnquam abſtinuit. Non deſit (inquit Vergilius) hortis & voluptas maxima. Quibus etiam & neceſſitas, multiſq; commiſta modis iucunditas, vt non tam prouentus, quàm oblectamenti cauſa comparati, aut conſiti eſſe videantur. In quibus etiam per nos metipſos delectari poſſimus. Quod C. Caninij teſtimonio eſt. Erat enim (vt Cicero ait) Romanus homo, nec infacetus, nec ſatis literatus. Cùm ſe Syracuſas otiandi cauſa, non negotiandi (vt ipſe-

ipſe dicere ſolebat) contuliſſet, dictitabat ſe hortulos aliquos velle emere, quò inuitare amicos, & vbi ſe oblectare, ſine interpellatoribus poſſet. Nam ſi in aliqua totius agriculturæ ratione voluptas quædam ineſt, tum maxima in hortis, atq; in illorum operis læta exercitatio. Et refert (vt Vergilius ait) pleniorem gratiam, tribuitq; colenti multiforme gaudium. Hortorum quippe innumeræ ac variæ delectationes. Quorum oporothecas, vt M. Varro autor eſt, magis auemus, quàm Luculli pinacothecas. Primùm verò, iucundiore proſpectu, oculos noſtros, vberrima voluptate, decuſſatis arborum ordinibus, capiunt ac paſcunt, terram ipſam veſtientes, vti in quam te partem verteris, & inciderit viſus, ipſa latè circunſpiciendi libertate ſeſe extendente, alliciatur, & reficiatur: longis etiam amœniſq; deambulacris ſeſe offerentibus, in quibus ambules, & paſſu leuiore, ac perreptante te exercere valeas, ramis denſarum arborum patulis, conſpicuiſq;, & fronde feſtiua, te cooperiente, & legente: vt illarum vmbra, quam nobis nectunt, & ſpargunt, aduerſus Solis radios & ſyderũ flagrantium moleſtias, nos tueri, ac defendere poſſimus, comis ipſarum arborũ leuibus, Solis potentiores radios excludentibus, ac ſi ſolem ipſum feruidum, harum fronde, eludere videaris. O quàm ſuaue eſt æſtate in media, atq; ſub vtriuſq; Canis ardentiſſimo æſtu, arborum opacitate refrigerari: quod Tibullus nobis oſtendit:

Sub canis æſtiuos æſtus vitare ſub vmbra.

Quàm gratus autem, atq; iucundus eſt herbarum ſubtus arbores viror, qui florum multitudine, & colorum diuerſitate ſolum depingit. Nam (vt ait Maro) Flores niteſcunt diſcolore gramine, pingunt terras gemmeis honoribus. Et Claudianus: *In Epithalamio Honorij.*

Quum poſt labores ſub platani cubes
Virentis vmbra, vel gelido ſpecu
Torrentiorem fallere Syrium,
Et membra ſomno feſſa reſolueris.

Dulciſſimum quippe erit, ponè fontem limpidiſsimum & lucidiſsimum ſub viridi amœniſsimaq; herba & iucundis floribus, membra reponere, vt cum Vergiliano paſtore Melibœo dicere poſsis.

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi. Et pòſt:
- Tu Tityre lentus in vmbra,
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas. Et pòſt idem:
Fortunate ſenex, hîc inter flumina nota,
Et fontes ſacros frigus captabis opacum.

Eadem amœnitate delectabit te vitreus à fonte diſcedens riuus, ſulco ductus, atq; arbores irrigans, & ſenſim placideq; præterfluens:

Sæpe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.

Et vt pulchrè ait Horatius:

Fontes lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leueis. Et alibi idem:
Quò pinus ingens, albaq; populus,
Umbram hoſpitalem conſociare amant

Ramis:

Ramis: quò obliquo laborat
Lympha fugax trepidare riuo. Et idem alibi:
Cœna breuis iuuat, & prope riuum ſomus in herba. Et alius:
- Molles ſub arbore ſomni.

Sequitur arborum ſonus, qui tenuiter increpitans, dulcem ac multam auſcultantibus incutit voluptatem. Quum Zephyrus ſuſurrantibus atq; murmurantibus plantis, illarumq; folijs trementibus ac laſciuientibus ramuſculis, auram illam mitem & paulum refrigerantem, leniter nobis inſpirat, vt auium cantus, maximè verò cygnorum imitari, audiatur. Eſt nempe arboribus (vt inquit Auſonius) muſica,

Somniferumq; canit ſepes depaſta ſuſurrum
Eſt & arundineis modulatio muſica ripis,
Incubuit folijs quoties leuis Eurus acutis.

Nec minùs ſuaues arborum flores tibi erunt. Quorum aſpectus, ex generis diuerſitate, & colorum varietate ac multitudine, oculos tuos iucunda voluptate alliciet. Neq; item vno ſolùm tempore, verùm diuerſo, altero videlicet deficiente, & altero naſcente, vt te ex induſtria longius afficere ſatagent: vti etiam vno in loco, & flores, & iam grandeſcentes fructus videre ſit. Hos inſuper integerrimus & fragrantiſsimus odor comitatur: qui ex differentibus plantis, varijsq; odoribus, dulcem & ſuauem odorum compoſitionem efficient, vt illius olfactu magis delinieris. In ſtirpium verò numero atq; differentia, dein quædam oblectatio, vt in illarum diſcrimine, tum in caudicibus, & ramorum agendorum varia natura, atque folijs, ac floribus, tum demum in fructibus nonnihil eſt, quod cum animi voluptate contemplari poſsis, inſuper & tueri, quoto anni tempore quæq; planta germinet, & quæq; ferat. Cæterùm primo vere, omnes gemmas trudunt, quæ mox in flores erumpunt,

- Nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent ſyluæ.-

Deinde verò poma, & varios fructus producunt, qui in colorum mutatione ematureſcunt. Nam vt Tibullus ait,

- Et Autumno candida mala rubent.

Vti maxima anni parte, te plurimis animi affectibus delectent,

Dulces (vt ait Propertius) *ceraſos, hic autumnalia pruna*
Cernis, & æſtiuo mora rubere die. Et alius poëta ait:
Strata iacent paſsim ſua quaq; ſub arbore poma.

O quàm dulciſsimum erit cuiquam eius arboris fructum, quam ſeruit, in ſeruitq;, conſpicere, & proprijs manibus colligere, & eam filijs, nepotibusq;, aut alteri iactabundus oſtendere. Nempe (vt ait Naſo)

- Oblata dulcis in vnda
Gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ:
Et magis adducto pomum decerpere ramo,
Quàm de cælata ſumere lance iuuat.

Sæpius etenim arbos ſuis onuſta diuitijs, ramos ſuos præ pondere in terram curuans, quas tibi, ſolo decumbenti vltrò offerat. At in arborum generibus,

neribus,quoddam, idq; non rarum, reperire eſt, in quo nulla hyemis ac frigoris ſæuitia, impedimento eſt,quò minus foliorum viriditate, & fructibus vtamur,vt his æſtatis beneficio fruamur.Eſt & alia,prætetquam in ipſis arboribus, hortorum delectatio, auium videlicet modulatio. Frequentius enim arborum ramis inſidentium, & paſsim per arbores volitantium, & vagantium, argutos edentium cantus, vt illarum ſæpe grex concentum concorditer efficiat: & ſemper (vt ait Maro) aures cantibus mulcent ſuis. Animo mœſto demunt languores graues. Ibi verò philomela dies noctesq;,mille per diſcrimina vocum recinit,certatq; ne ab alia cantu vincatur. Hirundo,huius ſoror,arborum in ſummis ramis ſedens, garrulos fundit melos, ſummo mane itym deflens, ac ſæpius inter plantarum ordines volitans, eſcam venatur, muſcarum omnium generum inimiciſsimum animal,quarum moleſtia nos leuare videatur. Acanthilis verſicoloribus inſignis maculis querulo modulamine aures noſtras lenit. Paſſer inter frondes laſciuit:

Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes, Egloga 1.
Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab vlmo.

Merula autem ſola volitans inter primas, aduentans ver gutture croceo præcinit. Cuculi verò, & galbulæ, exactam iam hyemem, nec amplius pertimeſcendam, voce ſatis indecora adclamitant. Vpupa ſemper cum vxore humi cibum quæritans,vno,perſimiliq; ſemper ſono,quo nomen ſuum exprimit, pluries repetito, contenta. Hæ autem delectationes Horatium non latuerunt. Sic enim in Epodo ait:

Libet iacere modò ſub antiqua ilice, De laudibus
Modò in tenaci gramine. vitæ Ruſticæ.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in ſyluis aues:
Fonteſq; lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leueis.

At quid in auibus tanropetè immoramur? nónne & cicadæ, cantu querulæ,feruentiori etiam æſtu,concutientibus alis,fortius reſonant?

Apes item ſuſurro murmurant grata leni,
Cum ſumma florum, vel nouos rores legunt.

Erit & in hortorum viuarijs nonnulla voluptas: In quibus natantes piſciculos viſere,non ingratum fuerit,atq; eos hamo fallere ac capere. Lydi præterea omnium mortalium molliſſimi feruntur. Ij autem in hortis quo delicatius viuant,morantur.Infinitæ ſunt Hortorum oblectationes, quas omnes enumerare, non quidem facile eſt. Verùm dum ego ipſe hortorum tot atq; ingentes voluptates, omnibus notas facere conor, timeo ne ex nimia diligentia,cum hortis ipſis laſciuiente calamo lectori è voluptate faſtidium pariam. Hoc vnum mihi condonabit,vt hortorum delicias poſtremum hoc ſolo finiam: vt locum illum, quem cum IESV CHRISTO, eiusq; matre & omnibus ſanctis ac beatulis animalibus poſt mortẽ & huius ſeculi ærumnas, cum tanto gaudio, tantisq; delicijs vti à nemine poſſint deſcribi,nedum excogitari,in æternum inhabitaturi ſumus,

ri ſumus,alio aptiore vocabulo, & magis voluptates exprimente & contingente,quàm paradiſi voce appellare potuerint.

Hortos & nemora,plurimùm ad animi curas,tum corporis ac laborum relaxationem & ſolutionem conducere.

CAP. V.

HORTOS & nemora omnibus multum,plurimumq́; cùm ad corporis, tum etiam animi incolumitatem conducibiliora,expetitaq́; eſſe,cuiq; ſatis conſtat. Quoties enim ex laboribus ad requiem, & quum laxare animos cupimus, ad hortos, tanquam ad aliquod delectabile refugium, properamus,puriore vtentes aëre:quibus nec nitidiora ſunt regiarum marmora,nec lacunarium vmbracula gratiora,nec muſeum herbis vireſcentibus amœnius, nec picturæ incruſtationésve, arborum floribus aut fructibus iucundiores,nec muſica vlla auium mirmitiones ſuperat.Vt omne quale quantumq́; in agro lucidiſſimum ædificium ſit, vel iuxta vrbes prætorium, ſine his minùs ſpectabile, minusq́; delectabile, vt quaſi vileſcat. In his autem hominum diſcordiæ,ciuium inuidiæ,vicinorum rixæ & altercationes ſileſcunt. Ad hos etenim animi remittendi cauſa, tanquam ad pacem & ſilentium, & omnium amœnitatum aſylum ſecedimus,procul ab vrbium ſtrepitu, procul à foro,à curia,longè à roſtris: ſapienter nonnunquam. Quod fecerunt viri ſæpe graues, à Republica longiſſimè,deniq; à rerum omnium perturbatione. Vbi vndiq; liber animus,& à curis omnibus totus ſolutus.Etenim hi quietis atq; tranquillitatis animi ſeminaria,ac domicilia:tranquillarum verò & ſedatarum cogitationum,necnon bonarum & diuinarum contemplationum, optimorumq́; iudiciorum luſtra,& pacificæ ſedes.Vt qui horum ciues ſint,ſimul & honeſtatis & tranquillitatis cultores exiſtant. Vt non ad priuatam modò vitam, verùm ad aliud viuendi diuinum genus tranſiiſſe videamur. Prætereo illic iucundas amicorum confabulationes,quibus etiam animum ægrum reficere poteris. In quibus demum immoderatum & grauem luxum, ad votum commutare valeas:vt ex vrbe & innumeris moleſtijs, tanquam è vinculis ad has minimè repræhenſibiles voluptates, & libertatem euolaſſe videaris. Quod de ſe Tacitus in dialogo profitetur. Nemora verò (inquit) & luci,& ſecretū ipſum,tantam mihi afferunt voluptatem,vt inter præcipuos carminum fructus,maiorem,quòd nec in ſtrepitu, nec ſedente ante hoſtium litigatore,nec inter ſordes & lacrymas reorum comprimantur. Sed ſecedit animus in loca pura, atque innocentia, fruiturq́; ſedibus ſacris. Quorum certè munia Vergilius paucis contentus, nobis aperuit,

- Pallas quas condidit arces,
Ipſa colat, nobis placeant ante omnia ſyluæ.

Et Horatius ad Mecœnatem:

O quando ego te aſpiciam,vel quando licebit
Nunc veterum libris, nunc ſomno, & inertibus horis

Ducere

Ducere ſollicitæ iucunda obliuia vitæ.

Supereſt, vti ea, quæ ſuperius dicta ſunt, principum & virorum grauium non plurium exemplis, comprobemus. Lucullus poſt imperatoris proſperas adminiſtrationes, nauataq; Reipublicæ negotia, atq; neglectis muneribus, ad quietam vitam ſe contulit. Quam vt commodius duceret, in hortos ſe tranſtulit, & quod vitæ ſuperfluit, ibi tranſegit. Tiberius etiam princeps poſt multas res fauſtè, laudabiliterq; geſtas, Romam reuerſus, ad Exquilias & hortos Mecœnatianos tranſmigrauit, totumq; ſeſe ad quietem tranſtulit, priuata ſolùm officia ambiens, atque etiam publicorum munerum omninò expers. Gordianus ſenior in hortis & nemoribus ſuauiſſimis vixit. De Ariſteo ſic Vergilius:

- Et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ
Ter centum niuei tondent dumeta iuuenci.

Et Mecœnas, ſiue alius ſit, illo autore,

Maluit vmbroſam quercum, nymphasq; canentes,
Paucaq; pomoſi iugera certa ſoli.

Quod horti & ſyluæ poëtis, & viris literatis conducant.

CAP. VI.

VERVM ſi horti, & ſyluæ, cuiq; hominum generi, vt ſuprà docuimus, cõducibiliores ſunt, præſertim tamen viris literatis, & poëtis. Quam quidem rem illorũ teſtimonio quod probatiſſimum eſſe, tanquam de negotio ſuo, & affectione propria, nemo inficias eat, vt plurimum confirmare placet. Hæc enim ſolitaria, atq; abdita loca ſtudioſis omnibus apprimè conuenientia ſunt. Scriptorum quippe omnis chorus, vt ait Horatius, amat nemus, & fugit vrbes: & ſeceſſum, ac otia amare poëtas Ouidius autor:

Carmina proueniunt animo deducta ſereno:
Nubila ſunt ſubitis tempora noſtra malis.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt.

Liberior enim poëtarum intentio & cogitatio eſſe debet, quæ animum excitant. Quare de bono poëta ait Iuuenalis:

- Cupidus ſyluarum, aptusq; bibendis
Fontibus Aonidum.-

Horatius ad Albium Tibullum ſic:

Albi noſtrorum ſermonum candide iudex: *Epiſt.lib.1.*
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat,
An tacitum ſyluas interreptare ſalubreis,
Curantem quicquid dignum ſapiente, bonoq; eſt. Et de ipſo ait:
- Me gelidum nemus, *Carm.lib.1.*
Nympharumq; leues cum Satyris chori
Secernunt populo. Ille autem etiam de ſe:
Sic ego ſecretis poſſum bene viuere ſyluis.

P. Terentius in via Appia, ad villam Martis viginti iugerum habuiſſe hor-

tos ferunt, in quibus ſecedebat, ac comœdias contexebat. In Ianiculo Romæ hortos amœniſſimos Tullus Martialis Valerij Martialis poëtæ amœniſſimi amiciſſimus habuit, vt hic pluribus verſibus, pluribusq; locis celebrat. Syluas etiam & hortos alij ſcriptores amarunt. Siquidem Thucydides,illorum omnium,qui apud Græcos hiſtorias deſcripſerunt, facilè princeps,bellum quod inter Athenienſes & Peloponneſios decem annis geſtum eſt,in Thracia, atq; in ſylua Scapte nomine conſcripſit, vt Plutarchus memoriæ mandauit. Quòd autem poëtæ nemora amarint nil mirum eſt,cùm & Muſæ, quas illi venerantur, & percolunt, ſyluas quoq; deſiderarint,& habitauerint. Nempe,vt Vergilius ſcribit,

Eclog. 6. *Noſtra nec erubuit ſyluas habitare Thalia.*

Dictæ quippe Pierides, à Pierio monte, quò ſe propter amœnitatem, & ſolitudinem transferebant.

Quòd philoſophi in hortis conuerſati ſint, & de Athenienſium Academia. CAP. VII.

IAM ad aliud ſcientiæ genus, quod eſt philoſophantium quibus horti magis quàm cæteris conueniunt, quòd illorum vita iuxta ipſorum præceptiones ſyncerior eſſe debeat, & à curis mens ſolutior, ingenium perſpicacius, ſtudij aſſiduitas, labor improbior, propter illorum circa res tum naturales, tum ciuiles,profundiores quæſtiones: cùm nihil ſua diligentia,induſtria,& artificio,inauſum,& ignotum nobis relinquere laborarint.Et primùm de illorũ apud Athenas Academia:apud quas locus in ſuburbio,ab Academo,qui primus eam conſecrauit,ſic dictus,anteà verò Hecademea dictus. Ariſtophanes in Auibus ἀκαδεμίαν κατιών & neutro genere etiam Academeum. Olim autem priuatum prædium, poſteà gymnaſium, autore Suida, à principio aridum, & incultum: verùm Cimon Athenienſis, vt in eius vita mandauit memoriæ Plutarchus,irriguũ fecit,& vmbroſis deambulacris adornauit. Huius verò poſtea arbores L. Sylla,vt Appianus ſcribit,ad machinas bellicas,ad expugnandum Piræum ſuccidit. In ea enim philoſophiæ nauatum, vti ab ipſo loco, Academici philoſophi appellati ſint. In hac enim Plato Ariſtonis filius verſatus,& in ea philoſophari primùm cœpit. Poſtmodum hos quos eidem propè Anicerides comparauit: quos ſuis manibus colens, & inhabitans, oleis victitauit. Is autem Socratem magiſtrum de pulchro cum Phædro diſſerentem, ſub platano, ramis patulis diffuſa, quam riuulus aquæ murmurantis,irrigabat,introducit.Sed præter Academiam,hortorum vſus,multis alijs,ad philoſophandum fuit: vt domicilium & ſchola illis fuerint,vt Laydis Cyrenei in hortis, quos Attalus Rex ædificauerat. Laydiumq; ab ipſo vocitati.Theophraſti Ariſtotelis diſcipuli, hortorum cura præcipua fuit, & iuxta hos ædes & deambulacra, quæ omnia moriens amicis philoſophantibus teſtamento reliquit: hac tamen lege, vt non ſolùm horum alienatio prohibita foret, ſed vt neq; in his quiſquam priuatè habitaret,verùm veluti quoddam ſacrum communiter poſſideretur, haberetur.

tur. At Democritus Abderites, prope hortos, ad ſtudium cellulam habuit, & vt Hippocrates ad Damagetum, ſedilia in tumulo quodam, proceris ac frondoſis populis, opaco, qui fuit nympharum habitatio, poſuiſſe ſcribit: & illum ſub platano philoſophantem ac ſcribentem inuenit. Philo Iudæus, philoſophus Pythagoricus, referente Euſebio, circa Mariam ſtagnũ, hortos habuit, vbi habitauit, ibiq; philoſophatus eſt. Palæmo Athenienſis, inter ambulandum docere conſueuerat, deinde in hortis ſuis quieſcebat. Iuxta quos diſcipuli tuguria conſtruxerunt, in quibus permanerent. Timon Niceus hortorum apprimè ſtudioſus fuit, atq; ſolitudinis amans. Apollonius Thyaneus (ſcribente Philoſtrato) Euxeno Heraclienſi philoſopho, atq; præceptori ſuo, hortos donat. Et, vt generalius de philoſophis Indiæ loquar, illi, vt autor eſt Megaſthenes, in luco, ante vrbem, cuius nomen ille præterit: ſe exercere ſolebant, & intra compoſitum quoddam circuitum frugaliter viuebant, ſuper toris pelliceis cubantes. Et, vt paulò extra rem diuertamus, nonne & Debora (vt quid de noſtris ſacris literis adferamus) mulier prophetes, & ius populo Iſraëlitico reddens, ſub palma inter Rama & Bethel in monte Ephraimo habitauit? Hoc autem loco erit, vt de Ciceronis Academia dicamus. Is enim non minùs philoſophus, quàm orator, & poëta, egregius, vt in ſecundo maiorem, nedum parem, apud Latinos habuerit neminẽ, in reliquis verò ſimul duobus, apud Græcos ſimilem: quod teſtantur eius monimenta. Huius autem villa fuit, ab Auerno lacu Buteolos tendentibus, litori impoſita, porticu, & nemore celebrata. Quam & ipſe Academiam vocauit exemplo illius Athenienſis, ibi eiuſdem nominis compoſitis voluminibus, in qua verò & monumentum ſibi inſtaurauerat. ceu verò (vt verbis Plinij vtar) non & in toto terrarum orbe feciſſet. Huius in parte prima exiguo poſt ipſius obitum (Antiſtio Vetere poſſidente) eruperunt calidi fontes, perquàm oculis ſalubres, Laureæ Tullij, qui fuit è libertis eius, carmine celebrati, vt noſcatur etiam miniſterium eius, ex illa maieſtate. Carmen ipſum dignum eſt vt non ibi ſolùm, ſed vbiq; legatur:

Quo tua Romanæ, vindex clariſsime linguæ,
Sylua loco melius ſurgere iuſſa viret:
Atq; Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus.
Hic etiam apparent lymphæ, non antè repertæ,
Languida quæ infuſo lumina rore leuant.
Nil mirum, locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis, quæ medeantur aquæ.

Nam, vt ipſemet Cicero ſcribebat, Marianam quercum, & Tuſculanũ ſeceſſum, loca adeò diſputationibus apta exiſtimabat. Vnde quæſtiones Tuſculanæ in eo loco à ſe diſputatæ. Hinc ille etiam ad Atticũ, ſe nullum poſſeſſionis magis genus malle, quàm hortos: ad quos emendos, pluribus literis hortatur. Prætereo enim, quòd in villis ſuis antiqui ſua loca-

bant, quod etiam ille in M.Antonium de villa M.Varronis his verbis exclamauit. Studiorum ſuorum M.Varro voluit eſſe illud, non libidinum diuerſorium, quæ in illa villa antè dicebantur, quæ cogitabantur, quæ literis mandabantur iura populi Romani, monimenta maiorum, omnis ſapientiæ ratio, omniſq; doctrina, & reliqua.

Agriculturam regibus gratam fuiſſe, maximè verò hortorum, quos non ſegniter coluerunt. CAP. VIII.

AGRORVM autem culturam, maximo ſemper in honore, apud antiquos fuiſſe, M.Catonis elogio præclarum eſt: vt qui cum ampliſſimè laudatum exiſtimarent veteres, quum eum bonum colonum propalaſſent: vt ab agris ipſis, ab aratro ipſo ſenatus Romanus Imperatores accerſierit. Verùm id non ſolum Romanis ipſis contigit, quin etiam vbiq; terrarum antè & pòſt, principibus, magnatibusq; ſemper magni exiſtimaretur, præſertim verò nobiliſſima illa totius agricolationis pars, quæ eſt de ſerendis, inſerendiſq; arboribus. A qua quidem, neq; reges, neq; alij viri, aut diuitijs, aut ſapientia præclari, manus abſtinuerint, quin eam diligenter doctiſſimeq; tractarint. Muſonius (referente Ioanne Stobæo) in opuſculo, quem inſigniuit, Quiſnam quæſtus philoſopho conueniat, neminem ita effœminatum eſſe ait, qui dicere auſus ſit, vllum agriculturæ opus, turpe aut indecens viro bono eſſe. Hierocles etiam in œconomico ita ait: Quòd autem viro decorum non ſit rei ruſticæ operam nauare, pauci erunt, qui nobis in hac re non credant. Nemo præterea tanta mollitie, & dementia, & corporis raritate præditus, qui nolit ſerēdi inſerendiq; opus ſubire: quin & eo autore, mulieribus non inhoneſtum ſerentibus inſtrumenta porrigere, nec in colligendis oliuis ſe ſocias viris præbere. Tanti enim, ſiue delectatione, ſiue neceſſitate agriculturam fecerunt antiqui, eamq; honorarunt, vti illis non ſatis viſum eſſet eam per ſemetipſos colere, ni etiam eius præcepta ſubditis ſuis atq; cæteris omnibus legenda mandarent, quò Reipublicæ ab ipſis hacce re magis conſultum foret. Quæ verò non ſatis exactè & diligentiſsimè tradere valuerunt, niſi longo anteà vſu exercitatione atq; experientia, prius nouiſſent, vt propterea rei agreſtis eos apprimè peritos eſſe neceſſarium fuerit. Regum autem eiuſce rei monimenta Græca fuerunt, Hieronis, Philometri, Archelai, Attali Regis Aſiæ: qui omiſſa regni, & cura, & adminiſtratione hortos fodijt & ſeuit, & poſtmodum huius rei præceptiones tradidit. Exterarum verò Pœni Magonis, Hannibalis, & Haſdrubalis fratris, cui ſenatus Romanus tantum detulit, vt Carthagine capta, cum regulis Africæ, bibliothecas partiretur. Eius autem duodetriginta volumina, in Latinam linguam transferenda ſtuduit. Hocq; negotij, linguæ Punicæ peritis mandatum. In quo autem cæteros omnes præcelluit D.Syllanus, clariſsimæ vir familiæ, & ſapientiæ compoſitiſsimæ. Inter Latinos verò, Claudius Albinus Princeps, tantum excelluit, vt agri colendi experientia, qua erat peritiſsimus, Georgica conſcripſerit. Sed vt ſolius hortorum exercitij reges poſteà connumeremus,

meremus,vt primùm Cyri minoris Perſarum Regis meminerimus,ratio pluribus perſuadet. Quòd ille omnium, quotquot leguntur, ditiſsimus fuerit,& purpuræ nitore, ac gemmarum fulgore ſpectatiſsimus, vt nihilominus,illis ingentibus diuitijs delinitus fuerit, quò minus hortos, præter cæteros reges diligentius & curioſius tractarit. Is enim vbicunq; aut ageret vel diuerteret,hortos conſtituebat,rebus omnibus,quæ terra ferebat,ornatos,ac refectos. In quibus verò ex rerum opportunitate,& dum per anni tempus liceret, plurimum morabatur, arboresq; ibi ſerebat atq; inſerebat. His autem præfectos donis ac muneribus magnificentiſsime decorabat. Quorum autem opera, & induſtria cùm regiones ſibi delegatas,arboribus cultas,per exploratores comperiſſet,eis quoque alias curandas tradebat. Etenim arborum & hortorum tanta illi cura fuit, vt hortos in Lydia apud Sardes ſua manu conſeuerit, gloria magna, cùm apud Græcos omnes, tum apud Lyſandrum Lacedæmonium. Is enim cùm apud eum illuc veniſſet, ab illoq; in hos conductus, attentius ordinem, elegantiamq; arborum in quincuncem ordinem poſitarum, vltro citroq; conſpexiſſet, angulorum inſuper, deambulationumq; ſymmetriam,ſubſequentemq; odorem ſenſiſſet,demiratus dixit: Hæc me ſuſpicientem detinent Cyre, ſed magiſtri multò magis admiratio me capit, quicunq; hic ille fuerit,qui tibi talia diſpoſuerit. Tunc Cyrus animo lætatus,atq; de ſuo opere geſtiens, Hæc egomet, Lyſander,ordine quo cernis conſtitui, vt facile cernere eſt, quæ mea ſerui dextra. Tunc enim Lyſander,vt erat ornatus, reſpiciens, & veſtium fragrantiam ac ſumptus, & armillarum decorem contemplatus, dixiſſe fertur. Quid eſt, quod ais, Cyre? Tuæ hæc omnia manus plantarunt? Ad hæc Cyrus: Admiraris Lyſander. Iuro per ſolem, me nunquam (cùm per valetudinem licuit) prius prandere ſolitum,quàm bellicum quid,aut ruſticum opus abſoluerim. Fuerunt & alij Aſiæ Reges,hortorum cupidiſſimi. Nam illis ſerendi arbores ſemper cura fuit, veluti multorum ſcriptis apparet: vt ab exteris regionibus transferre apud ſe arbores curauerint. Iuglandes enim è Perſide, à regibus tranſlatas, argumento ſunt, Græca nomina. Clariſſimæ omnium palmarum ſuere regiæ, ſic ab honoribus appellatæ, quoniam regibus tantùm Perſidis ſeruarentur, Babyloniæ natæ, vno in horto Bagou.Ita enim (vt inquit Plinius) vocabant ſpadones, qui apud eos regnabant. Horti enim illi nunquam niſi in dominantis aula fuere. Agamemnonis manu, Delphicam platanum ſatam etiam ille tradit: & eius generis apud Rhegyum, in hortis Dionyſius maior tyrannus habuit. Inter Latinos enim principes Antoninus Pius agriculturæ diligens fuit,autore Capitolino. Ælius Spartianus verò ad Germanos proficiſcens,hortos ſpatioſos comparauit.In his enim parca menſa atq; humi iacens,cum filijs epulatus eſt. Cùm verò poma appoſita eſſent, ac è filijs maior, qui tunc quinquennis erat,colluſoribus ſuis,itemq; puerulis,largitiore manu poma diuiſiſſet, & pater vidiſſet,Parcius (inquit) diuide:neq; enim opes regias poſſides. Cui puer: Sed poſſidebo. Diocletianus maior princeps, prægrauante iam ſenecta, vel propter rerum molem, ſponte imperiales faſces

faſces relinquens, & ſe in ordinem redigens, apud Nicomediam in proprijs agris conſenuit. Nam per decem annos, quibus priuatus Salonis ſuperfuit, hortorum amœnitatibus vacauit. Iterum ab Herculeio & Galerio ad capeſſendum rurſus Imperium ſolicitatus, à priuata tamen vita abduci minimè potuit. Quibus in hunc modum reſpondit: Vtinam Salone poſſetis viſere, oleta noſtris manibus inſtituta: profectò nunquam iſtud tentandum iudicaretis. Teſtatus etiam ſoles lætiores affulſiſſe: tandem ibi in villæ ſuæ palatio moritur, vt Euſebius in Chronicis teſtatur. Thelephanes (prodente Heraclide) apud Cymeſios regnauit: quorum terram excoluit, & arboribus conſeuit. Et vt ad Hebræos tranſeamus, Nónne & Salomon omnium, quotquot Hieroſolymis regnarunt, ditiſſimus, & omnium non Apollinis oraculo, veluti Socrates, ſed Dei ſummi iudicio ſapientiſsimus comprobatus, de omnibus lignorum generibus, à cedro, vſq; ad hyſopũ diſſeruit? Nónne & Alexander, cui à rebus præclarè geſtis, Magni cognomen inditum, Arachoſios populos atteſtante Plutarcho, agriculturam docuit? Verùm hanc regum profeſſionem Abdomini exemplo, qui fuit Alexandri prædicti tempore, finiendam cenſui. Hoc modo Q. Curtius de eo refert. Fuit autem Abdominus è ſtirpe regum Sidonis. Suburbanum hortum exigua colebat ſtipe. Intentus omni operi diurno, armorum ſtrepitum, qui totam Aſiam concuſſerat, non exaudiebat. Qui cùm ei regiæ veſtis inſignia portarentur, inuentus eſt in horto, ſteriles repurgans herbas. Quem quum admitti Alexander Magnus iuſſiſſet, percunctatuſq; eum, qua patientia inopiam tuliſſet. Tum Abdominus, vtinam (inquit) eodem animo regnum pati poſſim, vt etiam eidem reſponderit, Manus ſuas ſuo deſiderio ſuffeciſſe, vt nihil habenti nihil defuerit.

Quòd dei, viri etiam clari, & magnates hortos coluerint, & agriculturam exercuerint. CAP. IX.

PRÆTER hos autem, qui ſiue regia dignitate, aut imperatoria maieſtate, memorabiles fuerunt, alij multi, diuitijs potentes, muneribus clari, magiſtratibus inſignes, dignitatibuſq; ſpectabiles, multò longè plures fuerunt, qui non minori diligentia, & cura, nec minori etiam ſtudio hortos amauerint, & coluerint: quorum paucis exemplis, propter amplum numerum, contentus ero. Hercules in Ponto iuxta Heracleam, quercus duas plantauit, vt ſcribit Plinius. Harpalus Cyri præfectus, hederam in hortis Babylonijs conſerere laborauit, eam curioſè colendo: ſed nihil proficere potuit. Oliuas in Veliterno manu prioris Africani ſatas, Plinius commemorat. At Vlyſſes Itacham patriam reuerſus (ſi Homero fides adhibenda eſt) Laërtem patrem plantas purgantem, & circumfodientem inuenit, ſordidam indutus tunicam, ac indecenter laceram, & chirothecas in manibus, ruborum cauſa, habentem, qui ipſi ſingula pyrorum genera indicauit. Abrahamus Hebræus ac patriarcha, nemus apud Barſabam plantauit. Verùm quid tantoperè in hominum circa hortos cura & agricultura inſiſto?

inſiſto? Nónne & dij ipſi hæc peregerũt? Liber Pater in Niſa Indiæ monte platanos & lauros, iuxta templum: vt tantum ſoli in gyrum ad hanc rem cepit, quantum mediocri templo ſatis eſſet, vt Philoſtratus ſcribit. Huic autem malorum inuentionem Athenæus tribuit. A Venere Dea primùm ſatam in Cypro punicam, fabulæ teſtãtur. Ariſteus, vt Diodorus Siculus memoriæ mandauit, Apollinis & Cyrenes nymphæ filius ac Deus poſt eius mortem à Græcis cæteriſq; habitus, Sardiniam, conſitis arboribus ex agreſti cultiorem reddidit. Et vt caput iſtud in Naſone poëta finiam, is ſerendarũ arborum non peroſus, ſic de ſeipſo loquitur:

Non meus amiſſos animus deſiderat agros,
Ruraq́ Peligno conſpicienda ſolo: De Ponto lib. 1.
Nec quos pomiferis poſitos in collibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia iuncta viæ:
Quos ego neſcio cui colui: quibus ipſe ſolebam
Ad ſata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt ibi, ſi viuunt, noſtra quoq; conſita quædam,
Sed non & noſtra poma legenda manu.

De hortis, & ambulacris publicis. CAP. X.

PLEBEM, cui comparandorum, aut ædificandorum ſigillatim hortorum facultas denegata eſt, horum tamen delicijs vſuq; priuatam iri, non tulit antiquitas. Quibus etiam poſt diurnas nocturnaſq; operas, ac labores, ſæpius tamen feſtis diebus, ad reficiendum animum, atq; corporis robur vterentur, ac fruerentur: vt non alia ratione, theatra, amphitheatra, circi, thermæ publicæ erecta, horti publico ære ſæpius extra vrbem empti, aut alicuius priuati munificentia dilargiti, quàm vt vſui publicò inſeruirent: quemadmodum ciuitatum muri, fora, portus, litora. Ad quorum ſimilem vſum, deambulacra, arborum vmbra opaca etiam poſita. Eiuſmodi autem horti Romæ, trans Tyberim fuerunt. In quibus templum Fortis Fortunæ. C. autem Cæſar, hos vltimo ſuo elogio publicè poſsidendos populo reliquit. Prius enim M. Bruti fuerant. Cimon Athenienſis, vt multi ſuis ſcriptis teſtantur, plures pluribuſq; locis habuit. Qui etſi illius tantùm priuatè fuerint, tanta tamen fuit in populum liberalitate, vt communis cuiq; in eos acceſſus, nulla vnquam adhibita cuſtodia, patuerint. Athenis etiam ille ipſe forum ſpatioſis ambulacris, platanis ordine conſitis, & quoquouerſum dilatis, variè exornauit. At minùs publicè, cuiquam collegio, aut religioſis quibuſdam perſonis ſolum communes poſiti nonnulli fuerunt. Horti etiam infra Athenas, non procul à Pandroſi ædibus (vt inquit Pauſanias) Veneri dicati. Vbi virgines, quæ canophori (autore in Verrẽ actione quinta Cicerone) nuncupabantur: quæ ſublatis manibus, ſacra quædam in capitibus ſuppoſita ſuſtinebant. Horti verò publici pauci memorantur. Vſqueadeo enim illorũ apud priſcos non frequens vſus fuit, ſingulis priuatim poſsidentibus. Quamobrem ciuitates rarò illis donatæ, vt nec etiam publicè habendos curauerint.

De hortis Heſperidum, & alijs Africæ, & his, qui in Colcho inſula, fuiſſe perhibentur, & adagijs, à malis Heſperidum. CAP. XI.

HESPERIDVM horti, non ciuitati, Reipublicæq; cuiquam communes fuerunt, ad quos ingreſſus quibuſcunq; prohiberetur, & perdifficilis eſſet, ſerpente peruigili illos cuſtodiente. Fama tamen, & poëtarum fabulis, non ſoli vrbi, non vni genti, tantùm communes, ſed toti ferè orbi. Veruntamen ſcriptorum monimentis, non vſqueadeo publici, notiq;, quin ex eorum diſſentientibus opinionibus, apud omnes de eorum veritate & hiſtoria addubitetur. Quid tamen de his illi tradiderint, adaperiam., vt primùm de illorum ſitu diſſeramus. Plinius autem, Solinus, ac Capella, eos in Mauritania, & in Lixi oppidi æſtuario, in quod Claudius Cæſar coloniam deduxit, locauerunt, ducentis ab Oceano paſſibus. Ille autem bis alibi horum meminit, in luco, ex quo ſtagnum cadat, quod ante Berenicen vrbem eſt, vnam quidem ex quinq; Cyrenaicæ regionis ciuitatibus. Quæ in Syrtis extimo cornu eſt. Seruius verò Maurus, Maſſylam Mediterraneam vrbem Berenicæ Libyæ eſſe air, vnde haud longè Heſperidum horti ſint. Sic enim Dido apud Vergilium fatur:

Aen. lib. 4. *Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos,*
Heſperidum templi cuſtos, epulaſq; Draconi
Quæ dabat, & ſacros ſeruabat in arbore ramos. Et Martialis:
Non mea Maſſylius ſeruat pomaria ſerpens.

Placidus autem eos in Æthiopia fuiſſe tradit. Verùm ad ea, quæ magis veritati propinquiora eſſe videntur, deueniendum, vti minùs famæ licentia, vulneretur, vtq; etiam fides ratioq; perhibeatur. E mari autem Oceano iuxta Lyxum æſtuarium effunditur, adeò ſinuoſis lateribus tortuoſum, ac flexuoſum, vt procul aſpicientibus, lapſus ſerpenteos, facta vertigine, mentiatur. Quæ res poëtis draconem peruigilem, pomorum cuſtodem interpretantibus, iter ad fabulæ mendacium ſtruxit. Draconem autem hunc è terra quidem natum dicunt. Alij è Typhone & Echidna, & centum capita, totidemq; voces habuiſſe. Cæteri autem volunt paſtorem fuiſſe, Draconis nomine curæ eximiæ, vt propterea inſomnis fingeretur. Cuius vi, fortitudineq;, ac vigilijs latrones & abigei, longè ab hortis, ac gregibus, arcerentur. De hoc enim cuſtode ſic Lucretius:

Lib. 5. *Aureaq; Heſperidum ſeruans fulgentia mala*
Aſper acerba tuens, immani corpore ſerpens,
Arboris amplexus ſtirpem.

Ab Hercule autem interfectum Iuno inter ſydera, atq; duas Arctos collocauit. Æſtuarium verò iſtud inſulam intra ſe amplectitur, vbi horti fuiſſe memorantur. Hæc autem inſula fluentis & refluentis finibus aluei ſinuata, ac in quibuſdã æquoris ſpiris ſita, ſola ex vicino tractu aliquanto excelſior eſt, vt nec maris æſtus eam inundare minimè poſſit. Quare finxerunt poëtæ, Atlantem hortos montibus cinxiſſe: quum huic Dea

Themis prædixiſſet, futurum Iouis filium qui ab eo poma diriperet. Sic enim illum apud Ouidium alloquitur:

Tempus, Atla, veniet, tua quo ſpoliabitur auro Metam.lib.4.
Arbor, & hunc prædæ titulum Ioue natus habebit.
Id metuens ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Montibus & vaſto dederat ſeruanda draconi,
Arcebatq́ ſuis externos finibus omnes.

Hyginus in poëtico aſtronomico, è Pherecide refert, Iunonem cùm à Ioue duceretur, Terram aurea mala, cum ramis ferentem inueniſſe: inde admiratam à Terra petiiſſe, vt in ſuis hortis, qui in Africa vſq; ad montem Atlantem extenderentur, eiuſdem generis poma sereret, cuius filiæ poſt matris plantationem mala decerperent. Quod hilarè fecit, & ibi poſteà cuſtodem ſerpentem ſtatuerit: vt propterea horti Heſperidum Iunonis fuerint. Nonnulli tamen aurea mala Veneri conſecrata affirmant. Cuius Heſperides, à quibus horti Heſperidũ, filiæ fuerint. Diuerſæ etenim autorum ſententiæ. Diodorus verò Siculus fratres duos fuiſſe ſcribit, Heſperum videlicet, atque Atlantem. Ex Heſpero autem natam filiam, quæ Heſperis vocata ſit: quæ ex Atlante ſeptem ſuſcepit filias, quæ Nymphæ Seruio fuerunt, Maiam ſcilicet, Electram, Taygeten, Aſteropen, Meropen, Abyonen, atq; Celeno. Quæ quidem à matris nomine Heſperides, à patre autem Atlantides dictæ. Lactantius autem Papinianæ Thebaidos interpres, illarum nomina Egle, Aretuſa, Heſperetuſa, fuiſſe ſcribit, vt tantùm tres poſuerit. Sunt etiam qui non Atlantis, verùm Heſperi filias fuiſſe memorent. Palephatus enim in eo libro, quem περὶ ἀπίςων ἱςοριῶν inſcripſit, aliter: vti Heſperum Mileſium tradat, qui Cariam incoluerit: cui filiæ duæ, vt ab eo Heſperides dicerentur. Hercules item ab Euriſteo Argiuorum Rege ad dicta mala auferenda miſſus. Eum autem monitum dicunt, non poſſe Heſperidum mala colligere, ni Atlantis ope iuuaretur: ipſumq́; ideò ad Atlantem perueniſſe, Cœlumq́; pro eo tuliſſe: atque ita mala, interfecto dracone, in Græciam detuliſſe. Quidam autem veram hiſtoriam referunt, vt Heſperidas puellas ab Hercule liberatas tradant, cùm fortè in litore ludentes à piratis raperentur. Cæteri verò alio modo, inter quos M. Varro, vt aurea mala, ſecundum antiquam conſuetudinem, capras, & oues intellexerint. Græci enim vna & eadem voce, & oues, & pomum ſignificant, hoc eſt τὸ μῆλον. & Seruius Menalum Arcadiæ montem dictum vult ἀπὸ τῶν μήλων, id eſt, ab ouibus, quibus refertus eſt: &. μηλονομεύς, ouium paſtor. νέμω enim paſco eſt. Tunc enim oues ob raritatem, nondum vbiq; paſcentes, raras ac pretioſas fuiſſe conſentaneum eſt dicere. Pelles autem aureas id eſt, rufas habuiſſe referuntur. Sicut Argis Atreus vnam habuiſſe dicitur, quam ſibi Thyeſtes ſurripuit. Cuius etiam coloris fuit vellus arietis in Colchide inſula, ad quod è regio genere profecti ſunt Argonautæ. Diodorus enim fratres illos duos decora & exquiſita pulchritudine pauiſſe oues ſcribit, quæ ferè aureo & rubicundo colore eſſent: propter quod & aureæ exiſtimatæ ſunt. Hanc quidem opinionem ſentire videtur Ouid. dum cecinit,

Metam. 4. *Mille greges illi, totidemq́ armenta per herbas*
Errabant, & humum vicinia nulla premebat.

De Atlante loquitur. Heſperides autem fuerunt filiæ, vt ſupradictum eſt, quarum greges abegit Hercules, occiſo eorum cuſtode. Schœnos ciuitas eſt, vnde fuit Atalanta curſu præpotens adeò, vt ſponſos prouocaret, & victos poſteà occideret. Hippomanes autem Venerem vt ſibi adeſſet, rogauit. A qua cùm accepiſſet ex hortis Heſperidum tria aurea mala, puellam ad curſum incitauit, & ſingula cœpit iacere. Tunc Atalanta malorum colligendorum mora, ac cupiditate retardata, ſuperata eſt. Prædictos verò hortos Lucanus ſic deſcribit:

Lib. 9. *Atq; inſopiti quondam tutela draconis.*
Heſperidum pauper ſpoliatis frondibus hortus.
Inuidus, annoſo qui famam derogat æuo,
Qui Vates ad vera vocat fuit aurea ſylua,
Diuitijsq́ grauis, & fuluo germine rami,
Virgineusq́ chorus nitidi cuſtodia luci,
Et nunquam ſomno damnatus lumina ſerpens,
Robora complexus rutilo curuata metallo:
Abſtulit arboribus pretium, nemoriq́ laborem
Alcides: paſſusq́ inopes, ſine pondere ramos
Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.

Seneca etiam, verùm alio carminis genere:

Arborq́ pomis fertilis aureis
Extimuit manus inſueta carpi:
Fugitq́ auras leuiore ramo:
Audit ſonitum trepidante flamma
Frigidus cuſtos neſcius ſomni:
Liquerat cùm iam nemus omne fuluo
Plenus Alcides vacuus metallo. Iuuenalis:
Crederéq́ poſſis ſurrepta ſororibus Afru. Silius:
Quid domus Heſperidum aut luce iuuere dearum
Fuluos aurifera ſeruantes arbore ramos. Ouidius:
Arboreæ frondes auro radiante nitentes,
Ex auro ramos, ex auro poma ferebant.

Hanc autem fabulam, qui ad rationem mathematicam reducere volunt, per Heſperidas, horas veſpertinas: per mala aurea, ſtellas atq; aſtra interpretantur. Hercules quippe ſol appellatur: quo oriente aſtra rapi videntur, cùm non appareant. Idcirco ipſum τρυγῆσαι, id eſt, mala aurea detuliſſe, dicimus. In inſula autem hortorum Heſperidum, nil aliud (autore ſecundo) præter Herculis delubrum, antiquius verò (vt ferunt) Gaditano, nihilq́; aliud ex narrato aurifero nemore profert: & quòd tantam vetuſtatis memoriam propaget: præter oleaſtros, vel, vt ait Solinus, oleaſtro ſimiles arbores. Apud Valerium Martialem adagialiter dicitur, Hortus Heſperidum beatiora. Cùm rem aliquam cæteris fertiliorē volumus denotare. Simul Græcum prouerbium eſt, μῆλον ἡρακλῆς. In eos, qui nil in ſe,

in ſe,præter nomen præclarum habent. & aliud, *μῆλα ἑσπερίδων δωρῆσαι.* Id eſt,mala Heſperidum largiri. De eo profertur,qui magna, ſplendidaq; largitur.Romæ in Capitolio,intra limen,à dextris ſignum æreum, deauratum nudi Herculis,adhuc viſitur,dextra clauam,ſiniſtra verò Heſperidum aurea mala tenentis: ibi locatum, anteà verò in foro Boario repertum. Bœotij mala Herculi ſacrificabant. Alij enim Herculis ſimulacrum effigiabant,tria mala ſiniſtra geſtantis.Significantes triplicem illius virtutem , non iracundum., non voluptuoſum, non auarum. De alijs hortis Africæ meminit Procopius,vbi Vandalorū regia eſſet,qui eſſent omnium quos vnquam ipſe conſpexerat,& pulcherrimi,& amœniſſimi. Enimuero fontibus toti irrigui,nemora vndecunque virentia. Pomiferæ arbores fructu ſuo vſqueadeò onuſtæ,vt defixis ſub eiſdem tabernaculis, milites, pro ſua cuiq; auiditate ſatiarentur. Alij horti,magis poëtarum figmentis, quàm ipſa hiſtoriæ veritate celebrati. Quales horti ab Orpheo in Colcho inſula poſiti,& deſcripti extiterunt:in quorum medio patula fagus, in qua vellus aureum appenſum,à Iaſone poſtea direptum.

De hortis apud Babylonem penſilibus, & alijs Ioacimi Suſannæ viri. CAP. XII.

SEQVVNTVR horti apud Babylonem penſiles, non tam ingenio,quàm magnifico ſumptu poſiti,non vtiq; poëtarum fabulis, ſed plurimorum monimentis famatiſſimi, tanta admiratione deſcripti, vt omnes quoſcunque alios ſumptu ſuperaſſe videantur: vt propterea, in his extruendis,mirum ingenium,mirum artificium defuerit minimè: vt Q. Curtius inter vulgata Græcorum mirabilia poſuerit:& etiam Antipater, *κήπων τ' αἰώρημα καὶ ἠελίοιο κολοσσὸν καὶ μέγαν αἰπεινᾶν πυραμίδων κάματον.* Quare Valerius Martialis:

Aſſyrius iactet nec Babylona labor.

Æquum verò erit vt primùm de illorum conditore dicamus. Is autem fuit Cyrus,probabiliore opinione,atque in gratiam pellicis, quæ genere Perſa fuit. Ea,more ſuæ gentis,plurimùm hortis delectabatur, & prata in montibus videre cupiebat.Curtius tamen Regem Aſſyriorum fuiſſe Babyloniæ regnantem dicit, idq; opus in gratiam coniugis molitum, quæ ſyluarum & nemorum deſyderio detinebatur. Quæ ita maritum compulit,vt in campeſtribus locis, naturæ amœnitatem, hujus generis opere imitationem videret. Abydemus (referente Euſebio) de præparatione euangelica, ſcribit Nabuchodonoſorem Babylonem triplici muro muniiſſe,atq; in regia hortos penſiles plantaſſe. Hunc autem,& Cyrum,vnū fuiſſe arbitror.Lectori tamen ſuum iudicium relinquo.Diodorus Siculus Semiramidem horum autricem extitiſſe,memoriæ mandauit.Receptior tamen opinio eſt,vt Cyrus hos eleuandos curauerit. Alios tamen illa, de quibus infrà dicetur. De horum enim ſtructura neq; ad vnum inter autores conuenit. Quid tamen de his memoriæ reliquerint, non omittendum. Quadratæ autem figuræ fuerunt, atq; iuxta arcem locati, quorum

quodlibet latus ad quaterna iugera extendebatur. Fornicibus ferebantur, vndecim pedum interuallo diſtantibus. Inde aliæ ſuper alias excreſcente altitudine erectæ, vt ſuperiores, quæ murorum ſuperficiem hortos ambientem continerent, quinquaginta cubitorum altitudine eminerẽt: Ex lapide enim coctili, & bitumine, tam pilæ quàm fornices ac fornicum interceſſiones exædificatæ. Pilarum autem craſſitudo pedum viginti fuit, latitudo verò duodecim. Solum autem, quod arbores alebat, hoc modo conſtabat. Trabes lapideæ longitudine ſedecim, latitudine ſex pedum erant. Super his autem pro pauimento arundines, aſphalto compactæ. Deſuper cocti lateres duplici ordine, gypſo ſtructi. Tertio tegulæ plumbeæ, ne qua humiditas ad teſtudines intermearet, & officeret. Aquarum etiam receptacula inerant, quibus ſuperabundans humor efflueret. Q. Curtius tantùm lapidum meminit. Hoc autem pauimentum terræ patiens, quam tam altam iniecerant, adeouſq; vt validas arbores, hæc moles ſuſtinuerit, vt illarum ſtipites octo cubitorũ ſpatium craſſitudine æquarent, atq; in quinquagenum pedum altitudinem adoleuerint. Adeoq; omnis generis frugiferæ ac ſi in ſua terra alitæ fuiſſent. Decuſſatio ipſa, iucundum ac peramœnum conſpectum præbuit. Procul enim aſpicientibus ſyluæ in montibus ſuis apparuerunt, vt ab his etiam longè lateq; pateret deſpectus. Aditus illorum veluti in monte erat. Strabo verò pilas concauas, & terra plenas fuiſſe dicit. Quo profundius arbores radices agerent: & ibi aſcenſus ſcalares fuiſſe, per quos continua aqua ex Euphrate in hortos efferebatur, ab hominibus ad hoc opus conſtitutis. Diodorus tamen aquæductus ibi occultè ædificatos fuiſſe ſcribit: qui hortos irrigarent. Lumen quoq; inuicem fornices præbebant, vt in eis ſubtus diuerſoria regia haberentur. Noſtra tempeſtate capta à Solymano Rege Turca, Babylone, ibi hyemauit propter hortos illic frequentes, multarum arborum odoriferarum generibus conſitos, & hortos ipſos Semiramidis, vt Paulus Iouius in Chronicis atteſtatur. Et cùm vetuſtas ipſa, non opera ſolùm facta, verùm etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat, Hæc tamen moles, quæ tot arborum radicibus premeretur, tantiq; nemoris pondere oneratetur, per multa tamen tempora inuiolata permanſit, vt qui etiam noſtra tempeſtate apud Babylonem profecti, ibi adhuc hortorum penſilium monumenta aſſeuerent. Babylone autem prope domum ſuam Ioacimus hortos habuit, ad quos, quòd cæteris præſtantiores eſſent, Iudæi confluere ſolebant. In quibus Suſannam eius coniugem & Helciæ filium ludentem & lauantem, ſenes duo eiuſdem legis ſtuprare nixi ſunt. Quæ, quia votis illorum annuere recuſaſſet, adulterij rea, ab his delata. Verùm Danielis iudicis prudentiâ liberata, vno ſub ſchino illam adulteratam, altero ſub prino atteſtantibus: quamobrem depræhenſa & intellecta illorum falſa accuſatione, talionis pœna damnati, atq; lapidibus obruti.

Quòd Perſarum Reges hortorum ſtudioſi fuerint.

CAP. XIII.

ASIATICI præ cæteris vniuerſi orbis, delicijs ac voluptatibus dediti ſemper fuiſſe memorantur. At inter eos magis Perſæ: quorum reges reliquis Aſiæ principibus, diuitijs potentiſſimi ſemper fuerunt: quæ vt plurimum voluptatum comites ac pediſequæ ſunt: vt his quoque ſæpius naturæ quadam licentia, ad delicias ſtimulemur. Quas quidem ad hortos extruendos, & cæteros deliciarum omnium apparatus, profuſiſſimè effuderunt. Inter hos enim (de Cyro ſupradictum) vt Plutarchus ſuis ſcriptis mandauit, Tiſſaphernes ſuperbiſſimus fuit, atque Græcanici generis inimiciſſimus. Plures hic, more Perſarum Regum hortos pulcherrimos atq; amœniſſimos habuit, in quibus perennes fontes, prata ſalubria, ambulacra, faberrimè inſtructa eſſent, omnibusq; alijs, quæ regios hortos decerent, ornati. Adeò enim ille Alcibiadem ingenti amicitia proſecutus, vti magnificentiores hortos ſuos huius nomine vocari iuſſerit. Huius etiam gentis Rex Artaxerxes, ſiue ſuorum ſucceſſione, ſiue etiam ipſius voluntate & inſtitutione, plures hortos habuit, vt de his, hoc præclarum & memorabile geſtũ idem autor ſuis monimentis adſcripſerit. Cùm enim ille, cum ſuis militibus, è Caduſiorum profectione, ad hos deueniſſet, ſuis longo itinere, longa etiam regione, incultaq; ac ſterili languentibus cædendos, ad fouenda defeſſa & languida corpora permiſit. Hærentibus itaq; militibus, propter hortorum ſplendorem ac ornatum, arborum verò magnitudinem & elegantiam, primus arrepta ſecuri, quæ inter cæteras proceritate & raritate excellebat, arborem euertit: quò ad reliquas deturbandas, audaciores ſuos redderet. Nunc de Semiramide, quæ etiam Perſarum regina fuit. Quæ etſi ſexu mulier fuerit, geſtis tamen, ac præclaris facinoribus, pluſquam vir: regia certè adminiſtratione digna, vtq; etiam ab hortorum cura, & magnificentia, vt Reges Perſæ, non vacauerit, vt penſilium tamen ædificatrix minimè fuerit. Alios enim ſi non his pares, ſumptu tamen, ac ſpectabilitate non inferiores ponendos procurauit in loco etiam altiſſimo, vt longè, ſicut & penſiles, ſpectarentur. In Mediam etenim regionem profecta, ibidem prope Chaonam vrbem, prodente Diodoro Siculo, ſupra petram immenſæ ac ſtupendæ altitudinis peramœnos ſeruit: in quorum medio ſplendida & ſuperba ædificia, ad omnes delicias, ad omnem deniq; voluptatem erexit: è quibus tum hortorum latitudinem, tum exercitũ omnem in campis exiſtentem longiſſimè luſtraret. In his autem diutius commorata, loci amœnitate illecta, quieti ac voluptatibus indulgebat. Ad hos enim, longo itinere, per conualles multas, abruptaq; ac præcipitia loca, aditus perdifficilis erat, vt arcis loco etiam ij haberentur, vt etiam è labore, poſt ingreſſum amœniores circunſpicerentur. In eadem item regione alios poſuit, iuxta Baſtiganum montem, qui Ioui ſacer fuit, in patentibus campis. Horum autem ambitus, ſtadiorum duodecim erat. Fons ibi abundè effluens, vt horti, quod ſatis eſſet, illius aqua irrigarentur. Habuerunt etiam Reges Perſæ alios apud Suſam, regio ſumptu cultos, ſicut ſacri Bibliorum libri teſtantur.

De

De hortis Alcinoi, Tantali, Adonidis, Midæ regum, & adagijs, ἄκαρπος ἐκ ἀδόνιδος κήπων. et, Ex Tantali hortis fructus colligis. CAP. XIIII.

SVPEREST, vt de alijs regum memorabilibus hortis diſſeramus, & primùm de his, qui Alcinoi Phæacum Regis fuiſſe ſcribuntur, Homero præcone, apud exteros omnes magis quàm arborum ipſarum biferarum pretioſitate, aut fructuum vbertate, cæteraq; elegantia celebres: tanti enim eſt à viro doctiſſimo, & percelebri ſcriptore, ad poſteritatem laudari, vt quæ falſa ab his produntur, ſæpe pro veris credantur: vt etiam Iuſtinus & philoſophus & martyr, in oratione parænetica, Homerum ipſum in illorum deſcriptione dicat, paradiſi ſimulacrum & hiſtoriam retinere voluiſſe, quam ille ex patrum monimentis, ſicut pleraq; alia, nouiſſe poterat. Nempe nunquam exſtitiſſe multi arbitrantur, ſed tantùm ab Homero effictos. Sicut etiam nonnulli è neotericis exiſtimarunt (inter quos Petrus Bembus) qui Corcyram inſulam nauigarunt. Id autem ex aëris intemperie: in ea enim neq; vites, neq; arbores biferæ viſuntur, neq; aliud id ſimile, quod inſulæ feracitatē coarguat, & demonſtret. Tantum abeſt, vt illius incolæ, his natiuis terræ & aëris dotibus fruantur. Hæc autem nunc Colphuna dicitur, & ſub Venetorum imperio eſt. Fuit autem Corcyra (vt nonnihil de hac afferamus) vna ex Aſopi filiabus, à Neptuno rapta, & in eam inſulam delata, à qua nomen accepit: vt illa ſtupri rationē hanc mercedem meruerit. Ex ea itaq; natus eſt Pheacus, qui & Alcinoi pater fuit. Hic verò naufragum Vlyſſem hoſpitio liberaliter atq; regiè ſuſcepit, & in Ithacam patriam deducendum curauit. A Phæaco poſteà inſula nomen commutauit. Sed iam Homerum, hortos perſcribentem audiamus,

Odyſſ. lib. vlt.
ὦ γέρον, οὐκ ἀδαημονίη σ' ἔχει ἀμφιπολεύειν
ὄρχατον, ἀλλ' εὖ τοι κομιδὴ ἔχει, οὐδέ τι πάμπαν
οὐ φυτὸν, οὐ συκῆ, οὐκ ἄμπελος, οὐ μὲν ἐλαίη,
οὐκ ὄχνη, οὐ πρασίη τοὶ ἄνευ κομιδῆς κατὰ κῆπον,
ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δὲ μὴ χόλον ἔνθεο θυμῷ
αὐτόν σ' οὐκ ἀγαθὴ κομιδὴ ἔχει, ἀλλ' ἅμα γῆρας
λυγρὸν ἔχεις, αὐχμεῖς τε κακῶς, καὶ ἀεικέα ἕσσαι.
οὐ μὲν ἀεργίης γε ἄναξ ἕνεκ' οὔ σε κομίζει,
οὐδέ τί τοι δούλειον ἐπιπρέπει εἰσοράασθαι
εἶδος καὶ μέγεθος, βασιλῆι γὰρ ἀνδρὶ ἔοικας.
τοιούτῳ δὲ ἔοικας ἐπεὶ λούσαιτο φάγοι τε,
εὑδέμεναι μαλακῶς, ἡ γὰρ δίκη ἐστὶ γερόντων.

De his etiam Latini poëtæ meminerunt. Homerus Mantuanus in ſecundo Georgicorum:

Pomaq; & Alcinoi ſyluæ.- Ouidius in Metamorphoſi:

Proxima Phæacum fœlicius obſita pomis,
Rura petunt.- Iuuenalis:

-Et

- Et reliquis Vrronibus illa iubebit
Poma dari, quorum ſolo paſcaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat. Statius:
Quid biſera Alcinoi laudent pomaria, voſq;
Qui nunquam vacui prodiſtis in æthera rami. Propertius:
Nec mea Phæacas æquauit pomaria ſyluas.

De hortis verò Adonidis, ſic Plinius: Admirata eſt antiquitas, non propter fructum, aut abundantiam, aut raritatem, verùm propter inanem voluptatem, & artem, qua faberrimè exculti erant. Plato enim in Phædro, eos in vaſis fictilibus fuiſſe ſcribit: propterea ab eis tractum adagium ἄκαρπος εἶ ἀδώνιδος κήπων. Quòd de his dicitur, qui nil generoſum peragunt. Midæ autem horti in Macedonia fuerunt: quorum meminit Herodotus. In his enim roſæ ſexagenûm foliorum naſcebantur, quæ & cæteris fragrantiores eſſent. Ibi exceptus Silenus fuit. Midas autem Gordij filius fuit. De hortis Tantali Philoſtratus in vita Apollonij. Super flumine enim illi finguntur fuiſſe: vt ij in prouerbium ceſſerint, ex Tantali hortis fructus colligis. Id eſt, ea conſectaris, quibus frui non licet, vel quæ nuſquam fuerunt.

De hortis Salluſtianis, et Senecianis. CAP. XV.

OMNIVM autem hortorum, qui intra vrbem Romam vnquam poſiti ſunt, pretioſiſſimi fuere Salluſtiani atque præſtantiſſimi, non tam ob illorum amœnitatem, quam ædificiorum ſumptuoſitatem: vt in dominum M. Tullius Cicero, tanquã nimiùm ſplendidos obiecerit eos. Quippe Salluſtius, C. Iulij fauore ac patrocinio, interioris Africæ præturam conſecutus eſt: qua verò diues effectus, Romamq; reuerſus, hos comparauit, & omnibus, quæ ad hortos pertinent, diuitijs muniuit. Siti quippe fuerunt, vt P. Victor ait, in regione ſexta. Alij deſignantius, à Mamurri vico, & ad campum ſceleratum, prope portam Collinam diffundebantur. Extant quoq; hodie hortorum veſtigia, in profundâ valle, parum infra portam Salariam, inter montem Quirinalem & Hortulorum collem. Locuſq; ille ab incolis nunc corruptè Salluſtrium dicitur. In his aquæ ſubterraneæ, quæ hominum opera commodiſſimùm hortos irrigabant. Poſteà autem Auguſti fuere, vt Africanus Iuriſconſultus libro trigeſimo Digeſtorum ſcribit. Veſpaſianus vt plurimum in his habitauit, rarò in palatio, vt Xiphilinus autor eſt. Aurelianus etiam princeps, in his degere, quàm in regia maluit. In quibus porticum milliarium à mille paſſibus dictam, exædificauit: in qua quotidie equos, & ſe quoq; fatigabat, quamuis non ſatis proſperæ valetudinis eſſet. Sæpe enim amœniora loca, hominum ſocietates, & aëris temperies, ad id nos incitant, quòd præter ætatem & vires ſint, vt ea facilius feramus. In his mortuus Nerua princeps ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo. In eo enim loco, marmor, cum hac inſcriptione non longè ante noſtram tempeſtatem, repertum: M. AVRELIVS PACORVS, M. COCCEIVS STRATOCLES ÆDI-

TVI VENERIS HORTORVM SALVSTIANORVM BASEM CVM PAVIMENTO DIANÆ D.D. Poſt hos autem Seneciani, magna æſtimatione fuerunt. Nam, vt inquit Tacitus, horum amœnitate, quaſi principem ſuperabat. De quibus Iuuenalis:

- Et magnos Senecæ prædiuitis hortos Clauſit.

Ædificijs verò magnifici fuerunt, & tanto ſplendore, vt Neronem ad domini necem incitarint.

De cæteris vrbis Romæ, et Italiæ hortis. CAP. XVI.

SVPRA de Athenienſium nonnullis hortis à nobis dictum: quibus illi, vt fuit horum potens opulentia, tum ſolers & ingenioſum artificium, non caruerunt. A quibus item quicquid dignum fuit, cùm in ædificijs priuatis, publicisq́;, & omnibus artibus mechanicis, tum in ſcientijs omnibus, & in adminiſtranda Republica, atq; diſciplina militari, & omni ornatu cùm publico, tum priuato Romani accommodarunt: vt tamen iſti, illis longè, præterquam in doctrinis, ſuperiores euaſerint. Horti verò Romæ, ſicuti Athenis, celebres fuerunt. De Salluſtianis ac Senecianis exaratum. Alij verò plures, immenſo ſumptu, & profuſa largitione ædificati, vt Iuuenalis, ſub hortorum denominatione, dum dicit, Criminibus debent hortos, diuitijs fieri malos: ac ſi velit innuere, bonorum largitate, hortos plantatos. Mecœnetiani, ampliſſimi ac ditiſſimi fuerunt in regione quinta, vt voluit P. Victor, in Exquilijs locati. De his verò ſic Horatius:

Lib. Serm. 1. ſat. 8. *Huc prius anguſtis eiecta cadauera cellis*
Conſeruus vili portanda locabat in arca.
Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum,
Pantalabo ſcurræ, Nomentanoq́; nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, hæredes monimentum ne ſequerentur.
Nunc licet Exquilijs habitare ſalubribus, atq;
Aggere in aprico ſpatiari: quo modo triſtes
Albis informem ſpectabant oſsibus agrum.

In his etiam Mecœnas turrim exædificauit, ex qua vrbem conſpiceret, eodem ad eum autore:

Carm. lib. 3. *Faſtidioſam deſere copiam, &*
Molem propinquam nubibus arduis.
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes, ſtrepitumq́; Romæ.

Ex ea Nero ſpectaſſe vrbis incendium proditur. Meſa tempore Tranquilli dicebatur. In his etiam Priapus ille erat, de quo idem in eodem loco. In his etiam fuit domus Vergilij, vt ſcribit eius interpres Donatus. In monte etiã Exquilino, horti Pompeiani poſiti. De quibus Plutarchus in eius & Catonis Vticenſis vitis. Ibi autem numerata pecunia, quæ illius largitione in tribus diuiſa eſt. Hos enim C. Cæſar M. Antonio donauit, dicente Appiano. In quibus itidem, cùm in Senatu occiſus eſt, morabatur.

tur. Demetrius Pompeij libertus hortos,nō minimi pretij,vt idem autor ſcribit,poſſedit.Mariani pulcherrimi fuerunt.Qui ſi Marij extiterint,vſq; tamen ad Neronis tempeſtatem durarunt. In Ianiculo horti Cæſariani, prope naumachiam. Horti Plantiani, vel vt alij volunt, Plautiani, in regione quinta vt ait P.Victor. In Ianiculo etiam Liuiani. Argiani verò in regione ſeptima,P.Victori Aſiniani,in regione duodecima.Lanianorum Suetonius in Caligula meminit, in quos eius cadauer aſportatum,& tumultuario rogo ſemiambuſtum. Cn. Tremelij Scrofæ, horti fuere, vt M.Varro ait, in ſacra via, contra auream imaginem. Horti Prinitij, in regione decima. Luculliani autem in regione nona, vt meminit P.Victor. Plutarchus autem inter Regum hortos atq; ornatus ampliſſimos poſuit. De his enim amplè M.Varro vt in his diutius immorandum non arbitror, vt qui plura deſyderet, hunc adeat. Principum autem fuerunt Galbæ, in via Aurelia, Getæ Domitiæ, in regione decimaquarta, vt inquit P.Victor. Galieni, ad quos cùm iret,vt reliquit Capitolinus, omnia palatina officia ſequebantur: & Variani, de quibus etiam Vopiſcus. Extra vrbem autem, atque in Italia, pauci memorantur. Etſi ibi innumerabiles, propter Romanorum & Italorum opulentiam ac delicias, terræ vbertatem, & aëris clementiam fuiſſe par eſt dicere. Apud Fondos horti Varroniani,vt illorum hodie adhuc extent veſtigia.Iulius verò Fronto ad caput arcus virginis Seruilianos ponit.Torquatianorum verò idem meminit, Palantianorum, Epaphraditianorum.

Præfatio libri ſeptimi.

IAMQVE *verò locus vrget atque vltrò impellit vt materiam ipſam, quam deſcribere inſtituimus, propius aggrediamur & attingamus. Multum enim etſi non extra rem ſpatiati, vt iam bonus æquuſque lector vltrò me amplius diuagatum minimè conqueratur. Quæ autem ſequuntur, lectorem ſcire velim, non tam ex Græcorum Latinorum & nonnullorum vulgarium autorum ſcriptis, in monimenta mea redegiſſe, quàm ipſa experientia, per plurimos annos, improbo labore, peruigili ſtudio didiciſſe. Pluribus locis, ſatis inſitiſq; arboribus, vt mea diligentia, ſuorum dictorum magis experiens & verius enucleator, quàm ſuorum tantum lector atque tranſcriptor, extiterim, quòd in his aut ſaltem multis contigiſſe arbitror, quòd ex illorum exaratis, & ex his quæ ex illis experiri volui, compertum*

ſatis ſuperq́; ſatis habui, vt multa ſæpe vana & falſa ab ipſis tradita cognouerim, quæ illi ab alijs accepiſſe, & absq́; vlla cognitione cæteris reliquiſſe, par eſt dicere. Vt hæc mea poſtea in publicum atque in communem vtilitatem audacius & alacrius emiſerimus. Meæ autem & ſcientiæ atque experientiæ teſtes erunt horti mei Curtiani, in fundo liberali Pluuiano paterno auitoq́;, mea manu ſati inſiti, & ibi primùm noſtra tempeſtate & apud nos in ordinem decuſſati, vt noſtris poſtea huiuſce rei normam dederim & reliquerim, & exemplum fuerint, & à me per plurimos annos exculti. In his enim ad duo millia & longè amplius arbores cicuratæ & inſitæ. Ex omni quidem arborum fructiferarum genere, quod aer, quod regio ferre ſolet. Teſtes inſuper illi erunt, etiam extranei & longinqui aduenæ, qui in dies ad illos viſendos ſe conferunt. Arborum verò ſylueſtrium illic etiam ſyluæ quattuor duæ cæduæ, aliæ ex arboribus altis & patulis & ad vmbram in perpetuum reſeruatis, quarum vna tonſilis, vt harum priſtinum morem, apud nos reſtituerim. His etenim, quæ poſteris trado, ſpecimen aliquod antea facere decreui, imitatus verò, cuiuſlibet artis doctiſſimos operarios, qui priuſquam aliquod egregium & arduum opus molliantur, huius aliquam faciem charta, cera, lutóve aut ligno effigiant. Architecti verò ichnographia, pictores ſciographia, ſtatuarij orthographia, quibus futurum opus elegantius ac perfectius ſtruatur, erigatur.

HORTORVM LIBER SEPTIMVS.

Arbor quid, & qualiter à frutice, & frutex à ſubfrutice differat. CAPVT I.

PROPOSITA nobis arborum conſideratione atq; materia, quid ſit arbor, & qualiter à frutice, & ab hoc ſubfrutex differat, neceſſarium explanare duximus. Abſurdum etenim eſſe ſemper exiſtimaui, eum qui eius rei, quam tractaturus eſt, ignorare definitionem. Vt antequàm ad arboris ſignificationem accedamus, priùs declaremus quonam modo antiqui arboſes pro arbores autore Feſto, dixerunt, & arbos etiam pro arbor vſurparunt. Sic enim ſcribit Fabius Quintilianus. Nam vt Valeſij & Fuſij in Valerios Furioſq; venerunt, ita arbos, vapos, & clamos ætatis fuere antiquæ, excluſa r. Sed arbos remanſit, qua nunc quoq; vtimur, & ea pluries Secundus. Verùm Agrætius inter has diſſidium aliquod poſuit, vt arbor omne lignum ſit, arbos non niſi fructifera dicatur. Arborem autem eſſe Theophraſtus dixit, quæ à radice, vno caudice, ramoſa nodoſaq;, ac ſurculoſa, ad iuſtam magnitudinem, & ad plures annos aſſurgit. Quod autem ſtatim à radice multiplici, ramoſum ſeſe attollit, frutex dicetur, cuiuſmodi generis ſunt myrtus, punica, corylus, pyrus, malus, ſambucus, vlmus, cythiſus, alaternus, ceraſus. Sunt enim eius naturæ, vt pluribus à radice virgultis, ſponte, atq; etiam reciſæ naſcantur. Eiuſmodi verò ſunt omnes in ſyluis cæduis arbores: vt hac ratione Secundus, inter frutices cedrum, & genus aliquod palmæ, cupreſſum, laurum, iuniperum, pinum, terebinthum, lentiſcum poſuerit. Quæ autem, ſi cultura ab inferiori, caudice vno relicto, virgis purgentur, in arbores tranſeunt. Vt quæ natura fruticei generis ſunt, arbores cultura fiant: vt Theophraſtus hoc modo amerinam, hederam, paliurum, arbores fieri poſſe tradat. Contrà verò quædam plantæ, quæ ſui natura arbores ſunt, & vno caudice eriguntur, ab infimo tamen caudice reciſione plurium virgultorum fiunt, vt dein in frutices hac ratione tranſeant: cuius naturæ ſunt pyrus, malus, vlmus, populus, etiam ſalix, cupreſſus. Sic enim natura quæ arbores fuerant, in frutices migrant: & contrà, quæ frutices, cultura & arte arbores. Frutices autem Vergilius ſic exprimit:

Pullulat ab radice alijs denſiſſima ſylua:
Ut ceraſis, vlmiſq́ etiam Parnaſia laurus Georg. lib. 2.

Parua ſub ingenti matris ſe ſubijcit vmbra.

Multum itaq; in his aëris beneficium,ſoliq; vbertas & natura operantur, vtì vno in loco planta eadem arbor ſit, alibi tamen frutex: vt de palma eſt quæ pluribus ſtolonibus,per totam Syriam,humidis locis eſt. Inter ea autem, quæ frigidis & aquaticis gaudent, aquaticos frutices, ſecundum Plinium conuenit dicere. Inter quos ſanè principatum obtinebunt harundines. In India tamen in tantam craſſitudinem creſcunt,vti ex ſingulis internodijs,nauigia,ad plures homines vectitandos fabricentur vt ibi eas nominare frutices inconueniens ſit. Staurobatem Indorum Regem aduerſus Semiramidem in Indos bella molientem, in apparatum bellicum naues ex harundinibus millia quatuor feciſſe Diodorus ſcribit. In Arabia item & Babylonia (multis atteſtantibus) malua ſenis ſolùm menſibus arboreſcit:apud nos autem neque fruticis locum vendicabit. Vnedo autem, apud nos fruticei generis eſt: in Arabia verò autore Iuba in quinquagenum cubitorum altitudinem aſſurgit. Ferula etiam in fruticum genere,ab omnibus annumeratur: at in Nerio vna ex inſulis fortunatis(ſcribente Theophraſto)altitudine tanta,vt arbor exiſtimetur. Erunt etiam frutices in quodam arborum genere,vt in ilice,quercu & in cerașo acetoſo, inter quæ arborum genera,frutices reperiuntur fructu, folio, floreq; illis ſimiles, ſed magnitudine, & caudicum differentia, ab his diſpares. Sed hæc differentia facilius depræhendi, quàm fruticis, & herbæ. Nam herbarum maiorem partem rei herbariæ interpretes inter frutices aſſignarunt.Interq; hyſſopum,ſaluiam,marrubium,rutam,vti ſub hac appellatione plures quàm triginta apud eoſdem annumerauerim, quæ ſuperioris fruticis voce, compræhendi non poſſunt neq; merentur. Quare Græci ſaniori vtentes conſilio, prædictum diſcrimen lucidius fecerunt. Itaq; inter fruticem & herbam aliud ſubdiderunt, φρύγανον ſcilicet: ſubfruticem nonnulli vertunt: qua appellatione dici poſſunt, quæ in genere herbario frutices vocantur. Fruticem autem illi θάμνον vocant. Inter frutices autem connumerabitur ſoboles illa arboribus prope radices adnaſcens,à qua fruticari verbum,quaſi frutex ex arbore naſcatur. Cicero Attico: Animis enim vſi ſumus virilibus, conſilijs (crede mihi) puerilibus:exciſa enim arbor,non euulſa:itaq; quàm fruticetur,vides. Et fruticare,quaſi frutices emittere:quo vſi Plinius,& alij autoritatis receptæ autores. Arbor præter eius communem ſignificationem, beluam marinam denotat, vaſtis diſpanſam ramis, cuiuſmodi forma in Gaditano mari viſitur.Iuba ad Caium Cæſarem autor.In arboribus genus bifariam conſiderari, vt commune ſit omnium arborum: ſpeciatim verò, cùm pyri, aut oleæ, vel pruni genus quoddam dicimus. Galenus autem genus generaliter in arbore poſuit,ſpeciem autem platanum,vlmum,& cæteras.

De generali arboris appellatione. CAP. II.

VISO, quid ſit arbor, videndum quid illius appellatione contineatur,vti etiam quædam compræhendar, quæ ſpeciali frutices dicuntur, vt arundines, hædera, autore Vlpiano Iuriſconſulto. Stirps

Stirps quoque oleæ, & ſalicis arbor erit, quæ propriè frutices ſuprà diximus. Præſertim verò, quæ è fruticibus, cultura, aër, locus, arbores fecit. Ampliſſima autem eſt, ex lege duodecim, vel legis Aquiliæ formulis: aut cùm quis furtim arborem ceciderit, vt ex his obnoxius ſit, ſi ex ſeminario ſtirpitus tranſtulerit, tametſi terram nondum comprehenderit: etiam eam, cuius radices viuere deſierint, quamuis terra contineatur. Nec quoque illam, quæ ſubuerſa, transferri tamen adhuc, atq; reponi poſsit. An autem vitis, arboris nomine veniat hoc loco, diſputare non refert: quandoquidem toto hoc iſto opere, nulla ratio illius habita ſit.

De arborum membris, & illorum cum hominis membris conformitate. CAP. III.

ARBORIBVS autem cum animalibus, præſertim verò cum hominibus, ſimilitudo permaxima. Cuius quidem ratio non vno in loco dicetur, ſed paſsim, & cùm materia ſeſe offeret. Hic enim tantùm de ipſarum membrorum, cum hominis membris comparatione & ſimilitudine. Nam & illis natura (optimus artifex) membra formauit. Quod elegantiſsimè L. Columella his verbis edocuit. Hac lege virgulta progenuit, hac vitium genera figurauit. Quibus quidem ipſa mater & parens, radices, velut quædam fundamenta iecit, vt his quaſi pedibus inſiſterent. Truncum deinde ſuperpoſuit, velut quandam ſtationem corporis, & habitus. Mox ramis diffudit, quaſi brachijs: tum caules, pampinosq; elicuit, velut palma. Carmine autem expreſsit Ouidius, ſub Daphnes in laurum & Phaëthontis ſororum in populos conuerſione:

Mollia cinguntur tenui præcordia libro: Metam. lib. 1.
In frondem crines, in ramos brachia creſcunt:
Pes modò tam velox pigris radicibus hæret:
Ora cacumen habent.- Alibi:
Luna quater iunctis implêrat cornibus orbem, Metam. lib. 2.
Illæ more ſuo (nam morem fecerat vſus)
Plangorem dederant: è queis Phaetuſa ſororum
Maxima, cùm vellet terræ procumbere, queſta eſt
Diriguiſſe pedes: ad quam conata venire
Candida Lampetie ſubita radice retenta eſt.
Tertia cùm crinem manibus laniare pararet,
Auellit frondes. hæc ſtipite crura teneri,
Illa dolet fieri longos ſua brachia ramos.
Dumq; ea mirantur, complectitur inguina cortex,
Perq; gradus vterum, pectusq;, humerosq;, manusq;
Ambit, & extabant tantùm ora vocantia matrem.

Nam ſicut (vt ait Ariſtoteles) in animalibus, oſſa, neruus, cutis, viſcera, pili, fibræ, venæ, ſimilares partes ſunt: ita in ſtirpibus lignum, radix, cortex, frondes, eædem ſimilares partes, quæ eidem ὁμοιομερῆ dicuntur. Sed hæc ſpecialius, vt facilius dignoſcantur, tractanda erunt. Radices autem in arboribus

boribus ora erunt. His enim inſunt, pro ſumma parte, quibus alimenta hauriunt: vt quæ extrinſecus attraxerint, deinde in cætera arboris membra, per medullas, robur, corticem, diffundant, & diſpenſent: vt proinde radices nutrimentum ſuggerant: quemadmodum animalia, oris hiatu: Et hoc præſtare radices, autore Plinio, quod venter in homine, videntur. Et, vt pulchrè aiebat Muſonius, Quemadmodum plantæ ad perdurationem, non ad voluptatem, aluntur: ſic hominibus vitæ perducendæ cauſa, non voluptatis, victus eſſe debet. Sed ſuper hac re Lucretium audiamus, rerum naturalium optimum interpretem:

Creſcunt arbuſta, & fœtus in tempore fundunt,
Quòd cibus in totas vſq; à radicibus imis,
Per truncos ac per ramos diffunditur omnes.

At ſicuti fibræ in homine ſunt, vtq; etiam ac in arboribus, in quibus minutulæ radices, fibræ dicuntur. Hoc enim modo Plinius eas vocat, dum ait, Solum eligi oportere, quàm minimè rimoſum, ne ſol exurat fibras. Alij tamen eaſdem in arboribus dixere, per totum porrectas, vt animalium venas. Caudex verò, qui & truncus & ſtipes dicitur ſtatim à radice ſurſum aſſurgens, quaſi plantæ corpus eſt. Qui verò à caudice rami progrediuntur, brachia erunt. A ramis autem ſurculus ille ſimplex progrediens, digitus erit, tanquam à manibus pedibúſve oriens. Humeros enim in arboribus, Plinius non illam arborum ſummam partem, ſed huic proximam, veluti in homine ſummæ parti, ſcilicet capiti proximi ſunt. Cerebrum ſicuti in homine, altiori ſedet loco, ſic arborum ipſarum cacumen eſt. Id in palmis encephalon Galeno, Dioſcoridi verò encardion, quod in eo (autore Plinio) dulcis inſit medulla, eſculentum eſt: quo, inquiente Xenophonte, delectati milites quidam, ob ſuauitatem: ſed illis huiuſmodi eſus, maximum capiti dolorem intulit. Nodos dixerunt, vnde ſe noui proferunt ſurculi & ramuſculi: qui certo ſpatio inter ſe diſtantes, nonnunquam bini triniq;, aliquando quaterni pluréſve, vt in abiete, prodeunt. Græci ὄζυς appellant. In herbis enim geniculus, vnde folium ſiliquaq; profertur. Nodos tamen in plantis Ariſtoteles neruis perſimiles putabat. Oculi in ſurculis vocabuntur, vnde nouus alius adnaſcitur. Germen id eſt, à qua oritur ſurculus, vnde germani, quaſi ex eadem ſtirpe geniti. Gemma idem quod oculus Feſto Pompeio. Alæ autem veluti in hominibus, partes illius ſub brachijs concauæ & piloſæ dicuntur: ita etiam in ramorum ramis, partes illæ, etiam ſub eiſdem, ab illorum initio concauæ. Verùm non id omnibus, neq; teneriuſculis euenit. Sed id maximè quercui accidit, autore Plinio. Græci μασχάλας vocant. Arborum autem frons coma eſt, ſicut in homine crinis, vt propterea arborum frondes, crines ſint. Sunt autem panniculæ, nucamenta, quæ ex arboribus reſinam præter laricem fundentibus, ſcamatim callo compactili, dependēt. Spadices ramuſculi, cum ſuo fructu ſunt. Græci βαΐν vocant. Gellius autem termitem è palma auulſum ſpadicem vocauit: vnde terminare verbum, quod antiqui agrorū diuiſores, antequam metæ inuentæ eſſent, terminibus deſignabant. Feſto autem Pompeio, termes ramus ab arbore

decerptu nunc folijs repletus,nunc minus glaber. Horatius,

Nunquam fallentis termes oliuæ.

Turiones,teneritates ſummitatum arborum ſunt,à folijs,ſua mollitie parum diuerſi. Quiſquilias, Feſtus eſſe ait quicquid ex arboribus minutum cadit. Pollicem Columella ſic effigiauit: Atq; frondatione cauendum,ne aut prolixiores pollices fiant, qui ex amputatis virgis redduntur. Plagam enim illam vocat,quæ fit in inciſione. Quæ ſi in tranſuerſum fiat,pollicis hominis figuram imitatur. In inſitione autem cùm rotunda ſit, calicem Plinius vocat. Acromone ſiue Sciale, Græcis, rami prægrandes,& robuſtiores ſunt,in quos arbor ſtatim à caudice ſeſe extendit. Iidem ſummos fici ramorum cauliculos teneriores cradas,ſicut olearũ thaliam,vocant.

De membris arborum intrinſecis. CAP. III.

DE his,quæ extrinſecus membratim apparent,dictum:reliquum eſt,vt de his,quæ intus ſunt,quibus atq; in homine eadem appellatio. Eſtq; in alterutro intra,ſicut exterius,ſimilitudo quædam. Nam veluti in animalium corporibus, ſanguis,caro,oſſa,medullæ,nerui,venæ,adeps,cutis ſunt:ita & in arboribus. De quibus particulariùs tractandum. Sanguis autem in arboribus,humor illarũ erit,cutis cortex: ſubeſt huic caro. Inter neruum & venas alij collocant. Nec omnibus carnes, adipésve largæ ſunt: ſicut nec animalium acerrimis. In quarundam verò arborum carnibus,venæ, pulpæq; ſunt:quas cæteri neruos appellant,maximeq; in ficulnis areſcentibus depræhenduntur: in quibus tantummodo hæ relinquuntur. Sed earum facile diſcrimen. Quippe venæ latiores, candidioresq; ramulos habent, veluti in homine. Venæ etiam in arborum folijs dicuntur per ipſa folia ramatim diſperſæ, humorem habentes: quibuſdam nerui dicuntur. Pulpa in arboribus, idem quod animalium muſculum. Ad germinandum infœcũda, fiſſiliſq; eſt:ideò fit,vt aure ad caput trabis quamlibet prælongæ admotâ, ictus ab altero capite, vel grauis ſentiatur, rectis meatibus penetrante ſono. Vnde an ſit torta depræhenditur. Pectines, Plinius in arboribus vocat, earum materiei lineas, per longitudinem rectas,pectinum modo compoſitas. Græci κτηδόνες.

De arborum corde. CAP. IIII.

NVNC de corde,tanquam de principaliori,ſicut hominis, in arboribus membro: quod in homine natura prudens & ſui ipſius conſeruatrix,in medio thoracis veluti in ſede nobiliori collocauit,tanquam Rex in medio populi conuentu ac corona. Atq; id vt tutius ſederet,& à circunſtantibus tueretur:tunica enim contegitur,& conuoluitur,quam Græci περικάρδιον χιτῶνα vocant:ac ſi cordis inuolucrum dixeris:cuius officium eſt,vt ab iniurijs cor tanquam rex,exterius defendatur. Ideò illa dura,tanquam aliquod propugnaculum ſit, quòd cor ipſum circunſepiat. Sic etiam cor in medio arboris ſitum,vt arboris maximè materiei præcipuũ

quod & cortice & carne, quandoq; pluribus: vt in arborum multis generibus veſtitum & cuſtoditum. At in ipſo, propter tot arborum in natura differentias variatum:maximè verò in nomine. Nam plures medullam, cor, matricem, & viſcera in arbore vnum & idem exiſtimauerunt. Theophraſtus μήτραν, & ex aliorum ſententia καρδίαν atq; μυελὸν,hoc eſt,matricem,cor & medullam vocat. Medullam Gaza apud Theophraſtum matricem interpretatur, ſi Hermolao credimus. Materiei autem vniuerſæ,pars duriſſima atq; rariſſima eſt. A cætero autem ligno, colore nigreſcente, vel flaueſcente diſtinguitur. Quod facilius in nonnullis arborum generibus videre eſt, vt in genere quercuum. In iuglande verò Aëtio iſca dicitur.Vulgus etiam ruſticorum cor vocitat.In nonnullis autem arboribus tertium à cortice erit. Os enim in homine proximum medulla eſt. In plantis vulgus vocat id, quod ſtagmineum & lanuginoſum in medio ligni eſt. At in arborum generibus, non eadem cordis ratio. Quibuſdam ſpiſſius ac durius,vt corno, robori, cytiſo, pruno, cuius cor ad rubedinē tendit,moro,ebeno,cedro,loto,vlmo,taxo: quæ omnia oſſea ob duritiem exiſtimauerunt. Neq; omnibus ſimile: alijs enim carnoſum,alijs lignoſum,cæteris membranis perſimile.Carnoſum verò fico, punicæ,ferulæ. Lignoſum larici,abieti,pino. Quidam autem cor habere materies omnes exiſtimarunt,ſed quod facilè poſſit conſpici minimè.In nonnullis enim non in medio ligni, ſed per totum lignum diſperſum,vt in buxo,olea,abiete, ilice, loto. Alij nonnullas carere arbitrantur: vt palmam, & cornum maſculam. Quædam enim poſt corticem lignum habent,cordis verò loco,intus fungoſam medullam,vt ſambuci. Quædam autem inanitatem, vt arundines. Quibuſdam verò eſt pulpa, ſine venis. Moro enim ſtamine & tenui conſtant. Quibus pulpa non ſit, eò celeriùs frangūtur,quàm findantur,vt olea,Fagi pectines in pulpa tranſuerſi.

De arborum anima. CAP. V.

ARBORES animam habere, ſicut & membra, par eſt dicere: qua ſicut in membris,cum homine,quoddam commune habere, clarū, vt eas ab inanimis diſcernere neceſſarium ſit.Nam & gigni,nutriri,augeri,iuueneſcere,deniq; & ſenectute diſſolui, vt eſt omnium animantium, conſtat. Similis eiſdem,vt cæteris animantibus,in cibo & alimentis ratio: vt quæ ſibi vel idonea,vel aliena ſint,pernoſcant. Quibus verò alantur, gaudeant,ægrotent,vel langueāt,vt iniuria, aut beneficio quarundam rerum afficiantur, vtq; etiam cognitionem eorum, quæ iuuant, aut officiunt, habeant: vti etiam Anaxagoras,& Democritus,eas & voluptate,atq; dolore affici,cenſuerint: nec ſentiendi ſolam,ſed & cogitandi,ac intelligendi vim habeāt. Prætereo etiam eorum opinionem, qui eas dormire arbitrantur: ſuper qua re multi vltro citroq; ſeſe inflexerint.Quod tunc euenire dicūt,cùm agere & perferre deſinunt.Quod fit hyemis tempore.Vibrant propterea & porrectos ramos habent. Quos arboratores, non ſine violentia cædunt.Qui & deflexi iterum in habitum priſtinum ſe reuocant.Nituntur

etiam

etiam aduerſus pondera. Nempe etiam,vt magnus Hippocrates ait,cùm ligna,præſertim viridia,aut ſubuiridia ardent,ſpiritum efflant,vt ſui interitus conquerantur: vt quid animæ adhuc ineſſe appareat. Quod ſonorius faciunt,cùm ſtantes excinduntur,etiam cum ſibilo, quod ab omnibus exaudiri poſſit. Mihi ipſi nonnunquam iſtud audire licuit. Quod enim,vt Plato in Timæo ſcribit,vitæ particeps eſt, iure animal nominari debet: (de arboribus anteà locutus fuerat.) Itaq; ipſas arbores & viuere & mori dicimus.His igitur rationibus & argumentis,Empedocles,quem multi ſecuti ſunt,arbores,animalia eſſe aſſeruit, & has animalium primas fuiſſe, & ante etiam Solis circunfluū expanſum, & antequam dies noxq; inuicem diſcreta forent, vt ſaltem conſideratione horum quæ non viuunt,vt animalia ſint,neceſſe eſt. Hæc fuit illorum ſuper arborum anima opinio:contrariæ tamen & alij fuerunt,vt animæ rationalis minimè participes fuerint. Super qua etiam re, variæ ſententiæ. Platọ animantium genera, in tres ſpecies, tertiam in terrenis poſuit,qualis arborum, cæterarumq; frugum,quæ concupiſcibilis nuncupetur. Ariſtoteles eius diſcipulus tres etiam animæ virtutes communes etiam cum plantis eſſe ait, germinalem ſcilicet, ſentiendi munere præditam, cuius munia ſint, augeri, gignere,& nutriri. At qui Stoicæ ſectæ,vt hic fuit autor,vim germinalem minimè dignam exiſtimarunt, vt quæ anima diceretur: vt ille arborum animas tacitam quandam appoſitionem habere, quam naturæ nixum vocitant. Hac enim ſola parte arbores viuere creduntur. Hæc enim vegetalis atq; nutritiua virtus eſt. φυτὸν quippe planta eſt:& ab eo φυτικὸν vegetatiuum. A vegetatione enim,quæ ſola ipſius corporis alimonia atq; enutritio,vegetabile dictum. Nullusq; huius animæ effectus,præterquam educatio ipſa: ſoli etiam corpori inhærens, vt extra ſe, aliqua parte maneat minimè, niſi quantum ſuccos ipſos, è quibus vegetatur, ad ſeſe attrahit,& attrahendo corpori inſinuat,in proceritatem conuertens. Quare Galenus, in arboribus animam, quandam facultatem appellat, appetitricem quidem naturalem, & altricem. Et Seruius ipſas arbores motu carere dicit: vitam tamen habere, cùm & naſcuntur & creſcunt. Quod autem plantæ attrahant,& nutrimento delectentur, atq; rebus male conuenientibus offendantur,hoc fit ſine ſenſu,ſua natura, ſine delectatione, ſine dolore. Idcirco Ariſtoteles animatas dicit,non animantes: quòd appetitrices ſenſibileſq; ſint. Differuntq; ab animalibus ratione carentibus, ſenſu,ab homine verò ratione. Hanc autem animam, quidam phyſicam vocant. At Stoici,vt iam dictum eſt,deteriori fuerunt opinione, animata prorſus negantes,verùm temeritate quadam naſci,non animæ vi. Plinius autem arbores viuere, eo modo ſcribit, quo ſepta, quæ ſpirare multi negant. Arboribus etiam quædam ſæpe eueniunt,præter ea,quæ natura illis ingenita ſunt, vt his quoq; (veluti animalia) afficiantur. Itaq; ſurculi, qui nihil gignunt,vt eos ſteriles eſſe oporteat, ad hominum inſtar ſpadones vocantur. Quamobrem Plinius palmas in Syria, Cypro, ac Ægypto, quamdiu nouellæ ſint,nihil ferre dicit,nullo adhuc intus ligni pomo. Ob id ſpadones,ſiue eunuchi & enorchi dictæ. Theophraſtus etiam harun-

dines,quæ contra cæterarum naturam, nihil lanuginis habent, ſpadones vocat. Nonnullis etiam animalium modo glandes & tubera inſunt.Hoc pretioſum in cedro & acere. Sunt quoq; in his, ſicuti in animalibus, excrementa, verùm id tantùm extrinſecus. Qualia ſunt gummi, lacrymæ, vel corpuſcula quædam terrea & cinerea,quæ circa ſtirpium radices conſpiciuntur. Foliorum quinetiam,ac corticum,quædam in terream naturam conuerſiones,deſinente propria natura. Digeſtiones etiam, & concoctiones fructuum extrinſecus in illis fieri perſpicimus, & in malis lanugines quaſdam,aliaq; eius notæ plura.Loci enim natura hæ fiunt.Quæ verò algentibus locis permanere poſſunt,plus caloris quàm aliæ ſortiuntur,etiam eiuſdem generis:quod etiam inter homines eſt.

De prudentia,& affectionibus arborum. CAP. VI.

ANIMAM ex philoſophorum opinionibus arbores habere ſuprà diſſeruimus:ex qua,illarum prudentia ſequitur, qua potiſſimùm ſe animantes docent ac demonſtrant. Plotinus philoſophus Platonicus,cùm de beatitudine ſcribit,ipſam arboribus fœlicitatem quoq; tribuit:nam,vt cætera animalia,viuunt. Viuere partim quibuſdam bene contingit, vt cùm ſe bene proſpereq; habent,ac lætius fructificant. Animæ enim ſuæ participes,in pluribus ſapienter vtuntur,aduerſuſq; multa prudenter ſeſe tuentur. Ramis enim iam natos fructus,vt homines liberos,brachijs baiulant: quos item folijs tegunt, contraq; Solis ardores, imbriumq; & procellarum violentiam occultant,& defendunt ne immaturiùs periclitentur.Vt in his etiam harum prudentiam,altius contemplandum ſit: vt quæ molliori ſint fructu, robuſtiori eos folio contegant, vt immutabile tegmen & munimentum illorum ſit:vt in ficu,ceraſo,& ſimilibus.At quæ fructus validiores producunt,leuioribus folijs eos operiunt: cuiuſmodi ſunt omnium pyrorum,& malorum fructus: qui corio,carneq; validiores,non ita fortiori auxilio indigent. Nam foliorum robur, ac denſitas, à quibus cauſatur vmbra craſſior,ipſis fructibus nocumento ſunt,vt parcius Solis calorem recipiant,quò ipſi alantur,colorentur,& matureſcant. Aduerſus etiam animalium rapinas,contraq; eorundem iniurias,fructus erumpentes, folliculis protegunt. Qui ſæpe, cùm adhuc tenerrimi ſub iiſdem iacent,crebris ac nimijs roribus ac pruinis pereunt. Quamobrem naturali innitentes prudentiæ ramos inflectunt,quò minus iniectum & infeſtum humorem excipiant,atq; diutius retineant: qua quidem intemperie maximè palma,ficus,amygdala,malus,pyrus, punica,læduntur. Et,vt doctiſſimus Hippocrates eleganter ait,Vere,contra æſtatis Solisq; moleſtias,foliorum vmbra,& alia ſobole,tanquam alijs ſubſidijs ſeſe muniunt. Altioribus verò locis poſitæ, creberrimis,& validioribus ventis obnoxiæ ſunt, craſſiori & ſpiſſiori, præter alias eiuſdem generis alijs locis, trunco, frequentioribuſq; ramis ſe defendunt, ac ſi in validiorem hoſtem, maiori vi,& numeroſiore militum copia,depugnandum ſit. Maiori etiam radicum cohorte, ne occumbant, terram amplexantur. Quæ ſi humiliores

quandoq;

quandoq; inter maiores adnatæ fuerint, altitudine tamen eas æquare, atque etiam ſuperare contendunt, vt ſolem conſpicere valeant, ac ſi pro alimentis pro vita decertent,vt hæ tantùm caudice aſſurgant, non emiſſis per latera ramis. Quæ verò ætate adhuc infirmæ, ac imbecilles ſunt, ventorum vi obediunt, flectuntq; ſeſe, ac ſi veniam deprecentur, ne ab eis opprimantur,euellantur,rumpantur.Nonnullæ etiam ſpinis,vt eſt illarum aſperior natura,tanquam ſpiculis, contra animalium morſus ſe ſtipant. Omnes enim totum corpus cortice veſtiunt, qui tanquam defenſor opponitur, tanquam mali patientes: tum vt aduerſus cœli intemperiem,tum ab animalium iniuria ſecuræ ſint:quæ verò in frigidioribus,vt ceraſi, betula, plurimis tunicis contrà frigoris æſtuſq; algores ſe tuentur, aut ſæpe vno, verùm craſſiori, vt robur, populus, quercus, vt illis plures neceſſariæ: ſicut hominibus frigida loca incolentibus. Muſco etiam in frigidis,pennarum,pilorúmve vice,aduerſus Boream ſeſe obducunt,maximè verò in his partibus, quæ Boreæ & frigidis ventis opponuntur, vt quæ norint,ſe vel nimio frigore æſtúve immodico poſſe offendi, interireq; poſſe:niſi ita opertæ conſeptæq; manerent.Hæc eſt arborum in prædictis prudentia,quam etiam in alijs innumeris,diligens ac ſtudioſus naturæ perſcrutator inuenire poterit.

De arborum amore,& ſocietate. CAP. VII.

AMORE & ſocietate, vt homines, cætera quoque animalia gaudere, etiam arbores, cuiq; ſatis notum: quod etiam ex ſequentibus apparebit,& atteſtatur Nemeſianus: habet arbos amores. Verùm prima maiorq;, veluti omnium animantium,in vnoquoq; genere, maris videlicet & fœminæ, poſteà verò inuicem alterius generis. Nam ſicuti præcipua hominum ſocietas ea eſſe ſolet, quæ eiuſdem agnationis, cognationis, affinitatiſve eſt,vt magis pater cum filio,frater cum fratre, ſed magis magiſq; vir cum vxore,vt in brutis etiam tempore coitus & partus eſt:reliquo etiam tempore inuicem conſociant,vt ſimul paſcant,verſentur,cubent,gradiantur, volitent: vnde elephantum, boum, ceruorum greges: graculorum,turdorum,columbarum,gruum,paſſerum gregatim volatus.Neque alicubi, ſiue terra,ſiue mari,tam fera beſtia,aut belua reperiri poteſt, quæ ſuo generi aduerſetur, ſed pro eo cum alijs præliatur, & vitam ſuam in periculum adducit. Idem verò amor, eadem conſuetudo plantarum omnium eſt. Adeò enim blanda, conciliatrixq; ſui natura eſt, quaſi ſuijpſius lena ſit. In arboribus autem demonſtrat Claudianus:

Viuunt in Venerem frondes, omniſq; viciſsim *De nuptijs Honorij.*
Felix arbor amat, nutant ad mutua palmæ
Fœdera, populeo ſuſpirat populus ictu,
Et platani platanus, alnoq; aſsibilat alnus.

Societatis autem arborum teſtes erunt ingentes ſolius arborum generis ſyluæ, argumentoq; erunt illa vocabula, quæ ex his, quæ continent, appellationem acceperint: quæ Græci ϖεριεκτικὰ vocant. Qualia in arbo-

ribus erunt platanetum. Platanon etiam dicitur, quò vſus Plinius Cecilius ad Caninium Rufum,his verbis,Platanon opaciſſimus. Platanona in quarto caſu, Apollinaris,in quarto epiſtolarum. A plataneto, regiuncula apud Spartam Plataniſtas vocata,iuxta Neptuni templum,quem Domatitam nominabant autore Pauſania, proceris platanis condenſa. Campum enim aquarum circunfluentium inſtar maris inſulæ cingebat Euripus, in quo Ephœbi ſuas committebant pugnas. Ad locum per pontes aditus patebat. In pontium verò altero Herculis ſimulacrum, in altero Lycurgi, quòd ibi hic leges tulerit. Ibi Cyniſcæ Archidemi Regis filiæ monimentum heroicum. Ea fœminarum prima equos alere inſtituit, & prima ludis Olympicis, de quadrigis palmam meruit. Ficetum Græci in plurali συκίδας nuncupant, palmetum,coryletum,lauretum. Aulus Gellius Græcos laureta δαφνῶνες vocare ſcribit. Myrtetum:quod Plautus fœminino genere, in Aulularia protulit. Neſcio quis ſeruus è myrteta proſiluit. Alia ſignificatione eſt, Acroni in epiſtolis Horatianis. Porphyrio etiam huius interpres, pro ſola myrto poſuit. Oliuetum M.Cato ἐλαιὼν Græcè,populetum,cupreſſetum,quercetum. Horatius in Odis,

Querceta Gargani laborant.

Alij querquetum, Græcè δρυμὼν. Æſculetum, Horatius in Odis:

Quale portentum neq; militaris
Daunia in latis alit æſculetis.

Pinetum Acroni in Odis Horatianis Salictum, quod debuit eſſe eâ forma,qua lauretum, & aliorum, ſalicetum : per ſyncopam tamen ſalictum vſurpatum. Vergilius:

Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti.

Et Vlpianus arborum (inquit) appellatione vitem contineri, pleriq; exiſtimarunt: idcirco quoq; arundines,deniq; de ſalicto dicendum eſt. Seruius pro virgulti quodam genere accipit : dictum quod ſaliat ex Vergilij ſuprà citato teſtimonio. Vlmetum, prunetum, buxetum, Græcè πυξὼν, cornetum,ilicetum Martialis:

Surgente focus excipit ſuperba
Vicini ſtrues cultus iliceti.

Generalius autem pro loco vbi poma naſcuntur, pometum eſt (autore Chariſio Soſipatro.) Eiuſdem ſignificationis vocabula,in fruticibus fuerunt.Itaq; & arundinetum dicimus,Græcè δονακῶν. Denſum verò & farctum illi comythes vocitant. Rubetum, cannetum, roſetum, & pro eodem roſarium. Ouidius de Triſtibus:

– Quos amœna roſaria flores.

Græcè ῥοδωνιά. Dumetum,ſenticetũ,quæ Græcis φραγμὼν καὶ ἀκανθὼν dicuntur, ſpinetum, virgetum Ciceroni eſt. Huiuſmodi vocabula, apud claſſicos autores inuenire eſt. Alia autem effinxiſſe,non placuit. Quæ certè ea loca ſignificant,quæ harum arborũ ſingulis generibus conſita ſunt.

De arborum amicitia, & inimicitia, & de quarundam cognatione. CAP. VII.

AMOR

AMOREM arborum in ſuo quoq; genere, ſuprà intellige-re volui,nunc amicitiam in aliud,ſicut & animalium,præter ſuum genus. Quam verò primùm, hæ diuerſi generis ſimul ſua ſponte in agris,& inter ſyluas naſcentes,docent. Sed alta vlmus, & vitis,vinciuntur, ſimulq́; maritantur, & inuicem brachijs ſeſe amplexantur, ac deoſculantur, vt commodiſſimè vlmus,illius amicitiam patiatur. Mutua etiam amicitia ſe complectuntur myrtus & olea,vſqueadeò firmiſſima, vt illarum radices mutuo amplexu apprimè delectentur, ac myrti virgæ per oleæ brachia prorepant, atque diffundantur, vt fructum huius obtegat, ac protegat tum à Solis, tum à ventorum vi, vt dein dulcior ac tenerior, verùm minor euadat: vt iuxta oleam nil aliud, ne illarum amicitia alio conſortio violetur, Androtion ſeri prohibuerit. Olea etiam, & ficus, amicitia plurimum gaudent. Democritus etiam inter myrtum & punicam, mutuam quandam ſympathiam eſſe ait: vt ſi ex propinquo ſimul plantatæ fuerint, fœcundiores non ſolùm erunt,ſed radices quoque ambarum, licet longiuſculè ſint, tempore tamen ſenſim inuicem connectentur. Prope verò roſam ſatæ, ambæ florentes fient, generoſumq́; fructum ferent. Hæc eſt myrti erga plurimas,ſua humanitate,& Veneris patrocinio, cui dicata eſt, dilectio. Amica morus & vitis ſunt (autore Palladio.) Hîc corylis miſtas inter conſedimus vlmos ait Menalcas Vergilianus. Olea fœliciſſimè feritur, vbi arbutus,aut ilex fuerint, præcipiente Columella. Pinus omnibus benigna, vt ſub eam feratur & myrtus ac laurus, & pleræq́; aliæ. Nec quicquam prohibet radix, quò minus liberè hæc augeſcere poſſint. Nam ſimplici radice eſt,& alta. Nempe,vt ait Claudianus,

Et comitem quercum pinus amica trahit. Horatius:
Quò pinus ingens, albaq́, populus Carm. lib. 2.
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis.-

Apud Tacapen Africæ ciuitatem (Plinio referente) palmæ prægrandi ſubditur olea,huic ficus,fico punica,illi vitis:cuius cinis citri arbori vtilis. Eſt & herbarum quarundam cum nonnullis arboribus amicitia:vt inter citreum & cucurbitam: ſua enim vicinitate congaudenr. Amant ſe mutuò arundo,corruda, & aſparagus:vt hæc arundinetis vtiliſſimè ſerantur. Rutam Plutarchus ſub ficu naſcentem, aut non procul, mitiori & ſuauiori ſucco eſſe aſſeruit: ac ſi dulcedinem fici quandam delibet,ac deſumat.At ſicut inter aliquot animalium genera perpetuò,atq; ab ipſa natura diſſenſiones ac odia ſunt,ſic quoq; inter ſtirpium quædam genera. Et illud pernicius viſci, vt nil eo crudelius, & ingratum magis, cùm in matrem cuiuſq; plantarum generis ſæuiat, verùm tardior eius iniuria. Eiuſdem naturæ eſt hedera: cuius exitiale odium cum omni arborum genere, vtpotè omnes ſuo amplexu enecans, ac ſtrangulans, carnificis more. Quercus item & olea,tam pertinaci inuicem inimicitia ſunt, vt altera in alterius ſcrobe depacta,moriatur: vt etiam M.Varro ſecundum quercetum ſeri oleam vetet. Porrò non ſolùm minùs ferũt,ſed etiam fugiunt,

vt int

vt introrſum in fundum ſeſe reclinent. Quercus cum vite, nuce iuglande inſociabilis eſt: quarum & odium atq; poſt mortem perduret:vt illarum materies glutino inter ſe cohæreant minime. Cornum maximè odit ſorbus. Eſt & nonnullarum arborum in herbas aliquot, ſicut amicitia, odium. Porrò mira arundinis & filicis diſcordia: nam vtriuſq; radix contrita,& impoſita,ſtirpem alterius inſuſum corpori eijcit. Arundinem exarari,filice vomeri impoſita aſſerunt,& ad id præcipiunt: & viceuerſa,filicem non renaſci, arundine vomeri impoſita, nec inſuper arundine ſectam. Supereſt plantarum quarundam ſimilitudo,quæ in nonnullis tanta eſt,vt non niſi à rei arborariæ peritiſſimis,neq; fronde, neque materie, cæterisq; diſcerni inuicē facilè poſſint:tanta eſt natalium miſtura. Quod eſt in pino,pinaſtro,picea,abiete,larice,teda:vt in Macedonia & Arcadia circa Elim (autore Theophraſto) permutent nomina: nec conſtat ſcribentibus quod cuiq; generi attribuatur. Cuiuſmodi figuræ erunt glandiferæ quædam,vt quercus,robur,æſculus,cerrus. Quare congeneres eas dicere placet,vt ilicem,ſuberem,fagum, haliphleon. Iuniperi ac cedri arcta conſanguinitas. Ambarum enim pares notæ, magnitudine tantùm diſpares. Vtræq; vna appellatione à pleriſq; nominatæ. Phœnices (autore Theophraſto) iuniperum,cedrum minorem vocant. Quidam verò hanc diſcretionem ſcrutati,folium iunipero ſimplicius,tamen mollius: Cedro acutum,ſpinoſum,durum, baccæ maiores,durioresq;, atq; in maturitate viridiores,vt his notis, propriam cedrum additione demonſtrent, oxycedrum vocantes. Hæc etiam procerius adoleſcere conſpicitur. Folio autem ilex & aquifolium affines:latius tamen,viridiusq; huic.

De arborum, & cæterarum rerum generatione, & de varia philoſophorum ſuper hac re opinione.

CAP. IX.

VARIE autem de arborum,rerumq; cæterarum procreatione,antiqui philoſophi diſſeruerunt: vt quot fermè illorum ſectæ fuerint,tot inter ſe diſſidentes ſententiæ,vti inania & anilia multi illorum effutierint. Inter eos verò Linus Mercurio Vraniaq; muſa natus (Laërtio autore) primus Solis Lunæq; curſus,atq; animalium, fructuum quoq; generationes notauit. Leucippus enim,elementorum alia primordia eſſe voluit, tam minuta,vt nec videri quidem,tangíve, ac vlla corporis parte ſentiri poſſint: vt nulla præterea ferri acies adeò ſubtilis ſit,vt ea diuidere valeat:vel quòd adeò firma corpora ſint,vt quicquam pati poſſit,nec immutari:vnde illis atomorum nomen impoſitum ſit. Theodoritus de Græcorum affectionibus interpretatur, illa parua tenuiſsimaq; corpuſcula, quæ Solis iubar, per feneſtras, ac ſpiracula introgrediens ſurſum ac deorſum inerrantia oſtendit. Dicebat inſuper læuia eſſe,ac rotunda,angulataq;, & hamata,& per inane irrequietis motibus volitare, huc illucq; ferri. Ex his autem arbores, herbas, fruges deniq; omnes: animalia etiam, ignem, & aquam, cunctaq; poſtremum vniuerſa gigni,atq; oriri,rurſusq; in eadem reſolui.

In qua

In qua etiam opinione fuit & Democritus, quem poſtea à tergo ipſo ſecutus eſt Epicurus. Arbitrabantur enim hi omnes terram atomis plenam quibus cibus & alimentum ſatis arboribus etiam infunderetur: quòd per traduces, & plantarum interuenia mearet, quas & fouerer, & aleret. Quam item opinionem Vergilius Maro, certè nullius ſectæ ignarus, intellexit, dum canit:

Nanq; canebat, vti magnum per inane coacta Ecloga 6.
Semina terrarumq;, animaq;, mariſq; fuiſſent;
Et liquidi ſimul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipſe tener, mundi concreuerit orbis.
Tum durare ſolum, & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas.

Verùm hæc vſqueadeò vana, falſaq; ſunt, vt ne repræhenſore quidem indigeant: tametſi plures pluribus etiam commentarijs id fecerint. Prætér etiam philoſophos Lactantius Firmianus. Straton autem, qui phyſicus appellatus eſt, naturam in ſe vim & gignendi & viuendi habere arbitrabatur, verùm nullum ſenſum, nec figuram. Vt intelligi voluerit omnia, quaſi ſua ſponte, nullo artificio, nullo autore, procreata fore. Quæ & ſi, quàm ſuperiora, veriſimiliora eſſe videantur, vana tamen ſunt, atque impoſsibilia. At Pythagoras Mneſarchi filius, Samius, cæteris ſapientior, principium rerum omnium monadem dicebat. Anaxagoras Clazomenius τὰς ὁμοιομερέιας. Socrates & Plato eius diſcipulus, tria rerum exordia poſuerunt τὸν θεὸν, τὴν ὕλην, τὴν ἰδέαν. Thales Mileſius, vnus è ſeptẽ Græciæ ſapientibus, iuuenis in Ægyptum profectus, vt ſcribit Euſebius, ſenior verò factus Miletum reuerſus, primus de philoſophia, quæ de naturæ ratione procedit, cœpit diſputare. Hic, & Heraclitus ex aqua omnia oriri inquiebant: hac autem coniectura, quòd animalium, & cæterarum rerum ſemina, humidam habeant naturam, & nutrimentum omnium ſint, quod originem ab aqua ducit, & deinde ſtirpes humectatione alantur, & ad frugem euadant. Humoris autem expertia actutum areſcunt, vt ea mori neceſſe ſit. Quapropter terram ſuper aquam eſſe poſitam, & ignem ſtellarum atq; Solis, & ipſum mundum aqueis vaporibus ali. Proptereà Homerum Oceanum, rerum patrem appellaſſe ἀλεμρῶνδα τὸ προφέον ἄλσος. Idem in quatto Iliados. ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα τηθύν. Perſæ etiam hac ratione aquam colebant. Ex humido enim manare generationem, perinde ac in Oceanum flumina, aërem influere, rebantur: qua parte humidus eſſet, atq; irriguus. Ad hæc conuenire, generationis gratia cum Oceano terram, quòd venarum, fontium, fluminum origines, veluti omnium mater, intra aluum clauderet, & poſt relaxaret. Neq; enim terra, ſine rore, ſine pluuijs, ſine nocturna præſertim temporis euaporatione, rerum generationi abunde ſufficiens eſſe poſſet, Neq; per ſe aër, aut emittendo, aut etiam accipiendo, ſuas vires exercere idoneè valeret. Syri præterea Rheam colunt, à columbarum & piſcium eſu abſtinentes. Per hunc enim colendi ritum, cauſas generationum aërem & aquam eſſe volebant. Artagam vocant. Pindarus etiam inter elementa,

& rerum primordia, optimã eſſe aquam aſſerebat. Cui aſtipulatur Heſiod.

ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετο.

Hinc plurima ſumuntur argumenta: vt cùm amnis exundauerit, aut riuo digreſſus, totáve vnda effuſus, vt ibi agnaſcantur arbores, vti de Neſſo in agro Abderenſi Theophraſtus memoriæ mandauit. Qui ſæpenumero alueum mutat, vt ſimul vbi commutauerit, tantum ſyluæ congeneret, vt intrà triennium vndique opaca regio reddatur. Hæmus autem mons aquarum quondam inops fuit, vt ſcribit Seneca: verùm cùm Gallorum gens à Caſſandro obſeſſa fuiſſet, & in montem ſe contuliſſet, & ſyluas cæcidiſſet, poſteà ingens aquarum copia effuſa, quæ in plantarum alimentum conſumebatur. Verùm his exciſis humor ſuperfuſus. Id autem circa Magneſiam accidiſſe Theophraſtus autor. Ab imbribus autem crebriores fieri arborum generationes videmus. Sæpius etiam aquarum inundatione nouos riuulos ac fontes enatos, poſt arborũ euulſionem, compertum eſt. Illud idem ſacerdotes Ægyptij, ſuis ceremonijs ex illorum moribus, comprobarunt: itaq; hydriam aqua replebant: pòſt tegebant, ac in templum deferebant, vbi caſta religione adſeruabatur. Tunc enim in terram procumbentes, manibus in cœlum ſublatis, gratias diuinæ benignitati agebant. At Heraclitus Metapontinus, ex igne omnia procreari & generari dicebat, & in ignem recidere: impudenti tamen errore. Nam etſi alterutrum ſolum fuiſſet, alterum ex eo oriri non potuiſſet. Neq; ex aqua ignis, nec ex igne aqua. Porrò ex igne nihil poſſe naſci manifeſtum eſt: quippe omnia, quæ arripuerit, conſumit cùm inuiolabile elementum ſit. Quod poëtæ vtique ſabula expreſſerunt, Veſtam Saturni & Opis filiam fingentes, & virginem. Hæc enim flamma eſt, ex qua nil gigni poteſt. Sic enim de illa Ouidius in Faſtis:

Lib. Faſto. 5.

Nec tu aliud Veſtam, quàm viuam intellige flammam:
Nataq́ de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo eſt, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Heracliti verò opinionem ſecuti ſunt Hippaſus & Anaximander. In quorum dogma Stoici, Saturni fabulam connexuerunt, qua poëtæ illum cœli filium dixerunt: cui filius genitalia ſucciderit, ad rationem phyſicam accommodantes. Quorum ſententiam Cicero de natura Deorum diſputans, poſuit. Cœleſtem enim (inquit) altiſſimam æthereamq; naturam, id eſt, igneam, quæ per ſe omnia gigneret, vocare voluerunt, ea parte corporis, quæ coniunctione alterius egeret ad procreandum. Empedocles autem Metonis filius, Agrigentinus, alijq; non pauci philoſophi, è quatuor elementis rerum conſtare principia opinabantur: cuius ſententiæ & ipſe Lucretius fuit. Ex imbre, terraq;, atq; anima naſcuntur & igni. Ex his enim omnibus omnia conſtare animaduertimus. Nec abſq; illorum poteſtate, neq; ali, neq; creſcere, neq; tueri poſſe. Diogenes verò ex aqua putreſcente, miſturaq; cùm terra quadam, plantas naſci exiſtimabat. Imbrem verò, fœminam ſecum ferre putabat, & putredinem aquæ terræ committi: vt ex Nili inundatione in Ægypto apparet. Euripides Anaxagoræ au-

ditor,

ditor,quem ſcenicum philoſophum, vt ait Vitruuius, Athenienſes vocitarunt, aëra, & terram cœleſtibus inſeminata imbribus omnia generare affirmabat. Cleodemus autem ex eiſdem plantas atq; animalia conſtare putauit. Satis ſuperq; de futilibus ſuper rerum generatione quorundam philoſophorum ſententijs,vt pote,quæ neceſſitatiæ minimè forent,ſed eas tamen in medium afferre oportuit, quò cæterorum veriores longeq; lucidiores vnicuiq; deprahenderentur.Vt iam locus ſit, vt ad eorum opiniones deueniamus, qui ipſi veritati magis propinquiora diſſeruerunt, atq; inuenerunt. Archelaus Athenienſis Magorum ſacerdos, ex igne & aqua cuncta progenerari autumauit. Non quòd ignis cum aqua permiſceri poſſit, quum ſint vtraq; inimica. Quæ ſi cominus venerint, quod ſuperauerit,alterum conficiat neceſſe eſt.Sed horum ſubſtantiæ,aquæ videlicet humor,atq; ignis calor,commiſceri poſſunt.Quamobrem philoſophi, necnon etiam poëtæ, diſcordi concordia mundum conſtare dixerunt.Ignem præterea M.Varro à naſcendo dictum exiſtimat,quòd hic naſcatur,& omne id, quod naſcitur is ſcindat,caleatq; : contrà quod denaſcitur, ignem amittit, atq; vt frigeſcat oportet. Zenon Citicus animalium ſemen etiam ignem dicebat;qui idem animus & mens eſſet,atq; calorem illum igneum è cœlo eſſe.Porrò illa duo principia humor & calor quæ diuerſam ac contrariam vim ac naturam habent, Deus omnifactor, atq; rerum vniuerſarum creator,ad gignenda & ſuſtentanda omnia, mirabiliter excogitauit, quorum virtus in calore ac igne maximè eſſet: vt frigori calorem immiſceret, & humori ariditatem. Quorum ſi alterum vicerit,progenitũ interibit: aut ſi maneat,ſterileſcet.Nam æquò inuicem coire debent. Huius verò teſtes erunt æſtas atq; hyems:vt quod in altero deficit, alterum ſuppleat. In altero enim ferueſcit aër,in altero verò natura cum frigore ad naſcendum luctare non vult, ſed alterutrum ver expectat. Rectè ſiquidem Naſo ſic:

Quippe vbi temperiem ſumpſere humorq; calorq;, — Lib. Metam. 1.
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus:
Cumq; ſit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res curat & diſcors concordia fœtibus apta eſt.

Sed hoc illi ipſi poëtæ fabulis denotarunt.Fingũt etenim ſemen igneum de cœlo in mare cecidiſſe,atq; è ſpuma,id eſt, aquæ & ignis coniunctione, natam Venerem. Daphnem inſuper è Ladone fluuio progenitam; quòd è terra, atq; aqua omnia gignantur. Principes etiam deos Cœlum, qui à ſatu Saturnus:Ægyptijs verò Serapis,dictus: & Terrã,quæ eſt Ops, & iſtis Iſis, poſuerunt. Geniales etiam Deos F.Pompeius terram, aquam, ignem & aërem poſuit.Hæc rerum ſemina ſunt,quæ Græcorum alij σοιχεῖα,alij γενέθλιους vocarunt.Ops quippe,ex eo,quòd ad viuendum opus ea ſit,denominata : ſine cuius humore arbores neq; viuere,neq; in ſummos ramos frondeſcere queunt.Quod etiam cecinit Lucretius:

Nec prorſum arboribus ſummos frondeſcere ramos — Lucr. lib. 1.
Poſſe, niſi à terris paulatim cuiq; cibatum.

Per ignem ſiue aërem,& humorem,Iouem & Iunonem intellexerunt. Ille

enim à Græcis aër dicitur, qui ventus, nubes, poſteà imber, ex quo frigus etiam. Qui arbores, ſataq; omnia iuuat, vnde Iupiter dictus. Obq; id, diuûm atq; hominum pater ac rex. Propterea Cleanthes & Mileſius Anaximenes, ſummum deum æthera voluerunt. Hac ratione pater, quòd ſemen patefaciat, & ſole, imbreq; conceptum foueat, & conſeruet. Diiouis & Dieſpiter quoque dictus, hoc eſt diei pater. Infimus etiam, quia terræ cõiunctus ſit, vbi omnia oriantur. Iuno inſuper cum Ioue marito, omnia iuuat: regina proinde dicta, quòd terreſtria omnia, ſuæ poſſeſſionis ſint. Quare Vergilius Anaximenis ſecutus opinionem, Iouis & coniugis Iunonis, in procreandis rebus, communes vices, mira eloquentia expreſſit:

Georg. lib. 2. *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther*
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omneis
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.

Omnium etiam, quæ è terra oriuntur, aërem patrem arbitrati: quòd aquarum lapſus, ſeminis vim præbeat. Terram verò matrem, quòd hæc imbres excipiat, aut iam conceptos horum humiditate, vt matres pueros ſuos lacte, plantas enutriat. Calorem verò illum idem Maro, Dei ſpiritum ac mentem, quibus omnia agantur, vocat, hoc modo:

Georg. lib. 4. *– Deum namq; ire per omnes*
Terraſq;, tractuſq; maris, cœlumq; profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quenq; ſibi tenueis naſcentem arceſſere vitas. Et alibi:

Aen. 6. *Principiò cœlum, ac terras, campoſq; liquenteis,*
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit: totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Anaxagoras autem hunc ſpiritum νοῦν dicit. Thales inſuper Deum eſſe mentem volebat, qui ex aqua cuncta formaret. Itaque omnium rerum materiam poſuit (vt iam diximus) in humore. Principium verò cauſamq; naſcendi deo attribuit. Epicharmus enim, cùm de mente humana loqueretur, hæc (autore Varrone) protulit: Iſtic eſt de cœlo ſumptus ignis. Et Anaxagoras Deum eſſe infinitam mentem dicebat, quæ per ſeipſam moueretur. Pythagoras autem animum, qui per vniuerſas mundi partes, omnemq; naturam commearet, atque effunderetur: ex quo quidem omnia, quæ naſcerentur, animarentur. Hæc illa mens, & ignis Dei ſummi, cuius ſolo nutu, non arbores tantùm, verùm omnia generantur, vt abſq; eo, nil genitum, ortumq; ſit. E ſemine quidem, in quo primùm quid lacteum ineſt: quod etiam naturali deſiderio, ſicuti in cæteris omnibus animalibus eſt, ſimile quoddam ſibi progenerat, cùm terræ dimiſſum eſt: quæ ſcilicet plurimas, atq; innumeras facultates habet, & veluti omnium generum receptrix, & quorumcunq;, quæ acceperit, fidelis reſtitutrix ſit. Cuius equidem circa ſemina partes non aliæ, quàm erga infantes in vtero vuluæ, vt quibuſcunq; in ea adnaſcentibus cognatum cum ſemine humorem præbeat, quo primùm enutritur, perflatur, tumeſcit poſteà atq; dehiſcit. Sol autem ſuo calore, ac exhalatione, illud

digerit, maturat, quo & agitatur. Eſt enim calor præcipua gignentium cauſa: ſine quo quicquam neq; naſci, neque augeri poteſt. Quod innuit Lucretius:

Et Solis flammam per cæli cærula paſci.

Spiritus enim intentione & coadiutione, quo nil validius, in ramos & in altitudinem diſtenduntur: cuius verò virtus in lapidum commiſſuris, locum ſæpe inuenit, vt nonnunquam in multos annos in ingentem craſſitudinem conualeſcant, ingentia plerunq; ſaxa amplexantur: quandoque etiam monumenta diſſoluât, ſcopulos & rupes findant. Folia prius emittunt, radices priuſquam ramos. Quod quum iam radicibus ramis confirmatum erit, fructum ferunt. Talea verò ex ſua arbore reſciſſa atque in terram defixa, quum aliquantiſper in terra ſteterit, humorem ſpiritumq; concipit, turgeſcitq;, ac radices gignit, & per eas humorem ad ſuperiora emittit, humida, calidaq; vi folia emittit. Supernè dein, atq; infernè creſcit. Horum autem elementorum, alterum mas, alterum fœmina. Alterum item actiuum, alterum patibile. Ignis enim mas, aqua fœmella. Plantarum enim munus & actio, ſeminis generatio: quod ſicut in animalibus cum maris & fœminæ coitu effici neceſſe eſt, propter etiam temperamenti commoditatem. Verùm hunc maſculini & fœminini ſexũ, in plantis, natura indiſcretum eſſe voluit, vt propterea ex ſeſe progenerent, nec genituram tamen emittant: ſed conceptum, quod ſemen vocatur. Id enim Empedocles bene ſuo carmine retulit: οὕτω δὲ ὠοτοκεῖ μακρὰ δένδρα πρῶτον ἐλαίας. Expreſſius verò apud Latinos eius ſectator Lucretius:

Nil eſſe in promptu, quorum natura videtur,
Quo genere ex vno conſiſtat principiorum.

Horum autem coitum Ouidius Venerem vocat:

Illa deos omnes (longum eſt numerare) creauit:
Illa ſatis cauſas, arboribuſq; dedit.

De Venere loquitur. Titan Solis præterea frater habitus, exiſtimatuſq;, quòd ea anni tempora diligenter ac ſtudioſè obſeruauerit, in queis arbores augeantur, fructúsve ad maturitatem perducantur.

Summa arborum diuiſio, & de illarum ex ſtipite, ramis, cortice ac radicibus differentijs. CAP. X.

ARBORVM ſanè plures differentiæ, præcipua tamen (ſicut animalium) qua mas à fœmina diſtinguitur. Quæ ferè in omnibus, præterquam paucis, reperire eſt, in quibus neuter ſexus facilè depræhẽdi poteſt, quas viduas appellare licet. Quædam autem ſempiterna virent coma, cæteris verò decidunt per ſuum tempus folia. Aliæ folijs in totum carent: ſed huiuſmodi raræ inueniuntur. Nonnullæ ſua natura, omnino ſteriles, alijs fructiferis, inter quas rurſus quædam præcoces, reliquis ſerotinis. Et huic diſcrimini, propinquius fœlicium & infœlicium. Et fructiferarum item nonnullæ, in quibus ſemper ineſt fructus. Quæ item vel biferæ, vel triferæ ſunt. Quædam verò florent inaniter quidem, cùm fructum non parturiant.

riant. Sunt & in eodem genere quædam vrbanæ, quædam verò ſylueſtres. Aliæ autem peregrinæ quædam ſunt, quæ nullibi proueniant. Sunt & fruticei generis, de quibus iam ſuprà diſputatum. Et licet arboribus omnibus, caudex, rami, radiceſq; ſint, his tamen inter ſe diſſimiles ſunt, vt pote quæ non eadem ratione his naſcantur. Nam harum nonnullæ vno tantum caudice atq; ſtatim à terra, vt plurimùm aſſurgunt, vt palma. In Ægypto tamen, Syria, Creta bifidæ viſuntur, pluribúsve truncis. In Æthiopia enim vnum genus reperiri Theophraſtus dicit, quod cyce vocatur, cuius craſſiori ſtipiti plures adiungantur, quædam bifurcæ. Plures in alios ſtipites à terra diuiſæ. Nonnullæ longo caudice, ac recto, in altum extenduntur, veluti abies, pinus, cupreſſus, larix, palma. Aliæ breui, vt ſalix, ficus, vnedo, malus, pyrus. Craſſitudine item, ac caudicum tenuitate differunt. Quædam verò craſſiori ſtatim à terra caudice naſcuntur, aliæ exili, altiùs tamen eriguntur. Quædam recto caudicum meatu, aliæ contortiori naſcuntur. Verùm his contingit, non tam arborum, quàm loci natura. Nodoſiores minùs alijs ſunt laurus, ficus, ſalix, populus. Inter magis nodoſas erunt olea, vlmus, pinaſter. Omnium terræ proximiora, craſſiora. Ramorum etiam alia differentia. Nam frequentioribus ſunt olea, ficus, vlmus, picea, pinus, & omnes, quæ reſinam fundunt, malus, pyrus, robur, crebriores etiam ſyluestribus. In proferendis etiam ramis, plurimum inter ſe differunt arbores. Quibuſdam enim in ordinem, pari numero progrediuntur, ſicuti piceæ, abieti, ſapino. Vtrinq; enim miro ordine inuicem reſpondēt, quod etiam in prægrandioribus ramis eſt. Græci ἀξιολοſώταἶον, hoc arboris genus vocāt. Alijs inconditi, vti robori, malo, pyro, & cæteris. Cortice autem multum ac plurimùm etiam diſcrepantes. Quibuſdam tenuis, vt lauro, tiliæ, & omnibus iunioribus magis, quàm antiquioribus. Craſſior cæteris, veluti robori, populo, vlmo. Lenis malo, fico. Scaber robori, palmæ, ſuberi: cui, ac populo carnoſior, quibus cadit, alio ſubnaſcente. Multis neruoſus. Membranaceus arundini. Libris ſimilis, ceraſo. Nonnullis multiplex, vt tiliæ, ceraſo, abieti, betulæ. Alijs ſimplex, vt fico, arundini. Magna inſuper radicum differentia. Copioſæ atq; longæ robori, platano: breues & anguſtæ malo. Singulares pino, abieti, larici: ſingulis enim nituntur, quàm minimis in latera diſperſis. Fico minutulæ. Abieti capillamentis hirſuta. Alnus tenuem agit. Sorbo raræ, attamen craſſæ, & incorruptibiles. Inæquales, ac craſſiores lauro, oleæq;, cui & ramoſæ. At robori carnoſæ, abieti neruoſæ. Aliquibus nodoſæ, villoſæq;, ceu oleæ.

De duplici, maſculino videlicet, & fœminino arborum ſexu.

CAP. XI.

ARBORVM (veluti animalium) quodlibet genus, herbarum etiam, vtroq; ſexu diſtingui, naturæ diligentiſſimi prodiderūt, vt in his Veneris intellectus percipiatur. Quod in olea oſtendit Ouidius, cùm ait:

Vre mares oleas.

Vt harum

Vt harum ſexus ratio etiam in ſacrificijs habeatur. Idem Metamorphoſi:

- Nec innuba laurus.

Verùm illud præſertim in palma depræhenditur, vt in nulla alia arbore ſexus vterq; manifeſtior ſit: nec amicitia inter coniuges arbores maior. Vehementi enim inuicem ſeſe proſequũtur amore, deperitq; vna aliam, nec prius ſtimulante deſyderio, cupiditatibus mas leuabitur, quàm fœminam conſoletur. Quandoquidem illum videre licet, ſuis blandioribus quaſi manibus, comis, in iſtam incumbentem, & nutantem, & amoris impatientem, ſuum grauare ſtabilimentum. Nec ab huiuſmodi amplexibus, turgidis floribus auertuntur. Hoc enim ambarum geſtu, ſuum amorem confitentur, quibus itaq; indicijs, velut coeundi quædam proditur fides. Quarum autem connubium pictor, quiſquis ille fuerit, qui in porticu illa Neapolitana icones, de quibus apud Philoſtratum adpinxit, adfabrè expreſſit, quum ex vtroq; ſexu, ſingulas ripis ſingulis effigiauit: vt vtrinq; ſuprà flumen, licet procul fuerint, tranſiliant, hilaribus ramis ſeſe coniunctim deoſculantes. Illud etiam mirum de ea ſcribitur. Quòd ſi maris flores, amaſiæ capiti circumpoſueris, illam tanquam amici ornamento colluſtratam, fructum dare, vt iſto amoris pignore fœcundetur. Cuius etiam fructum in ea perdurare poſſe minimè affirmant, ni illius puluerem ſuper concuſſeris. Fœlicius etiam parturient, ſi marium ſeminibus illitæ ſint, & fœminas omnino ſterileſcere, excisis maritis. Tanta enim eſt vtriuſq; ſexus in hoc arboris genere potentia, vt parem effectum, atq; in animalibus, ſortiatur, amicitiam quoque. Sexus verò diſtinctio eſt in mollitie, læuore, rigiditate. At in diſcernendo ſexu, illud primùm præmonere licet, quod itaq; in animalibus nonnullis eſt, vt in omni arborum genere fœcundiores ſint ad creſcendũ, quàm mares, fœminæ: vt M. Varro ſcribit. Propterea ficum, malum, propter fœmineam mollitiem ad creſcendum pronas eſſe.

Vtrunque arborum ſexum, in fertilitate vel ſterilitate, ſecundum arborum genera dignoſci. CAP. XII.

MVLTIS in rebus, arborum vterq; ſexus cognoſci valet: maximè verò in fructu, ſterilitate. Sunt etenim quædam genera, quorum ſolùm maſculæ fructum ferant, fœminis ſterilibus: & econtrario. Verùm plantarum vbertas in fœminis frequentior, animalium vices & officium imitata, id in arborum ſexu præſtantes, quod inter animalia fœmellæ. Parturiunt nanq; hæ, maribus ſterilibus, aut ſaltem, ſicut in illis fructum adiuuantibus. Arborum quippe omnium communis vox, non indecenti, atq; incongrua ratione, contraq; etiam grammaticorum præceptiones, regulamq; deſinentium in or, fœminini generis eſt, veluti vxor: quòd proprij fœtus mater dicatur (autore etiam Vergilio) qui in ſecundo Georgicorum, hoc eſſe demonſtrat:

Parua ſub ingenti matris ſe ſubijcit vmbra.

Vnde & ſpecialia quæq; vniuſcuiuſq; arboris nomina, fœminina ſunt, excepto

excepto oleaſtro. Verùm Ægyptij (autore Diodoro Siculo) contra Græcorum morem, arbores fructiferas mares appellabant, fœminas verò, quæ maturitatem adiuuarent. Theophraſtus ſimiliter quoſdam id facere ſcribit. An de Ægyptijs loquatur, neſcio. Et hoc in perſici genere Plinius ſcribit. Id enim generalius exiſtimarunt, vt ea, cui maior fructus producendi vis, maſculi nomen adepta ſit: cui verò minor, fœmellæ. Thus Syriæ maſcula fert, ſterili fœmina, quod in viſco itidem eſt. Arbuti mas & fœmina reperiuntur, ſed quorum ſexus ſterilis ſit, inter autores nondum conuenit. In thure autem maſculum putant, quòd ex eo rotunditate quadam guttæ pendeant: quare à ſpecie teſtium dictum volunt. Sed ad fœminas ferentes reuertamur. Mares non producunt Sorbus, buxus. Laurus maſcula nil fert, præter vuam, & id copioſiùs cupreſſus, vt Didymus dicit. Contrariæ tamen ſententiæ fuit Theophraſtus. Fœmina tamen diu ſterilis. Tilia mas neq; florem, neq; ſemen fert. Teda maſcula, reſinam duntaxat fert, & eam, quam Græci συχὴν vocant, odoris gratiſſimi. Terebinthi duo fœminarum genera, cuius alterius fructus rubet, alterius verò pallidus eſt. Ilex fœmina fert. Quidam tamen, vt Plinius teſtatum reliquit, ſuberis fœminam, ilicem putauerunt: atq; vbi ilex non naſcitur, pro ea ſubere vtuntur. Ilicem tamen fœminam quidam Græcè φελλόδρυν vocant. Quadam verò naturæ benignitate nonnullæ adeò præditæ ſunt, vt in vtroq; ſexu ferant. Verùm vberius iuxta communem animantium naturam, fœminæ. Auidior itaq; in ferendo ſexus fœminei palma: abſq; enim flore germinat, protinusq́; fructum promit: quem *Pollux* ex Herodoti & Xenophontis ſententijs, balanō propriè vocari dicit. Mas tantùm in palmite ſupra ſpatam floret, qua alterum ſexum adiuuat. Aceris mares prius florent. Qui verò Idam Troadis incolunt, cornum maſculam ſterilem dicunt, vt ſcribit Theophraſtus: Macedones tamen ambas fructiferas affirmant, fœminam thelycraniam, quaſi fœmininicornum appellantes: cuius partus cunctis animantibus inguſtabilis. At diſcrimen aliud etiam in fructu ex tempore ponunt. Nam marem longè præcocius, circa ſolſtitium, fructum reddere dicunt, fœmina poſt autumnum præbente. Taxus mas fructu noxio eſt. In inſitis enim ſexus differentiam non eſt ponere: inſitione ſiquidem ſexus naturam deminuunt omnes, in quibus ſterilitatis, & fertilitatis diſcrimen vllum eſt. Sunt & alia in quibus ſexus vterq; inuicem facilius dignoſcitur, manifeſtius tamen in manibus. Signum virilis ſexus in nonnullis quidam oſtendunt. Palladius in piſtacijs marem & fœminam poſuit. Marem verò intelligit, cui ſub corio, velut oſſei, longi videntur latere teſticuli. Abieti fœminæ, priori parti, inſunt nuclei, non item piceæ fœminæ. Nucamenta maribus compreſſiora. Reſina minùs roſcida. In fructibus etiam ſexus ſeiunguntur. Marium enim rotundiores, non vſqueadeo vermibus obnoxij. Ad maturitatem ſerius perducuntur: illorum ſiccitate, non ita facilè recipiente concoctionem. Glans quercus fœminæ mollior, maris verò ſpiſsior: cui ſtatim corpus candidum, tunicaq́; citius operitur.

Nonnullæ

Nonnullæ aliæ ſexus vtriuſque arborum demonſtrationes, & de viduis arboribus. CAP. XIII.

PRÆTER has ſexus vtriuſq; arborum differentias, alias inuenire eſt, quibus facile ſit mares arbores à fœmellis diſiungere. Ipſius videlicet (veluti in animalibus) corporis habitu, ac natura ipſa: puta in caudice, flore, folijs, cortice, rotius deniq; corporis figura, ac materiei natura. In maſculis enim plus caloris ineſſe, ſicut in animalibus eiuſdem ſexus, par eſt dicere. Idcirco ramoſiores ſemper conſurgunt. Calidum enim ac ſiccum facilè in plura diſcinduntur. Quare his folia anguſtiora, frequentiora quoq;. Hæ vt plurimum notæ, in arborum altero ſexu apparenr. Sunt tamen quædam aliæ ſpecialiùs in nonnullis arborum generibus. Abieti mari folia acutiora, & magis pungentia, magiſq; flexa, tota arbor intuitu criſpior, & in plenum hilarior. Pinum verò nullo ſexu diſtingui, quidam exiſtimauerunt. At Theophraſtus Macedones ſexu vtroq; ſeparare ſcribit, marem à fœmella duriore folio diuidentes, ac corpore breuiore: contrà fœminā folijs pinguioribus, caudiceq; ſimpliciori, & proceriore, molliq;, iuxta ſexus naturam, verùm ſterilem. Quam etiam folij, corporiſq; differentiam ijdem in pinaſtro, picea, teda, larice eſſe dicunt: illa mellei coloris, quam ægidem vocant. Hoc autem maximè his euenit generum cognatione. Hederæ mas folio item duriore ac pinguiore, flore ad purpuram accedente, corporeq; maiore. Ferulæ maſculæ caules ab imo diuiduntur, fœminæ, quæ cacumine. Cornus maſcula folio amygdalæ eſt, verùm pinguius, craſſiuſq; haber, corticem verò neruoſum ac prærenuem, caudice modicè craſſo: fœmina virgas prætenues, ceu ſalix amerina, fruticoſiorq; eſt, ſuo latere ferens, acerbis baccis, cunctis animalibus guſtu intactis. Harundini mari, ſpiſſius corpus, fœminæ capacius, ſed inanius. Tiliæ maſculæ cortex craſſior: qui detractus, inflexibilis, propter duritiam. Fœminæ candidior, flexibiliorq;, ex quo cunas faciunt. Cupreſſus fœmina, quam nonnulli metam dici volunt, quòd metas imitetur. Quare Ouidius:

Adſuit huic turba metas imitata cupreſſus.

Aſpectu iucunda, diſtinctis ramorum ordinibus. Verùm ſi in his ſupradictis omnibus notis, vtrunq; genus, vel maris, vel fœminæ cognoſci poteſt, præſertim verò id in illarum marerie erit, quod fabri lignarij apprimè norunt. Omnium enim marium durior, contortior, nodoſior materies, odorifer ior, coloratiorq;, propter calorem, qui, vt ſupradictum eſt, in maribus arboribus, ſicut in animalibus, abundantior ſit, ipſo calore humidum concoquente. Operi etiam difficilior, intractabiliorq;. In cupreſſo verò, abiete, larice, corno, tilia, color nigrior. Fœminis autem quadam mollitie, lignum mollius, candidius, fabrili opere præcellentius, minuſq; ſecuri, ſerræq; inobediens. Eæ enim marem reſpuunt, fragoſiùs ſidunt, ægriùs reuelluntur. Corpore itaq; proceriores ſunt, materieq; candidiores. Hæc generalius dicta: ſed ſpecialia quædam tractemus. Cornus fœmina ligno fungoſo atq; inutili. Mas omnino excors, ac firmiſſima, corni-

bus animalium compactione ac firmitate perſimilis. Tanta eſt in eodem genere maris & fœminæ differentia. Maſculæ abietis materies latior, durior, verſicoloris. Agaricum etiam ſexu vtroq; diſcernitur, autore Dioſcoride. Fœmina enim rectis venarum diſcurſibus conſtat, Mas verò rotundis, compactior, amariorq;. Reliquum eſt, vt de viduis quibuſdam arboribus ediſſeramus: quæ paucæ certè reperiuntur. Hæ enim nullo ſexu, naturæ infirmitate, diſcerni poſſunt: vt in earum genere omnes vel fœminæ, vel mares naſcantur. Neq; enim de harum altero ſexu conſtat. Sic equidem vt in hominibus, qui vel mare vel fœmina carent, appellare antiquis placuit. In hac verò platanus connumerabitur, prodentibus rei arborariæ autoribus. Quorum teſtimonium tulit Martialis, dum ait,

-Viduaq; platano. Alia ratione Horatius, viduas arbores dicit, cùm alijs ſcilicet maritantur. Sic enim ad Auguſtum ait:

Carm. lib. 4 *Condit quiſq; diem collibus in ſuis,*
Et vitem viduas ducit ad arbores.

Viduæ etiam dicuntur arbores, cùm amiſere folia. Idem:

Et folijs viduantur orni.

De arboribus fructiferis, & ſterilibus. CAP. XIIII.

ARBORES quaſdam feraces, quaſdam verò ſteriles, ex ſexuum maris & fœminæ ratione, ſecundum arborum aliquot genera, ſuprà patefecimus. Supereſt vt de ſterilibus deinde in vniuerſum diſſeramus: quibus cognitis, de fructiferis clarum etiam erit. Et primò eas enumeremus, quæ omnino non ferunt. Damnatæ quidem ab ipſa natura, quas locus quiſpiam, nec cœli fœlicitas, nec cultura, quódve aliquod aliud ſtudiū, vberes fecit, vt nullibi ne ſemen quidem tantùm, licet floreant, parturiant: quales ſunt tamarix, populus, alnus, vlmus attinea, betula. Populum verò nigram in Creta ferre plures crediderunt, atteſtante Theophraſto. Cæterarum verò nulla ne florem quidem fert. De vlmo nonnulli aliter ſentiunt, vt ſemen ferre arbitrentur, illud indicium afferentes, vt cùm flatibus delatum ſemen in loca proxima fuerit, naſci arbores aiunt. Ocyſſimè autem ſalix ſemen amittit, & omnino antequam maturitatem ſentiat. Ob id Homero, haud improbè ὠλεσίκαρπος, id eſt, frugiperda dicta. Sic enim Odyſſeæ κ. ait: μακραί τ' αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. Sequens verò ætas, ſcelere eius, ſententiam interpretata eſt. Quandoq; illius ſemen mulieri ſterilitatis medicamentum: ſed hoc quoq; natura prouidens, depaſto ſurculo incuriosius dedit. Vna tantùm in Creta inſula, vt Plinius ſcribit, ſemen ad maturitatem perferre narratur, toruum, ligneum, aceris magnitudine. Verùm id ibiq; Iouis beneficio, propter in ſpeluncam deſcenſum. Nil enim mirum Græcia ipſa, ſuis fabulis intactum reliquit, quò ſuorum Deorum autoritatem, ac dignitatem adaugeret: verùm magis magisq; mendaces Cretenſes in ſui Iouis honorem & reuerentiam. Simile idem Theophraſtus de populo ſcribit, apud aditum ſpeluncæ Ideæ, vbi adſeruantur Deo dedicata munera. Hæ enim ex loci deſignatione ſalix Plinij

vel populus Theophraſti. Altera partia populus, ab ea proxima, duodecim ſtadijs extat ad fontem Saurim. Pleræq; huiuſmodi in monte Cedrio ab Ida proximo. De alno autem quidam dubitauere. Vtranq; enim florere Theophraſtus autor eſt, idemq; Autumno fœcundam, ſemen reddere contendit. Ariſtoteles inter Naturæ miracula eſſe adſcribit, alnos in ſola Creta non eſſe ſteriles. Harum ſocia erit ſabina herba. Cotylea etiam ſterilis, atq; flore vidua. Surculos tamen, gemmasq; circa folia amentacea pingues, leuesq; fundit. Quæ verò apud nos eadem exiſtimatur, & florem, & ſemen fert. Iulius Pollux ſteriles plantas exiſtimat, quæ etſi fructus producant, non cedant tamen hi in hominum alimentum. Inter quas verò platanum, cornum, fraxinum, laurum, abietem, cupreſſum, cedrum, thyam, myrtum, & omnes, quarum fructus edendo non ſunt. Dubitatq; vtrúmne in his adnumeranda ſit quercus, propter glandiferos Arcadas, & alios homines, qui primo æuo, ante frumenti vſum ea victitarunt. Illud addendum, quòd in arboribus, nodorum alij cæci, alij fœcundi. Theophraſtus autem cæcos eos appellat, quibus nullum germen naſcitur. Quod non ſolùm natura, ſed læſione quoq; euenit. Nodi enim germen, partus dicitur. De cæteris autem, quæ tempore ferunt, aut quæ vitio ſteriles ſunt, ſuo loco diſputabitur.

De arboribus fœlicibus, atq; infœlicibus, & de Timone Athenienſi. CAP. XV.

NVNC verò arborum fœlicium & infœlicium diſcrimen ſequitur. Infœlices autem Cato (Feſto Pompeio autore) dicit, quæ fructum nullum proferrent. Præterea hæc vox Fœlix, Nonio Marcello, idem quod fructuoſus, feraxq; eſt Vergilio etiam in Georgicis:

- Et ingens Georg. 2.
Exijt ad cœlum ramis fœlicibus arbos. Ouidius de Ponto:
Rara, nec hæc fœlix, in apertis eminet aruis Lib. 3.
Arbor. Et ad ſimilitudinem arborum infœlicium, dicitur etiam ingenium infœlix, hoc eſt, nihil producens. Quod vſurpauit Plinius, & cæteri. Hac enim interpretatione ille infœliciorē in Græcia, quàm Ægypto, aut Syria, tamaricem dicit, quòd in his duabus quicquam ferat. Dij etiam (autore Seruio) aut fœlices vel infœlices dicuntur ex rebus, quas ipſi præſtant: vt præterea arbores fœlices dicemus, ex rebus, hoc eſt, ex ſuis fructibus, quos exhiberent, ſicut infœlices ſteriles. Inter quas Plinius connumerauit quas ſuprà ſteriles meminimus, tamaricem, populum, vlmum, attineam, alaternum. Ficum verò nigram Aurelius Macrobius inter infœlices locauit, & in ſuam ſententiam adducit Veranium teſtem, inter fœlices ficum nigram non annumerantem, deq; verbis pontificalibus ſic inquientem: fœlices arbores putantur eſſe, quercus, æſculus, ilex, ſapinus, fagus, corylus, ſorbus, ficus alba, pyrus, malus, vitis, prunus, lotos. Religione enim damnatæ erant, vt ſolùm dijs inferis dicarentur: vt ne quidem ſererentur. Sic enim Tarquinius Priſcus apud eundem Macro-

bium in oſtentario arborario ait: Arbores, quæ inferûm deorum, auertentiumq́; in tutela ſunt, eas infœlices, nefaſtasq́; nominant. Alaternum ſanguinem fœlicem, ficum atram, quæq́; baccam nigram, nigrosq́; fructus ferunt: itemq́; aquifolium, pyrum ſaluaticum, bruſcum, rubum, ſentesq́;, quibus portenta, prodigiaq́; mala comburi iubere oportebat. Arbor etiam, autore IESV CHRISTO, quæ non fert bonum fructum, excidetur, atq; in ignem conijcietur. Et fico, hic ille, ſiue nigra, ſiue alba hæc fuerit, quòd nil ferret, malè ominatus eſt, vti protinus exaruerit. Etenim arbores infœlices, infœliciſſimo ſemper omine habitæ ſunt, vt ad vltimum ſupplicium etiam, & ipſum ſuſpendium, legibus ipſis ſeligerentur, vt non alia arbore damnati agerentur. Lex quippe Romæ huiuſmodi horrendi carminis, lib.1. teſte Liuio, DVVMVIRI PERDVELLIONEM IVDICENT. SI A DVVMVIRIS PROVOCARIT, PROVOCATIONE CERTATO. SI VINCENT, CAPVT OBNVBITO, INFOELICI ARBORI RESTE SVSPENDITO, VERBERATO VEL INTRA POMOERIVM, VEL EXTRA POMOERIVM. Huius autem legis Cic. in Orat. pro C. Rabirio perduellionis reo meminit, hiſce verbis: I lictor, colliga manus, quæ non modò huius libertatis, manſuetudinisq́; nō ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilij, ſed Tarquinij ſuperbiſſimi, atq; crudeliſſimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis ac popularis libentiſſimè commemoras. Caput obnubito, arbori infœlici ſuſpendito. Neq; enim tales etiam voluntario ſuſpendio deligendæ erant, iuxta Ariſtophanis ſententiam ἐξ ἀξίου ξύλου ἀπάγξασθαι. Commune eſt ex hoc dicto adagium, cuius originem Plinius fuiſſe ex Leontia muliere, quæ aduerſus Theophraſtum ſcripſit. Illius enim verba hæc ſunt ſtatim in præfatione, ſuæ naturalis hiſtoriæ. Ceu verò neſciam aduerſus Theophraſtum hominem in eloquentia tantum, vt nomen diuinum inde inuenerit, ſcripſiſſe etiam fœminam, & prouerbium inde natum, Suſpendio arborem eligendi. Quo verò prouerbio monemur, vti in re etiam turpi id, quod honeſtius eſt, amplexemur: vt quando & bona æquè, atq; mala, repræhenſuri ſumus, ſaltem ardua, & magis irrepræhenſibilia. Nempe antiqui arbores, etiam fœlices, à quibus homines pependerant, quodam iniquo fato exiſtere arbitrabantur, vt ne anteà quidem è tali arbore fructus decerperent, quàm priùs certis ceremonijs purgaretur. Quod parum Diogenes Cynicus ſua contra bonos mores audacia & licentia, faciebat. Quum enim è ficu quadam legeret, cuſtode acclamante, in illa paucos ante dies hominem actum fuiſſe. Ego, inquit, illam purgabo. Hic ille etiam hac re pluſquam canis. Quum enim mulieres ex olea pendentes conſpiceret, vtinam (inquit) cæteræ arbores huiuſmodi fructum tuliſſent. In ſerè ſimilem ſententiam Cicero ſcribit, ſed illud ad ſchema oratorium diuertit. Sic enim ſecundo de Oratore ſcribit: Salſa ſunt etiam, quæ habent ſuſpitionem ridiculi abſconditam, quo in genere eſt illud Siculi, cui cùm familiaris quidam quereretur, quòd diceret vxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu: Amabo te, inquit, da mihi ex iſta arbore quos ſeram ſurculos. Huius verò Ciceronis dicti meminit & Quintilianus. Inſolentior Siculo, aut

lo,aut Ario, qui Pacuuium amicum ex huiuſmodi trium vxorũ ſuſpendio hoc modo conſolatus eſt: Timon Athenienſis fuit,à Græcis μισάνθρωπος cognominatus. Multos enim is ad ſuſpendium perduxit. Habebat autem domi ficum,ex qua multi pependerant. Quum enim videret, iam diù nullum ſe ex ea egiſſe, ad concionem venit. Factoq; ex magna expectatione ſilentio, vt potè ad rem inſolitam (conciones enim & hominum conuentus ſemper cauerat)exclamauit:Eſt mihi,ô viri Athenienſes,poſt domum horti parum,& in eo ficus coaluit, à qua plures ſuſpendio vitam finierant. In eo enim loco ædificaturus ſum. Quamobrem conſtitui publicè referre,vti ſi qui ex vobis ſint, qui ſeſe velint ſuſpendere,id agãt citiùs,& antè,quàm arbor ſuccidatur. Non enim vxorum tantùm,quarum mores viris ſæpe moleſti ſunt,triſtem ſuſpendij exitum exoptabat,verùm etiam communis hominum generis.Arborem autem,ex qua Phyllis ſeſe deiecerat, nunquam poſteà viruiſſe Cremuntius prodit. In antiquorum enim erga arbores infœlices execrationem, adhuc vulgi opinio remanſit.Cùm enim rem infœliciſſimam exprimere volunt,non alia grauiori ſententia id exprimere exiſtimant, quam cùm dicunt infœliciorem eo ligno, ex quo furcæ vel ſuſpendia eriguntur. Cicero pro T.Annio Milone infœliciſſima ligna dicit,ex quibus cadauera vſtularentur. Vitem autem minimè violandam præcipiebat Pythagoras. Et illud moribus fuiſſe apud Indos ſcribit Diodorus Siculus, vt quemadmodum arbores infœlices communi exiſtimatione damnatæ ſunt, ſic etiam fœlices probatæ. Etenim IESV CHRISTI, Moſe promulgatore, lex lata, ſicuti memoriæ mandauit contra Appionem libro ſecundo Ioſephus, qua quidem prohibitum fuit,ne hoſtium quidem fœlices arbores ſuccidenentur. Quod nonnullis exterorum exemplis comprobatum. M.etenim Scauro Imperatore, ſicut ſcriptis à pluribus mandatum eſt, qui ſub eo meruerant, arborem pomiferam, quam in pede caſtrorum, amplexa fuerat metatio, poſtero die, abeunte exercitu, intactis fructibus reliquerunt. Timotheus Athenienſium vrbem obſidens, veluti Policænus in ſtratagematibus ſcribit,militibus ſuis prohibuit, ne inſitam arborem excinderent: fructus tantùm legerent. Titus Liuius, ingentem cladem exſcribens,ſic ait:Sed ager eſt depopulatus,prædæq; rerum agreſtium actæ, nulla fœlix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. Ea clades Capenatem populum ſubegit.At contrà,ſicut apud Ethnicos,arbores infœlices, in quibus homines ex facinorum,aut conſcientia,aut impietate quadam atq; crudelitate erga progenitricem naturam ſponte ſeſe egerint, aut lata ſententia exiſtimatæ ſunt:ſic certè illæ fœlices habendæ meritò erunt, in quibus viri ſancti, pro CHRISTI fide teſtes, iudicum decreto, pependerint: vt olea illa apud Græciam fructifera, ob ligni aridi inopiam,quæ diuum Lucam ſuſtulit, ſcribente Nicephoro. Eſt Arbor fœlix, oppidulum in ripa lacus Acronij in Germania ſitum,quod veteres Brigatorium dixere,media ferè via inter Brigantium & Conſtantiam. His temporibus Arbona dicitur.

Quæ arbores floreſcant, fructum tamen non ferant, & econtrariò, quæ fructum ſine flore emittant.

CAP. XVI.

PRoxime hoc loco dicendæ erunt arbores, quæ floreant, fructu tamen careant: cuiuſmodi naturæ ſunt vbiq; populus, vlmus, ſalix, alnus. Verùm hoc cuidam arborum generi, certis quibuſdam locis, aut cœli, aut terræ infœlicitate contingit: vt Rhodi inſulæ, vbi perſici non florent. Contrà verò nonnullæ fructum ferunt, etſi annorum alterna florum gaudia minimè ſentiant. Triſtes enim nullo flore exhilarantur. Eiuſmodi ſunt, larix, picea. Quidam tamen hanc florere autumant. Alij contrà, ſed floris vice, nucamentum ferre, quod Græci κυτίνάριον vocant. Ficus, inquiente in Sympoſijs Plutarcho, inter eas arbores, quæ fructum ferant, & non floreant, annumeratur: verùm groſſi in hac decidui floribus reſpondent, & etiam caprificus ἀναθεὸς, vel ἐρινεὸς. Pinus ſine flore eſt, licet natales pomorum annuos recurſus, verſicolori nuntio promittat. Robur autem alijs floret, cæteris nequaquam: verùm floris loco muſcus eſt. Caſtanea quibuſdam floret, alijs minimè, ſed in ea nucamentum loco floris eſt. Iuglans & auellana villum pro flore habent. Acerem Macedones florere exiſtimant, multis contrà aſſerentibus. Iuniperus flore caret. Duo eius genera Theophraſtus poſuit. Quorum alterum flore delectari tantùm ſcribit, alterum fructu duntaxat, vt ambæ his muneribus fungantur, quæ ſola per ſe præſtare debebat. Huic protinus baccæ ſubnaſcuntur, quæ biennio inhæreant. Verùm hoc falſum Plinius exiſtimat. Palmarum autem marem ſolo flore, fœminam fructu tantùm præditas volunt. Cedri autem duo genera. Quæ floret, fructu caret: contrà, flore ſterilis, quæ fructum producit. Eſt apud me & in hortis meis, mali genus aliquod, quod abſque flore, non minimos fructus ad maturitatem vſq; ferat: & hoc ipſe ſatis compertum habeo.

De biferis, triferis, quadriferiſve, & nonnullis, quibus ſemper ineſt fructus.

CAP. XVII.

NEqve ſilentio prætereundæ ſunt, quæ inter fructiferas biferæ, triferæ, quadriferæq; exiſtunt. Quæ verò Naturæ beneficio, quin potiùs miraculo quodam, perpetua fœtus fructificatione, ſemper aliquo onuſtæ ſunt, vt non ſemel in anno, aut germinent, vel floreant, fructúſve exhibeant, inſtar quarundam fœcundiſſimarum mulierum, quæ ſimul graui vtero, nunc editum infantem brachijs baiulant, mammis lactent, vel etiam ſuperfœtent, vt ſuperfœtationis vis quædam in illis, ſicut in his, ſit. Sed harum maior admiratio, in queis fructus ſemper legi poteſt. Hoc autem in vniuerſum quibuſdam arborum generibus vbiq; eſt. Certis verò locis, cœli, ſoliq; beniuolentia, atq; vbertate, cæteris omnibus aut cuidam ſoli generi. Enimuero Plinius in Frauennenſi Africæ agro, hoc perpetuò eue-

nire ſcribit M. itidem Varro, in agro Conſentino, malos biferas eſſe atteſtatur. Biferæ autem, quoquo terrarum loco, ſunt vnedo: anno enim fructus matureſcit, ſubnaſcente in flore altero, altero vero concoquente. Aphace æquè ac adrachne bifera. Priorem enim fructum pubeſcere incipientem vua peragit: alterum cùm floret, ineunte ætate. Ilicis fructum veterem nouus occupat, vt Theophraſtus ait. Nam ſerò atq; anno fructum matureſcit: quare antecedentem nouus anteuertit, vt bifera igitur ſit. Siliqua ceraunia, pomo præcedentis anni, circa canis ortum detracto, alterum parit, poſtea florem per Arcturum hyeme fœtus enutriente. Conſularem virum ſe biferas iuglandes nuces habere profitentem Plinius ſe audiuiſſe ſcribit: & idem in pyris & malo ſylueſtri, ſimili fœcunditate biferas poſuit. Ficorum quædam biferæ ſunt. Quod ſuo carmine probat Columella:

Tunc præcox bifera deſcendit ab arbore ficus.

Fructus enim cum meſſe, vindemiaq;, ſiue alba, ſiue nigra concoquit. Triferæ etiam reperiuntur, in quibus Chalcidicæ, & aliæ quoq; humoris vbertate. Nam primis decerptis, aliæ facilè prodeunt. Quibus rurſus detractis, tertiæ ſubnaſcuntur. In Cea inſula, caprifici triferæ ſunt. Poſt primam enim fœturam ſequens euocatur, quam tertia ſequitur. Virides autem appetiuiſſe Octauium Cæſarem, Suetonius in eius vita autor eſt. Iuniperi fructum antiquum recens ſubnaſcens occupat. Sola enim arborum baccas ad bimatum, aut etiam vſq; ad trimatum, vt nonnullis placet, prorogat. Quare fit, vt ſæpe temporis longæui impatientia prææmaturius legantur. Arcades autem (referente Theophraſto) trium annorum baccas in vna eadem arbore reperiri affirmant, anni videlicet tertij maturas, proximi, iamq; exacti, nondum maturas, præſentis verò recentes, atq; inguſtabiles. Ferè eadem illi, illo etiam autore, de cedro arbitrantur. Cupreſſus verò trifera eſt. Nam eius baccæ & Ianuario, & Maio, & Septembri menſibus, colliguntur, ternasq; gerunt magnitudines. Pinus etiam eius naturæ eſt. Habet enim fructum matureſcentem, habet proximo anno ad maturitatem venturum, ac deinde tertio. Quo verò menſe ex ea nux decerpitur, eodem matureſcit alia. Et ſic diſpenſatur, vt nullo non menſe matureſcat. Quæ verò in arbore ipſa diuiſere, zamiæ vocantur, læduntq; cæteras, niſi detrahantur. Lentiſcus in anno ter producit. Cuius rei teſtimonio Ciceronis ſententia ſuffragatur. Id atteſtantur eius carmina:

Iam verò ſemper viridis, ſemperq́ grauata
Lentiſcus, triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Palmæ genus fruticoſum cyce dictum, de quo iam ſupra. Semper frutici ineſt pomum, ſubnaſcente alio. Maximæ autem admirationis erunt hæ, quæ ſuo perpetuo fœtu premuntur. Pluries enim annuatim ferunt. Et non tam eas fructuum frequentia, quàm raritate dignas admirabilesq; magis cenſentur. Non niſi calidiſſimis regionibus proueniunt, calore fructus & veteres, ac recentes concoquente, & flores cogente. Malus

Aſſyria,

Aſſyria, & eius generis reliquæ, ea fœcunditate proditur, vt pomorum tanta illius vbertas ſit, vt onere prouentus ſemper grauetur. Nam protinus atq; eius poma ceciderint, ad maturitatem alia protuberat. Ea enim opimitati tantùm mora eſt, vt fœtus antè decidant,qui & antè nati fuerant.Difficulter tamen vti tertij anni pomum iam rubeum, & ſecundum adhuc virens in eadem arbore, ſimul cum præſentis anni flore videre ſit. Hæc enim arbos continuè iuuentutis inſignijs pollet. Nec ingruente frigoris aſperitate frondibus ſpoliatur, verùm folijs ac fructibus aſſiduè onuſta,veris & æſtatis ſuum honorem ac decorem ſeruat.Ficus Ægyptia quater æſtate profert: priorem expellit immaturus. Solinus ſepties factitari,cæteri ſæpius arbitrantur.Perſea ſemper poma habet,ſubnaſcentibus alijs. In citro (inquit Palladius) per gradus quoſdam ſibi ſemper poma ſuccedunt. Matura enim acerba properè ſubſequuntur, & horum ætatem ſequentium flores,Natura orbē quendam fœcunditatis miniſtrante.

De vrbanis,& ſylueſtribus arboribus. CAP. XVIII.

A Natura enim plantis, ſicut & animalibus, exhibitum, vt alia vrbana,alia ſylueſtria ſint.Et hoc itidem in genere humano euenit, in quo & vrbanorum, & ruſticorum, ſiue agreſtium hominum diſcrimen ponere eſt: ac ſi hos ſylueſtres ex moribus dicere velis. Principio tamen rerum omnes arbores ſylueſtres fuiſſe ſatis conſtat,vlla arte ac cultura nondum manſuefactæ. Sicut & homines ipſos fuiſſe par eſt dicere, & inter *ſyluas* habitaſſe,ſicut iam dictum eſt. A quibus poſtquam migrarunt, *caſas* primùm,exinde domos, poſtea vicos, poſtremum vrbes exædificare cœperunt,ſylueſtremq; animum exuere,& vrbani,& ciuiles fieri, & vocari: vt poſtmodum aliquas, quæ ſibi folio, fructu, frondeq; placere magis, & præſtantiores viſæ ſunt,è ſyluis,& agreſtibus locis ad domeſtica,& vrbana deduxerint,& in hortis, prætorióve,iuxta ſæpe ædes,locíſve publicis, plantarunt: vt deinde cum ipſis hominibus, vrbanæ primùm appellari cœperint:vt deniq; cultura,aut inſitione, fructu mitiores factæ,& fronde pulchriores,exuta priſtina ſylueſtri feritate.Hac enim ratione vrbanarum & ſylueſtrium differentia facta.cùm omnia primùm fera & agreſtia, prauaq; potiùs,quàm proba,Natura fecerat. Quod Lucretius oſtendit:

Lib.5. *Et noua defodere in terram virgulta per agros*
Inde aliam, atq; aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusq; feros manſueſcere terra
Cernebant indulgendo, blandeq; colendo. Et poſt eum Vergilius:
Georg.2. - *Fructusq; feros molliè colendo.* Alibi latius:
Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis auras,
Infæcunda quidem, ſed læta, & fortia ſurgunt.
Quippe ſolo natura ſubeſt: tamen hæc quoq; ſi quis
Inſerat, aut ſcrobibus mandet mutata ſubactis,
Exuerint ſylueſtrem animum, cultuq; frequenti
In quaſcunq; voces artes, haud tarda ſequentur.

Hoc fuit

Hoc fuit hominum ſolers ingenium, vt eas redigere ad id, quod omniũ vrbaniſſimũ eſt,hoc eſt,ipſum hominem:qui ſolus,aut maximè omnium vrbana ſpecies eſt, atq; Naturæ degeneris inſtaurator, qui vel ſemina ne degenerent,delectu,vel opera efficit,vtq; arborum generoſitas inſitione, & cultu procurat vt conſeruetur. In quarundam verò generibus, ipſo etiam nomine diſtinguuntur,veluti in olea, pyro, ficu, pino, picea vrbanis: quibus oleaſter,pyraſter, caprificus,piceaſter reſpondent. In myrrha verò,ſatiua & ſylueſtris datur:ſed illa,vt in cæteris, præſtantior. In Achaia tamarix ſylueſtris planè ſterilis, altera verò (autore Plinio) mitior. Sed & vrbanarum,& ſylueſtrium, aliæ plures differentiæ. Inter ſe enim vt plurimùm,fructu, folijs,fronde, toto deniq; arborum corpore ac figura inter ſe diſſident. In vrbanis enim folia ſemper maiora, & latiora fructus aut verò mitiores. Sylueſtres autem ſeriùs & germinant & florent, fructusq́; ſuos maturant. Sed hoc non vſq; adeò in omnibus verum erit. Quippe in ſorbis,cornisq́;,ſylueſtria vrbanis mitiora,ſuauioraq́; eſſe traduntur. In fago itaq; ſylueſtri fructus dulciſſimus eſt. E ſtruteis ſylueſtria in ſepibus naſcentia odoratiſſima ſunt:quæ verò inſeruntur,omnes mites erunt: vt hac ratione cuiuſq; generis ſylueſtrium ſint, manſuefiant, vt pyraſter, & cætera. Alioquin in ſua naturali feritate ſemper manebunt. In quo verò ordine quædam erunt,quæ inſeri adhuc non conſueuerunt,veluti abies, larix,iuniperus,terebinthus,buxus,ilex,aquifolium,ſuber,taxus: quas etiã nec locus,nec cultura,cicures facit. Ideò Theophraſtus rectè Hipponem repræhendit,quòd omne ſylueſtre cultu vrbanum, & vrbanum quodq;, culturæ negligentia ſylueſtre fieri diceret. De altero iam oſtenſum: Punicam verò in ſyluis ſatam, ſylueſtrem tamen nemo exiſtimabit. Nec olea pyrus ſatiua,pinus,ficus,vlla negligentia in oleaſtrum, pyraſtrum,caprificum, pinaſtrum tranſire poſſunt. Oliuam ſatiuam Græci καλλιέλαιον vocant:quæ verò ſine fructu ſylueſcit,his ἐλαιομανὴς, quaſi inſana dicitur. Inter ſylueſtres verò optima ratione connumerandæ veniunt, quæ nulla agricultura, nullóve ingenio, cicurari poſſunt, & nullo modo, niſi ſponte,atq; in locis incultis,aſperis,atq; immitibus,naſci volunt: quòd ſi in his conatum ſit, moriuntur. Illarum enim vſqueadeò fera natura eſt, ſicuti animalium plura genera, quæ miteſcere & manſueſcere, vllo artificio,vllo ingenio neſciunt. Contrarij verò genij ſunt plures, vt non niſi inter homines manere, & geſtire, & gaudere valeant. Cuiuſmodi autem naturæ quædam arbores reperiuntur: quæ ſi hominum commercio ac labore careant, ſi non omnino ſylueſcant, deteriori tamen fiant conditione,ſæpe ſteriles,ſæpe vita breuiores. Alia ratione quædam arbores ſylueſtres erunt. Pini præter pinaſtrum alia vrbana, alia ſylueſtris, roboris item. Cedrus autem,picea,cupreſſus,myrtus,ſatu vrbanæ fient. Frutices vt plurimum ſylueſtres erunt, quos ſola cultura mites facit. Illud vltimum minimè ſilendum erit, quædam reperiri, in quibus nullum ſylueſtrium genus dari,veluti in balſamo eſt,in quo nullum ſylueſtre genus compertum,autore Theophraſto.

De peregrinis arboribus. CAP. XIX.

ARBORES primùm ſpontè nulla adhibita cultura, natas, iuſtum eſt dicere. Non tamen vbiq; locorum omnes: verùm aliæ atq; aliæ certis quibuſdam tantùm regionibus, vt non vna, aut altera, pluréſve prouinciæ vniuerſas ferrent: vt multæ ſeparatim nonnullis locis illarum naturæ magis conuenientibus priùs naſcerentur. Poſteà verò hominum opera, ac induſtria cœpere, vt ipſi homines, apud exteros proficiſci, & nouas prouincias inueſtigare, ac colere, & aliarum arborum conſortio frui vt hominũ opera & tranſlatione alibi mearunt, idcirco peregrinæ dictæ. Sic etiam Fabius verba peregrina vocat ab omnibus gentibus accepta, & inter Latinos recepta, vti leges ac ſtatuta exterarum gentium. Inter peregrinas autem arbores Plinius illas omnes poſuit, quibus nomen Græcum alienúmve inditum eſſet: vt ceraſum, pei ſicum. Argumentum ex nomine deſumens, à prima illarum cognitione & inuentione, ac ſi primùm apud illos natas ideò ab his illis nomina impoſita. M. etiam Varro, inter hæc, quæ in hortis ſeruntur, nonnulla eſſe, quibus nomen peregrinum inſit, veluti quæ Græcum habent, vt ocymum, mentha, ruta. Non enim ſolùm in arboribus, ac herbis, verùm in cæteris quoq; rebus, ſimili quadam traductione vſi ſunt antiqui. Sed iam commemorandæ ſunt, quæ ex prima ſede ad aliena domicilia demearunt. Inter quas omnes prima veniat perſea: quæ quamuis quarundam terrarum exotica fuerit, non tamen plurimarum, vt paucarum accola fuerit. Primùm in Æthiopia orta, ea ſcilicet tempeſtate, qua illam Cambyſes ſubegit, à Perſis in ſuam patriam tranſlata. Poſteà verò ſolam Ægyptum incoluit, nec extra orientem naſci voluit. Galenus nullibi ſub imperio Romano, præterquàm in Alexandria, viſam negat. Eiuſdem naturæ fuit ſiliqua, plures habitationes exoſa. Primò in Syria nata, poſtmodum in Ionia circa Gnidum, & in Rhodo cohabitauit. Perſicus alia à Perſea eſt, è Perſide antè auecta, cum difficultate enim ad alias regiones tranſijt. Primùm apud Ægyptum diuertit, pòſt in Aſia, Græciaq;. Nunc conſuetudine ferè apud omnes, modò aërem ſibi propitium nanciſcatur. Plinius intra triginta annos repertam ſcribit, & primò denarijs ſingulis venundatam. Columella in ſuo elegantiſſimo horto, de ea ſic meminit:

Colum. lib. 2.

- Et pomis quæ barbara Perſis
Miſerat, vt fama eſt, patrijs armata venenis.
At nunc expoſiti paruo diſcrimine leti
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.
Quin etiam eiuſdem gentis de nomine dicta
Exiguo properant miteſcere Perſica malo,
Tempeſtiua mandent, quæ maxima Gallia donat,
Frigoribus pigro veniunt Aſiatica fœtu.

Populares primùm Syriæ myxa, & zizipha fuere. Hæc Romæ, inquiente Plinio, diui Auguſti temporibus naſci cœperũt. Sex. verò Papinius, quem

Plinius

Plinius conſulem vidit, primus illa attulit, & tuberes ex Africa, vt poſteà in caſtrorum aggeribus ſererentur. Citrus primùm ex Africa atq; è Mauruſijs populis aduecta inquiente Lucano:

Sed penitus terra eſt, tantùm Mauruſia genti Lucan.lib.9.
Robora diuitiæ, quarum non nouerat vſum
Sed citri contenta comis viuebat, & vmbra.
In nemus ignotum noſtræ venere ſecures:
Extremoq́ epulas, menſasq́ petiuimus orbe.

Cedrus & morus, in Iudæa peregrinæ arbores, Salomonis regis potentiſſimi cura illuc (teſte Ioſepho) tranſlatæ. Olea etiam peregrina, Athenis primùm viſa, vt etiam eo tempore, quo Epidaurij ex oraculo Delphico, ſimulacra de materie oleagina Damiæ & Auxeſiæ deabus fecerunt, tunc ipſis poſteà bene futurum: nuſquam gentium, niſi ibi, tunc oleæ erant, ſcribente Herodoto. Theophraſtus è Græcorum celeberrimis autoribus, Romæ poſt annum circiter quadrigenteſimum quadrageſimum, niſi intra quadraginta millia paſſuum à mari naſci negauit. Feneſtella verò omnino in Italia, Hiſpania, atq; Africa, regnante Tarquinio Priſco, ab annis populi Romani CLXXXIII. non fuiſſe oleaſtrum autem ex Hyperboreis regionibus, in Græciam detuliſſe Herculem aiunt. Atq; hic albam populum ex Theſprotide regione, illic iuxta Acheruntem fluuium genitam. Ferulam inter externa dixiſſe conueniet. Malum punicam in Cypro peregrinam teſtantur Græcorum fabulæ, ibi primùm à Venere ſatam fingentes. Nullum lauri genus in Corſica antiquis notatum. Delphicam verò è Theſſalia, & ab ipſis Tempe in Delphos tranſlatam, Ælianus ait, & tunc cùm Pythius Apollo draconem ſagittis confodiſſet. Myrtus in Europa, tetriore etiam cœlo, quòd è Ceraunijs montibus primùm incœpit apparere. Poſtea verò Græcis in Elpenoris tumulo viſa, autore Plinio, Græcumq; nomen ei remanet, quò peregrinam ſe eſſe fatetur. Fuit etiam vbi nunc Roma eſt, cùm iam conderetur. Chalcidenſes, qui ſunt in Eubœa, locum apud eos oſtendunt, Harpagion vocantes, vnde myrti præcipuè ortæ. Cupreſſus Plinio peregrina quoq; arbos, priùs in Creta adnata. Vbi mira facilitate prouenit, ſpontè, non appellato ſolo: maximè verò in Idæis montibus. In Gnoſo eius inſulæ oppido, eius arboris nemus celebratum, quod inhabitarunt Titanes, & in eo educata quoq; Rhea. Has autem illius arbores Hermippus commendauit. Pòſt Tarentum deuenit. Quare M. Cato Tarentinam appellat. Vix alius aduenã credet, propter ingentes illius alibi ſyluas: vt illa ingens in Gallijs prope Burdigalam, tot proceris arboribus conſpicuam, & admirabilem. Prædium regium ibi impenſis tegijs non indiligenter cuſtoditum, & excultum. Hæ ſunt arbores, quæ quum primæ in regionibus calidis prouenerint, non niſi ad loca ſimilis temperiei proficiſci voluerũt. Nunc de his, quæ loca etiam frigida habitare non recuſarunt. Platanus, vmbræ tantùm cauſa, ex alieno orbe petita. Hæc autem per mare Ionium in Diomedis inſulam eiuſdem etiam tumuli gratia iampridem inuecta. In Siciliam inde tranſgreſſa, atq; inter primas Italiæ donata. Dionyſius prior, Siciliæ tyrannus, vt ait Theophraſtus,

phraſtus, Rhegyum vrbem eas tranſtulit, domus ſuæ miraculum, vbi poſt factum gymnaſium. Hoc peractum Plinius ſcribit circa captæ vrbis ætatem. Pharas Græciæ vrbem Pierus fluuius alluit: iuxta hunc platanorum nemus, quæ magna ex parte ob vetuſtatem canæ erant, & concauæ, vt in his conuiuarentur, & qui volebant, dormitarent. Pauſanias in Achaicis. Poſteà verò vſq; ad Morinos, autore Plinio, peruecta. Hac nunc & Gallia, & Hiſpania penitus carent. In hac enim plurima olim germinauit, argumentoq; erit illa Cordubenſis tantoperè Valerij Martialis epigrammate percelebris. In tota Italia, & Romæ, ſolùm vna viſitur: quæ in ima ripa ſpeculi Dianæ Aricinæ poſita, magna etiam omnium demiratione, & ſi humilis ſit. Nec propiùs, quàm in Sicilia, ſunt. Adeò nunc hæc rara arbor eſt, quæ priſcorum diligentia per tot regiones paſſim deuagata fuerat: omnemq; aërem paſſa, vt quantum antiquorum in ſerendis arboribus cura fuerit, tantum verò præceſſorum noſtrorum in hoc improbanda negligentia ſit. Noſtræ tamen tempeſtatis homines, maximè viri clari, hoc ſtudium enixiùs amplexati, vt rem arborariam ſuum priſtinum decus recuperaturam ſperem. Iuglandes è Perſide à regibus tranſlatas, indicio eſſe nomina Græca Plinius ſcribit. Auellanam è Ponto, vnde quidam nucem Ponticam appellant, primò in Aſiam, Græciamq; profectam eſſe perhibent: demum in Italiam, apud Abellam Campaniæ oppidum: vnde vna tantùm litera immutata, auellana dici, quæ priùs abellina. L. Lucullus vrbis anno ſexcenteſimo octuageſimo Mithridatem Ponti regem oppugnauit, atq; eius prouinciæ Ceraſon ciuitatem deleuit, genusq; pomi, inde in Italiam aduexit, Athenæo etiam libro ſecundo autore, quod ab oppido Ceraſium appellauit, & centum triginta annis pòſt trans Oceanum, in Britanniam vſque tranſmigrauit. Quod vix à multis recipietur, quum & plures Lucullo vetuſtiores, velut Diphilus Signius, qui Lyſimachi regis tempore floruit, qui vnus ex Alexandri ſucceſſoribus fuit, ceraſiorum meminit, nullaq; alia magis arbos, vbiq; calidis frigidiſſimisq; regionibus liberiùs, atq; ſuapte ſponte, in ſyluis quoq; ac incultis proueniat vt in Gallia, Hiſpaniaq; eiuſdem generis pomi, acidorum etiam, quorum præcipua dos, ſyluæ ſint. Sed & ante Lucullum in Italia, durum eiuſdem generis fuiſſe Seruius ſcribit. Quòd poſtea miſto nomine cornoceraſum dictum ſit. Verùm, ne tot eius hiſtoriæ aſſertorum vana ſit autoritas, facilè aliquod genus eius pomi in Italiam allatum credere eſt. Amygdala, an in Italia Catonis tempeſtate fuerint, dubitarunt antiqui, argumentum deſumentes, quòd ea inter nuces non annumerauerit. De meſpilo ac ſorbo idem Plinius ſentit. Huius tamen M. Cato meminit. Pruna quoque omnia poſt Catonem cœpiſſe, manifeſtum eſſe Plinius ſcribit. Vbiq; tamen naſcuntur, magisq; ſylueſtria: mirumq; eſt, quòd huius Cato non meminerit, præſertim verò cùm condienda quædam demonſtraret, & ſylueſtria. Inter pruna tamen externa Damaſcena erunt, à Damaſco magna, atq; illuſtri Syriæ ciuitate trāſportata: & Armeniaca ex Armenia adportata: vulgus Armeſina vocat. Cydonia mala, quæ coctonea, è Cydone Cretæ inſulæ oppido primùm aduecta. Quod Serenus teſtatur:

Aut

Aut quæ poma Cydon Creteis miſit ab oris.

In ſuo autem genere peregrina nonnulla inueniuntur, vt iam de aliquot prunis diximus. In ficuum autem genere, è Chalcide, Chio, Lydia, Africæ prouincijs, in Italiam mearunt, nomen à natiuo ſolo retinentes, & coctana, & caricæ, quas primus L. Vitellius è Syria in Albenſe rus intulit, cùm Legatus in illa regione eſſet. Nouiſſimis Tiberij Cæſaris temporibus, is poſteà Cenſor fuit. In pyris orbiculata, ex Epeiro primùm deuecta, argumento Græci autores ſunt, illa Epirotica vocitantes. Sed quæ hac ratione peregrina ſunt, omnia referre, difficile, imò veriùs impoſſibile foret: cùm noſtra quoq; tempeſtate, non pauci fructus, multarum etiam arborum, plurimarum itidem regionum, in dies apud quoſcunq; transferuntur. Inter frutices hedera in Aſia peregrina erit, quam Theophraſtus in India non niſi in monte Mero naſci voluerit.

Nonnullas eſſe arbores, vt balſamum, quæ nullibi peregrinentur. CAP. XX.

INTER externas arbores, illas, quæ nullo labore, nulla induſtria, ingenióve & arte, alibi, quàm vbi primùm natæ fuerint, ponere neceſſarium erit. Quas verò reliquarum prouinciarum vlla feracitas, vlla amœnitas, nullo modo allicere, & capere potuit, vti ſuum natiuum ſolum, quod ſibi in vna, alteráve regione primum conſtituerat, relinquere, & immutare voluerint. Tantus enim ſuæ originis eas genialis amor deliniuit. Et ſi hæ à pluribus ſæpiùs ad id inuitatæ fuerint, quorum blanditijs, ac precibus, nullis prætereà culturæ officijs, nullo ſtudio moueri potuerunt, quin tranſductæ, ſtatim, vel non longè pòſt, intercidderentur, vſqueadeò erga cæteras regiones ingratæ, & immiti ingenio, & inhoſpitali natura & patriæ ſuæ contumaces, inuentæ: Alpinos homines imitatæ, qui ſuas natiuas ſolitudines, & deſerta loca, pluris faciunt, quàm agrorum cæterorum diuitias & delicias, aut vrbium maieſtatem. Exemplo etiam quorundam animalium, quæ ſolius prouinciæ incolæ ſemper manere voluerint. Hoc autem Plinius, aliâs faſtidio, aliâs contumacia, aliâs cœlo inuidente, aliâs ſolo, euenire ſcribit. Cuiuſmodi naturæ balſamum. Faſtidio enim alibi naſci, quàm in Syria, noluit: vt vni terrarum Iudææ conceſſum ſit, vt ſcribit Plinius, & alij multi. Statius, Hebræiq; liquores, de balſamo enim intelligit. Illic enim quondam in duobus hortis (vt Theophraſtus ait) vtroque regio, altero iugerum non amplius viginti, altero pauciorum. Solinus tantùm ſyluam vocat eius latitudinis. Sed hoc autore, poſt Romanorum victoriam, atq; potita Iudæa, ita luci propagati ſunt, vt iam latiſſimi colles balſama ſudarint. Cui autem dicto Ioſephus adſtipulatur, qui & Idumæam balſamum nutrire aſſerit. Nam anteà alibi dixerat, palmetum, quod in Hierichunte erat, illud gignere. Vrbs enim eius nominis eſt ab eius nobili odore ſic dicta. Iuſtinus Trogi Pompeij abbreuiator, in Iudæa vallem fuiſſe ſcribit, quæ continuis montibus, velut muro quodam, arcis inſtar, cingeretur: ſpatium verò loci, iugerum mille ducentorum. In

eo enim loco Hierichuns vrbs,& ſylua,vbertate,atq; amœnitate inſignis, palmarum & balſami arboribus diſtincta. Admirationeq́; dignum eſt, quod ille prodit,vt cùm tota regio ſole ardentiſſimo exæſtuet, ibi tamen clemens aër ſit,minimè feruens,locusq́; opacus,atque aëris frigiditate ſimul ac caliditate ſuauiter temperatus. Egeſippus etiam prope vrbem Hierichonta hunc locum ponit. Diodorus Siculus cum Arabia locum confundit. Ægypti reginam Salomoni Hieroſolymorum Regi,cùm eius ſapientiam ſcrutata fuiſſet,balſami radicem dediſſe Ioſephus ſcribit: quæ tranſplantata conualuit, vt Iudæa abundè balſamum poſteà effuderit. Maximum quidem donum, & verè tam ab offerente, quàm recipiente regium. Ex cuius propagatione ſola ipſa Iudæa apud omnes gentes, maximè hoc illo frutice,memorabilis. Solus poſt Diodorum Siculum,inter tot autores, qui de balſamo meminere, Pauſanias in Arabia naſci ſcribit, arbore à viperis obſeſſa,ſub qua illæ apricentur,& eximiè vmbra eius delectentur,ſuccoq́; ſuauiſſimè alantur.Cùm autem tempus excipiendæ lacrymæ aduenerit, ſcuticas ligneas binas ſecum deferunt,quibus excitato ſtrepitu angues abigunt. Nam & illos enecare piaculum eſt, balſamoq́; ſacras exiſtimant. Quòd ſi horum quiſpiam demorſus fuerit,non magis ex ictu illius periculum, quàm ſi mucrone,leuiſſimo ictu percuſſus,vt ex illo vulnere nemo extinguatur. Ex ſucco enim paſti ſerpentes, virus habere deſinunt, ac ſi pharmacum aduerſus illorum lethale venenum ſit. Apud Sabæos enim atq; maritimis locis prouenire, hic ſcribit. At nunc in Iudæa,nec apud Hierichunta vrbem amplius naſci balſamum, ab *his*, qui Chriſtianæ religionis, ac ſepulcri dominici gratia illuc proficiſcuntur, & multis alijs,qui has partes, & Ægyptum peragrarunt, vero verius compertum. A quo enim tempore, à nemine quod legerim, proditum. Egeſippum tamen me legiſſe memini,M.Antonium poſſeſſiones omnes regibus Syriæ abſtuliſſe ſcribentem:maximè illam,quæ balſamum gigneret, & Cleopatræ adiudicaſſe, vt eius auaritiæ, cuius libidine ebrius erat, inſeruiret, & ſuæ crudelitati inhærens, hæc ſimul duo crudeliſſima vitia coniunxit. An ab eo tempore atq; apud Ægyptum, & in loco vbi nunc colligitur, ab Cleopatra plantatum fuerit, lectori ſuum iudicium relinquimus. Sunt qui Ægyptiorum aliquos Iudaicam induſtriam propter prouentum ad eos tranſtuliſſe ſcribant:inter quos Strabo quam in balſamo adinuenerunt, & vt ex raritate & penuria pretium eſſet, multis locis tranſplantari vetuerunt:vt hac ratione communem vſum atq; vtilitatem læſerint. Nam ibi naſci, & Dioſcorides, & Strabo,& Ætius, teſtati ſunt. Hic verò in regione quæ Solis oculus,ſiue fons appelletur. Marathea pagus ad ſextum lapidem à Memphi.Hortus regius,ibi eſt,qui paruo fonte irrigatur,vberrimè tamen fluente.Alium tamen defodiunt,cùm id ad irrigationem non ſufficiat. Prætereo hîc nonnulla, quæ ſuis ſcriptis plures recitarunt, de virgine Maria, in eo fonte filium abluente, dum illum in Ægypto occultaret.

De

De thure, & myrrha, & alijs arboribus non peregrinantibus. CAP. XXI.

POST Iudææ antiquas diuitias, Arabiæ opes, cauſasq́;, ob quas fœlicis beatæ cognomen ab antiquis acceperit, conuenit dicere. Quod non tam à communi rerum prouentu ſoliq́; fœlicitate, & aëris clementia fuit, quàm myrrhæ & thuris vindemia, quum & plures regiones longè illa in illis rebus ſint fœliciores. Solam autem Arabiam thura producere ſatis conſtat, vnde thurifera dicta. Sed nec quidem vniuerſæ datum, ſed ſolùm huic parti, quæ Saba vocatur: quæ denominationem à thure accepiſſe videtur, quod ibi naſcitur, quo dijs ſacrificatur. Nam à σέβειν, quod eſt colere, dicitur: vel, vt Seruius voluit, ἀπὸ τοῦ σεβάζεσθαι, id eſt, venerari. Sabæorum meminit Vergilius:

- *Molles ſua thura Sabæi.* Et alibi: Georg. 1.

- *Solis eſt thurea virga Sabæis.* Georg. 2.

Hæc enim Solis ortum æſtiuum ſpectat, vndiq; rupibus inuia, & à dextra, maris ſcopulis inacceſſa. Caput regni Sabota, in monte excelſo. In medio eius Atamitæ ſunt. Sabæorum pagus eſt, à quo octo manſionibus regio thurifera diſterminatur. Vna Panchaia vocitatur, arenoſa. Vergilius:

Totaq́; thuriferis Panchaia pinguis arenis. Georg. 2.

Eam enim pinguem arenis, propter myrrhæ diſtillationem. De his etiam Lucretius:

Araq́; Panchæos exhalat propter odores. Lucret. lib. 2.

Minei, pagus alius, per quos auehitur, vno tramite anguſto. Primiq́; thuris commercium fecerunt, maximeq́; exercent, à quibus & Mineum dictum eſt. Quidam promiſcuum ius ijs populis eſſe tradunt in ſyluis: alij per vices annorum diuidi. Syluarum longitudo ſchœnorum viginti, latitudo dimidium eius. Schœnus patet, Eratoſthenis ratione, ſtadia quadraginta, hoc eſt, paſſuum quinq; millia. Aliqui viginti duo ſtadia ſchœnis dedere. Dioſcorides ſecundum locum habere thus Arabicum dicit, quod in Smylo naſcitur. Manſio vna è ſupradictis forſitan erit. Memoratur etiam Catabania Arabiæ regio, quæ thus ferat, forſan & alia manſio. Arbores enim altæ, in montibus attolluntur, decurruntq́; in plana, ſponte natæ. Quidam in inſulis naſci thus dicunt. Quod tamen negat Rex Iuba. Diodorus tamen Siculus inſulas eſſe iuxta Arabiam ſcribit, quarum vna ſacra ſit, in qua & thus naſcatur: in qua defunctos ſepelire vetitum. Nam vbi thus naſcitur, non inhumant: ne homines cum Dijs commercium habeant, propter thus, quod Dijs ſacrificatur. Theophraſtus thuris arborem ſupra Sardes apud quoddam delubrum natam aſſerit. Arbores thuriferas colubros ſubalatos, diſcolores, atq; exiguo corpore, obſeruare, Herodotus ſcribit, circa ſingulas numero permagno. Quum thus Arabes colligere volunt, ſtorate ſuffiunt. Nullo nanque alio fumo ſubmoueri poſſe, compertum eſt. Oppleturi quidem vniuerſam terram, in hoc remedio, illis

dio,illis ſubueniatur.Ab Arabibus primùm Phœnices thus accipiunt:qui póſt in Græciam exportabãt. Regibus Perſarum quotannis millena thuris talenta, Arabes præter tributum donare, idem Herodotus teſtatur. Myrrham, Arabiæ regiones, Saba, Adramyta, Cibanita, Mammali, ferunt,ſicuti Theophraſtus ait,atq; in monte prælato, in quo ningi ſoleat, ex quo amnes in plana defluant. Diodorus thus & myrrham miſtim in ſyluis naſci ſcribit.Ille verò ſeparatim aliâs in monte,aliâs in montis radicibus,atq; culturis,alia atq; alia coli. Hæc Troglodytis communis:à quibus Sabæi maris tranſitu petunt. Hæc ſatiua in India autem naſci Arrianus, Ariſtotelis autoritate tradit, in quadam ſolitudine, qua iter facientes Phœnices negotiatores,qui exercitum Alexandri Magni in Cedroſos proficiſcentem ſequerentur. E materie verò multa iumenta onerarunt. Ipſam autem Gedroſiam & Chalcamoticam ferre thus,Strabo autor eſt. Quod mercatoribus, qui ex Helanis ad eos Meneam quadraginta diebus veniunt, proponitur. Quapropter Plinius myrrhæ portionem Deo non elargiri Sabæos dicit,quòd ſcilicet alibi naſceretur.Solam autem Indiam ferre nigrum hebenum,Vergilius grauis autor aſſerit,

Georg. 2. *Diuiſa* (inquit) *arboribus patriæ: ſola India nigrum*
Fert hebenum.-

Sed ne quidem tota,vt Solinus ſuis ſcriptis mandauit, verùm exigua ſui pars. Alij in Æthiopia naſci etiam voluerunt,vt Dioſcorides, quam maximè laudauit & eo antiquior Herodotus. Qui regibus Perſidis, illos è materie eius centum phalangas, tertio quoq; anno pendere ſcribit. Ibi verò ſyluas eius arboris maximas viuere, Plinius teſtatus eſt, & poſt omnes Maurus Seruius, Melaq;. In Meroë etiam produci Lucanus teſtis eſt.Sic enim ait: *Hebenus Mereotica vaſtos,*
Non operit poſtes, ſed ſtat pro robore Nili
Auxilium, non forma domus.- Et alibi:
Ambitur nigris Meroë fœcunda colonis
Læta comis hebeni.-

Diodorus etiam in eadem inſula autor, vſq; enim illam à Syene imperij fine per nongenta XCVI. M.paſſuum,nullamq; aliam niſi palmarum generis eſſe voluerunt.Ficum enim Indicam alibi quàm in ipſa India,à qua nomen ſumpſit,prouenire non memini me legiſſe.Sunt & quædam non paruo numero arbores in India paulò ante noſtram tempeſtatẽ,& etiam noſtra,inuentæ,quæ ſolùm monimentis eorum, qui illuc profecti,nobis notæ:antiquis enim incognitæ.Quæ ſi hucuſq; alibi nouas ſedes aut acquiſierint,vel eas renuerint, nondum audiui. Habet & Ægyptus ſibi peculiares arbores ficum & prunum, cognomina à ſolo natiuo mùtuatæ. Malus Aſſyria,quam alij medicam vocant.Hanc autem aliæ gentes, propter veneni præſentaneum remedium,per induſtriam tranſlati germinis, aut inſiti,transferre tentarunt. Verùm ſoli Mediæ & Perſidi maluit inſeruire,nec terram aliam ingredi,ſcribentibus & Plinio & Solino. Quòd ſi eadem ſit cum citro, illam plures alias regiones accommodaſſe, manifeſtum eſt. Aliæ plures arbores ſunt,quæ paucorum locorum hoſpites eſſe

voluer

voluerunt. De quibus dicetur, cùm eorum hiſtoria narrabitur.

Frutices etiam quoſdam eſſe, qui ad alias regiones proficiſci noluerint. CAP. XXII.

SIMILIS feritas etiam in nonnullis fruticum generibus reperire eſt. De quibus vt dicamus atq; de arboribus, par eſt. Siquidem cinnamomum & caſiam in Æthiopia ſolùm naſci, apud autores quoſdam conuenit. Verùm vt circa horum natiuitatem fabuloſa quædam antiquitas narrauerit, & horum princeps Herodotus, vt Plinius ait. In auium enim nidis,priuatim verò phœnicis,in quo ſitu Liber Pater educatus eſt,repeririri ſcribit,ex inuijs rupibus,arboribusq; aſportatis,& nidis,plumbatis ſagittis,ac carnis, quam ipſæ aues inferrent, pondere deturbatis. Nam qui legere cupiunt, carnes minutatim conciſas illuc deportant, poſtea procul abſcedunt. Quas pòſt aues ad nidos deferunt, intantumq; onerant, vt iſtarum pondere in terram diſcutiantur. Tunc illi ad colligendũ cinnamum accedunt, è quibus auium nidi ſtructi erant. Ariſtoteles verò in Arabia colligi ſcribit ex cinnamomi auis nidis,eo modo quò ſupra. Fertur & alia,Theophraſto autore,fabula, in conuallibus exire aſſerentium, in quibus ſerpentes plures conuerſentur,qui ictum hominibus lethalem iaculentur:aduerſum quos incolæ ſeptis manibus, pedibusq; deſcendãt, atq; ita cinnamomum legant. Sed prior fabula commutata eſt, ad meridiani Solis repercuſſus inenarrabilem quendam vniuerſitatis halitum è tota peninſula exiſtere, tot generum auris ſpirante concentu, magniq; Alexandri claſſibus Arabiam odore primùm nuntiatam in altũ. Omnia falſa, inquiente Plinio. Compertum enim eſt, in Æthiopia gigni, & ab his, qui ſpeluncas terreas inhabitant, legi. Troglodytæ verò illis connubio permiſti, & à conterminis id mercantur, ratibusq; per vaſta maria vehunt,quas neq; remi trahunt vel impellunt, non vela, non nauigandi vlla ars,non deniq; ratio vlla adiuuat,cùm omnium inſtar ſit ibi, tantùm hominis audacia: præterea mare hybernum circa brumam, Euris tum maximè flantibus exigunt. Hi recto curſu per ſinus impellunt, atque à promontorij ambitu argeſtæ, in Gebanitarum portum, qui Ocyla vocatur,deferunt. Quamobrem illi maximè illud petunt, vixq; quinto anno produnt reuerti negociatores,& multos interire.Contrà reuehunt vitrea & ænea,veſtes quoq;, monilia, cum armillis & fibulis. Ergo negotiatio illa,fœminarum maximè fide conſtat.Ius enim à Gebanitarum ſolo rege proficiſcitur. Is edicto mercatu vendit.Ex his Plinianis verbis ſatis apparet, quàm ſit difficilis cinnamomi negotiatio. Macrobius à Syene vſque ad terram cinnami octingenta ſtadia eſſe dicit. Caſiam autem in palude non alta naſci prodiderunt. In qua,& circa quam, feræ alatæ,veſpertilionibus ſimillimæ naſcuntur, ſtridore quidem ac viribus formidabiles. Quare Arabes ad caſiam legendam,toto, præter oculos,corpore, corijs, pellibusq; alijs,obligato, & munito, procedunt. Veriorem Plinij ſententiam caſiam iuxta cinnami campos,ſed in montibus naſci ſcribentis,pu-

Plin.lib.12. cap.19.

to. Solam Indiam piper producere, quidam ſcripſere. Sed & Solinus Caucaſum montem ea fronte, qua ſoli obuerſus etiam gignere ait. Regionem autem, in qua apud Indos naſcatur, Cottonam vocari Plinius ait, & monoxylis lintribus Becaren inuehi. Idem autor in lucis Indiæ garyophyllon produci meminit. At in Molucis Indiæ inſulis naſci, ab his, qui nouas terras anteà nobis ignotas, inuenerunt, compertum eſt.

Quibus arboribus folia ſint decidua, & quibus non.

CAP. XXIII.

MAXIMVM aliud arborum diſcrimen à folijs eſt. Siquidem plurimis decidunt folia, alijs ſempiterna virentibus coma, vt perpetuum foliorũ honorem conſeruent. Nam, vt ait diuus Ambroſius, Virentem comam hybernis quoque temporibus ſeruaturæ: hoc enim Naturæ priuilegium vt nulli venti eas crinis ſui honore diſpolient. Quæ verò annuatim frondem amittunt, id commune cum feris animalibus habent, quæ pilos, pennas, quædam etiam cornua, perdant, denuò alijs ſubnaſcentibus. Sed ad eas, quæ vbiq; ſemper virent, deueniamus: quibus intellectis, quæ decaleſcunt manifeſtè patebunt. Verùm illud tamen annotatum prius velim, quaſdam eſſe regiones, in quibus ſoli, cœliq; clementia, his in vniuerſum hoc Naturæ munus datum ſit, priuatim verò nonnullis certo loco. Nam in Tilo, ſinus Arabici inſula, nulli arborum folia defluunt, vti hoc miraculo, vt ait Solinus, omnes terras vincat: & hoc in Æthiopia, ſub cardine meridiano eſſe, idem ſcribit: vbi & in hyeme ſylue vireſcunt. Circa etiam Ægypti Memphim, & in Elephantine Thebaidis agro (Theophraſto ac Plinio prodentibus) nullæ arbores, ne quidem vites, folia dimittunt: & illo inquiente, circa Delta parum temporis intercipit, quin ſemper foliaſcant arbores. In Africa nemus eſt circa Hammonis templum, perpetuò virens, vt ille inquiebat,

Lucan. lib. 9. *Quamuis Aethiopum populis, Arabumq; beatis*
Gentibus, atq; Indis vnus ſit Iuppiter Hammon,
Pauper adhuc deus eſt, nullis violata per æuum
Diuitijs delubra tenens: morumq; priorum,
Numen Romano templum defendit ab auro.
Eſſe locis ſuperos teſtatur ſylua per omnem
Sola virens Libyen.-

Paucæ enim inuentæ ſunt, quæ contra ſui generis genium, atq; etiam in vno atq; eodem loco, contra ſui generis communem faciem aſſiduè vireſcerent. Platanus autem Theophraſto, Varrone, ac Plinio aſſertoribus, Gortynæ, Cretæ, inſulæ ad fontem Lenæi amnis, immortali virore fuit. Inſignis etiam vtriuſq; linguæ monimentis, ſed cui ſtatim Græcorum fabuloſitas applauderet, Europam ſcilicet per flumen illud tauri dorſo, vſq; ad caput illius deportatam, & ab Ioue ſub illa arbore compreſſam. Fœlix quidem arbos ſtupro Dei, & quæ raptæ virginitatis virorem in ſe perpetuò retinuerit. At huic perſimilem in Cypro fuiſſe, Theophraſtus memoriæ

moriæ mandauit. Quo & cæteris duobus ſcribentibus, in Thurino, ſinus Tarentini agri Sybaris ciuitas fuit, quam nonnulli eam exiſtimant, quæ nunc Thurina dicitur. Ex qua quercus proſpiciebatur, quæ ſemper vireret. Et aliud eius dignum fuit, vt cùm ſui generis arboribus minimè germinaret: verùm poſt canis ortum, quod mirum fuit Græcis autoribus. Legi ego in Suetiæ, quam quidam Alſatiam vocant, Annalibus, apud Vpſolam (princeps ciuitas regni eſt) templum extitiſſe, iuxta quod arbor ingens eſſet, cui nunquam deciderent folia: verùm cuius generis eſſet, nemo vnquam potuit dignoſcere. Nunc de his quæ aſſiduè vbiq; virent. Perpetuò enim ex vrbanis folia ſeruant palma, cui decuſſis folijs alia ſubcreſcunt: myrtus, pinus, cupreſſus, laurus, verùm Apollinis beneficio, propter Daphnen in eam commutatam. Sic enim ipſe Apollo, apud Ouidium illam alloquitur:

Vtq; meum intonſis caput eſt iuuenile capillis, *Metam. lib. 1.*
Tu quoq; perpetuos ſemper gere frondis honores.

Olea ſuum ſemper ſeruat indumentum, nec vlla ſubſtitutionis ſucceſſione, foliorum germinatione vicem commutat. Quod etiam hic teſtatur:

Baccaq; cum ramis ſemper frondentis oliuæ.

Perſea etiam, prunus Ægyptia, balſamum, cedrus, ceraunia ſiliqua. Ex ſylueſtrium verò genere, abies, larix, pinaſter, iuniperus, taxus, teda, terebinthus, aquifolium, ilex, ſuber, picea, thia, apharca, celaſtrus, & ea, quam Arcades phelodryn vocitant. In fruticum autem genere, virent hedera, rhododendros, ſabina, chamæmyrſine, tamarix, rubus, acuta ſpina. Rationem autem quare in his arboribus non defluant folia, quidam, vt Plutarchus in Problematis ſympoſiacis, eſſe voluerunt, quòd hæ percalidæ ſint naturæ, ſicuti in lauro, & oleoſis omnibus, quas calidæ vis eſſe oportet. Hæ vt plurimum folio anguſtiori ſunt, & callo craſſo, redduntq; quandam ſuauem olentiam. Sed falſa eſt definitio arbitrantium non defluere folia his, quibus ſuccus pinguior inſit. Quod contrà in iuglande, & multis alijs, eſt. Myrtus etiam quamuis inter frigidas connumeretur, perpetuò tamen viret. Illud etiam ſciendum, vt quæ ſemper frondeant, vt continuò germinent, neceſſe non ſit. Illud enim illis ſuo tempore, ſicut & cæteris, euenit, vt ſubnaſcentibus nouis, vetera dureſcant.

De foliorum occaſu, & communi differentia.

CAP. XXIIII.

NVNC de foliorum caſu, qui vt plurimum in Autumno eſt: quod ipſa experientia cuique notum, expreſſitq; etiam Vergilius:

Quàm multa in ſyluis Autumni frigore primo *Aen. lib. 6.*
Lapſa cadunt folia. Horatius in Arte:
Vt ſyluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt. - Et Homerus:

οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν φύλλα, τὰ μὲν
τ᾽ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλο δὲ ὡς ὕλη

τηλεθόωσα φύει, ἔρος δὲ ἐπιγίνετε ὥφη.

Hoc enim tunc fit: quia hoc tempore æſtatis humor calore omnis exhauſtus eſt. Sicut in homine caluitium, calidi humoris inopia facit. Mutatio enim hæc potius, quàm ætas earum eſt. Menſis autem is, in quo foliorum defluuium eſt, Heſiodo φυλλοχόος dicitur. Timæus mathematicus folia decidere, ſole Scorpionem tranſeunte, vi ſyderis, & quodam veris veneno, putabat: cæterùm errore manifeſto. Nam eodem atque vno tempore caſus verſum omnes eſſet. Quod contrarium eſſe, cunctis pluſquam clarum eſt. Quædam enim ocyus, aliæ verò tardius, amittunt: atq; in hyemes moram prorogant, vt pertinacius etiam eas aridas retineant, vt ſæpe cum nouo hoſpite, de ſuo caſu & ſede reluctentur, vt multotiens in eadem arbore & virides, ac aridas ſimul videre ſit: vt in quercu, robore, & fago, carpino. Quæ verò locis aquoſis, & circa fluminum decurſus, & ripas degunt, diutius folia perferunt, vt in genere ſalicum circunſpicere eſt. Nam non niſi in ſolo humido ſatis fœliciter veniunt: quæ alimenti ex huberantia ſerius caluitium patiuntur. Siquidem magna vis ſoli in hoc eſt, vt feſtinantius in ſiccis & macerrimis decidant. Quidam arbores pertinacius retinere folia arbitrantur, quæ in hyeme ſatæ ſint. Prius enim decidere ad auſtrum & meridiem animaduerſum eſt, & vetuſtis quàm nouellis. Multis etiam ante fœtus maturitatem cadunt, veluti in ſerotina ficu, pyro ſylueſtri, malo punica, vt pomum tantùm in matre aſpici ſit. Quod in omnibus ſæpius ex anni intemperie, & Solis vi euenit. *Nec intereſt* præmaturius, ſeriúſve germinaſſe: vtpote quæ primæ ger*minarunt*, nouiſſimæ tamen denudentur, vt amygdala. Morus omnium nouiſſimè germinat, prima tamen exfoliatur. Parum ab eius natura erunt iuglans, ſambucus, fraxinus. Quibuſdam verò paruo tempore, vniuerſa decidunt, vt ſorbo, fraxino, iuglandi, cæteris paulatim. Nonnullis etiam omnia, neq; paſſim defluunt, vt in andrachne, & arbuto: quibus, præterquam in cacuminibus, decidua ſunt. Ante etiam occaſum colorem mutant, vt futurum teſtentur. Rubeſcunt aliæ, vt ceraſo, pyro, meſpilo: aliæ croceſcunt, vt pruno, fraxino, & ceraſo ex genere acidorũ. Paſtinacam in Spartenſi Achaiæ agro laudatiſſimam naſci, Theophraſtus ſcribit. Ex eius enim fructu defoliare arbores ſolent. Foliorum autem omnium publica in ipſis eſt differentia. De ſpeciali verò, in ſuo quoque arborum genere diſſeretur. Pars nanq; inferior à terra herbido viret colore. Ab eadem læuiora, neruos, callumq;, & articulos in ſuperiore habent parte: inciſuras verò ſubter, vt manus humana. Oleæ ſupernè candidiora, & minus læuia. Item hederæ. Sed omnium folia quotidie ad ſolem oſcitant, interiores partes tepefieri volentia. Superior pars omnium quantulamcunque lanuginem habet, quæ in alijs gentium lana eſt. Pediculo breui olea & ilex, populus tremulo: quibus ſolis folia inter ſe crepitant. Iam & in pomo ipſo, mali quodam in genere, parua medijs emicant folia, interim & gemina. Prætereà alijs circa ramos ſunt, alijs in cacumine ramorum, robori & in ipſo caudice. Plura eodem pediculo exeunt malis, pyriſq;. Lata enim rariora, contrà minora denſa. Aliquibus diſpoſita, alijs inordinata.

De præcocibus, et ſerotinis, ac regijs: & de fructibus duracinis, & drupis. CAP. XXV.

VIx vllum arborum genus, præſertim vrbanarum erit, in quo præcoces fructus, & antè matureſcentes inuenire non ſit: à quibus qui poſteà ſequuntur, ſerotini vocabuntur. Qui tunc propriè erunt, quum eiuſdem Naturæ ſunt: vt in hyemem aut longè pôſt, ſæpius in annum longiúsve durare poſſunt. Præcoces etiam regio locusq́; faciet, ſi ad cæteras frigidiores prouincias reſpiciamus. Sed in fructibus cuiuſlibet loci, & eiuſdem generis modeſtius hoc accipiendum erit. In genere enim mali cydonij, muſtea præcocia erunt. In ficis, nigræ, rhodiæ, tyburtinæ, mariſcæq́;, quas Græci βωνάκυς appellitant. Ficus præcoces Athenienſes prodromos vocabant, quæ in Laconico genere maximè erant. Serotinæ autem à corio, Plinio duræ dicuntur. In perſicorum autem genere, vnum eſt cæteris minimum, quod Dioſcorides præcocium appellat: ſtatim pôſt ceraſia editur. Galli non longè à Dioſcoridis nomenclatione recedentes, apricum vocant ac ſi velint dicere, loci apricitate atq; calore præcocem fieri. Hæc olim Armeniaca, vt infrà dicetur. Fructus autem natura humidi, ſolidi, acerbiq́;, vt glans, pyrum ſylueſtre, cum frigore maturantur. Hi enim humorem ſuum, ſaporemq́; ſerò recipiunt, ac poſtquam ex arbore excerpta ſunt, matureſcere poſſunt, & dulcedinem recipere. In quorum quidem nonnullis, veluti in meſpilis, ſorbis, ac drupis, putredinem, maturitatem vocare poſſimus. Tunc enim vſui aptiſſima, nō etiam antè ſunt. In fugacibus autem & præcoces erunt. Quorum ſi ratio in vniuerſum ad eos, qui poſteà ſequuntur, referatur, præcoces etiam dicentur. Fugaces Plinius vocat, quæ minimo durant tempore. Vergilius leues vocat: Græci ὀπώρα. Propterea ſic dicti, quòd cito marceſcant, nec diu poſſint adſeruari, cogantq́; ſe quàm citius venundari. Hac enim ratione Galenus ὡραίυς καρπὺς vocari rectè ſcribit. Roſam Carthagine & in Hiſpania hyeme quoq; tota præcocem ſcribit. Campana etiam præcox, ſera Mileſia, nouiſſimè tamen deſinit Præneſtina, & quæ nunc Damaſcena, quæ toto fermè anno in flore eſt. Inter hos omnes fructus, è certis arborum generibus, quidam ab egregia forma ſingulariq́; magnitudine, baſilides vocantur: vt in oliua, lauru, pruno, & alijs, de quibus in ſuo quoq; genere dicetur. Duracini etiam, vti in ceraſis apud quaſdam gentes, quibus Plinius principatum tribuit, vocariq́; in Campania Pliniana. Perſico duracino caro ligno adhæret: nec ab eo auelli poteſt, quum in cæteris facilè ſeparetur. Plurimum ineſt ſucci. Pompeius nuces moraceas, duracinas, è Titineo vocabat, quæ duræ eſſent: vnde diminutiuum eſſet moracillus, id eſt, duriuſculus. A duritie ſic vocantur, qua vel nomine dignoſcuntur, vt in hoc diutius immorari non cenſeam. Drupæ in olea & lauro dicuntur baccæ, quæ optima ætate inter ſucci copiam bonitatemq́; nigreſcere & colorari incipiunt. Poſſunt & in alijs fructibus eadem ratione ſic vocari. Græci δρυπεπεῖς dicunt.

De fructuum varia appellatione, & differentia, ac diuerſa in producendo natura. CAP. XXVI.

ARBORVM omnium fructus, vnico glandis nomine contineri Vlpiano & Priſco Iaboleno Iuriſconſultis placuit. Hoc modo enim Græci, vt hic ait, omnes arboris ſpecies ἀκρόδρυα ἀπὸ τῆς δρυὸς vocant. & γεράδρυον, pro veteri & ambuſta quacunq; arbore accipitur. Apud quos etiam eadẽ ſignificatione δρύκαρπα omnes arborei fœtus nuncupantur. Glans tamen præter generalem illam ſignificationem, propriè roboris, quercus, eſculi, fagi, cerri, ilicis, ſuberis, caſtaneæ quoq; erit: quamuis hanc Vergilius inter nuces poſuerit forſitan Nicandri exemplo: qui κάτινον κάρυον dicit. Nonnulli etiam fructus omnes κάρυα vocarunt. Cæterùm Epicharmus per excellentiam nuces amygdalas appellauit. Ex quibus ergo arborum vniuerſarum fructum in glandis & nucis nominibus eſſe patet. Attici, vt ſcribit Athenæus, fructus omnes lignoſo cortice contectos nuces appellabant. Sed qui diligentiùs perſcrutati ſunt, ἀκρόδρυα continere fructus dixerunt, qui forinſecus lignum habent, intus verò carnem, quales ſunt caſtaneæ, piſtacia, malum punicum ὀπῶραι, qui extrinſecus carnem habent. Quiq; herbacei & corticis mollioris ſunt, vt mora, ceraſia, pruna, ficus, & eiuſmodi, pyra atq; mala omnia. Vtrunq; verò genus ſalgami nomine Latini complectuntur: vnde ſalgamarius defluxit. His etenim Græci duabus dictionibus omnes arborum fructus deſignarunt. Verùm Latini latius: aut enim nuces, malaq;, vel acini, baccæq;, ac ſiliquæ erunt. De glandibus iam dictum. Nuces verò ſunt, quibus pomum duro foris tegitur, intus autem quod eſui ſit. Sicuti in nuce iuglande, amygdala, auellana, pinea. Mala enim quidam ea eſſe voluerunt, quæ extrinſecus habent quod edatur, intus quid durum includat. Sed hoc omnino verum minimè erit: cùm malum punicum quid durum extrà habeat, intrinſecus verò quod comedatur. Ficus etiam foris, quod eſculento ſit, malum tamen nequaquam erit. Vt ſolum duntaxat ea ſint, quæ eiuſmodi nominationem vſurparunt: vt ſunt mala perſica, cydonia, punica, citria, & ea omnia, quæ vulgus Gallicum pomum vocat. Malum tamen Perſicum Sueuius apud Macrobium inter nuces poſuit: apud eundem enim Cloatius inter mala annumerauit. Pomum autem omnium fructuum generale nomen erit. De nuce pinea ſic Martialis:

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Ficum verò à pomis ſecerni, Macrobius autoribus demonſtrat. Afranius in Selia, Pomum, olus ficus vuam. Cicero œconomicôn tertio: neque ſerit vitem, neq;, quæ ſata eſt, diligenter colit, oleam, ficus, poma non habet. Plinius tamen pomum eſſe, multis locis oſtendit, præſertim verò libro duodecimo his verbis: Fert eadem inſula (de Tylo loquitur) & palmas, oleaſq;, & vites, & cum reliquo genere pomorum ficus. Si non ſpecialius glandes ſunt, aut nuces, neq; mala, ſaltem vt pomi generali appellatione

latione comprahendantur,conueniens erit.Libro etiam decimoquinto, cedri baccas, mala hic appellat : vt inter cæteros autores pomi & malorum appellatione licentius hic vſus fuerit.Caſellij Iuriſconſulti,apud Macrobium iocoſum extat reſponſum. Vatinius autem cùm gladiatorium munus ederet, à populo lapidatus, vt Ædiles edicerent obtinuit,ne quis in arenam niſi pomum mitteret.Quo tempore Caſellius à quodam conſultus,an nux pinea pomum eſſet,reſpondit pomum fore,ſi in Vatinium miſſurus eſſet. Baccas inter & acinos hoc intereſt,quòd baccæ diſperſius naſcantur,vt lauri fructus,oliuæ etiam & corni,& myrti,ac lentiſci,ſorbi: Acini autem inter fructus minutiores, denſius,ac racematim naſcuntur, inter quos hederæ, ſambuci, mali punici, moriq; grana. Græci γίγαρτα vocant. Baccis item magna differentia : aliæ enim oliuis , laurisq; ſunt, alioq; modo loto,cornis : diuerſa myrto,lentiſco,aquifolio. Quibuſdam intus lignum,caro extra:vt oliuis,ceraſijsq;. Græci πυρῆνας dixerunt huiuſmodi nucleos. Econuerſo id in quodam in Ægypto genere. Neque illud prætereundum cenſeo , Seruium Maurum baccas arborum agreſtium generale eſſe exiſtimaſſe. Sed acinorum aliud quoq; diſcrimen eſt: vt hederæ & ſambuci. Figura etiam differunt , malo punico quippe anguloſi. Nonnunquam tamen baccæ & acini indifferenter ponuntur. Vergilius:

Sanguineis ebuli baccis, minioq; rubentem.

Hæc quoq; etiam colorem variant : quod in arborum deſcriptione docebitur. Alia in vniuerſum fructuum differentia. Putamine clauduntur nuces, corio caſtaneæ, quibus illud detrahitur. At in meſpilis manditur. Cruſta reguntur glandes, corio & membrana mala punica. Cute verò,ac carne ceraſia conſtant : Mora carne & ſucco, vt homines: callo pyra, ac mala , corpore melimela , Mora cartilagine. Iam verò diuerſa gratia & commendatio palmæ Thebaicæ cruſta ſucco caricæ. Iuglandium verò ſumma & viridia putamina , guliolæ veteribus notæ. Quædam ſtatim à ligno recedunt,vt nuces,& palmæ. Quædam adhærent,vt lauro,atq; oliuæ. Alio etiam generi vtraq; eſt natura,vt perſicis. Quibuſdam verò nec intus , nec extrà lignum , vt in palmarum certo genere. Nonnullæ extrà gemino operimento teguntur,vt caſtaneæ,amygdalæ,iuglandes.Dependent alij pediculo,vt pyra,mala.Quibus alijs longiores,cæteris breuiores. Alia racemis, vt palmæ. Olea in Syria congeſtum , quaſi vuæ modo fructum fert,ſoli vbertate.Quod cæteris regionibus minimè datum. Alia & pediculis & racemis,vt hederæ,ſambuci. Quædam in ramo adhærent,vt in lauro.Nonnulla vtroq; modo,vt oliuæ.Nam & breues in his pediculi, & longi : in cortice quædam,ſed perpaucæ,fructum ferunt,vt pala arbor Indiæ. Aliæ & in quoq; genere differentiæ, quas diligentiſſimus quiſque perſpicere poterit. Neque enim omnia ac minima quæque comprahendere , & ſcire poſſumus. Quiſquiliæ Feſto , quicquid ex arboribus minutum cadit.

De ſeminibus,& illorum differentijs. CAP. XXVII.

VT

VT autem ſemina, poſt fructus, in quibus continentur, diſſeramus, ratio ſuadet. Fructus autẽ à ſemine, quod Græcis καρπὸς & σπέρμα dicitur, differt, quo contentum à continente, ſeu veluti pars à toto. Nam fructus ex alio eſt, ſemen ex hoc ipſo fructu. Pomum quidem ex arbore eſt, ſemen pomi eſt: vt ſecundum prius & poſterius differant. In quo quoniam ſtirpium vis generatiua collocatur (nihil enim ſpontè terra producit, niſi anteà aliquid acceperit) ſpes propagandæ ſuæ ſpeciei, &c, vt fieri licet, perpetuandæ. Vt propter iſtud ipſum, maxima cura, prouidens rerum parens Natura: illud in pomorum penitiore, tanquam tutiore gremio abdidit, vt non ſolùm fructuum carne aduerſus cœli intemperiem, ac moleſtias, ſed etiam animalium iniurias defenſum velit: quin ſæpe oſſe, nonnunquam ligno, frequentius corio, quandoq; callo muniuit, vt pluribus propugnaculis, multis obnoxium cuſtoditum eſſe velit. Arborum in vniuerſum nullæ nudo ſunt ſemine: effecitq; vt plurimùm ne eſui eſſent, néve gulæ voracitate, ac cupiditate deperiret: ac ſi hoc ſolum ad prolem reſeruatum ſit. Illud autem ingenitum in ſe habere calorem, atq; humiditatem, neceſſarium. Quod ſi vtrunq; horum, aut alterum defuerit, infœcundum ſit oportet. Quibuſdam in carne ipſa eſt quod pellicula ſeparat, vt in pyris, malis punicis, περικάρπιον Græci appellant. Alij ſtatim in carne ipſa, vt moris, vnedonibus, ficis, in quibus granula illa, ſemina ſunt. Græcis κεγχράμιδες, quemadmodum γίγαρτα in acino fructu, ſicuti vitis. Nonnullis illico poſt tegmen eſt, vt palmæ, iuglandi, amygdalæ, auellanæ. Quorundam trigemina natura, carne, deinde ligno: rurſus in ligno ſemen: veluti in perſicis, prunis, ceraſis, oliuis, lauro, meſpilis. Alia ſiliquis includuntur. Sed quæ eiuſmodi reperiuntur, pauca ſunt, & inter arbores ficus Ægyptia, colytea. Inter frutices ſpartus, geniſta, ſpina Ægyptia, anonymos. Eſt & alia differentia. Quibuſdam ſemen congeſtum, atq; promiſcuum, vt pyris, malis, punicæ. Alijs ſeparatim, vt ficis, moris. Quædam aluo continentur, vt punicæ. Nullum autem vaſculum, niſi vas corium appellare maueilis.

Arbores aliquid præter genuinos fructus gignere, ac de illarum humore. CAP. XXVII.

ARBORES autem aliquid, præter fructus, naturâ illis communes, ac peculiares inſitos ferunt. Non tamen omnes, vt quæ vnum tantùm producant, ingenuæ habeantur. Et inter illas quæ multiplici ac vario fructu ſunt. Quædam reperiuntur, quæ vno aut altero contentæ minimè ſint, ni plura quoq;, Naturæ beneficio & admiratione, non tam ad communẽ eſum, quàm medendi vim, nobis producerent. Inter quas quidem quercus, & robur excelluit. Primùm enim viſcum, quia in terra pullulare minimè ſcit, in arboribus ſedem atq; in alieno locat, viuitq;. Gallarum etiam duo genera, candidam & nigram fert: cachryn quoq;. Pilula eſt, in medicina vrendi vim habens, Fungos etiam, ſplachnon, & mel teſte Heſiodo. Rores enim

res enim melleos è cœlo cadentes,non magis inſidere alterius frondibus conſtat: ſæpe tamen in ſalicibus. Tam multiferæ hæ duæ arbores ſunt. Reſinam autem picea, pinus & in eodem genere ſylueſtres piceaſter, pinaſter,abies,ſapinus,teda,larix, populus nigra,terebinthus.Pix autem cupreſſo,cedro,terebintho elicitur. Gummi,lacryma eſt congelata, & concreta in arborum truncis eam ſundentium, Galeno ſic diffiniente. Hæc autem in lentiſco,vlmo,amygdalo,pruno,ceraſo,perſico,& in fruticibus ſpina Ægyptia fluit.Viſcum præter ſupradictas malorum quædam genera,prunus,pyrus,& aliæ multæ arbores,vt pinus,abies,terebinthus.Sphachnon etiam certus fert. Pillulas verò abies, larix, picea, tilia, platanus,& rubus. Boletos enim atq; ſuillos (nouiſſima gulæ irritamenta) etiam cupreſſus,& pinus: verùm noxios, cùm in robore probatiſſimi ſint. Circa radices gignuntur.Plinius in ſyluis maris rubri oleas emittere ſcribit cùm pluit,qui ſole tacti in pumicem mutantur.Nicander apud Athenæum,in oleis, quercubus, punicis ilicibus, lethiferos agnaſci ſcribit. Sunt enim graues atq; humidi. Qui verò ſuper vlmis, tenuiſſimi,friabiles, ac teneri. E glandiferis ſola quæ vocatur ægylos, panos arentes, viſcoſo villo canos.Non in cortice modò,verùm & è ramis pendentes fert cubitali altitudine, odoratos. Ilicis frutex granum pumiceum producit. Humorem arboribus, loco ſanguinis eſſe ſupra diximus. Quem nonnulli liquorem, alij verò lacrymam vocant. Plurimus enim in cortice eſt, ſed abundantius cùm germinare cœperint: ſed validiſſimus & ſuam vim magis oſtendens,quum iam & germinare deſierit, & à frutificatione requieuerit.Aliquibus vero abundantior.Aliæ autem minùs conſequuntur. Multi omnino nullus. Alijs albus, vt lactoſis, veluti ficis, ceraſis gummoſus, vlmis ſalinoſus. Lentus ac pinguis malis, pyris aquoſus. In lacrymæ modum iunipero,& omnibus reſinam ferentibus:lacryma enim eſt & gummi.Quibus adde quæ myrrham,thus,& balſamum ferunt.

Fructuum arborum ſapores. CAP. XXIX.

SAPORES autem,ac odores plantis conuenire, ſatis cuiq; conſtat. Vti etiam Ariſtoteles, philoſophorum facilè princeps (Platonem tantùm exceperim) poſtquàm in vniuerſum de ſaporibus diſſeruiſſe profiteatur, ſaporum peculiarem plantarum diſputationem, in commentationem illarum reſeruauerit,ac ſi ingenue profiteri voluerit, plantarum erga ſapores differentem à cæteris materiam eſſe. Quod contrà ex his,quæ generaliùs ediderit, manifeſte oſtendit. Omnes enim fructuum arborum ſapores, qui inueniuntur,in tellure eſſe videntur.Talis enim humoris ſapor, qualis telluris,per quam humor ipſe colatur. Quæ ſi vera eſſent, vnius totius territorij, vel anguſti agelli, hortorum etiam minoris capacitatis, vnius naturæ arbores omnes, eiuſdemq; ſaporis eſſent; etiam ſi ibi inſitarum arborum diuerſa eſſent genera: quorum ſapor ſecundum ſua genera,ſua deniq; peculiari virtute differens reperitur. Sunt etenim plantarum ſecundum ſuum genus diſtincti ſapores,nonnunquam aſcriptitij, puluere

aut liquore, dum inſerũtur, iniectis. Qui ſapores ex telluris ſiccitate concoquente humiditatem, conſeruantur. Et vt ad ſaporis diffinitionem ex illius ſententia veniamus, Sapor eſt affectio quædam ex commiſtione humoris & terræ ſiccitatis, quæ guſtus potentia ad operationē, & actum perducit. Itaq; Galenus ſaporum nomina linguæ inſtrumento, & guſtandi ſenſu dignoſci aſſerit. Græcè enim dicitur χυμός. Humor autem in plantis incraſſatus χυλός. Omnium primùm ſaporum materia, eſt humor. Abſque enim humore nihil efficit ſaporis ſenſum. Humore enim aluntur, qui omnium craſſitudinum, quas habent, tenuiſſimus eſt. Ex humido enim ſaporem fieri notum eſt, permiſto tamen calore, qui vi ſua quod terreum eſt concoquit, & digerit, vt iam dictum eſt. Quo præpedito, vt in gelatis fructibus videre eſt, in quibus præter modum humectato, ipſum calorem, qui cum humiditate ipſa commiſtus erat, abſumit, & diſſipat. Nam ipſa humiditas exundans & excellenter inualeſcens, ſopita nimirum corpora congelat, & conſtringit, vt reſoluto poſtmodum gelu, humeſcant, & deinde putreſcant neceſſe eſt. Hæc autem, quæ exigui, & tenuioris ſunt ſucci, exſiccantur. Verùm horum alterum conualeſcit, vt ambo tamen temperatè adſint: alioquin ſaporem reddunt deteriorem vel amariorem, vt in primùm natis fructibus eſt, qui nondum decocti ad maturitatem non peruenerunt, eiuſmodi ſunt ſaporis. Qui ſi maturi fuerint (quod fit à caliditate temperata) ſuaues erunt. Per concoctionem autem, ſaporem tranſmutant: vt amarus, aut acerbus, in dulcem vel pinguem permutetur. Alij ex amaro in acerbum, ceu oliua. Quædam ex acerbo in dulcem aut aërem, vt pyra, & cætera, quæ primùm amara, poſt dulcia aut acuta fiunt: vt propterea non ex aqua ſolùm, vt aiebat Empedocles, trahere ſapores manifeſtè appareat. Omnes enim propemodum arborum fructus, ortus ſui principio lignoſi, ſicciq; ſunt, ſimulq; acerbi, dein verò temporis progreſſu, humidiores fiunt: ſucceditq; aciditas quædam, diſcedente acerbitate. Haud tamen quod accedit, vel quod amittitur, par eſt in fructibus omnibus, neq; ſi ſpeciem, neq; ſi genus reſpicias. Exin quibus ſenſim exutis, matureſcunt, ac perficiuntur, dulceſq; finaliter euadunt. Quædam tamen ſtatim ab acerbitate, palàm ad dulcedinem tranſeunt: veluti oliuæ, quæ calido coquuntur & matureſcunt. Porrò ſi cùm initio acerbi, matureſcentes dulceſcunt, ſequitur ex calore ipſis dulcedinem prouenire. Acerbitatem autem atq; aciditatem ex frigore eſſe, notum eſt. Fructuum aliud proprium eſt, & ingenitum, alterum verò externum, quod à ſolo videlicet eſt: verùm hoc vniuſcuiuſq; naturæ conueniens, ac familiare. Non tamen ex acerbis omnes dulces fiunt. Quidam enim aceſcunt, nonnulli pingues, alij auſteri, cæteri ad vltimum acerbi permanent: quales ſunt ilicis, arbuti, fagi, corni. Tantummodò molles matureſcunt, nulla præterea accedente alteratione. Decerpti item ab arbore fructus ſapores mutant, ſiue Soli, ablatis inuolucris & tegumentis, vt in caſtanea, & auellana deprehendere eſt ſiue etiam igni exponantur, vt excocti ad omnia ſaporum genera tranſmutentur, & tempore exhalati, vt ex dulcibus amari vel auſteri, & ecótrà, fiant. Nam pleriq; cùm leguntur,

inſuaues:

inſuaues:vti ferè omnes qui ſerotini ſunt: tempore verò niteſcunt,atque guſtui poſteà pergrati. Fructus plantæ ſaporem oſtendunt. Itaq; ab hac tanquam à matre & altrice, & vim, & naturam accipiunt. Quod crudi potiſſimùm efficient: vt quò plus recentiùs deſumantur, eò manifeſtius genitricis naturam patefaciant. Maturi verò minùs, vt potè quum humoris effuſio plus temporis proceſſerit, eò purior factitetur.

Saporum genera quot, & de illorum natura, & poteſtate, & de ſuccis. CAP. XXX.

NVNC de ſaporum generibus,atq; horum virtute. Quorum differentiæ, inquit Ariſtoteles, ex diuerſa facta impreſſione ſunt, & ſenſuum affectionibus diſtinguuntur: vt odor olfactu. Quæ difficulter tamen (inquit Galenus) diſcernuntur, vt impoſſibile quidem ſit, exactè exponere. De numero autem autores etiam graues ac claſſici diſſenſerunt. Plato ſiquidem ſeptem, Ariſtoteles, Theophraſtusq; eius diſcipulus, & Alcinous eius interpres, & poſt hos Galenus medicus octo poſuerunt. In quo numero frequentiùs concordatum: alij enim pauciores. Nam pinguem ad dulcem, & ſalſum ad amarum retulerunt. Plinius verò tredecim. Sed iam de his ſpeciatim differendum, vt primùm de his duobus, videlicet acerbo atque auſtero, propter illorum inuicem familiaritatem, & cognatam vim dicamus. Nam Plato in Timæo, hos duos ſapores eiuſdem ſpeciei eſſe dicit, qui inter ſe maioris & minoris duntaxat ratione, & ſola intentione diſſideant. Quare ab Theophraſto auſterus non temerè obmiſſus, quòd communis cum acerbo ſit. Acerbus Græcè στρυφνὸς dicitur: neotericis noſtris, à pungendo ponticus. Cùm eius natura, linguam, id eſt, vim illam deguſtandi, admotione pungat; aut potiùs ſubmordicet, contrahat, & in multam profunditatem illam exaſperet. Ideoq; conſtipandi, denſandiq;, & adſtringendi, ac deſiccandi vim habet. Quare planè conſtat ſaporem acerbum frigidum eſſe, quòd ab huiuſmodi qualitate corpora hiſce afficiantur, & terreus ac craſſioris ſit ſubſtantiæ, Saturniq; proprior ſapor. Prædicti verò ſaporis ſentiuntur pyra ſylueſtria immatura, & corna, & roboris fructus, galla omphacina. Is autem à cæteris diſcernitur, quòd linguam non acuit, neq; eo lingua acet, quo acidus rectè dici poſſit, vt propterea reformidetur: neq; acer, quum acria calidiuſcula ſint, nonnunquam ſternutamenta cientia. Auſterus Græcè αὐστηρὸς & στυπτικὸς, quam vltimam vocem plures inter Latinos vſurparunt, minoris potentiæ, mitiorq; eſt quàm acerbus, hoc ſolo prætereà ab eo ſegregatus. Nam paulò imbecillius linguæ venulas exaſperas, ſubitq; in profundum, verùm minus quàm acerbus. In ſuperficie enim magis pollet, nec pellit intrò, ſenſibilioraq; membra tardè penetrat. Quamobrem tenuiter deſiccat, contrahit, non condenſans, eoq; frigidior acerbus. Aſtringit, quare Galeno στρυφνὸν etiã dicitur, quòd eo magis humidæ quàm ſiccæ naturæ ſit. Talis in vuis & malis immaturis depræhenditur. Amarus Græcis πικρὸς, cum dulci contrariæ naturæ. Moleſtè exaſperat, humorem corrumpit, aut coagit,

vel mordet. Galenus enim eum ex nitroſi prouenire intentione ait. Siccus,calidusq́; eſt. Cæteri verò abſq; inſigni qualitate frigidum,aqueumq́; dixerunt: cuius finis ac terminus eſt,vehementer abſtergere. Odoratiora amara, omniumq́; minimùm putreſcunt. Acri propius eſt, præſertim ſi ex tenuium terreſtrium partium aduſtione fiat: ratione duplici. Prima, cùm exactè amarus, qui nulla alia qualitate, nulloq́; alio notabili ſenſu, ſed in ſua natura abſolutus. Minùs verò amarus, alienis permiſtus qualitatibus, qui & minùs calidus, nec ſui omnino ineptus. Acer Græcè δριμὺς, Pontico contrarius,cum valida quadam caliditate mordicat, erodit, & eo ferueſacto ore, mutuò & linguam ferueſacit. Salſo & amaro calidior, & omnium ſaporum, quod ad impreſſionis modum attinet, calidiſſimus.Piper verò eius naturæ eſt.Acutum inter ſaporum appellationes Plinius annumerauit. A multis tamen prætermiſſus, vulgoq́; vſurpari video pro eo,quem nos acrem diximus. Hunc quidam & acrem ad ſolem referunt,quòd Solis radijs acutius, calore eius nihil acrius. Senſum adurere alij aiunt: quod & ad acrem etiam pertinet.Qui verò potius humidum quàm ſiccum exiſtimarunt,potius ad acidum retulerunt: vt melius fecerint,qui hunc præterierint,vt qui nec ad acidum ſpectet, nec alius ſit ab acri. Acidus Græcis ὀξὺς, vulgò acetoſus. Tenuium terreſtrium partium eſt,& ſubtilis. Conſtringendo mordicat, exaſperat,roditq́; citra excalfactionem. In quo verò ab acri differt, attenuat, diuidit, & vellicat. In alto magis apparet,ſenſibiliaq́; membra velociter penetrat, magis humidum. Cum acri communes quaſdam vires habet, ſicut & cum amaro, verùm non cum ita vehementi acrimonia. Duplici diſcrimine ſeparantur: aut enim ſimpliciter acida cenſentur: id eſt,ab alijs qualitatibus ſyncera. Alterum genus eſt,quod alijs qualitatibus permiſcetur, puta dulcibus,vel amaris,ſæpe etiam acribus,vt in malis punicis, prunis,malis,moris, ficubus, ceraſijs. In quibuſdam verò his fructibus, vel dulcedines,vel acerbitates,aut amaritudines coniunctæ ſunt.Quacunq; autem qualitate acida ſint,refrigerant,neruos lædunt,& humores exſiccant.Salſus Græcè ἁλυκὸς & ἁλμυρὸς, propinquus eſt quadantenus, ſimiliſq; amaro. Ab acerbo autem & auſtero calore differt.Hi apprimè calidi:illum terreſtrem calidum dicunt, qui nondum igneus ſit. Linguam non contrahit, nec conſtipat,velut adſtringentia: imò agere apparet. Nonnihil tamen conſtrictionis habet: plus ſiccitatis, minùs frigiditatis committit. Abſtergit etiam,abluitq́;:verùm hoc lenius,moderatiusq́;,quàm amarus,idq́; etiam exſiccando,ac ſegregando. Terræ autem propior. Lunæ enim peculiaris exiſtimatur, quòd hæc vi humecta irradians hunc efficiat. Plantis nunquam euenit:quamobrem hæc ſuperflua quis exiſtimabit,ſi non hic gratiſſimus: vt ferè omnia,quæ eduntur abſq; eo,inſipida ſint,vt in generali ſaporum hiſtoria auidiſſimè deſiderentur. Dulcis Græcis γλυκὺς, & μελιτώδης. Familiariſſimus, pergratusq́; omnibus,etiam feris beſtijs, & cum voluptate manifeſta ſuauis, vt qui maximè in arborum fructibus expetetur: quo ſi careant, minimè nobis iucunda apparebunt, quin potius reijcientur. Ad alendum aptior. Nam opplet,& vngit, propinquiusq́; ad naturam

naturam noſtram accedit. Natura reliquorum omnium contrariæ Linguæ humorem imbibitum per fibras dilatat,& vehementius aperit, propter humidum, calidumq́; abundè ſimul miſtum : quæ autem aſperitate ac ſcabritie pethorreſcunt,leniter mulcet,mitigatq́;.Quicquid enim linguæ inhæret,abluit,eluitq́;.Temperatum calorem habet,& humiditatem nobis cognatam, vt immodicè calotem noſtrum exuperet nequaquam, nondum vrens. Theophraſto autem eius ſunt ſpecies, melleus, lacteus, vinoſus. Verùm vinoſi alij non meminerunt, ſed tantùm in plantarum ſuccis locauerunt,vt Plato,& Plinius,vt à melleo diſcretus ſit.Vnum aliud ſaporum genus ille adducit, quod ὀπὸν appellat. Nihil refert, dulce an melleum dicas : velut pingue an oleoſum. Pinguis, ſiue vnctuoſus, aut oleoſus, Græcè λιπαρὸς à Theophraſto additus, cùm Plato ad ſuccos plantarum tantùm verius retulerit. Nihil enim ad guſtum pertinet. Ex humore autem ac calore oriri cenſendum eſt aqueum. Exaſperatas verò & veluti eroſas linguæ particulas, ſine manifeſta voluptate inungit, atq; opplet,ac in ſtatum ſuum reſtituit. Saporis exactè pinguis,ſunt oleæ,nuces, amygdalæ, tum omnia, ex quibus oleum conficitur, pinguia dicere neceſſe eſt, vt potè ea omnia, in quibus aquea excrementitia humiditas digeritur,quod à calore natiuo elaboratur atq; exactè concoquitur.Suauem Plinius poſuit : nec tamen quis hic ſit, nec quomodo dignoſcatur, aperuit. Ex ſpeciebus tamen acerbi,auſteri,amari, acris non eſſe, conſtat. Quæ omnia Nonius Marcellus aſpera interpretatus eſt, quæ contraria ſuauibus ſunt. Vt Vergilius oſtendit his:

Aſper in ore ſapor.

Quare Plinium intellexiſſe oportet,guſtui optatiſſimum,& gratiſſimum, ſicut ſuauia generaliter iucunda & dulcia diximus. Præter has differentias inuenitur inſipidus, veluti priuatio quædam omnium ſaporum. Nullam enim qualitatum prædictarum præ ſe fert naturam ſapiens, verùm qualitate (quod ad ſenſum pertinet) medius. Impreſsionem facit in lingua,vitioſo ſimilem.Galenus autem hunc ἄποιον vocat, ac ſi velit dicere,qualitatis inexpertem. Quamobrem & Latini quoq; fatuum appellant. Cæteri aqueum, quod huiuſmodi ſapor in aqua reperiatur. Plinius autem in ſaporibus cæteris omnibus numeroſior. Poſt enim enumerata ſaporum decem genera,tria adhuc ſubdidit.vnum, in quo plures pariter ſentiantur,vt in vinis, auſterus, acerbus, & dulcis, & ſuauis. Alterum, in quo & ſi alienus inſit, ſuus tamen & peculiaris eſt, vt in lacte. Siquidem ineſt ei (quod tamen iure dici non poteſt) dulce,ſuaue,atq; pingue,lenitate quæ in ſaporis vicem ſuccedit.Horum autem ſaporum meminerunt & alij.Non quòd generibus diſcreuerint.ſed de illorum tantùm commiſtione, vt ſuprà de amaro & acido diximus. Nam & in arborum fructibus, tum maximè ijs, quos Græci ὀπώρας vocant, ſapores ſæpe inſunt plures : quandoq; dulcedines quædam ſimul atq; acerbitates : alijs etiam cum quibuſdam alijs amaritates quædam obſcuræ & lenes, vt ſic de cæteris miſtim iudicandum ſit. Acerbus enim, & dulcis myrti fructibus: Auſterus vnaq; dulcis in palmæ fructibus,qui diuerſi in cæteris fructibus

animaduetti poſſunt. Sed in ſuccis differentia. Siquis hos à ſaporibus ſeparare velit, quod vſquequaq; fieri non poteſt. Quicquid tamen de his ſenſerit Plinius, dicendum. Pyro enim, moro, myrto, vinoſus. Pinguis oliuæ, lauro, iuglandi, amygdalis, pino, larici, abieti. Prunis aquoſus. Dulcis palmis, ficis. Magna etiam in colore differentia. Moris verò, ac ceraſis, & cornis ſanguineus. Lacteus in capite ficis, in corpore non item. Malis ſpumeus, Perſicis dilutus.

De fructuum odoribus. CAP. XXXI.

POST ſapores, vt de odotibus dicamus, iſtorum conſenſus perſuadet, propter magnam illorum cognationem. Nam pro ſaporum ratione odores vt plurimum conſiſtunt, veluti etiam ex ſuccis proueniant. Parum enim fructuum dos in vno quàm altero abeſt. Nam & hoc non minùs quàm altero delectamur, & afficimur: vt ſenſibilium inſuper animantium gratia, odores Natura procreauerit. Magnum enim omnibus in odore momentum vt pulchrè Plinius ait, Sua in odore miracula. Bonus quippe atq; ſuauis odor (vt alia eius infinita munia ſileam) animam dilatat, ſpiritus & vires reparat, ac virtutum fontes roborat. Non tamen vt odores perinde atq; ſapores proprijs appellationibus (vt ait Plato in Timæo) diſtincti ſint. Non enim quippiam amarum, auſterum, acerbum, dulcem, ſalſum, odorem ſtatuerint, vt hæc omnia, in duas haſce odorabilium appellationes, beneuolentiam ſcilicet, & graueolentiam redigantur. Fuerunt tamen qui etiam odoribus nomina indiderint. Quædam cum ſaporibus propter illotum contubernium communia, vt acris, acuti, aſperi, ſuauis. Alia etiam, vt diluti, grauis, vel graueolentis, viroſi, tetri, putidi. Hæc autem nomenclatura apud autores crebrò inuenitur. Odorum verò ratio, ſaporum genera minimè ſequitur: quia non ſunt idem odor & ſapor. Nam odorum (vt ita dixerim) omnium poteſtas, pro ſubiectæ naturæ ratione proculdubio eſt, quam experitur olfactus. Odoris etiam ſenſus in ipſis cerebri ventriculis eſt. Nam odorabiliũ euaporata ſubſtantia, per narium inſpirationem in cerebrum delata, ſenſum mouet. Ex omnibus autem, quæ ſaporem habent, quædam illico odorata ſunt: nonnulla etiam vel confricata duntaxat. In arborum autem fructibus non niſi maturis odor conſiſtere poteſt. Siccitas enim eſt, quæ odores, vel omniũ, vel certè aliquorum facere poteſt. Dum igitur virides ſunt, hument. Immodici verò humoris abundantia odor contunditur. Porrò hic moderata deſiccatione corrigitur. Propterea vt plurimum, arborum fructus, temporis ſpatio validiorem vibrant odorem. Nam per vetuſtatem vis aquoſa terreno commiſta, exhalatur, & areſcit, vt odor coctura contrahatur, vt in malis cotoneis videre eſt: vt quæ maximè cocta fuerint, non tamen ſi in plenum, melius oleant. Quare plura decerpta odoratiora, quàm in ſuis radicibus, quòd ſublato alimento maiorem humoris iacturam faciant, quæ à parente minimè reſarciri poteſt, vt nullo amplius fulta cibo, ſicceſcant. Hac eadem itidem ratione odoratiora, quæ locis aridis,

dis, atq; ſiccaneis, & apricis naſcuntur. Alimenti parſimonia contenta quàm placido perflantur ſpiritu. Quæ autem locis opacis, & dilutis, inodoratiora. Humor enim ſeſe largius infundens, odorem hebetat: vt quibus tenuior odor ſit, facilè humore euaneſcat. Simili itaq; cauſa, odoratiora omnia, quæ regionibus calidiſsimis, quàm quæ frigidis: & odoratiores plantæ, in quibus minores flores. Plus enim humoris terrei maioribus ineſt. Odoratiores etiam vbi nonnihil pinguedinis ſubeſt, vt lauro, cedridæ, terebintho. Nam & huic calor accedit. Odoratiora etiam, quæ ſolido innituntur fundamento, cùm inſitum calorem compactius obſeruent. Odores etiam præſtant loca quædam, peculiari quadam dote, vt Ægyptus, in qua myrtus odora eſt, cùm alibi nihil redoleat. Syluestres autem & feri fructus, vrbanis odoratiores: & ex his, qui exiles, quiq; guſtu amari, acuti, acres, & ſuaues: vt mala, pyra, meſpila. Dulces enim minùs odorem reddunt, vt fici, quod talium ſuccus craſsior, atq; terreſtrior. Et, vt generalius dicam, licet vniuerſæ plantarum partes, puta radix, ramus, folium, fructus, cortex, cognationem quandam habeant, odore tamen, ac ſapore diſcrepant, vt pars aliqua plantæ eiuſdem odora, ſapidaq; ſit, alia inſipida, inodoraq; ſit. Alijs autem in flore, nonnullis in folijs, cæteris in fructu odor, multis iſtis omnibus. In flore verò ferè ſemper. In eo primò leuiſsima coctio cogitur. Maior enim ſemper pars, odorem quendam cum ſapore copulatum oſtendit. Frigore autem & gelu odores, ſicut & ſapores, reddi infirmiores, propter condenſationem, certum eſt. Ex odore autem, ſicuti nec de colore, facultates conijci, nec præſcribi poſſunt. Quod ſi in nonnullis, tum maximè in odoratis, quæ tenuium quadantenus partium ſunt, & calidarum. non vſqueadeò tamen, vt eiuſdem tenuitatis, vel calliditatis, deniq; & calliditatis iudicari ad definitum ordinem poſſit. Iſtud finaliter ex grammaticorum regulis, vt demiſsius aliquando agere videamur, addendum erit. Odorum eſſe, Seruio autore, quod ex ſe odorem emittit, non quòd odorem ſequitur. Statius:.

Et odoro vulnere pinus.

Odoratum, quod odorem alium accipit, vt odoratum templum. Tria ergo ſunt: Odorum, quod per ſe olet: Odoratum, quod aliunde odorem accipit: Odorator, qui odorem ſequitur.

Arborum vita. CAP. XXXII.

ARBORVM vitas & ætates enarrare opportunum erit. Quando verò illis & animam & ortum antea tribuerimus, igitur & illas mori nimirum decet. Quarum autem mortis, veluti animantium omnium, manifeſta diuerſitas eſt. Nam quædam longæuæ, quædam breuis æui ſunt, cæteræ verò medium poſſident tempus. Ariſtoteles autem hominum ſenium, arbori ſimile ſcribit. Nempe ſicut nouellæ ſtirpes, molles, humidæq; ſunt, ſic ſeneſcentes magis areſcunt: vt poſtremum aridæ omnino factæ, intereant neceſſe eſt. Quod ſæpe illis fortuitò, flammæ vicinitate, vel ob fortem atque immoderatum calorem contingit, aut caſu alio, vt illis,

illis, ſicut & animalibus, & ſatis omnibus, approperetur mors. Hæc eſt enim naturæ innata infirmitas, vt omnia procreata, præter deſtinatum cuiq; finem, caſu, euentuq; anteà ſæpius intercidant. Inualidis enim arboribus,flatuum vehementia,& ictus,initium interitus eſt. Quod enim debile ac infirmum eſt, ex multis commoueri poteſt. Talis verò hominum & iuuentus & ſenium,& eiuſdem cauſæ mors. Sed non ſimul cunctis ſuis ſemper partibus, arbores deficiunt, verùm particulatim tam ſenectus, quàm corruptio enecat. Propemodum enim pars, quæ maximè craſſeſcit,putreſcit,ac perit.Exurgunt tamen plures nepotes,ex ſeneſcentibus ramis,& ſemimortuis,vel vno ſano atq; ſuperſtite:ex quibus alij repullulant & generantur.Vt ſic perpetua viciſſitudine,altero demoriente, alter procreetur: vt hac ratione hæ, quibus hoc contingit, diuturniores ſint.Quædam enim preciſo caudice,iterum regerminant,vt in ſyluis cæduis eſt. Rectè enim colendo ea inuitant,aut etiam ſi radicem vſq; deuſſeris. Nam hoc facere ſolent, vel etiam ſæpe caſu hoc accidit. Nam ſic ambuſtis radicibus, iterum hæ germinant,vt lauro, malo punicæ. Similesq; ſunt inſectis, quæ ſi membris careant nonnullis,viuant tamen. Arboribus autem aquatilibus & aquis propinquè adnaſcentibus, vt ſalicibus,populis,ſambucis,breuior,quàm terreſtribus,vita. Quod humori acceptum referendum eſt. Nam & putredini, propter nimiam humiditatem obnoxiæ ſunt. Quòd in animalibus quoque eſt, vt terreſtria aquatis vitæ longioris ſemper ſint. Præterea, quæ locis degunt humidis, vt celeriores ſunt ad incrementum, ita & ad mortem velociores. Quod & in alijs contrariæ naturæ eſt:vt quæ ad creſcendum moroſæ ſunt,ſic & vitæ contumacioris.Magnæ quippe arbores ſecundum ſuum genus,longiori vita funguntur.Quod in animalibus prægrandioribus ſimiliter eſt,quod plus humoris habeant. Nempe & rationi conſentaneum eſt. Vrbanis etiam,quàm ſylueſtribus breuior ætas,atq; omnino his,quæ in ſuo genere diſcerni poſſunt,vt oleaſtro perennior quàm oleæ,pyraſtro quàm pyro, caprifico quàm fico, pinaſtro quam pino, vt ſecundum Æſopi ſententiam,terra ſylueſtrium mater,vrbanarum verò nouerca ſit.Illas autem Naturæ ſolertia creat, non humanum ingenium. Carent etiam nimia humoris copia,qua vrbanæ,hominum labore,ac induſtria laxantur, atq; effœminantur.Quod in hominibus etiam eſt,quorum agreſtes vt plurimum magis, quàm vrbani,perdurant:Horum etenim vita mollis & delicioſa effœminat,& emollit: vt infirmius aduerſus dura reluctentur. Illæ etiam indomita duritie rigidæ, aduentitiis impreſsionibus acriùs reſiſtere poſſunt, & ſeſe firmius tueri. Eadem ratione incultæ ſeriùs ſeneſcunt, ac intereunt. Pronius enim cultæ in morbos incidunt: & ſua teneritudine ad reſiſtendum minùs validæ,quòd ſint ad obſequium diſciplina domitæ. Enimuero cultura fructuum partus augetur, qui arbores enecat. Vitæ autem longitudo,in virium ratione conſiſtit: vt quæ fœcundiſsimæ, & feraciſsimæ erunt,ocyus ſeneſcant, atque citius moriantur neceſſe eſt. Fertilitas autem ſenectam addit. Fructificatio enim magnā atque potiſſimam naturæ partem detrahit,& aufert. Porrò intermiſsio tum ad valetudinem,

tudinem,ac longiorem vitam aliquid confert,aut omnibus,aut certè aliquibus.Nam vberrimo ſæpe partu arbores areſcunt, non ita vt vitiũ depræhendi poſſit. Quæ verò parcius perducunt,validioris ſunt vitæ: maximè quæ penitus nihil, & omnino ſteriles.Hoc autem & in animalibus quoque eſt,vt quæ plurimum pariant, celerioris ſint vitæ. Non longè ab hac cauſa vernæ & præcoces, ſerotinis vitæ ſunt fugacioris, vt illis fructuum vbertas,atque præcocitas,feſtinantius exitium ſit. In plantis enim firmitas,denſitas,ſoliditas,ſiccitas, & pinguedo pertinacis vitæ cauſa eſt. Pingues autem haud facilè frigoribus læduntur, minúſve gelaſcunt: vt pinus, larix, taxus, abies, teda: vt hæ omnes altiora, & frigidiora, vt plurimùm ſortiantur loca. Siccæ autem, & terreſtres, & ſi quid humidum habeant, ſiccitati tamen minimè noxium eſt. Solidæ verò materiæ, criſpæ, robuſtiores, ſæpe infertiles: vt acer, vlmus. In vrbanis enim acidæ omnes dulcibus viuaciores. Quæ verò prolixas habent radices, ita & prolixioris quoque vitæ erunt. Nam arborum vitæ, firmiſſimum ſtabilimentum radices ſunt: quæ ſi malè ſeſe habeant, oportet & eas infirmari,cùm ab his tota arbos dependeat.Et,vt generaliter de omnibus dicam, loca quædam, ac regiones quædam, veluti in omni animantium genere, aut breuiorem, aut longiorem illis vitam propagant. Syluestres enim nullam ætatis differentiam habere ruſtici putarunt, verùm omnes longæuas, nullamq; breuem arbitrantur. Sed hoc quidem minimè verum eſt. Quandoquidem reliquarum vitam nonnullæ ſuperant, atque inter ſe longiori, vel breuiori æuo inter ſe diſtant, vt in vrbanis eſt. Poſtquàm autem generaliter aliquas vel citatioris, vel tardioris vitæ plantarum cauſas declarauimus, nunc ad eas ſpeciatim deueniendum, quæ vel curtioris, vel auctioris vitæ ſunt. Firmiſſimæ verò vitæ ſunt oleæ, quas durare ducentis annis Theophraſtus autor eſt,& Vergilius ait: Et prolem tardæ creſcentis oliuæ: Palma quoque longiſſimæ ætatis eſt, quercus, ilex, lotos, platanus, fagus, cupreſſus, buxus, & morus tardiſſimè ſeneſcunt. Hæc verò fructu minimè laborat. Auellana diutius viuit. Prunus contumaciter moritur. Punicæ autem, fici, & mali exigui ſanè æui ſunt: & inter punicas, quæ nucleo interiori caret,ſeneſcit quidem, ac putreſcit velocius.Roſas enim Theophraſtus vſque in quinquennium tantùm, non aduſtas neque reciſas, vitam protendere ait: ſed & ſeneſcentis flores deteriores reddi.Sunt & qui in plantis ætatem duplicem aſſignent.Primam autem annuam,quæ anni ſpatio perficiatur,quòd vere pueraſcant,æſtate adoleſcant: Autumno ætatem virilem perficiant: Vltimum in hyeme ſeneſcant. Alteram verò,quæ totam plantæ vitam complectatur. Finaliter illud adiiciendum erit, Stirpes omnes animalibus diuturniores eſſe: ita vt vniuerſum genus vniuerſo comparetur generi.

De aliquarum arborum longiſſima vita. CAP. XXXIII.

Reliqvvm iam eſt, vt nonnullarum longiſſimam arborum vitam,& ferè præter fidem,proſequamur: etſi immenſa credi poſſit: ſiquis enim orbis profunda,inacceſſos ſaltus percogitauerit,

& ſyluarum inauditam originem, vt hæc, quæ multorum de his cuſtodit memoria, vera nobis perſuaderi poſsint. In quibus prodendis, quarundam arborum genus aliquot æui longioris oſtẽdetur. Antiquiſsimæ autem omnium habita ſunt, platani duæ, Agamemnonis manu ſatæ. Quarum vna fuit platanus Delphica: Altera in Caphyis Arcadiæ luco, autore Theophraſto. Sunt tamen qui hanc à Menelao plantatam ad fontem aſſeuerent, quum delectum in Troianos haberet. Quæ ab eo, & fons etiam, Menelais dicta. Pauſaniæ tempore adhuc extabat, vt ipſe ait. Regio Aulocrene eſt, per quam ab Apamia iter in Phrygiam eſt. Ibi platanus viſitur, ex qua Marſias ab Apolline victus pependerit, vt prodiderunt autores. In Ponto circa Heracleam aræ Iouis Stratij fuerunt, (Secundo inquiente) vbi quercus duæ ab Hercule plantatæ. Longiſsimæ memorantur aliæ. Quarum alia in Dodone vetuſtiſsima, Pauſanias in Arcadicis. Aliam penes Cæphelum fuiſſe, etiam ſua tẽpeſtate Plutarchus in Alexandro ſcribit, & Alexandri quercus vocitabatur, quòd ibi caſtra ſua poſuerit. Aliæ iuxta Ilium vrbem ſatæ, in Ilij tumulo, tùm cœpit ab eo Ilium vocari, ſcribente Plinio. Theophraſtus tamen fagos fuiſſe memorat. Portus apud Heracleam, Amyro Bebrycum rege interfecto clarus. Eius tumulus à ſupremo die lauru tegitur, quam vocant inſanam: quoniam ſi quid ex ea decerptum ſit, & nauibus inferatur, iurgia, donec abiiciatur, faciat. Prope Hippocrenem fontem, apud Trœzenios ædes quædam fuere, quas accolæ Oreſtis diuerſorium appellabant. Antè fuit laurus antiquiſsima, ibi è libaminum excrementis, eò loci humi *defoſsis* enata: quæ durauit ad Pauſaniæ tempora (ſcribente eo.) Alia apud Aſſyrios longiſsima conſpiciebatur. Alia apud Delios vetuſtiſsima. Apud Trœzenen oleaſter, quæ ibi ex claua Herculis in terram defixa excreuerit. Olympiæ etiam alia admodum vetus, ex qua primùm Hercules coronatus: Plinij tempeſtate adhuc religioſiſsimè cuſtodiebatur. Memorantur duæ oleæ, longo æuo digniſsimæ & penè admirabiles. Quæ quia fabulis proximiora ſunt, quæ de his ſcribuntur, veritati non minimùm detrahere videntur. Aliam Argis durare, ſuo tempore Plinius ſcribit, ad quam Io in vaccam tranſmutatam Argus adalligauit. Aliam Athenis quoque permanſiſſe oleam in certamine à Minerua editam, & Theophraſti & Plinij temporibus, inter eoſdem conuenit. In Linterno Africani prioris manu ſatæ oliuæ, ad Plinij ætatem durauerũt. Apud Syrios alia vetuſtiſsima. Apud Samios vitex enata, vetuſtioris æui fuit, quam ad ſuam ætatem veniſſe Pauſanias aſſeuerat: idq; non ſine miraculo, quum Samij primùm ſub ea in lucem editam deam affirment. Apud Tiburtes ſuo tempore extare ilices tres Plinius teſtatur, Tiburto conditore vetuſtiores. Eum enim Amphiarai filium fuiſſe aiunt, qui ætate vna ante Iliacum bellum apud Thebas obierit. Eas verò originem multò ante vrbem habuiſſe conſtat. Vetuſtior autem in vrbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruſcis, religione tunc iam arbore dignam ſignificat. Loti arbores ſex, de quarum pretio ſuprà, vel vt M. Valerius Maximus voluit, decem, in domo olim GN. Domitij. Poſt eum annis CLXXX.

vſque

vſque ad Neronem principem, & vſque quò ipſe cremauit vrbem vt ad incendia durarunt, & cultu quidem iuuenes ac virides, ni princeps ille ſceleſtiſsimus acceleraſſet etiam arborum mortem. Has enim è proceribus Largus Cecinna, Plinij iuuenta (vt ille de ſe ait) in domo ſua, magna admiratione, vt par erat, oſtendere crebrò conſueuerat. Alia in area ædis Lucinæ, quæ vrbis anno CCCLXIX. qui fuit ſine magiſtratibus, cōditæ. Incertũ enim eſt, vtra illarũ antiquior fuerit. Verùm arborẽ vetuſtiorem fuiſſe, non eſt dubium, cùm ab eo luco Lucina nominetur. Antiquior ſuperiori fuit, quæ capillata dicta eſt, ſed incerta fuit eius ætas. Alia in Vulcanali, quod Romulus è victoria de Decumis conſtituit. Vrbi æquæua intelligitur, vt autor apud Plinium Maſſurius eſt. Radices eius in forum vſque Cæſaris, per ſtationes municipum penetrarunt. Ruminalem verò arborem, in comitio, quæ Remi ac Romuli infantiã texerat, ſuper octingentos & quadraginta annos Neronis principis tempore, demortuis ramulis, & areſcente trunco deminutam Tacitus ſcribit. Quod prodigij loco habitum, donec in nouos fœtus reuiuiſceret. Cornus Romæ iuxta monetæ templum (ſcribente in Romulo Plutarcho) vſque ad Cæſaris tempora vixit: vltrà forſitan victura, ni radices eius à fabris violatæ fuiſſent. De ea ſupra. In area Lunæ cupreſſus æqualis loto, circa Neronis ſuprema, prolapſa atque neglecta eſt. Apud Linternum myrtus conſpicuæ magnitudinis, per longiſſima tempora perdurauit. Palmam autem, ſub qua Apollinem Latona peperit, ſuis temporibus fuiſſe, De legibus ſcribit Cicero, & etiam ſuis temporibus duraſſe, ſcribit Plinius. Ex aduerſo vrbis Ilienſium iuxta Helleſpontum, in Proteſilaj ſepulcro arbores fuere, quæ omnibus ephebiis eius in tantum accreuere, vti Ilium aſpicerent. Inareſcunt rurſus, atque iterum adoleſcunt. Apud Chebrum Idumææ oppidũ, ab exordio mundi natam terebinthum ferunt. Eam vſque ad Veſpaſiani contra Iudæos bella mouentem duraſſe, autor Ioſephus grauis tantæ ſenectutis teſtis. Sycomorus, quam Zacchæus IESVM CHRISTVM, ſecundum Hierichunta tranſeuntem conſpecturus conſcenderat, tempore diui Hieronymi viſebatur, vt ipſe diuiniſſimus ſcriptor, in Paulæ epitaphio atteſtatur. Ex cuius certè autoritate multam fidem attribuendã his, quæ ſuprà ex fide dignis autoribus ſcripſimus, exiſtimarim. Hodie quoque Romæ in Auentino monte, malus Medica viſitur, quam diuum Dominicum ſeuiſſe conſtans fama eſt. Arbores aliquas ſæpe emori, cum his, qui eas ſeuerint, aut coluerint, experientia comprobatum.

✶

Præfatio libri octaui.

ANTEQVAM *ad arborum ſationem reſiduamq́; omnem arborum inſtituendarum curam deueniamus, quædam præfari agricolis ipſis quæ neceſſaria ad rem ipſam ſient, oportet, vt pote ſyderum vim, ventorum flatum ac naturam. Nemo autem tam ignarus agricultor eſt, quin in totius agricolationis actione, quadara & alia, certis & diſcretis temporibus peragenda fore non exiſtimet vt omnia proſperè ac fœliciter ſuccedant. Sunt etenim rerũ terreſtrium varij & diuerſi euentus. Qui vt bene eueniant, ſtudioſè præcauere ipſi debent. De ventis ſic Vergilius, vt ventos & varium prædicere morem Cura ſit. Et Columella huius eloquentiſſimus interpres & totius rei agreſtis ſcientiſſimus præceptor, ſic: Nam qui ſe in hac ſcientia perfectum volet profiteri, ſit oportet rerum naturæ ſagaciſſimus, declinationum mundi non ignarus: vt explorattum ſyderum ortus & occaſus memoria repetat, ne imbribus ventiſq́; imminentibus opera inchoet laboreq́; fruſtretur. Cœli & anni præſentis mores intuetur: neq; enim ſemper eodem velut præſcripto habitum gerunt, nec omnibus annis, eodem vultu venit æſtas, aut hyems, nec pluuium ſemper eſt Ver. Quæ prænoſcere, ſine lumine animi & ſine exquiſitiſſimis diſciplinis, non quenquã crediderunt. Nempe etenim & temporis diſcrimen erga arbores ipſas vim præcipuam habere videmus. Quæ qui negant, ij & audiendi & videndi ſenſum negant. Nam et vere floreſcunt, Aeſtate eadem creſcunt, Autumno fructus matureſcunt. At poſtremum hyeme ita quieſcunt, vt ſeſe ad vernam creationem inſtituant. Has autem aſtrorum leges ſuo ſtudio agricola ſcire debet: maximè verò hæc quæ ad ſuam negociationẽ neceſſaria ſunt, vti ex impenſa ac labore fructum & vtilitatem recipere poſſit, ne minima cura neglecta (quod ſummopere in omni artificio reprehenſibile eſt) operam & oleum perdat et penuriã copia anteuertat. Hoc autem præcipuum illorum ſtudium eſſe debet, vti ex labore lucrũ percipiant, cùm in hac re omnis illorum actio eſt. Quare nec erit omnino abſonum nec extra materiam noſtram, ſi aliqua de his diſſeruerimus, atq; ſolummodò de his quæ huic rei perneceſſaria nouerim: ne lectorem ſuperfluis remoremus atq; oneremus, quod ſemper ſummoperè præcauendum putaui.*

HORTORVM LIBER OCTAVVS.

De anni in quattuor tempora diuiſione, & adagijs ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ ἐξαίρειν. *&, Ver hyemem ſequitur.*

CAPVT I.

DICITVR annus à circuitu, quòd in ſe redeat. Nam per cœli apſides ſol voluitur. Exactisq́; duodecim menſibus, qui in ſe currunt, perficitur. vt proptereà de ſolſtitiali ſolùm intelligendum ſit. A quo annulus, quaſi annuus. Hinc à Vergilio ſic canitur: Atque in ſe ſua per veſtigia voluitur annus, & Columella in ſuo carmine: - *Nulloq́ ſono connectitur annus.* Georg. lib. 2. Hac eadem etiam ratione Græcis ἐνιαυτὸς, quòd in ſe recurrat. Quod etiã voluit Papinius, - *Velox in terga reuertitur annus.* Vel, vt voluit Seruius, ἀπὸ τοῦ ἀνανεοῦσθαι, id eſt, à renouando. Apud Ægyptios autẽ, ante inuentas literas indicabatur picto dracone caudam ſuam mordente, quia in ſe recurrat. ἱερογλυφικὰ γράμματα vocantur. Diuiditur autem annus in quatuor tempora. In Ver videlicet, Æſtatem, Autumnum, & Hyemem. M. autem Varro Veris primum diem in Aquario eſſe dicit, Æſtatis in Tauro, Autumni in Leone, Hyemis in Scorpione. Et cùm vniuſcuiuſq; horum quatuor ſignorum dies tertius ac vigeſimus, quatuor temporum ſit primus, vt Ver habeat dies nonaginta vnũ, Æſtas nonaginta quatuor, Autumnus nonaginta duos, Hyems octoginta octo. Quæ igitur diuiſio, ad dies noſtros, qui nũc ſunt ciuiles, redacta, primi temporis verni erunt ad ſeptimum Februarij Idus: Æſtiui, ad ſeptimum Idus Maij: Autumnales, ad tertium Idus Iulij: Hyberni, ad tertium Nouembris. Hæc ex Varrone temporum digeſtio. Quam diuiſionem ſecutus Columella, Hyemis tamen initium, ad quartum Idus Nouembris protraxit. Aliter tamen alij, vt variè temporum initia tradantur. Veris autem initium octauo Calendas Martij exiſtimant: Æſtatis, nono Calendas Iunij: Autumni, decimo Calendas Septembris: Alij, octauo Auguſti Idus: Hyemis, nono Calendas Decembris: Alij octauo Idus Nouembris. Ioannes Damaſcenus aliter. Ver enim extendi à vigeſimoprimo Martij die, aduſque vigeſimumtertium Iunij: Æſtatem verò à vigeſimoquarto prædicti menſis, ad Septembris vigeſimumquintum: Autumnũ, ab hac die vſque ad vigeſimumquintum Decembris: & tunc hyemem incipere, & vigeſimaprima Martij finiri. Aliter Aſtrologi, aliter medici.

Hi autem à ſole rationem deſumunt,quando ſcilicet is ſigna hæc ingrediatur,vt puta Veris initium,cùm Arietem ingreditur:Æſtatis Cancrum: Libram Autumni: Hyemis verò, cùm Capricornum.Quam diuiſionem complexus Manilius,

- Cancer ad æſtiuæ faſtigia zonæ. Et poſt:
Parte ex aduerſa brumam Capricornus inertem
Per minimas agit noctes ad maxima lucis
Tempora, producitq́ diem, tenebrasq́ reſoluit:
Nam Libra, atq Aries Autumnum, Verq́ figurant.

Alia eſt illorum huiuſmodi dimenſio, vt ab æquinoctio verno æſtatis initium ſit,Dies quadraginta octo:Autumni verò inter ſolſtitiū & æquinoctium autumnale, Fidicula manè occidere incipiente. Quod Cæſar eſſe tertia Auguſti annotauit,Plinio referente.Verùm vt vera ratio fiat,id ſexto Auguſti eſt, Dies quadraginta quinque. Hyemis ab æquinoctio autumnali ad brumam. Vergiliarū matutino occaſu, Dies quadraginta tres.Inter brumam verò & æquinoctium dies quadraginta quinque, vernum tempus.Medici autem vt illi,ſecundum ſyderum rationem annum diuiſerunt: quorum ſolius Hippocratis Coi, & Galeni Pergameni eius interpretis opiniones referam. Ille enim Ver ab æquinoctio ad Vergiliarum exortum determinat: Æſtatem à Vergiliarum ad Arcturi exortum: Autumnum ab Arcturi exortu ad Vergiliarum occaſum: Hyemem quidem à Vergiliarum occaſu vſque ad vernum æquinoctiū. Galenus enim Æſtatis principiū eſſe dicit Pleiadum ortus, poſt canis ortum oporam, id eſt,fructuum generationem inchoat: quam & ipſam pro ſecunda Æſtatis parte poſuit.Poſt Arcturum orientem,Autumni initium facit.Deinde caſus Pleiadum Hyemis principium, & quod ſequitur hyemale æquinoctium,Veris initium habet.Hæc fuit prædictorum temporis annui diſcretio.Quæ etſi variè deſcribatur, in quibuſdam tamen conuenit, in quibuſdam etiam diſſidet.Nunc ad alias diuiſiones, ne quid prætermiſſum videatur. M. enim Varro aliā præter ſuperiorem diuiſionem ponit, quam in octo partes diſpartit.Primum autem à Fauonio, ad æquinoctiū vernum,dies quadragintaduo.Hinc ad Vergiliarum exortum, dies quadragintaquatuor.Ab hoc ad ſolſtitium,dies quadragintanouem.Inde ad Caniculæ ſignum,dies vigintinouem. Deinde ad æquinoctium autumnale,dies ſexagintaſeptem.Exinde ad Vergiliarum occaſum, dies trigintaduo.Ab hoc ad brumam, dies quinquagintaſeptem.Inde ad Fauoniū, dies quadragintaquinque. Vlpianus autem Iuriſconſultus anni diuiſionē breuius perſtrinxit:quam in duas duntaxat partes diſſecauit,vti Æſtas ab æquinoctio vernali inciperet, & autumnali æquinoctio finiretur, vt ſic Æſtas & Hyems ſenis menſibus diuideretur. Quam etiam diuiſionem ſecuti ſunt Germani,prodente Cornelio Tacito. Autumni enim neque nomen,neque facultates,ob nimium aëris rigorem,ignorant.Sed quælibet quarta anni pars, rurſus quadrifariàm diuiditur. Vt cùm in principio Ver nouum diximus vt Vergilius in Georgicis. Dein, adultum, medio.Poſteà præceps.Vltimum extremum, & ſic de reliquis Salluſtius: Ita

noua æſtas adulta, præceps vel extrema. Etiam ineunte Vere dicimus, & Cicero ſummam hyemem, pro lege Manilia dicit: & alibi ſeneſcentem hyemem & extremam vocauit, & extremo Vere. Ammianus Autumnum ſeneſcentem dicit. Dicitur autem ver, autore Varrone, quòd tunc viuere incipiant virgulta: quaſi viuer nominatum velint. Aut à Græco ἔαρ, ſic Græcè dicitur. Ver enim præcipua anni pars: vnde Græcum adagium, ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ ἐξαίρειν. Id eſt, ver ex anno tollere. Quod in eos dicitur, qui quod præcipuum eſt in negotio, auferunt. Aliud eſt: Ver hyemem ſequitur. Id eſt, ex triſtibus ſuccedunt lætiora. Æſtas verò à Græco ἀιθεσθαι. Seruius calorem interpretatur, ab æſtu. Quare Vergilius:

Propriusq́ æſtus incendia voluunt vnde æſtas.

Autumnus à Solis motu, ſicut menſis à Lunæ. Vel ab augendo, vt Feſtus voluit. Nam tunc maximè coactis fructibus augeſcunt mortalium opes. Vnde Claudianus:

Hæc tibi ſacra datur, fortunatumq́ tenebis
Autumnum, & fuluis ſemper ditabere pomis.

Hyems ἀπὸ τοῦ ὕω, quod eſt pluo.

De ſolſtitijs, & æquinoctijs, ac bruma. CAP. II.

ALIA rurſus anni in quatuor item partes diuiſio, in duo ſolſtitia ſcilicet, ac totidem æquinoctia. Græci ἰσημερίας vocant. Magnus quippe in ſolſtitijs anni cardo, mundiq; res magna: quæ ſex menſibus dies noctesq; vel augeat, vel diminuat. Dicitur autem Solſtitium, teſte Varrone, quòd ſol eo die ſiſtere dicitur, ac ſi Solis ſtationem dicere velis. Et duo ſunt, ſicut eadem ratione æquinoctia duo. Æſtiuum octauo Calendas Iulij conficitur, in octaua parte Cancri. Quod exprimit Manilius:

Vna dies toto cancri longiſſima ſigno.

Tunc longiſſimus dies totius anni, & breuior nox eſt. Nam ſol ipſe ab ea die ad Aquilonem ſcandens, per ardua niſus, ſex menſibus ablaturus diei menſuram, & aucturus noctes eſt. Alterum brumale, quod Columellæ vernum eſt. Hipparchus nono Calendas Ianuarij (ſicut Chaldæi obſeruant) peragi dicit. Alij octauo: quo die natus IESVS CHRISTVS teſte diuo Aurelio Auguſtino. Cæteri decimoſexto Calendas, quod ſemper de prædicto menſe intelligendum. Ab illa enim die ſol flecti incipit, & ad auſtrum digredi, noctes abbreuiaturus, & dies ſex menſibus elongaturus. Sequuntur æquinoctia, eadem ratione à nocte ſicut ſolſtitia à ſole, dicta. Vocatum eſt autem æquinoctium, quòd dies æquus nocti ſit. Vernum autem, vigeſimatertia menſis Martij Ætius fieri voluit. Alij ad octauum vel nonum Calendas Aprilis, cùm ſol venit in medium ſpatium inter brumam & ſolſtitium. Quod eſſe in Capricorni ſydere Manilius hoc carmine teſtatur:

Cùm nox æqualis Capricorni ſydere fertur.

Vergilius autem fieri, cùm ſol in Libra eſt:

Libra die, ſomniq́ pares vbi fecerit horas, Georg. lib. 1.

Et

Et medium luci, atq; vmbris iam diuidet orbem.

Ouidius ſeptimo Calendas Martij ſtatuit. Sic enim in Faſtis ait:

Lib. 3. *Tres vbi luciferos veniens præmiſerit Eos,*
Tempora nocturnis æqua diurna feret.

Poſt enim feſtum Quinquatrium Mineruæ, vel Palladis, quod finiebat vndecimo Calendas Aprilis, ſecutis tribus diebus, ſequebatur æquinoctium vernum. Columella in octaua Arietis parte confici ait. Quod vult Manilius:

Libra, Ariesq́ parem reddunt noctemq́, diemq́.

Et de æquatore circulo ſic:

Tertius in media mundi regione locatus,
Ingenti ſphæra totum præcingit Olympum,
Parte ab vtraq; videns axem, quo lumine Phœbus
Componit paribus numeris noctemq́, diemq́,
Veris & Autumni currens per tempora mista.

Autumnale æquinoctium Columellæ octauo, ſeptimo, & ſexto Calendas Octobris fit, cæteris verò decimooctauo, ad Vergiliarum occaſum. Sed ſicut autores in æquinoctio Verno variarunt, ita & in æquinoctio Autumnali. Mirum eſt quod Ælianus ſcribit, Arietis cubitum, vtrumq; æquinoctium ſignificare. Nam ſex hybernos menſes in læuum latus iacens dormit: contrà ab æquinoctio verno in dextrum incumbens, ſomnum capit. Columellam autem non fefellit Hipparchi ratio, quæ docet ſolſtitia & æquinoctia non octauis, ſed primis ſignorum partibus confici. Sed in ruris diſciplina nunc Eudoxum, nunc Methonem ſecutus eſt. Ab ſolſtitio autem æſtiuo vſq; ad æquinoctium autumnale, numerantur dies tres & nonaginta. Ab æquinoctio verò verno vſq; ad alterum, dies nonaginta. Brumam Seruius hyemem interpretatur. Circa octauum ferè Calendas Ianuarij, in octaua Capricorni parte conficitur. Breuiſſimus in hac dies, quaſi βραχὺς ἡμέρα, id eſt, breuis dies.

Lunæ circa inferiora corpora vis ac poteſtas, & quòd eius curſus obſeruatio agricolis maximè conueniat.

CAP. III.

NEQVE prætereunda ſyderum, præſertim lunæ, ratio erit quod ad agriculturam plurimũ conferre, omnes conſentiunt: imò omninò neceſſarium eſt. Etenim Plato inter artes, tertio loco Aſtronomiam poſuit, ediſcendamq; fore præcipit. Quum & temporum mutationes, atque etiam opportunitates præſentire, non minùs rei militari, quàm aut nauigationi vel agricolationi conueniat. M. Antoninus Imperator cognomento philoſophus, ſiderum curſus conſiderandos fore aiebat, quaſi eos comitaremur. Nam quod ad lunam, nunc ſolum pertinet:

Ipſa dies (vt cecinit Vergilius) *alios, alio dedit ordine luna.*

Et ſtatim in Georgicorum exordio, ſolem & Lunam inuocat:

- Vos ô clariſſima mundi

Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum.

Vt his quædam in numeros Lunæ dirigenda putauerit, ſecutus Democriti oſtentationem. Nam quòd illa terræ propinquior, ac familiarior vis eius circa animata & vegetabilia maior, vt maris tantam aquæ molem, in eius ortu & occaſu ad ſe attrahat,& velociſſimè rapiat.Et quicquid in aquis omnibus eius vi afficiuntur:

Luna alit oſtrea,& implet echinos,muribus fibras, Gell.lib.20.

Et pecu addit:- inquit Lucillius apud Gellium. Et in eandem ſententiam Plinius in ſecundo ſuæ hiſtoriæ: iam quidem lunari poteſtate, oſtrearum, conchyliorumq; & concharum omnium corpora augeri, & rurſus minui. Quin & ſoricum fibras reſpondere numero lunæ,exquiſiuere diligentiores: Minimumq; animal formicam ſentire vires ſyderis, interlunio ſemper ceſſantem. Iumentorum quorundam in oculis morbi cum luna increſcunt,ac minuuntur. Hæc ille.Ælurorum quoq; oculi ad eaſdem lunæ vices,aut ampliores fiunt,aut minores. Rerum enim exceſſus,& decrementa,in eius vel diminutione vel augmento eueniunt. Decedente verò luna cæpe reuireſcit: contrà autem adoleſcente eius globo inareſcit. Eam ob cauſam Peloſiotæ non edunt cæpe,vt dicunt ſacerdotes Ægyptij:quia ſolum omnium holerum,contra lunæ aucta & damna, vires minuendi & augendi habeat contrarias.Quin & Mathematici non ei defuturam animi triſtitiam,qui vel crines,vel vngues, luna adfecta inciderit.Quæ enim creſcente luna gliſcunt, contrà decreſcente deficiunt. Ventis enim & ſatis imperat.Solis enim caliditatem & ſiccitatem frigido & humido temperat, proptereà ea mouet. Ideò Athenæus lunam phyllida appellari ab arborum folijs ait,quòd propter eius humorem foliorum habeat poteſtatem. Corpora deniq; omnia inferiora agit, vt præeſſe cæteris ſignis videatur, vt omnium admirationem vincat, & in tenebris à natura perpetuum remedium.Haud ſcio omnium,quæ in cœlo pernoſci potuerunt, magiſtra. Hanc autem illi poteſtatem ineſſe aiunt Aſtrologi, quòd cæteris planetis terræ proximior ſit & quòd breuiori ſpatio,menſis videlicet,curſum ſuum perficiat,cùm ſol anno integro. Bene igitur propter illius poteſtatem maximam,antiqui,autore Pompeio Feſto,illam inter deos geniales computarunt: quos poſteà gerulos appellarunt, quòd plurimnm poſſent.

cap.7. Cap.41.

De lunari ratione. CAP. IIII.

IAM ad lunarem rationem properandum, vt anteà agricultoribus teſtatum, ſicut ſuprà eſt, velim, nullius alterius ſyderis obſeruationem diligentiorem fieri debere.A Græcis μήνη, à ſuipſius mutatione, quòd nunquam in vna figura permaneat, hoc eſt, vt illi dicunt, μὴ ἐν ἑνὶ σχήματι μένειν. Alij quòd mutetur παρὰ τὸ μεῖωθαι. Euſebius Cæſarienſis de præparatione euangelica Hecaten vocari, propter varias eius figuras, ait. Diana etiam dicitur, quoniam partus dolore acuti ſunt. Ad cuius verò virtutes Parcæ etiam referuntur.Clotho ad generandum,Lacheſis ad nu-

triendum, Atropos quòd immutabilis dea ſit σελήνη etiam dicitur, à ſplendore: σέλα enim ſplendor eſt. Creſcens enim aut ſeneſcens lumen ſuum diſpenſat, vt ſit tamen inſtabile. Ouidius:

Nec per eadem nocturnæ forma Dianæ
Eſſe poteſt vſquam ſemper hodierna ſequente:
Si creſcit minor, maior ſi contrahit orbem.

Primùm de eius interlunio dicendum, quod alij nouilunium, Varro intermenſtruum, Hebræi neomeniam. A nouilunio enim nouum menſem inchoabant. Diſtinguebant enim illi menſes per Lunæ curſum. Tunc dicitur cùm luna in coitu cum ſole eſt. Nam tunc ſupra terras eſt, quam diu & ſol. Græcè σύνοδος, quam etiam vocem Maternus accommodauit, ſynodicam appellans. Alij à coitu genituram ponunt, cùm luna partes quindecim à ſole abeſt. Ortus cùm primum noua apparet: quod nonnulli deſignant, cùm abeſt à ſole partes triginta. Sed ad ſilentem lunam reuertamur. Silens dicitur, cùm minimè lucet: tunc nec cernitur, pulchra ab auribus ad oculos tranſlatione. Nam veluti in ſilentio nihil auditur, ita in tenebris nihil cernitur. Silens etiam cœlum dicitur, cùm ſerenum eſt. Plinius paucis omnia complexus, Diem coitus lunæ ab alijs ſilentis, ab alijs interlunium appellari. Nouilunium Ægyptij candidis & aureis veſtibus, ac face ardente ſignificabant. Attici autem ſeneſcentis extremum diem, in qua & extrema ac noua luna tueri poſſit, ἕνην καὶ νέαν appellant. Sunt qui emergentem primitus lunam artitocon nuncupent. Prima à coitu, cùm exoritur & recedit à ſole, tota die ſuprà terras erit. *Secunda* etiam, dextante horæ noctis vnius ſicilico. Quintadecima, tota die ſub terris erit. Decima autem ſexta, ad primæ horæ nocturnæ ſicilicum, ſub terra aget, eaſdemq; horarum portiones vſq; ad interlunium per ſingulos dies adijciet. Et quantum primis partibus noctis detraxerit, quòd ſub terris agat, tantundem nouiſſimè ex die adijciet ſuper terram. Quotiens autem ab occidente ſole cernetur, prioribus horis noctis lucebit, creſcens erit, & dimidiata oculis iudicabitur. Ciſta Ægyptij ſignificabant, quòd creſcente lumine fruges maturet. Cùm verò occidente ſole ex aduerſo orietur, ita vt pariter aſpiciatur: tunc erit plenilunium. Græcè πανσέληνη, id eſt, in orbem ſinuata cornibus tunc caret. Quare Valerius Flaccus plenilunium ſcribens in Octauo ait:

- Velatis cornibus & iam Luna venit.

Cùm in diametro cum ſole abeſt CLXXX. partes, Ægyptij ferrugineo colore denotabant, & ramum lauri ei attribuebant, propter vim à ſole igneam: & papauer, propter fertilitatem, & animarum multitudinem, quæ in ea, tanquam in ciuitate, inhabitant. Nam papauer ſymbolum ciuitatis eſt. A tertio autem die à coitu μηνοειδής, id eſt, cornicularis, ſiue falcata, ſiue curua in cornua: cùm enim abeſt partes ſexaginta, ſextangulam facit mundi ad ſolem figuram, διχότομον ſiue διχότομον dicitur, id eſt, dimidiata, ſiue æqua portione diuiſa, cùm ab ſole aberit partes XC. & quadrangulam mundi ad ſolem figuram facit. Cùm autem pluſquam dimidia ἀμφίκυρτος dicitur, cùm dimidio orbe major, vtrinq; gibboſa, cùm

CXX.

cxx. partes ab ſole abſuerit, & triangulam facit mundi ad ipſum figuram. Hæc de luna creſcente. Quotiens autem ab ortu Solis orietur, prioribusq; noctis horis detrahet lumen, & in diurnas extendens, decreſcens erit: & à plenilunio deficiens, iuxta dierum numerum. Eaſdem item appellationes cùm ab interlunio creſcit, accipiet. Alternis enim menſibus triginta impleuit numeros, alternis detrahet ſingulos. Lunæ mutationes phaſes Græcè dicuntur. Quas Seleucus mathematicus ſeptem poſuit, Plutarchus duntaxat tres. Primam cùm penitus occultatur, ſoli congreſſa. Dein alteram, cùm Solis radios ac lumen elapſa, ab occaſu incipit apparere. Tertiam poſtremo, cùm ſolaribus radijs illuſtrata, plenilunium efficit. Plures tamen ſunt illius mutationes, cùm creſcendo vel ſeneſcendo ſemper immutetur. Tres illæ ſupradictæ magis apparentes. Vergilius autem lunam errantem dicit, quia ἑλικώδης, quòd obliquo, non recto incedat curſu, ſicuti ſol: ne ſcilicet in terræ centro eclypſim frequentius patiatur. Et vti nonnulla de eius ex Aphrodiſeo vi ac natura diſſeramus, quadruplici notatur habitu. Tunc enim humida & aliquantulum calida, cùm æqua portione diuiſa eſt. Altero enim calida eſt, cùm pleniore orbe eſt, & quodammodo ſiccior. Tertio ſicca & frigida, cùm ſeneſcit. Quarto verò, cùm omni luce exhauſta ſilet, frigida humidaq;. Tunc enim omnino radiorum Solis expers, quos calidos eſſe, nemini ambiguum eſt, vt frigeſcat neceſſe eſt. Sitiens, ſiue ſicca intelligitur, quum imbres non ſunt, vel cùm luna minimè in ſignis pluuialibus eſt. Zodiaci aduerſatur. Nam ex his alia humecta, alia ſicciora exiſtimari, & Manilius & mathematici docent. Cauam lunam Plinius imperfectam interpretatur, quum κυρτὸς eſt. Menſes etiam cauos antiqui dixerunt, pari dierum numero conſtantes, ceu quibus imparis numeri vel perfectio vel ſuperdiſtinctio deeſſet. Hæc pauca de lunæ ratione. Quicquid verò ſub vnaquaq; luna peragendum ſit, ſuis locis demonſtrabitur. Lunæ autem prognoſtica, ex Vergilio hæc ſunt:

Luna reuertentes cùm primùm colligit ignes, Georg. lib. .
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu:
Maximus agricolis, pelagoq́ parabitur imber.
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit: vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (nanq́ is certiſſimus autor)
Pura nec obtuſis per cœlum cornibus ibit:
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem pluuia, ventiſq́ carebunt. Aratus:
Si verò cornu ſublimius annuat illi,
Vim Boreæ expectes: auſtrum, ſi recta ſupinat.

Solis vis, in corpora inferiora, & de eius prognoſticis.

CAP. V.

LVNÆ vim, ac potentiam prius, quàm Solis, vt pote efficaciora anteà dixiſſe oportuit. Ab his etenim duobus, tanquàm totius orbis

præcipuis principibus, & gubernatoribus, inferiorum corporum ſtatus & adminiſtratio dependet. Nunc de Solis dominio nonnihil dicendum, vt qui in rerum adminiſtratione potiſſimùm valeat. De eo enim in hanc ſententiam Ariſtoteles ſcribit: prius verò ad nos accedente ſole, omnia oriri, germinare, ac pubeſcere videmus: quo abſcedente, omnia areſcere, omnia marceſcere. Nemo præterea tam hebetis ingenij eſt, quin eo diſcedente, omnem naturam flere non cernere poſſit. Plantas priſtinum decus amittere, frondes defluere, tabeſcere, putreſcere, aues conticeſcere, vt ſimul cum terra ſileant. At rurſus cùm reuertitur, totum mundum lætari, ac de redeunte longè rege, geſtire videmus, terram exultare, plantas reuiuiſcere, folia, flores, fructus nouos renouare ac producere, omnia deniq; reſtaurari, exoriri, atq; repullulare & rerum nouas generationes fieri. oculus enim eſt cœli. Planetarum, inquit Plinius, fertur ampliſſima magnitudine ac poteſtate, naturæ regimen, ac numen eſt ſyderum ipſorum cœliq; rector, & reliqua. Deniq; eo annus integer procedit, eiusq; tempora diſtinguuntur. Decimoquarto Calendas Nouembris in Scorpionem tranſitum facit, & decimoquinto Maias in Taurum, & quinto Idus Maij in Geminos, ac decimoſeptimo Calendas in Aquarium. Eius autem innumerabilia prognoſtica. Sed nunc tantùm his à Vergilio enumeratis contentus ero, cuius autoris teſtimonium ſatis ſuperq; idoneum puto. Quod & ſi oblongum ſit, tantus tamen ſcriptor, & eius carminis eloquentia, reiq; concinnitas lectorem non remorabitur:

Georg. 1. *Sol quoq; & exoriens, & cùm ſe condit in vndas,*
Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequentur:
Et quæ manè refert, & quæ ſurgentibus aſtris.
Ille vbi naſcentem maculis variauerit ortum
Conditus in nubem, medioq; refugerit orbe:
Suſpecti tibi ſint imbres. Nanq; vrget ab alto
Arboribusq;, ſatisq; Notus, pecoriq; ſiniſter.
Aut vbi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diuerſi rumpent radij: aut vbi pallida ſurget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Heu malè tum mites defendet pampinus vuas:
Tam multa in tectis crepitans ſalit horrida grando.
Hoc etiam, emenſo cùm iam decedet Olympo,
Profuerit meminiſſe magis. Nam ſæpe videmus
Ipſius in vultu varios errare colores.
Cæruleus pluuiam denuntiat, igneus Euros.
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni,
Omnia tunc pariter vento, nymbisq; videbis
Feruere non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neq; à terra moneat conuellere funem.
At ſi, cùm referetq; diem, condetq; relatum,
Lucidus orbis erit, fruſtrà terrebere nymbis:
Et claro ſyluas cernes Aquilone moueri.

Deniq;

Deniq; quid veſper ſerus vehat: vnde ſerenas
Ventus agat nubes: quid cogitet humidus Auſter,
Sol tibi ſigna dabit.-

De ſyderali digeſtione, & qualiter ortus & occaſus ſyderum intelligantur. CAP. VI.

NVNC de ſyderibus, quorum errantium quoq; Vergilius ediſcendam, non ſegniter rationem vult: nec fruſtrà (inquit) ſignorum obitus ſpeculamur, & ortus. Et idem Saturni frigidum ſtellæ tranſitũ obſeruari admonet. Et idem:

Præterea tam ſunt Arcturi ſydera nobis, Georg. 1.
Hædorumq; dies ſeruandi, & lucidus Anguis,
Quàm quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Stellæ enim cœlo affixæ, orientes, occidenteſq;, aërem immutant, vt inde ventos etiam alios ſpirare contingat: grandines ac imbres etiam oriri, vt hæc non leui affectu, ſyderum motu interueniant, turbentq; conceptæ ſpei ordinem. Verùm id non nobis tantũ accidere putemus, quin etiam & reliqua ſagaciora fallat animalia. In quo item illarum vita conſtet. Æſtiuas autem alites, præpoſteri aut properi rigores necant: hybernas verò, æſtus. Verùm non id tantum ruris experimẽtis certum. Afflantur etenim alij ſydere quodam, ſtatis temporibus. Commouentur alij mente, capite, neruis, aluo. Mundi verò quidam circuitus, vt ſcribit Proclus in Platonis Alcibiadem, plantarum aut ſterilitatis, aut fœcunditatis cauſæ ſunt. Rerum tamen confeſſa obſcuritas, quam affert mundi conuexitas, & terrarum globi differentia, vno atq; eodem ſydere, alio tempore, alijs gentibus aperiente & oſtendente facit, vt cauſæ eius non vbiq; iiſdem diebus valeant: nunc procurrente, quod prochomaſim Græci dixere, nunc pòſt veniente, quod epichomaſim: vt plerunq; citius, aliâs tardius, cœli effectus & tempeſtatum ſignificatio, ad terras decidat. Vt cùm poſt tempeſtates, reddita ſerenitas eſt, ſydus confectum intelligitur. Adijciunt etiamnum diei noctiſq; intercalarios quadrantes, vt certum ſyderum tempus tradi minimè poſſit. Addidere inſuper & difficultatem autores, diuerſis in locis ea obſeruando, atq; mox etiam in iiſdem diuerſa prodendo. Tres autem fuere ſectæ, Chaldæa, Ægyptia, Græca: vt ſecundum hos profiteamur, idem ſydus oriri & occidere aliter Ægyptiacè, aliter apud Aſſyrios. In Græcia verò aliter Atticè, aliter Bœotice. His addidit apud Romanos quartam Cæſar Dictator, annos ad Solis curſum dirigens. Exortus enim & occaſus, binis modis intelligitur. Aut enim Solis aduentu occultantur ſtellæ, & conſpici deſinunt, aut eius abſceſſu ſeſe proferunt. Exortum hoc melius, quàm occaſum conſuetudo dixiſſet: & illud, occultationem potius, quàm occaſum. Alio modo, quo die incipiunt apparere, vel deſinunt oriente vel occidente ſole, matutini, veſpertiníve cognominantur, prout eorum alterutris manè vel crepuſculò contingit. Dodrantes horarum cùm minimùm interualla ea deſyderant, ante Solis ortum vel poſt occa-

 ſum,

ſum,vt aſpici poſſint.Præterea quædam bis & oriuntur & occidunt. Alij trifariàm diſtinxerunt,vt primùm ortus habitudo ſit,cùm ſtella ſub Solis radijs exiſtit,& ſtatim poſt Solis exortum peroriatur.Alius,vbi ſol & ſtella ſimul oriuntur.Tertius, quum ſtella è radijs egrediens prior ſole oriatur. Occaſus itidem modi tres.Primus, vbi poſt Solis ortum ſtella occidit. Alter, quando ſol ac ſtella pariter in horizonte conſtituuntur. Hæc autem in occidente, ille verò in oriente. Tertius, vbi poſt occidentem ſtellam ſol exoritur. Quatuor enim alias ortus & occaſus habitudines poſuerunt,quas ipſe breuitatis cauſa prætereo. Sat enim erit ea exprimere,quæ rei arborariæ neceſſaria ſint: vt neque ſyderum ortus, occaſúsve per ſingulos dies,verùm tantùm primos ortus ac occaſus vltimos: quorundam non etiam plurium, ac eorum tantùm, quorum cognitionem ſatorem,inſitorémve arborum dignoſcere conueniet.

De quorundam ſyderum ortu, & occaſu, & de Orionis fabula. CAP. VII.

DE ſyderibus nonnullis diſputaturus, vt à Cane incipiamus, conueniens, vt potè cuius effectus ac vis, efficacius in terris ſentiatur. Oritur autem ſexto Calendas Auguſti, & occidit Calendis Decembribus,vt voluit Columella, in Solis ortu.Antè enim præcedere procyonem oporteт πρὸ enim ante eſt,& πρότερος prior & κυὼν canis.Quare Cicero in his Arati fragmentis,antecanem vocat:

Antecanem Graio Procyon qui nomine fertur.

Apud Latinos non habet nomen, inquit Plinius, niſi Caniculam velis nominare,alij minorem canem vocant.De ortu eius Manilius:

At procyon oriens cùm iam vicesſima cancro eſt,

Septimaq́ ex vndis pars ſeſe emergit in aſtra

Canis maior.- De eo etiam Aratus, *Pedibus ſub poſteris canis antecedentis.* Plinius tamen exoriri ſole primam partem Leonis ingrediente, qui dies XV. ante Auguſti Calendas eſt. Habet autem Canis maior in ore fulgentiſſimam ſtellam,quæ aliquando nomine totius ſyderis,Canis vocatur. Nonnulli Syrium vocant,à Græco συριάω, id eſt, ſicco vel areſacio,vel ἀπὸ τοῦ σειραίνω, quod eiſdem ξηραίνω, hoc eſt, exſicco. Hyginus tamen à flammæ candore dici putat, quòd præter cæteras ſtellas luceat. Alij à Græco σείρειν, id eſt, hio, dici putant, quòd tunc animalia, maximè canes,præ æſtu hient. Circa octauum Iulij Calendas oriri Seruius perhibuit, Galenus decimonono Iulij. Alijs ſexto Calendas Auguſti,nobis verò Calendis Iulij oritur. Hyginus Canem dici, quæ in lingua eſt,Syrium in capite.Baſſus contrà:nam quæ in capite eſt,Iſis dicitur:quæ in lingua, Syrius. Galenus poſt Aratum, Syrium in mandibula collocat. Sydus autem per ſe vehemens, cui non minor veneratio, quàm adſcriptis in deos ſtellis. Accendit ſolem,& magnam æſtus obtinet cauſam. Sentiunt hoc maria, & terræ, feræ quoq; & canes, quæ toto hoc ſpatio maximè in rabiem aguntur. In apothecis, Canis ortu vina mutantur,

quædam

quædam poſteà reſtituuntur. Arcturus ſydus in Bootæ ſigno, poſt vrſæ maioris caudam locatum, vnde ἄρκτου οὐρὰ, id eſt, vrſæ cauda. Arctos enim vrſa eſt. Oritur decimoquinto Calendas Octobris poſt quinquageſimũ ferè à Canicula diem. Quarto Calendas Nouembris veſperè occidit. Sub ortu eius iam hyems imminet, vt prodit Sophocles in Oedipo Tyranno. Eius ortus atq; occaſus tempeſtates faciunt. Scorpio, vel, ſi mauis, ſcorpius, nepa quoq;, vt F. Pompeius voluit. Plautus: Dabo me ad parietem, imitabor nepam. Et alibi: Retrorſum cedam, imitabor nepam. Cicero de finibus bonorum & malorum: Serpere agniculos, natare anaticulas, volare merulas, cornibus vt videamus boues, nepas aculeis, ſuadent cuique naturam eſſe ad viuendum ducem. Septimo Calendas Nouembris, nepæ frons exoritur: Idibus autem Martij incipit occidere. Nono Calendas Aprilis manè occidit, & pridie Nonas Maias medius occidit. Vergiliæ erga fructus terræ primatum obtinent, ſic dictæ F. Pompeio, quòd illarum exortu ver finitur, æſtas verò incipit, cuius vis maxima ad fructus maturandos. Notabilis earum in cœlo caterua, vnde Græci πλείονες, id eſt, plures dicere. Septem ſunt numero, in Tauri cauda. Probus dictas ἀπὸ τοῦ πλεῖν, idcirco, quòd eorum ortu prima ſit nauigatio. Alij à πλεῖστος, id eſt, pluralitate. vel ἀπὸ πληιόνης μητρὸς αὐτῶν, vt ait Phauorinus. Filiæ fuere ſeptem Atlantis, quæ Atlantides quoq; vocatæ, & Pleones. De his Ouidius:

Pleiades ante genus ſeptem radiata feruntur:
Sed tantùm apparent ſub opaca ſeptima nube. Et alibi:
Pleiades incipient humeros releuare paternos: Lib. 4. Faſ.
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.
Seu quòd in amplexus ſex hinc venere deorum:
Nam Steropen Marti concubuiſſe ferunt,
Neptuno Halcyonen, & formoſa Celæno,
Maiam, & Electram, Taigetamq́ Ioui.
Septima mortali Merope tibi Siſyphe nupſit.
Pœnitet: & facti ſola pudere later.
Siue quòd Electra Troiæ ſpectare ruinas
Non tulit, ante oculos oppoſuitq́ manum.

Oriuntur circa quintum Idus Maias. Columella decimo Calendas Maias cum ſole oriri ſcribit. Octauo Calendas Octobris occidunt. Tunc enim hyems incipit. Hic tamen & duodecimo & tertiodecimo Calendas Nouembris, Solis exortu occidi. Hœdi tertiò Calendas Maij oriuntur, Calendis autem Ianuarij occidunt. Fingunt enim poëtæ Adraſtiam capellam, cum ſuis hœdis beneficio in cœlo conſecratam, quòd Iouem educauerit. Hœdos ſequuntur pluuiæ. Sagitta octauo Calendas Martij crepuſculo incipit oriri. Tota verò matutino ſeptimo Calendas Decembris, Idibus verò Februarij manè occidit: vehementer, inquit Columella, hyemat. Aquila autem quarto Nonas Iunij oritur, & pridie Nonas Auguſti matutino ſe abſcondit. Et rurſus ſexto Calendas eiuſdem menſis exoritur, & tertio Calendas illius occidit. Septimo Idus Decembris iterum exoritur

exoritur mane. Orion autem ſic dici putant, quòd eius tempore hyems oriatur, quæ maria & terras tempeſtatibus commouet. ὀρίνω enim turbo eſt. Seruius illi οὖρον nomen impoſitum ab vrina eſſe mandauit, vt Græca Dorica lingua ου diphthongus in o commutetur. Plauto verò ac F. Pompeio etiam Iugula dicitur, quòd cæteris ſtellis amplior ſit, quemadmodum iuglans alijs nucibus grandior. Sydus autem gladij fulgore terribilis. Hinc Lucanus:

Lib. 1. *Enſiferi nimiùm fulget latus Orionis.*

Caput eius quatuor ſtellis conſtat, quarum duæ claræ, quas & humeros appellant. Tertio autem Calendas Iunij naſcitur. Decimoſexto Iulij eius gladius exoritur. Quarto Idus Nouembris totus gladius occidit. Mihi autem quæ poëtæ ſuper Orione finxerunt, nunc afferre liceat: & ſi minimè neceſſaria, verùm vt lectorem fabulis delectemus. Quæ ſæpius in hortis, atq; ſub arborum vmbra, otioſè cum quadam iucunditate narrantur. Fingunt etenim illi Oenopionem regem, Palephatus Hyreum Neptuni & Halcyones vnius Atlantis filiarum filium, & in Tanagra Bœotiæ habitantem, Iouem, Neptunum, & Mercurium hoſpitio magnificè ac digniſſimè ſuſcepiſſe, vt propterea eum hortarentur, vt quicquid vellet, poſtularet. Quod fecit, vt liberos ſcilicet, quibus carebat, illi annuerent. Itaque vrina intra corium immolati bouis facta præceperunt, vt terra obrutum & completis maternis menſibus ſolueret. Quo facto inuentus eſt puer, qui ab vrina primùm Vrion, ſed poſteà propter nominis ſonum Orion vocatus. Venator hic fuit immenſi corporis, voluitq; quandoque cum Diana cõcumbere: verùm eius ſagittis, vt voluit Horatius, vel, vt Lucano placuit, immiſſo ſcorpione perijt. Verùm deorum miſeratione, in aſtra relatus. Veriſimilius eſt, eum (ſi liceat fabulis veritatem immiſcere) à ſcorpione interemptum. Quo verò oriente, occidit. De eo etiam iſta referuntur, vt Oenopionis filiam vitiare tentauerit. Quare ille iratus, oculos ei ſuſtulit, cæcus itaq; factus. Quum enim conſuleret quonam modo oculos poſſet recipere, reſponſum eſt, lumina illi poſſe reſtitui, ſi per pelagus contra Orientem pergeret. Quod potuit: nam cùm Cyclopum ſtrepitum Ioui fulmina fabricantium audiſſet, ſonò ad eos ductus, vnum de his humeris ſuis ſuperpoſuit. Quo duce, oraculi præcepta compleuit. Non autem incongruè ire per medium pelagus potuiſſe fingitur, quaſi pro parte Neptuni filius fuerit. Sydus autem hoc ſua magnitudine, multis oritur diebus, vt ideò eius etiam apud peritos incerta ſit tempeſtas.

Temporis, ex rerum terreſtrium euentu, deſignatio.

CAP. VIII.

POST cœli ſtellarumq; eius præſagia, rerum terreſtrium ac infimarum lex quædam temporis ſequitur, quam agricolæ vt plurimum Aſtrologiæ ignari & literarum indociles amplecti debent. Huius verò experientię capaces huiuſmodi agri naturalibus argumentis ſibijpſis prouidere debent. Vt CHRISTVS IESVS rerum omnium admirabilis artifex & ſator, illorum

illorum rationem habere voluerit: vt quandam in herbis ipſis, quas ſæpe atque frequentius præter alias inſpiciunt, temporis veram aſtrologiam reliquerit, & quoſdam horarum indices dederit, ne quidem operi intenti, oculos è terra ad ſolem auocarent, ac ſi ſtellas alias in terra illis crearit. Cur ergo cœlum intueris & ſcrutaris, agricola? Cur etiam nunc ſydera illius quæris, ruſtice? Ecce heliotropium & lupinum cum ſole circunaguntur, ortumque eius manè ſpectant, & illum abeuntem ita ſequuntur, vt omnibus horis cum eo ad occaſum vertantur, atque vt in his præcipuas diei partes deprǽhendere poſſis. Narciſſus verò ter floret, vt eo tempore totidem arationes indicet. De lentiſco ſuprà diximus. Ipſo brumali die herba arentis pulegij in tectis & carnariis floret, rumpuntur intentæ ſpiritu membranulæ. Datur & aliud finiti frigoris indicium, ſi paulò altius oculos eleuare placeat. vt cùm videris germinare morum, frigoris poſteà iniuriam non pertimeſcas. At, Ieſus Chriſtus qui nec falli, nec minùs fallere potuit, Æſtatem eſſe dicit, quum fici ramus tener tunc fuerit, & iam gemmas produxerit. Vulgò enim iam ſcriptum eſt, atq; conſtanter creditum, olearum, populorum, ac ſalicum, & tiliarum folia brumali ac ſolſtitiali die conuerti: vt quæ earum pars inferior fuerat, atq; occultior, ſuperior fiat. Cuius verò rationem, omnium arborum communem eſſe, Theophraſtus exiſtimauit: verùm id ſubtilius, quàm ex re ipſa verius ſit: Illo etenim tempore folia potiſſimum decidua fore, aut aliquantulum affici, ſcribit: vt quæ infirma ſint, aut debiliora, vel decidant, vel exareſcãt. Quæ verò validiora ſunt, tãtùm circum agi. Verùm id in memoratis cõſpectiùs, vt omnium caloris diſcrimine, pars prona à ſupina diſcrepet. Quod enim validum eſt, ita facilè affici minimè poteſt. Quod in ſemper virentibus non idem euenit, vt eo tempore valentius vigeant: tanquam ſint cum hyemis rigoribus negotium habituræ. Abundè enim florentibus ilicibus & quercubus, longiorem hyemem quidam promittunt. Et ſi vltrà ſublimius neque ſtellas, neque arbores tibi cõſpectare voluntarium non ſit. Certiſſimum Veris indiciũ papilionis animalis. infirmitatis prouentus exiſtimabit. In ſimili ratione erunt, non paris infirmitatis cicindulæ veſpere per arua lucentes, quas Græci Lampyridas vocant. Quarũ ignis fulgor, alarum compreſſu tegitur, vt ſecum habeant & lucem & noctem. Iam Vergilias in cœlo notabiles, turba fecerat. Sed tibi alias, his non contenta Natura, terreſtres fecit, vt ruſtici ſtellantes volatus vocent. Aduentus enim hirundinis, philomelæ, vpupæ, coturnicis, maximè verò cuculi, galbulæ volucrium, ſpem Veris non minimam afferunt: vt harum vna, quod in hirundine expreſſit Ariſtoteles, Veris certam ac firmam nõ faciat ſtationem. Tranſiiſſe iamq; ſolſtitium, quum incubantẽ palumbẽ cernes, exiſtimabis. Multa enim ob oculos, quę certum temporis limitem certò præſagient, quæ te operi iam finẽ imponere ſuadebunt, & ad aliud incitabunt. Adeò enim nihil occultum eſſe Natura voluit.

De ventis. CAP. IX.

ff MAGNA

MAGNA & agricolis ventorum obſeruatio eſſe debet. Quippe arborum non parum intereſt, veluti ſub quo vento eas ſeras, inſerásve, fructus quoque eorũ colligas. Nam, vt elegantiſſimè nobis memoriæ reliquit Seneca, Ventos dedit ſummus ille rerũ artifex, ad cuſtodiendam cœli, terrarumq́; temperiem, ad alendos ſatorum, atque arborum fructus, quos ad maturitatem, cum aliis cauſis adducit iſta iactatio. In ſumma cibum attrahens & torpeant permonens. Ventis etiam Græci apud Titanam locum ſacrificabant. In colle templum & ventorum ara, ad quam ſingulis annis ſacerdos una nocte ſacrificia perſoluit. Alia item quatuor in foueis, ad vim & impetum illorum compeſcenda peragit. Medeæ, vt aiunt, incantamenta occinit. Autor Pauſanias in Corinthiacis. Cùm autem Xerxes Græciam inuaſiſſet, Pythium oraculũ Delphis reſpondit, vti ventos placarent. Poſito itaq; altari ventis ſacrificarunt: eosq́; adiutores habuere. Nempe cùm circa Sepiadem promontorium validè ſpiraſſent, totius Perſicæ claſſis apparatum contriuere. Clemens hæc, in Stromatum libro ſexto. Ventorum rationem primus Æolus Hellenis, vel Hippotæ, vt voluit Apollonius Rhodius, filius demonſtrauit. Quod ideò proditum autoribus & Strabone & Plinio eſt, quòd incolæ inſularum, quæ prope Siciliam ſunt, in quibus & ipſe regnauit, quínam flaturi eſſent venti, ex fumo, triduo antè prædicebant: vnde etiam ventos Æolo parere exiſtimatum eſt. Ad quorum verò cognitionem, cœli limites ac regiones antea præfixiſſe, neceſſe eſt, vt triplicem orientem ac occidentem deſignemus. Quatuor præterea cœli regiones ſunt, Oriens, Occaſus, Meridies, ac Septentrio. Sed ij duo perpetuo ſemper ſtatu permanent. Exortus autem & occaſus varij, mobilesq́; ſunt. Porrò ſol non indidem ſemper oritur, aut occidit. Aut enim æquinoctialis dicitur, cùm in circulo currit, qui ἰσονύκτιος dicitur, vel ἰσημερινὸς appellatur. Aut ſolſtitialis, & brumalis, quæ ſunt θεριναὶ τροπαὶ καὶ χειμεριναί. Occaſus ſimiliter, aut æquinoctialis, aut ſolſtitialis, vel brumalis. Nunc ad ipſos ventos, quos Homerus quatuor, per totidem cœli partes obſeruauit, Eurum ſcilicet, Auſtrum, Aquilonem, & Fauonium:

Σύν δ' εὖρος τ' ἔπεσε ζέφυρός τε νότος τε δυσαῆς
καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Homerum ſecutus eſt Ouidius, ſed longioribus:

Metam. lib. 1. *Eurus ad auroram, Nabathæaq́; regna receſſit,*
Perſidaq́; & radijs iuga ſubdita matutinis.
Veſper, & occiduo, quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro, Scythiam ſeptemq́; triones
Horrifer inuaſit Boreas: contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluuioq́; madeſcit ab Auſtro.

Cardinales quidam hos dixerunt, quòd à dictis quatuor cœli cardinibus perflent. Hebeti mos (vt Plinius ait) iudicatum ratione, vt ſecuta ætas octo adderet: de quibus Manilius. Verùm quatuor tantùm nominauit:

Quattuor in partes cœli deſcribitur orbis,

Naſcent

Naſcentemq́ ipſum diem, mediosq́ calores,
Teq́ Helice totidem venti de partibus iiſdem
Erumpunt, ſecumq́ gerunt per inania bellum.
Aſper ab axe ruit Boreas, furit Eurus ab ortu,
Auſter amat medium ſolem, Zephyrusq́ profundum:
Has inter bina mediis è partibus auræ
Expirant ſimiles mutato nomine flatus.

Sunt autem ij venti à quatuor mundi partibus flantes. Ab oriente autem verno, ſiue æquinoctiali Subſolanus, à meridie Auſter, à Septentrionibus ſeptentrio, ab occaſu æquinoctiali, Fauonius. Orientales venti (autore Gellio) tres erunt. Ab oriente verno Subſolanus, ab æſtiua & ſolſtitiali orientis meta Aquilo, ab oriente hyberno Vulturnus. Occidui totidem prædictis oppoſiti & contrarij, Caurus, Fauonius, Africus. Æquinoctialis oriens & æquinoctialis occidens. Item æſtiuus oriens, ac hybernus occidens: necnon hybernus oriens, & æſtiuus occidens. Idem meridies & ſeptentrio, inter ſe diametro diſtant. Caurus aduerſus Aquilonem flat, Fauonius aduerſus Eurum: Africus contra Vulturnum, Libanoton oppugnat Boreas. Thraciæ Phœnix. Cæcias verò contra Libym, qui inter Libanotum & Corum eſt. Fauonius Subſolano oppoſitus. Septentrio contra Notum. Vitruuius contrà Fauonio ἀργέϛην oppoſuit. Nonnulli aduerſus hunc, Eurum. Cæcias media inter Aquilonem & exortũ æquinoctialem & occaſum ſolſtitialem inter meridiem & brumalem ortum. Phœnix inter Auſtrum videlicet & Vulturnum. Thracias media regione inter Septentrionem & occaſum ſolſtitialem. Libanotus autem inter meridiem & occidentem hybernum. Auſtro adijciunt Leuconotum, id eſt, album notum, & altanum, quòd ab alto, id eſt, mari flet. Hæc de ventorum ſitu & regione, in quibus deſcribendis autorum diuerſa & varia traditio fuit, alijs aliter hiſtoriam contexentibus: ego autem ſecutus ſupradictam doctrinam, quòd certior mihi viſa fuerit.

De ventorum varia appellatione. CAP. X.

VENTORUM ſingulorum etiam non vna ac eadem apud autores appellatio, vt etiam quiſq; plures ſortitus ſit: quas referre, & in vnum conferre, operæpretium duxi, ne ſub diuerſis nominibus, vnus idem ventus alius apud alterum & alter apud alium exiſtimaretur. Subſolanus nautis leuans dictus eſt, quod ſub ſole ſpiret, vti hac ratione a Græcis etiam ἀπηλιώτης ἀπὸ τοῦ ἡλίου, quod eſt ſol. Eurus etiam dicitur, quòd ab aura procreetur εὖρος ἀπὸ τοῦ ἐρέω, vt Marcellus inquit, quod flatus eius ab oriente hyemali ſit. Et propter matutinales auras ἔυριος etiam dicitur, vel ἀπὸ τῆς ἕω ῥέων. Typhon, ſiue Typhonicus ventus ſiue Euroaquilo putatur de quo in actis apoſtolorum. Romani, inquit Gellius, nauticum vocant. Hunc Vulturnum vocari Plinius & Columella ſcribunt. Sed iam ciuilitate donatus, vt noſtro ſermoni, non tanquam alienus interueniat. Aliqui à vulturis volatu deducunt, quòd ab alto reſonet, vnde Lucretio

altitonans. Græci verò alium ab Euro exiſtimantes εὐρόνοτον nuncupant, quòd inter Eurum & Noton flet, miſto nomine. Fauonius à nautis Ponens à fouendo dictus, quòd cuncta foueat. Nam, vt ait Plinius, Fauonij hybernum molliunt cœlum. Græcè ζέφυρος ἀπὸ τοῦ ζωὴν φέρειν, hoc eſt, à vita ferenda, & ζωηφόρος & χελιδονίας, & ornithias, ab hirundinum & coturnicum primo volatu, ab ὄρνις. Vegetius Renatus alium zephyrum, alium Fauonium manifeſto errore putauit. Hauſter ab hauriendis aquis nomen deſumpſit. Græcis νότος ἀπὸ τῆς νοτίδος, hoc eſt, ab humiditate, quæ in rebus omnibus eo flante ſolet contingere, & quòd à Libya flet, λὶψ quoq; dicitur. Africus quoq; etiam λὶψ dicitur, vt multis placet ἀπὸ τῆς λιβύης, id eſt, Africa, quòd ex ea regione flet, alijs λίβα verius, quàm λίψ. Septentrio verò dicitur, quòd à Septentrione ſpiret. Simili ratione à Græcis etiam ἀπαρκτίας, quòd ab arctis, id eſt, vrſis flet. Multi Septentrionem Boream dicunt. Aquilo enim à ſublimi aquilæ volatu dicitur, quod ab alto flet, aut, vt voluit Nonius, à vehementiſſimo ad inſtar aquilæ volatu, Græcè Borea ἀπὸ τῆς βοῆς, quòd ſonorus ſit. Ariſtoteles meſera vocat. Plinius tamen hunc paululùm à Borea diuertit. Propè Menalum ac Megalopolitas, Boreæ templum, cui ij quotannis rem ſacram faciebant, & inter deos venerabantur, quòd eos ab Lacedæmonijs & Agide liberaſſet: Pauſanias in Arcadicis. Fuit autem Boreas Thrax, Aſtrei filius, qui Orithyiam Erichthei filiam rapuit. Poëtæ ventum fingunt. Corus ſiue Caurus, quo vſus Vergilius:

Semper hyems ſemper ſpirantes frigore Cauri.

Nam Seruio o litera, ſæpe in au diphthongum mutatur. Quibuſdam Argeſtes, Horatio Iapyx, & Ptolemæo etiam quòd ab Iapygio Italiæ promontorio in Ægyptum euntibus flet. Plinius tamen hunc non paulùm à Cæcia deflectit, neq; omnes terras ſentire, ſed ſolis Athenienſibus peculiarẽ. Cæcias ſine nomine apud nos. Ariſtoteli etiam Scyro aut Olympias, vel phœnix: Græci etiam Helleſpontium, quòd ex Helleſponto in Græciam deferatur qui Pontum incolunt Berecynthiam: Vitruuio Carbas, quòd à Carbanis Phœniciæ gente ſpiret: vel à verbo χαυρόω, quod eſt perturbo, & βοὴ, quod eſt vox. Quidam à malis moribus dictum volunt. Libanotus autem dicitur, quòd inter Notum & Liba reſpiret. Hunc eſſe Circium dicunt, quem Hiſpani Gallicũ vocant, autore Iſidoro quòd hic à Galliæ partibus flet: à vertigine dictus. Thraſcias à θραύω, quod eſt frango, & σκιὰ, quod eſt vmbra. Latini Gallicum vocant.

De vi & natura ventorum, & de prodromis, eteſijs, & alijs, quibuſdam locis peculiaribus. CAP. XI.

VENTORVM autem originem, & locum, illorum poteſtas ſequetur. Quam ſi cognouerimus, quædam propter iſtorum flatus aut euitabimus, aut ſecurius peragemus: vt ideò illorum naturæ cognitio, perneceſſaria nobis ſit: parumq; illorum in cœlo regiones locaſſe fuiſſet, ni quoq; vim, qua vti poſſimus, ſciamus, aut quam euitare debeamus. Subſolanus autem

ſpirare incipit à Vergiliarum exortu ſex diebus, in totidem Tauri partibus,ante Idus Maias, leniter quidem, & ipſe pluuius eſt, Fauonio tamen ſiccior.cum ſole exoritur,& ſpiritu antelucano impetu ſcandendo,auras trudens, aëris humorem exprimit. Quòd ſi cum ſole orto permanſerit, craſtinas tenebit partes.Fauonius verò flare incipit Sole vigeſimamquintam Aquarij partem obtinente. Qui dies Plinij ſupputatione, ſextus ante Februarij Idus eſt,non vbiq; tamen flat:natura tepidus. Hybernum molliunt cœlum.Vergilius:

Vere nouo, gelidus canis cùm montibus humor Georg. 1.
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit. Horatius:
Soluitur hyems grata vice veris
Et Fauoni.- Lucretius enim Veneris prænuntium vocat:
- Veneris prænuntius antè Lucret. lib. 5.
Pennatus graditur.-

Quibuſdam enim locis,vi flatus armenta concipere plures prodiderunt, inter quos Vergilius:

Ore omnes verſæ in Zephyrum ſtat rupibus altis, Georg. 3.
Exceptantq; leueis auras: & ſæpe ſine vllis
Coniugijs vento grauidæ.-

Auſtrum gelidum ſuapte origine dicunt: verùm quia per torridæ Zonæ flammam graditur,igniq; commiſtus caleſcit,& ad nos calidus peruenit. Vt qui gelidus incœperit, calidus finiat. Neq; enim ratio aut Natura pateretur, vti è duobus æquo preſſis rigore cardinibus, diſſimiles flatus emitterentur. At Hippocrates humidum calidumq; dicit, niſi regionum & locorum ſitus hanc cauſam amoueat.Nebuloſus Homero dicitur, *νότος δυσαής.* Eius autem naturam Ouidius poëticè hoc modo deſcribit:

Terribilem picea tectus caligine vultum Metam. 1.
Barba grauis nimbis, canis fluit vnda capillis:
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæq;, ſinusq;. Et alibi:
Nubibus aſſiduis, pluuioq; madeſcit ab Auſtro. Et Lucretius: Metam. lib. 1.
- Auſter flumine pollens. Lucret. lib. 5.

Diuus autem Hieronymus pluuiarum pincernam vocat. Primùm non vehementer flat, verùm leniter aëra liquefacit. Illius autem poteſtas ex Hippocrate ac Galeno medicis eſt. Auditũ grauem, capitis grauedinem, viſum hebetem,corporis torporem, delaſſationem, reſolutionemq; facere.De limpidis turbulenta,de frigidis calida,de ſiccis humida. Solem autem & Lunam cæteraq; ſydera,quàm ſua ſint natura,hebetiora reddit.Eo autem adflante, minùs eſurire creduntur animantes. Dolia tam domi, quàm in terra,tam vini,quàm alterius liquoris,huius flatum perſentiunt, & ſpecies alias,alias formas induunt. Omnia autem quæq; gignuntur, ac in quibus humidi quid ineſt, fluentem perſentiſcunt. Omnia deniq; auſtrino flatu computreſcunt. Terra autem occulto rore pertumeſcens, Auſtrum prænuntiat. Aquilo huic natura contrarius. Viarum ſcopa à diuo Hieronymo dictus,quòd flando eas perpurget.Homero autem,

βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλινδῶν.

Vergilio verò ſudificus,ſiccus, frigidusq́; eſt, & aëra ſerenans : quo flante omnia imputria diutiſſimè durare facit, vt bonæ tunc atq; potabiles ſint aquæ:contrà,auſtrinis tempeſtatibus amariores,turbulentioresq́;. Deniq; vt omnium ventorũ ſaluberrimus ſit. Terra de repentè ſicceſcens, hunc prænuntiat.Septentrio & frigidus eſt,ſiccusq́;,vt cæteri omnes, qui à Septentrione perflant,niuoſus.Cauendus eſt : nam eius frigiditate perſtringit.Frigidus,ſiccusq́; Corus,ferè mollis,& tam euntibus,quàm redeuntibus communis.Ij poſtremi duo grandines important. Humidus & Africus ruens,& furibundus. Vulturnus tepidus:qui ſi à ſerena cœli parte inflare cœperit , in noctem minimè durabit. Lucretius altitonantem dicit. Cæciam Ariſtoteles ita flare ſcribit , vt nubes non procul propellat , ſed vt ad ſeſe contra aliorum ſeptentrionalium ventorum naturam euocet. Vnde verſus ille prouerbialis *κακὰ ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἕλκων ὡς ὁ καικίας νέφος.* Rationem autem hic pluribus in locis conatur adferre.Hunc circa ortus æſtiuos flare exiſtimat. Sidera media æſtate mollit , humidus , mutatq́; nomen,& Eteſias vocatur: additq́; à nonnullis haberi cum illo,quem alij *θρασκίαν* nominant. Sereni Argeſtes & Thraſcias:ille niuem & glaciem facit.Et vt aliquid generalius de vẽtis ediſſeramus : Diuturniores, qui feruidi ſentiuntur, & qui ab ortu occaſúve ſpirant. Ventorum autem rationem, menſtrua quarta luna, id eſt,quartus à nouilunio dies, maximè diſcernit , vt ſuprà Vergilius, in Solis prognoſticis expreſſit. Nunc de Prodromis, Aquilonibus & Eteſijs, nonnullis certis duntaxat aliquot regionibus ſpirantibus.Aquilones autem Prodromi,inter Subſolanũ & Aquilonem ſufflant diebus octo ante Caniculæ exortum. Quod Plinius ad decimumoctauum Auguſti Calendas definit,& Cæſar decimo Calendas ſentire Italiam exiſtimat.Ideò nomen hoc habuerunt,quaſi præcurſores. Somniculoſos autem & delicatos eos vocare nautas Seneca ſcribit,quòd manè hi tunc ſurgere nequeant.Eteſiæ iuxta Fauonium efflant. A Caniculæ poſt biduum ortum ad dierum quadraginta intercapedinem.Ægypto decimo Calendas Octobris deſinunt, & Aſſyriæ. Cæſari verò tredecimo Calendas eiuſdẽ menſis , vt ſtatim poſt Aquilones prodromos inflent:quare Lucretius Aquilonum flagra vocet. Deſinunt ferè noctu,& à tertia diei hora oriuntur. Variant & ex regionibus auras : nam in Africa & Hiſpania ab oriente,in Ponto ab Aquilone,reliquis in partibus à Meridie. Nomenq́; illis à flatibus , quòd annuatim certo anni tempore ſufflent.*ἔτος* enim annus,& *ἐτήσιος* annuus.Circius ſolius Narbonenſis prouinciæ incola , vt Viennam illius prouinciæ vrbem vſq; perueniat minime. Atabulus Apuliæ etiam peculiaris, *ἀπὸ τοῦ ἄτην βάλλειν*, vt Porphyria ait,à nocumento & peſtilentia. Quare Horatius:

Incipit ex illo montes Appulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus.

Feruentiſſimus etenim is eſt.Olympias etiam Eubœæ ſolùm peculiaris.

Præfat

Præfatio libri noni.

NVNC ad ſeminarium, quòd prima & præcipua diligentia & labor in re arboraria eſſe debet, tanquàm huius rei firmum fundamentum ac ſtabilimentum, à quo verò non vna aut altera harum vtilitas dependeat. Etenim, ex optima eius compoſitione feſtinantius ac generoſius proſiliunt plantæ. A quo item ingens arborum turba citius progredi poteſt. Qua verò ampliſsimos hortos, parua opera inſtituere poſsis, vt propterea huius non indiligens cura eſſe debeat, ſicuti nec apud antiquos fuit, vt huius non vna aut altera ratio habita ſed multiplex fuerit. Talearum autem conſtitutio, in quibus certè apud antiquos ſtudium maius, frequentius exercitium, nunc verò neglectum ac penè omnino relictum, nedum verò, modo magna rei arborariæ iactura incœptum, etſi accuratius priſci agricolationis autores, multis item commentarijs tradiderint. Qui nos autem præceſſerunt, in ſerendis hortis, ſolùm, ſtirpibus ſylueſtribus, atq; ex ſyluis & alijs locis incultis, tranſlatis nulla arte cicuribus antea factis vſi ſunt, vt inde non idem fructuum honos ac bonitas ſequeretur. Nam quemadmodum liberi ab ineunte ætate, bonis parentibus ac ingenuis orti, longè plura atq; feſtinantius promittere poſſunt, quàm qui ab ruſticis proceſſerunt. Oportet enim quicquid natum & ortum fuerit, & loci & parentum & illorum morum, referre naturam. Vti ex terræ bonitate, quæ in ſeminarijs ſeligi conſueuit tum ex cultura generoſum quid magis deſiderari, vt quod inſuper ab initio induerit, perpetuò adſeruet: vt deniq; fructus & mitiores & ſuauiores ſint conſequens ſit. Quæ ſi tanta illius vtilitas eſt, de eo præterea diligentius tractandum.

✝

HORT

HORTORVM LIBER NONVS.

De ſeminario & ſeminum generibus. CAPVT I.

DIVISO anno, & cognitis eius partibus, naturaq; illarum: Agnita inſuper lunæ ratione, ſyderaliq; digeſtione, & ventorum originibus ac poteſtate: quæ omnia ad rem arborariam neceſſaria fore ſuprà oſtenſum: reliquum eſt vt ad plantarum propagationem tranſeamus. In qua re primum ſibi adſciſcet locum ſeminarij ratio, cuius cura non ſegniter habenda. Quando verò eas primùm ſeminarijs demandamus, in his ſeminatas, creſcere, puerafcere, adoleſcere anteà oportet, vt ſoli humiditate, culturæq; diligentia primùm coalitæ & auctæ, poſteà ad meliorem, ac ſecuriorem, & longiorem fructificationem perpetuamq; ſedem atque in hortos ipſos tanquam perpetuum domicilium migrent, atq; locentur, vt illic cæteram ætatem viuant. Quorum vtilitas permaxima, atq; ex ſeſe manifeſta: cùm non alia ratione, breuiorìq; tempore, ingentem cuiuſque generis arborum numerum tibi faciliùs comparare poſſis. Quare Vergilius arborum ſegetem vocat, his:

Georg. 2. *- Vbi prima paretur Arboribus ſeges.-*

Plantarium etiam dicitur, vt hæ duæ appellationes vnum quodq; arborum genus compræhendant. Cæterùm ſi locus aliquis, cuiuſdam arboris ſolius genus aliquot receperit, ab eo denominatio fiet: vt ab vlmis vlmariũ, & ſic de alijs. Verùm antea quàm ad ſeminarij diſpoſitionẽ deueniamus, de ſeminum differentijs diſſerendum. Ex ſemine enim primam arborum ſationem fuiſſe, nemo eſt qui addubitet: & totius arboris potentiam Demetrius Phalereus in ſemine ponebat. Sine qua verò & interirent arbores, veluti atq; omnia animantia, propter quod meritò præcipuam virtutem dicit. Propterea Saturnum ſuos filios deuoraſſe fingunt poetæ, ea ratione (inquit M. Varro) quòd ſemina iterum in terram recidere debeant, ex qua orta fuerant. Sed & hoc Natura ipſa abſq; hominis artificio primùm docuit, cùm decidens ſemen, ac terra exceptum viuiſceret: vt etiam Lucretius voluit:

Lucret. lib. 5.

At ſpecimen ſationis, & inſitionis origo
Ipſa fuit rerum primùm Natura creatrix.
Arboribus quoniam baccæ, glandeſq; caducæ
Tempeſtiua dabant pullorum examina ſubter.

Idq;

Idq; etiam auium & quadrupedum frugalitate oſtenſum, terra tanquam horreis ad annonam, arborum fructibus demandatis. Sæpe nonnunquam volucrum fame deuorato, ſolidoq; & alui tempore madido cum fœcundo fimi moderamine in mollibus arborum lecticis adiecto, aut etiam in aliquas corticum rimas tranſlato. Vnde videmus nonnunquam aliud genus arboris in concauitate natum. In ſalice verò ceraſum, in ceraſo laurum, vt baccas diſcolores in eadem arbore conſpicere ſit: in fraxino quercum, & in ſalice ſambucum. Stirpes enim, ſicut & animalia, quæ ex ſemine ſeruntur, originem ſuam referre, fauente Natura, neceſſe eſt: vt quæ & ſemen ferunt, ex ſemine creari poſſint. Quod ſi contrà eſſet, Natura citra eius poteſtatem manè illud produxiſſet, cuius cauſa ſolum procreauit: vt ad generationis officium, & arborum perpetuitatem natum ſit: & huius communis plantarum finis. Verùm id non tam arboribus, quàm in animalibus facilè videre eſt. Seminum quatuor genera M. Varro poſuit eorum etiam, quæ è terra in terram transferuntur. Quorum item quædam per ſe à Natura fiunt, cætera verò ex induſtria. Itaque primum ſemen, quod eſt oriendi principium, duplex eſt. Vnum, quod latet noſtrum ſenſum: alterum autem apertum eſt. Latet enim, ſi ſunt ſemina in aëre, vt ait Anaxagoras phyſicus. Aut ſi ſunt in aqua, vt ait Theophraſtus: vt hæc fluens in agrum inferat. Nata eſt prope Cyrenem ſylua, poſt imbrem piceum craſſumq; circiter vrbis Romæ initium anno quadringenteſimotriceſimo, inquiente Theophraſto. Frequentiores enim imbres, putredines, quaſdamq; etiam mutationes humi committunt: quæ ſole ferueſacta, plantas producunt, vt proprietas quædam procreandarum arborum in cœlo terráve conſiſtat. Hæc enim ſemina primigenia nobis Natura dedit, prius nata, quàm ſata. Secundum verò, quod agricolis patet, & hoc coloni experientia inuenit, anteà ſatum quàm natum, ex altero tamen collectum. Et huius quidem quoddam ad oriendum vſque adeò paruum, vt obſcurum ſit: quale eſt cupreſſi. Tertium autem genus, ex arbore per ſurculos in terram defertur. Quartum verò, quod ex arbore in aliam inſitione tranſit. Sed generalius de his agamus. Arbores autem, quod Naturæ debemus, aut ſpontè, Naturæ benignitate, aut hominum induſtria naſci, ſatis ſuperq; omnibus conſtat. Atq; omnes aut ex ſemine, vel illarum ſobole: vt in hoc vltimo, vel taleis ſiue clauis, vel ſurculis ſiue ramis, aut perticis ſtolonibuſq;, qui auelluntur, aut propagine, aut à radice ſiue trunco. Super hæc omnia erit aliquid, è lacryma proueniri, atq; ex radicum oculis. Ex folijs autem palmarum apud Babylonios arborem procreari, Trogum crediđiſſe demiratus eſt Plinius. Ferè hæc omnia expreſſit Vergilius:

Principiò arboribus varia eſt natura creandis: Georg. 2.
Nanq; aliæ, nullis hominum cogentibus, ipſæ
Sponte ſua veniunt, campoſq;, & flumina latè
Curua tenent: vt molle ſiler, lentæq; geniſtæ,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.
Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: vt altæ

Caſtaneæ, nemorumq́; Ioui quæ maxima frondet
Eſculus, atq́; habitæ Graijs oracula quercus.
Pullulat ab radice alijs denſiſsima ſylua:
Ut ceraſis, vlmisq́; etiam Parnaſsia laurus
Parua ſub ingenti matris ſe ſubijcit vmbra.

De loco ſeminarijs ſeligendo, ac præparando, & quando.

CAP. II.

Ad ſeminaria autem facienda, locus maximè ad id idoneus, & aptus ſtudioſè eligi, & præparari debet. Ab his enim prima arborum cura & diligentia eſſe debet, vt iam ſuprà diximus, vt citiùs coaleſcant, & grandeſcant, vt feſtinantius ad deſtinatam ſedem, & bonam frugem perducantur. Solus enim per tot ſecula vnus tantùm inuentus Thracius Sophiſta, qui ſine ſeminarij ratione ſolo cantu, arbores ipſas ſuis locis motas tranſplantaret. Seminaria Vere primo fieri, vbi Fauonius flare incœperit, M. Cato præcipit. Verùm id melius craſſis & humidis: cæteris verò Nouembri ad Vergiliarum occaſum. Plinius enim ea fieri cùm luna ſuprà terram erit. Ante omnia autem ſeminarium aduenis hoſpitale eſſe oportet, & quam ſimillimum terræ huic, in quam tranſplantatio futura ſit: non ſolùm quidem qualitate, figurâve, verùm etiam aëris conſtitutione, vt nouitate ipſa planta non conſternatur. Quamobrem optimè conſulitur, ne nimis longè à ſeminario transferantur. Sæpe etenim loci interuallum, aëris diuerſos mores procreat. Inſuper ſolum optimum, pingue, apertiſſimum, modicè humidum, minimè rimoſum, ne fibras exurat, ſtudioſè ſeligi refert. Natura enim ipſa, plantaria demonſtrat, matre verò multis radicibus pullulante, & denſam ſobolem parturiente, quam poſtmodum enecet. Quippe turba indigeſta, eius vmbra premitur. Quod in lauris, punicis, ceraſis, prunis maximè eſt, in quibus matris rami, vix ſoboli parcunt, niſi ſoli benignitate, & aëris amicitia, in ſua tellure ſpatiari delectetur. Locum autem huiuſmodi inuentum bipalio inuerti, ac ſubigi debet, ac lapidibus expurgari, occari, & reſolui, dein ſtercorari, vt verno poſtremùm tempore in areas componamus, ita anguſtè compoſitas, vt qui runcaturi ſint, medias earum partes manu facilè contingere poſſint. Nam ſi latiores erunt, quæ proculcata ſemina erunt, noxam capient. Ad citrum Palladius ſic præparat: Terram altam duos pedes, aut vnum, fodi vult, ac cinere immiſceri. Areas breues fieri, vt vtrinq; per canales aqua diſcurrat. In quibus areis palmarem ſcrobem manibus aperiri, & in eo tria grana cacumine deorſum iuncta conſtitui. Locus autem caſtanetis deſtinatus, pedis vnius aut duorum altitudine fodi debet, & totus ſulcis in ordinem deſtinari, aut aratris hinc inde findentibus reſolui. Qui fimo ſatiatus, ac in puluerem redactus, caſtanearum ſemen accipiat, non amplius pedis vnius demerſum. Locus deductoria liquoris accipiat, ne humor inſidens limo germen extinguat. Hac ratione ſyluam barbaram, id eſt, conſemineam ex glande & cæteris ſeminibus conſerere poteris. Hoc

nomine

nomine Columella ex pluribus & varijs arborum generibus vocat, à moribus barbarorum. Locum autem ſeminarij hunc etiam munitum eſſe oportebit,atq; bene circunſeptum,aduerſus incurſum etiam gallinacei generis,néve etiam inualida planta à pecore calcetur.

Quot,quibúſve modis,vnum quodq; arborum genus,melius proueniat. CAP. III.

QVOMODO, quáve ratione,vnaquæquæ arbos lætiùs properantiusq́; producatur,videndum. Nam quædam illarum facilitate, atq; humanitate, dociliq́;, ac miti illarum natura, vt cæteris dociliores,ac frugaliores & ſint,& appareant, inueniuntur,quæ omnibus generibus propagantur. Aliæ non ita faciliùs,neq; omnibus modis proueniunt. Quædam proſperiùs ſemine,quàm taleis:contrà,aliæ meliùs taleis,quàm ſemine:quædam pluribus, cæteræ paucis, vel vno tantùm contentæ. Quod vltimum rarò contingit: vt in his non ſegnis experientis cultoris animaduerſio eſſe debeat, vti ex ſtudio ſuo,velocius ex planta, quam ſeruetit, fructus deſumat. Ne etiam contra naturam ipſam diutiùs ac moleſtiùs tum impenſa, tum labore fruſtratus, depugnet. Quare vnumquodq; cuiuſq; arboris generis ingenium perſequi,vtile erit. Citrus enim ſemine,ramo, talea, claua ſeritur,ſicut & buxus,piſtacia etiam ſobole,ac nucibus. Siliqua & ſemine,& plantis, ac taleis,veluti & zizipha. Auellana & ſuis nucibus, & ſobole. Et his modis prunus,ſorbus,malus,pyrus, perſicus,meſpilus,cornus,morus, amygdala, iuglans. Morum tamen quidam talea tantùm ſeri autumauerunt,& iuglandem:ſed hanc ſurculo quoq; feliciter euenire expertus ſum Caſtaneam Plinius ſolum ſemine,exceptis cæduis,ſcriptis mandauit. Verùm hæc quoque ſemine commodiùs prouenire compertum eſt.Nam ſi planta ſeratur, ita ægrè procedit, vt biennio toto de eius vita nonnunquam addubitetur: vt huius ſyluæ melius nucibus quàm viuiradicibus inſtituantur. Palma è ſemine ac taleis,Græcis prodentibus. Babylonij viuiradices efficiunt,quas adultas poſteà transferunt. Lauri autem & myrti omnia genera ex baccis in Campania ſeminaria conſtitui, Plinius autor. Alij laurum anguſtam,ſiue triumphalem,& baccalem, ex his tantùm ſeri cæteri prodidere.Ramo etiam plantari conſtat.Quod veteres non dubitarunt. Pinum abietem ſemine,& virgis produci quidam contenderunt. Trunco autem non niſi in Creta, præſertim in montibus Tiraſenſium, quod obiter dubitauit & Democritus & Theophraſtus. Alij hoc teſtatum voluerunt, in fruticoſo tantùm genere, quale eſt apud Dryitas Cretenſes.Nunc verò cum Theophraſto aut Democrito non ambigendum. Quod egomet expertus ſum,vt illud primùm in coniferis arboribus generaliter eſſe voluerunt nonnulli. Punica & plantis de matrum radice deuulſis, Colutea ſemine naſcitur. Fici & grano ſeruntur, vt hac ratione ficorum genera Chiæ, Chalcidicæ, ac Lydiæ, & Africanæ. Item cætera tranſmarina in Italiam perlata, M.Varrone aſſeuerante contra Theophraſti opinionem:de qua forſan infra.Olea omnibus modis ſeritur. De

robore verò diuerſa ſententia. Alij ex ſemine,quidam tantùm ex trunco, ſed velociùs ex ſemine,& omnes,ex quibus ſyluas optamus habere.Roſa conciſo caule ſeritur, quæ poſteà viuiradix facta transfertur. Ex ſemine etiam & talea, vt voluit Theophraſtus. Et vt hìc in vniuerſum eius ſatio habeatur: Alij integras plantas radicibus transferunt. Sæpiùs enim eam transferre ſatius erit.Crebra etenim tranſmigratione, ſpectabiliore effundere florem arbitrantur. Si enim plantarum indigus fueris, & ex paucis virgultis copiam deſideres, gemmatos ſurculos cum ſuis ſarmentis, longitudine quaternûm pluriúmve pedũ excidere debebis, quos & in propaginis modum ſternes, vt rigationibus, ac ſtercoratione, quod ſat erit tueantur. Vbi autem anniculam ætatem compleuerint, transferto in pedis ſpatium. Nonnulli maioris odoris fragrantiam adſciſcere exiſtimant, ſi intextas ijs coronas ſimul adobruerint. Maiorem deniq; odoris fragrantiam habent,quæ in ſiccaneis naſcuntur.Hos etenim inſerendi modos Vergilius grauis agriculturæ (quod pluries poſt Plinium profeſſus) autor, cuius tantum abeſt, vt poſt Columellam me interpretem aſſeram, paucis expreſſit:

Georg. 2. *Sed truncis oleæ melius, propagine vites*
Reſpondent, ſolido Paphiæ de robore myrtus.
Plantis & duræ coryli naſcuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeaq́ arbos vmbroſa coronæ,
Chaoniją patris glandes: etiam ardua palma
Naſcitur, & caſus abies viſura marinos.

De ſeminum preparatione. CAP. IIII.

PRIMAM plantarum ſationem à ſeminibus fuiſſe, par eſt dicere,quam primùm caſus fortuitus, vt ſupradictum eſt, nobis oſtendit. Semina enim ipſæ arbores,cæteræq; plantæ ſibijpſi ingenita natura,ad illarum perpetuam ſobolem crearunt. Verùm vt ad id magis idonea ſint, videndum. Inter quæ primùm vtrum vetuſtate exuſta, ne hebetiora ad germinandum ſint: aut cæteris admiſta,ne aut propter ſimilitudinem fallamur, ſic vt expectatione laboris præmio careamus. Hoc autem in omnibus noſtris actionibus cauere magnoperè debemus, ne ſpe ac voluntate noſtra decidamus. Oportet enim matura colligi,dein maxima eligi. Quæ prius quàm ſerantur,paucis diebus deſiccanda,vt humoris virus exuant,atque præparanda erunt. Perſici oſſa hoc modo ſiccata in quallis, atq; terra ſoluta,cum cineris miſtione reſeruant.Lauri baccæ,Aquilonis afflatu exſiccatæ,menſe Ianuario leguntur, raræq; expanduntur, ne aceruo caleſiant. Cæteri in quallo pedibus in profluente,quoad cutis auferatur,deculcant. Alioquin vligo infeſtat.Ex cupreſſo item fœmina,pilulæ collectæ ſole ſiccantur, ruptæq; emittunt ſemen. Ex caſtaneis autem eligendæ ſunt recentes,maturæ. Quæ ſi Februario ſerendæ ſunt,expanſæ deſiccari debẽt. Tunc in anguſtum & ſiccum locum tranſlatæ,cumulum faciunt: vt eas pòſt omnes fluuiali arena operias:poſteà verò dies triginta,in aquam frigidam

gidam mittis. Quæ autem ſanæ erunt, merguntur: ſupernatant verò quæ vexatæ ſunt. Item quas probaſti, poſt triginta dies æquè probas. Hoc cùm tertio feceris, vſq; ad Veris initium, vtiliter quæ manſerunt illibatæ, ſeris. Nonnulli autem, qui minùs ſeduli, minusq́; operoſi ſunt, in vaſculis tantùm ſeruant, arena pariter omiſſa. Hæ pedamento feruntur. Baccas lauri, amygdala, prunorum oſſa, antequam deponantur, fimo aut lixiuio diluta, pridie, aut per triduum aqua mulſa macerant: & ita ne quid nimis, ne germen ex multo melle mordacitas extinguat, vt dulcedinis tantùm poſſis habere ſuſpicionem. Hac ratione (autore Palladio) citrus, acres medullas, dulcibus mutat: vel ſi ouillo lacte, quod præſtat, hoc fiat. Iuglandes, quas Ianuario ſaturi ſumus, ſimplici aqua pridie macerabimus. His etiam modis, iucundioris ſaporis fructus, cùm adoleuerint, erunt: atq; interim meliùs ac celeriùs germinabunt. Palmæ autem dactyli noui, minimè veteres, ac pingues eſſe debent. Democritus myrti genera alio modo, quàm integris baccis, ſeri docebat, grandiſſimis baccarum tuſis, ne grana frangantur. Perſicum & amygdalum pomum, ſic inſcriptum faciemus. Oſſiculum ad dies duos ſiue tres macerato, & leniter aperito, & repertum intra os nucleum accipito: in cuius cortice ſtylo æreo quicquid libuerit inſcribito, non tamen profundè: deinde papyro inuolutum plantato. Aliter Græci, vt ruber etiam ſit perſicus. Poſt ſeptem dies, vbi oſſa obruta fuerint, & putreſieri cœperint. Poſt hoc enim tempus, ſponte aperiuntur: in nucleis cinnabari, quod placuerit inſcribas, mox ligatos ſimul cum ſuis oſſibus, vt bene adhæreant, diligentius obruas.

Seminarium ex ſemine, & qualiter in quallis ſerantur, vt transferantur. CAP. V.

SEMINARII autem faciendi duplex ratio. Aut enim ex ſemine, aut ex taleis. Nam, vt iam dictum, alia magis ſemine pollent, quare ex his proſperiora ſeminaria: alia verò hac re hebetiora, vnde ex taleis conſpectiora ſeminaria. De ſeminibus tantùm hic agetur. Illud autem lectorem & agricolam anteà præmonitum velim ea, quæ ſemine ſeruntur, prouentu tardiſſima fore, vt hominibus longa ab his expectatio ſuperſit. Serò enim admodum veniunt: quum in ſeminis ſatu, omnia generari, & radices, & truncum, ac librum neceſſe ſit, prius etiam quàm longa incrementa accipere poſſint: vt plus impetus ad germinandum antè inferant, quàm ſemina inniti valeant. Rurſus arborum ſemen quarundam adeò minutum, vt plerunq; non maius quàm herbarum ſit: quale cupreſſi, ficiq́;. A generis quoq; nobilitate deſciſcunt ac decedunt, vt deteriora ſæpius reddantur: quæ inſito poſteà reſtaurare oportet, vt (ſicuti voluit Theophraſtus) à domeſticis in ſylueſtres commutentur: veluti vt è ficu caprificus fiat, vt nullum præterea genus conſeruet. E miti olea, ſylueſtris, è pyro pyraſtrum, è ſtruteis cotoneum. Amygdala etiam ſaporē immutat, vel è molli durior fit. E lauro ac myrto colorem demutant, vt è rubro niger fiat. Picea etiam hac ratione tineoſa redditur. Quod & Verg. eleganter complexus:

Nam quæ ſeminibus iactis ſe ſuſtulit arbos,
Tarda venit, ſeris factura nepotibus vmbram:
Pomaq́ degenerant ſuccos oblita priores.

Multa tamen ex huiuſmodi ſeminis ſatione incommoditatem nullam percipiunt:tum maximè ea,quæ ſolo ſemine ſeri valent: & quædam alia, quibus omnino ad degenerandum quoquo modo natura contraria eſt. Tantùm enim ſui generis amantiſſimæ ſunt. Cuius verò virtutis ſunt feroces omnes,vtpotè natura validiores, & ad conſeruandam originis vim contumaciores. Sed iam ad rem. Semina aceruatim plura ſimul perfigi volunt,veluti quinas caſtaneas, amygdalas trinas trianguli ratione. Id in trigonum Columella expreſſit. Palmarum bina ſemina iuxta compoſita, ſuperq́; totidem: quoniam cùm ſingulis ſeritur,infirma planta erit, quaterna validiùs coaleſcunt. Ziziphi etiam terna grana,myrti baccæ vicenæ ferè aceruatim ſeruntur. Nam interdum priuſquam enaſcantur,aut ſiccitatibus ſæpe nonnulli emareſcunt, aut aquarum abundantia putreſcunt. Interdum ſubterraneis animalibus, ſicuti muribus & talpis, infeſtantur, propterq́; nouella caſtaneta calueſcunt. Obrui enim debent altè, non amplius quatuor digitis. Cacumen, id eſt,pars acutior,deorſum inuertatur,vt inferior ſit: quia inde radices mittit. Iuglandes nuces porrectæ ſeri volunt, commiſſuris iacentibus,videlicet vt lateris mucro defigatur. Palladius interpretatur, vt tranſuerſæ ſerantur,vt latus ipſe, id eſt, carina ipſa in terram defigatur. Spatium duorum inter ſe pedum eſſe debet. Nucem Græcam & Tarentinam Columella hoc modo ſerit: in quo ſcrobe nucem ſerere deſtinaueris, terram minutam in modum ſemipedis ponito, ibiq́; ſemen ferulæ repangito. Cùm autem ferula enata erit, eam findito, & in medullam eius ſine putamine nucem Græcam vel auellanam abſcondito,& ita adobruito. Aream autem ad cupreſſi ſemen recipiendum cylindris aut volgiolis conterito. Dein iacitur ſemen denſè, poſteà terra cribris cernitur, pollicis craſſitudine. Contra enim immanè pondus attollere ſeſe non valet,retorqueturq́; ſub terra,quamobrem parcitur veſtigijs. Duobus palmis prunus profundè ſeratur. Nuces caſtaneæ in altitudinem dupondij & ſemiſsis. Alij altitudinem dodrantis deſyderant. Zizipha in ſcrobe palmari,ſulcis depreſsis. Pedalia ſint vt communiter interualla. Nux à nuce (de Græca loquor) palmo minus abſit, & anceps ad Fauonium ſpectat. Perſicus à ſe ſeparari pedibus duobus debet. Omnis autem nux vnam tantùm radicem mittit,& ſimplici ſtilo prorepit. Quare Palladij autoritate, lapis vel teſta ſubter ponenda vt radicem non ſimpliciter,ſed repercuſſa reſpergat. Hoc eſt,quod Columella voluit,vt cùm ad ſolum ſcrobis peruenit, humi duritia coërcita recuruatur, & extenſa in modum ramorum alias radices emittit. Barbyllus vocatur arbor perſici,ex oſſe nata. Myrti autem grana præparata eo,quo ſuprà, modo docuimus,& inrrita, Democritus reſte circunligari, atq; ita ſeri miræ denſitatis illorum partus,ex quo virgulta poſtmodum transferantur. Hoc enim modo M.Varro ficos,quas edimus,maturas è longinquis perferri,& cùm inaruerint complicari, ac quò libuerit mitti, vt ſic in ſeminario obrutæ

pariant.

pariant.De ſpinis,ſepis cauſa,infrà docebimus. Mago autem in hac operoſiùs re fuit. Amygdalas in argilla molli meridiem ſpectante ſeri iubebat,in vaſis fictilibus perforatis,vt per cauernas, radices ſpiramenta hauriant.Longius transferes.Hac etenim ratione arbores diuerſi generis,nouas hoſpites & exoticas allicere, & manſueſcere poteris. Hoc modo palmam, malum Aſſyriam, Theophraſtus ſeri poſſe dicit, & pineas nuces. Palladius qualliculos ſtercore ac terra præparat, in quibus terna piſtacia conſtituat, vti ex omnibus quodcunq; germen procedat, & mixta etiam ex nucleis ſeri vult, in aliquo vaſe poſitis, donec plantæ firmitatem induerint.Pinorum plantas ſic procurant:multa ſemina in qualliculis terra & fimo repletis obruunt. Quæ vbi proceſſerint, relicta ſola planta, quæ ſolidiùs prouenerit, alias auferunt, aliam vbi iuſtum incrementum acceperit,aut trimam,quadrimam cum qualliculo transferunt. Quo in ſcrobe fracto, radicibus indulgentes, & largitati conſulentes, terram tamen æquè ſtercus admiſcent, facta ſtructura, ordine alterno ſubinde creſcente. Quidam malis ſemen, vbi decuſſa fuerint, ſtatim auferunt. Sole verò ſiccatum in dolio pinguiq; & propè cribrata terra, tria pluráve ſimul obruunt, quæ in virgultum vnum, per foramen anguſtum coire neceſſe habeat.Hac autem ratione fructum grandiorem & dulciorem effici.

De vlmarijs, & arundinetis, & tranſlatione plantarum è ſeminario in ſeminarium. CAP. VI.

IN conſtituendis verò ſeminarijs, præcipua cura eſſe debet circa hæc, quorum maior prouentus, maiorq; vtilitas eſſe ſolet,qualis vlmarij, propter vites,& arundineti: vt ideò plus in his laborandum, plus incumbendum, maior locus occupandus, maior denique impenſa eroganda. Samara autem (ſic enim vlmorum ſemen vocant: cæteri vim ſeminis tantùm habere) prius colligenda, quàm folio veſtiatur, circa Martias Calendas,cùm flaueſcere incœperit: vel,vt aliqui volunt, cùm iam rubicundi coloris fuerit.Deinde biduo in vmbra ſiccari.Alij inſolatam pluribus diebus volunt, vt aliquem tamen ſuccum & lentorem retineat. Pòſt ſerenda in ſolo modicè humido, ac terra bipalio paſtinata, & diligenter occata. Quæ ſic reſoluta, verno tempore in areas componi debet. In quas inijciemus ſamaram,atq; eas totas ſeminibus ſpiſsè congeremus, & ita cribro putrem terram duos altè digitos incernemus, & modicè rigabimus.Stramentis areas cooperiemus, ne prodeuntia ſeminum cacumina ab auibus prærodantur. Vbi deinde plantæ prorepſerint, ſtramenta colligemus.Columella,non ex ſamara, ſed ex ſua ſobole vlmum ſeri vult. Arundinis alia præter cæteras arbores ſatio. Bulbo enim radicis, quem alij oculum vocant, ſeritur, ſcrobe dodrantali, tripedaneis interuacantibus ſpatijs. Alijs interuallo duûm pedum & ſemipedis. Seritur & calami talea, ſulco pedali, binis obrutis gemmis, vt tertius nodus terram attingat. Prono cacumine, ne rores concipiat. Hac enim ſatione, anno celeriùs perticam maturam præbet. Nec minùs toto corpore tranſuerſo

proſtern

proſternuntur, non altè condita, non vt tota obruatur, nam tunc putreſcit. Erumpunt etenim ſingulis oculis totidem plantæ. Talea autem & tota arundine ſeriùs proueniunt. In humidis verò agris bipalio ſubactis ſeri Cato vult. Apricis gaudent. Ventis nutriuntur. Præſtantiſſima earum ſatio per bulbos. Reficitur ex ſeſe vetere arundineto extirpato, quod vtilius repertum quàm caſtrare, ſicut antea. Nam inter ſe radices ſerpunt, mutuoq; diſcurſu necantur. Vltima igitur ſeminarij cura exit, vt cùm ex vno ſeminario in aliud plantæ transferuntur, & priuſquàm in ſuo loco ponantur. Quod quidam nimis operosè præcipiunt. Licet tranſlatione folia latiora certius ſpondeant. Sunt etiam nonnulla quædam, quæ ſedis mutatione vehementiſſimè gaudeant, vti neceſſaria ſit in illis pluries tranſlatio: cuius naturæ palma eſt, quæ annicula transfertur, & iterum cùm bima eſt. Vernum potiſſimum deſyderat. In Aſſyria verò circa ortum Canis. Vlmi deferendæ ex arearum venis, poſt annum pedali interuallo in vnamquanq; partem. Nux caſtanea, cùm iam ſemina ſtillauerit, poſt biennium in aliud ſeminarium transfertur, vt bini pedes arbuſculis vacui relinquantur, ne denſitas plantas enecet. Iuglans lætior etiam fiet, ſi ſæpius transferatur.

De talearum & ſurculorum ratione. CAP. VII.

TALEARVM vſus, & nonnullarum aliarum ſationum meminit Vergilius, cui nil quod ad agriculturam pertineret, ignotum fuit. Sic enim ait:

Hos natura modos primùm dedit: his genus omne
Syluarum, fruticumq́, vires, nemorumq́ ſacrorum.
Sunt alij, quos ipſe via ſibi repperit vſus.
Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis: hic ſtirpes obruit aruo,
Quadrifidaſq́ ſudes, & acuto robore vallos.
Syluarumq́ aliæ preſſos propaginis arcus
Expectant, & viua ſua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ: ſummumq́ putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.
Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius: mutatamq́ inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.

Hæc ille. Quæ etſi oblonga ſint, tranſcribere non erubui, & quicquid ille ad arbores deſcribet. Surculos abſciſſos & defractos ſerere, caſus ingenio ſuo excogitauit. Hoc primùm ſepis cauſa factum, cùm pali defixi radices cepiſſent, vt poſteà taleæ in ſeminarijs ſererentur. Sic enim de ſe Palladius, Ego ceraſi facilitatem ſic probaui, vt virgulta ex ceraſo pro anniculis per vineam poſita, in arborem proſiluiſſe confirmem. Taleas vt quæ ſint, intelligamus, M. Marcellus lignorum ſciſſiones, vel proſegmina vocat.

vocat. Nam teſte de re ruſtica M.Varrone, Intertaliare ruſticorum voce, diuidere eſt, vel ex vtraq; parte æquabiliter præcidere, & excidere. Verùm hic alibi hoc modo taleam deſcribit: Demum in oleaginis ſeminibus arbores videndum, vt ſit de tenero ramo ex vtraq; parte æquabiliter præciſum,quas alii clauolas, alij taleas appellant, ac faciunt circiter pedales. Palladius tamen clauam aliud eſſe vult,quàm taleam,vt clauam maiorem talea eſſe velit. Taleæ nomen F.Pompeio inquiente, dictum alij putant ab ætatis flore. Alij quòd carmina ſemper floreant,vt taleæ:vel,vt arbitror,quòd illa pangantur,ſicuti & taleæ in terram pangi dicuntur. Tales ſæpe fuerunt Priſcis à ſimilitudine vocabulorum deriuationes. Talearum non parua vtilitas, ad id nos Natura cogente, propter arbores, quæ ſemine carent,vel cupiditas citius naſcendarum arborum. Et harum quidem triplex differentia. Aut claua,aut cacumine,aut taleis. Quarum item rurſum triplex in ſatione differentia. Aut enim ſeminario,aut ſcrobe,vel etiam ſulco defiguntur. Ante omnia autē,in eo ſatu ſeruanda hæc erunt, vt ex feracibus ſumantur arboribus,in quibus frequens nodus extuberet: ſteriles enim creduntur,quæ nitidæ ſunt, & oculos ſuos per longa interualla diſtulerint. Melius conueniet, ſi ramus, gemmata iam matre, deſumatur. Ne curuæ ſint, non ſcabræ, aut biſurcæ, neq; pedalibus minores. Talearum verò ſerendarum hæc lex ex Catone eſt: Taleas ſic ſerito: in ſeſquipedem quoquouerſum taleam demittito, opprimitoq; pede. Et ſi parū deſcendit, malleolo, aut mateola adigito. Caueto, ne librum ſcindas, cùm adiges: Palo prius locū ſi feceris, quò taleam demittas, & ſi ita ſeueris, vtilis fiet talea, melius viuet. Digitum ſupra terram facito, ſemina emineāt, fimoq; bibulo ſummam taleam oblinito, ſignū apud taleam apponito. Ea enim pars deſcendere debet, quæ proxima arbori fuerit. Alij palmis duobus ſupereſſe volunt, & vt pars infima quæ ponitur, leniter diuidatur, & in fiſſo lapis mergatur. Non inhumare, aut ſiccare taleas priuſquàm ſerātur, vtilius compertū. Populneas tamen ac virgas biduo nonnulli deſiccant. Nam roſidas ſi recides, parum proſperè prouenierit. Ideò pluuij dies, in exputanda ſalice vitantur. Quædam verò per ſe ſingulari ſurculo minimè proueniunt. Nam buxi tenuiſſimis, quinis, ſeníſve colligatis ſurculis, & depactis proueniunt. Quondam in obſeruatione (Plinio autore) vt deſringerentur ex imputato buxo aliter viuere non crediti. Detraxere hæc, experimenta curaq; ſeminarij. Meſpilus taleis ſeritur, ita vt vtrunq; taleæ caput, ſtercus obducat. Populus alba, ſalix, viminum cauſa ad vites ſeritur loco humecto, bipedaneo, paſtinato, talea ſeſquipedali, interuallo palmipede, terra ſuperiniecta, craſſitudine conuenienti.

De ſeminarijs oleaginis, & nonnullis circa quaſdam arbores peculiaribus ſationibus. CAP. VIII.

QVÆDAM ſpecialiùs de oleaginis ſeminarijs dicuntur, propter ingentem oliuarum vtilitatem, & prouentum. Quædam etiam diligentiùs in his, quàm alijs inuenta obſeruataq; ſunt. Quarum rationem Columella ſtudioſiùs ſcripſit, vt multa tamen eius præcepta

ſub generali ſeminarij deſcriptione contineantur: multa etiam ſub Catonis præceptionibus. Pedales hic in ſeminario inſeri vult. In ſcrobe vel ſulcis, tripedaneas, & ternas ponendas, ac diuaricandas. Supra terram, ne plus quatuor digitis emineant, gemma vel oculo ſeruato. Si prouincia oliuetis indiget, & non eſt vnde planta ſumatur, Seminarium faciendum id eſt, area effoſſa, rami ſerra inciſi, in modum ſeſquipedalem deponantur. Inde poſt quinquennium valida planta transferri debet. Plures olearum radices, quæ in ſyluis plerunque aut locis deſertis ſunt, in cubitalem menſuram reciſas, aut in ſeminario, ſi placuerit, aut in oliueto diſponere ſolent, & admiſtione ſtercoris adiuuare, vt hoc modo efficias, vt ex vnius arboris radicibus, numeroſæ plantæ naſcantur. Palmarum verò ſatus, vt memoriæ prodidit Theophraſtus, præter cæteros aliarum arborum peculiaris. Ligna verò, quæ in fructibus, bina ſimul iuncta, & ſubter compoſita ſerunt. Alia etiam bina ſuperimponũt, omnia colligantes, vt omnia prona ſint. Germen enim non de ſupinis, cauíſve partibus emittit, veluti nonnulli arbitrati, verùm è ſupernis. Hac enim ratione promiſcui ortus, ita inuicem coaleſcunt, & radices amplexu mutuo connectuntur, vt dein vnus ex multis caudex efficiatur. Seritur etiam & ramo viridi, duorum cubitorum ab cerebro ipſius arboris longitudine, fiſſuris diuiſo ac defoſſo. Prius naſcitur pomi caro, lignum intus, hoc eſt, ſemen eius. Strata verò in Aſſyria, in ſolo humido, tota radicatur, verùm in frutices, non in arborem. Balſamus malleolis, vt vitis, ſeritur, & colles vinearum modo implet. Sine adminiculis tamen ſuſtinet ſeſe, & naſci properat. Intra enim tertium annum & ipſa fructifera eſt: hæc Plinius. De malo punica hæc Palladius: Seritur plantis de matrum radice deuulſis. Melius ramo eius cubitali inciſo, manubrij digitali craſſitudine, capite vtroque, acuta falce læuigato. Scrobi velut obliquus immergitur, vtroq; capite porcino ſtercore oblinito. In crudo ſolo, malleo ad ima cogitur. Meliùs proueniet, ſi è gemmata iam matre deſumatur. cùm autem in ſcrobe deponitur, ſi tres lapilli ſimul in ipſa radice conſtituantur, prouidebit ne poma findantur. Curandum ne virgulta inuerſa deponas.

De ſeminario in ſulcis, & ex clauis faciendo, & quòd arbores auulſione naſcantur. CAP. IX.

SVPRA ſulcis defigi taleas docuimus, & quid ſit ſulcus, ne lectorem lateat, dicendum. Eſt autem (autore Pompeio) foſſura rectis lateribus, vbi arbores ſeruntur. Quæ autem ſeruntur, ramo ſiue ſtolone plantantur, vt ficus, punica, myrtus, laurus, meatu prius palis laxato, & cortice diligenter obſeruato. Claua commodiùs ſeritur, quæ ſit manubrij craſſitudine, longitudine verò cubitali, ex vtraq; parte læuigata, nodis & aculeis reciſis, ſed integra ſummitate gemmarum, per quas futurum germen intumeſcat. Diligentiores autem fimo bubulo, alij porcino, vtrunq; quod ſummum eſt, adlinunt: vel marina alga, vel argilla ſubacta, partis vtriuſq; extrema cooperiunt. Claua omnis obruitur in ſpatio. Non deſiderat maiora

iora interualla quàm talea. Nec alijs arboribus debet annecti. Si autem cacumen in ſulcum deponere velis, ramum bimum aut trimum ab auſtrali parte decidas, & ſic obrues, vt diuiſa cacumina, interiacente terra velut tres ſurculos reddant.Ficulnea cacumina vtiliter obruunt, cùm tumeſcunt,vt plantas faciant,ſi earum copia non abundet.Vt autem varios fructus vna ficus exhibeat, Ramos duos,vnum albæ,alterum nigræ inter ſe vinculo ſtringito,ac torqueto,vt germina miſcere cogantur. Sic enim obruti,ac ſtercorati,& humoribus imbuti, vbi prodire cœperint, germinantes oculos aliqua inter ſe annexione conglutina: tunc germen adnatum duos colores parturiet, quos vnitate diuidet, diuiſione coniunget. Si ramum velis ponere, non ampliùs ſeſquipede debebis immergere, ne putreſcat.Aliud ſerendi genus Natura præmonſtrauit. Auulſi etenim arboribus ſtolones vixere. Quo in genere, & cùm parui ſunt, auelluntur, partemq; aliquam è matris quoq; corpore ſecum auferunt fimbriato corpore. Hoc enim modo ſorbus, punica, corylus,cornus,malus,ficus, meſpilus, fraxinus plantantur. Cotoneum verò hac ratione ſatum, faciliter prouenit,verùm degenerare dicit Plinius.Sabina autem neceſſitate,auulſione ſeritur,cùm ſemine careat.Hæc plantatio Græcè φυτευγία.Sic enim ſatæ arbores per totam arborem ineſſe animam oſtendunt,vt ſurculi, rami,& ſtolones à matre auulſi,& in terræ gremio repoſiti viuant. Habent etenim tam rami, quàm grandes partes, in ſe principia quædam vitalia, quæ temporis indulgentia tepefacta, germina pariunt, etiam ſi nulla innitantur radice,quam pòſt ſibi formant,ac generant.

De ſeminariorum cultura,& irrigatione. CAP. X.

CIRCA ſeminaria, cultura minimè negligenda, crebroq; adhibenda. Maximè enim teneræ ac leues adhuc plantulæ hac indigent, ne ſupercreſcentium herbarum rapina, illis humorem & alimentum deprædetur, cogatq; illas fame ac ſiti laborare:Sæpe enim ſarrire,ac runcare conuenit: ſimul atq; herbæ naſci cœperint, eximendæ, vt eas manibus carpamus, vt hac moleſtia planta liberetur. Idq; leniter ac curioſè faciundum. Nam ſi herbam duram exemeris, aut abſurdiùs euelleris, teneras breuesq; adhuc plantarum radiculas facilè euelles. Quòd ſi hanc curam præter modum neglexeris, præter alia vitia, verminoſa fient. Hac etiam cultura ſemina citò creſcent. Æſtate verò priuſquam ſol oriatur, aut ad veſperum declinet,ſeminaria conſpergi, potiuſquam rigari debent, ſi pluuiæ non adiuuerint. Semen cupreſſi,ab occaſu leniter in trinis diebus,vt æqualiter bibant,donec erumpant,rigetur. Mirum dictu, quod Plinius prodit,vt periculum ſit,ſi eo die,quo terræ hæc ſemina mandantur,quantuluncunq; imbrem irrorarit.De reliquo tuta ſint perpetua ſecuritate. Omnia autem ſata citiùs procedent,ſi quotidie rigabis, & tepentis aquæ beneficio vtaris.M.Cato furcas circum areas affigi iubet,hominis altitudine,vt eo perticæ intendi valeant,& crates ficariæ ſuperimponi, vti ſubtus homo ambulare ad runcationem poſſit, quæ ſolem & frigus arceant. Columella

autem cùm Autumnus inceſſerit, & antequàm frigus ſeminum cacumina adurat,omnia folia decerpi voluit:& ita ea craſſis arundinibus,quæ ab ima parte nodos habeant,veluti pileis indui,atq; ſic à frigore,& gelicidijs teneras adhuc virgas tueri. Prætereà ſemina ipſa fruticantia ſupputare, & falcem pati conſueſcere:dandaq; opera,vt dum teneros ramulos habent, veluti pampinentur,vti ad vnum ſtilum primo anno ſemina redigantur. Columella verò arborum omnis generis ramos circa Martias Calendas, in hortis terra ſubacta & ſtercorata ſuprà arearum puluinos diſponendos voluit.Hoc etenim vicem quandam ſeminarij præbere.

De propagatione. CAP. XI.

SEMINIS & talearum ſationes ſequitur propago,quæ proxima cacuminum ſationi eſt,vt hoc modo ſatæ arbores,vt illæ etiam,transferantur.Vtilis quidem,vbi abſq; patente viuiradices fieri Natura negat.Tantus enim eſt nonnullarum arborum erga ſobolem ſuam amor,vt hanc, etſi adhuc iuuenem, ab ipſis ſeparatam alant minime. Propago autem & progenies F.Pompeio à propàgando dicta, vt faciunt ruſtici cùm vitem vetulam ſupprimunt, & ex ea vna plura faciunt. Natura enim propagines docuit. Nempe rubi nimia gracilitate curuati, ſimulq; proceritate nimia, rurſus capita in terram difigunt,iterumq; naſcuntur ex ſeſe, omnia repleturi, ni prorſus reſiſtat Natura : vt poſſint videri homines, veluti Plinius ſcribit, terræ cauſa geniti:vt ita res peſſima,propaginem tamen docuerit,& aliam ſerendarum arborum rationem : vt propterea bonum ex malo ſecutum. Eadem natura hederis & herbis quamplurimis eſt. Propagationum duo genera Plinius poſuit.Primum cùm ramus ab arbore in ſcrobem pedum quatuor quoquo deprimitur,vt poſt biennium amputetur flexus. Quod ſi longius ferre libeat, in quallis ſtatim, aut vaſis fictilibus depangere ramos,vt in ijs transferantur,aptiſſimum erit.Alterum verò genus luxurioſius radices in ipſa arbore ſolicitando,traiectis per vaſa fictilia,vel quallos ramis,terraq; compactis,atq; hoc blandimento inter poma ipſa,& cacumina impetratis radicibus. Nam in ſummis cacuminibus, audaci ingenio,hoc modo petũtur arbores,vt longè à tellure aliæ fiant arbores. Propaginem locis duobus M.Cato fieri docuit. Cuius verba tranſcribere non pigebit. Et ſi à Plinio hæc ſatis ſuprà patefacta ſit. Verùm illius tanta apud me autoritas eſt, vt nullum eius verbum quod ad arbores & præſentem materiam pertineat,præterire velim. Tanti verò illius præcepta in agricultura facio,ac ſi pro Roſtris exſcripta forent,vt etiam edictorũ perpetuorum formulam habeant. Sequitur propagationis lex : Propagatio pomorum,aliarumq; arborum. Ab arbore abs terra pulli, qui naſcentur, eos in terram deprimito, extollitoq; primorem partem : vti radicem capiat,inde biennio pòſt fodito, ſeritoq;, Ficum, oleam, malum punicam, cotoneum,aliaq; mala omnia,laurum,myrtum,nuces Prænestinas, platanum.Hæc omnia à capite propagari,eximiq;, ſeriq; eodem modo oportet. Quæ diligentiùs propagari voles, in ollas aut quallos pertuſos propagari

pagari oportet, & cum his in ſcrobem deferri oportet. In arboribus vbi radices capiant, calicem aut quallum pertundito, per fundum ramum, quem radicem capere voles, traijcito: eum quallum, aut calicem terra impleto, calcatoq; bene. In arborem relinquito. Vbi ita fuerit, & radices egerit, ramum ſub quallo præcidito. Quallum incidito, ex vna parte prope imum. Si verò calix erit, concaſſato. Cum eo quallo aut calice in ſcrobem ponito. Hoc modo, quodcunq; genus volueris propagabis. Hæc ille. Salices optimè panguntur eo vſque dum ad ſolidum demittantur. Caſtaneæ propagines nulli quidem faciliores. Nudata enim radice, tota in ſulco proſternitur, tunc ex cacumine ſuper terram relicto naſcitur, & alia à radice, ſed tranſlata neſcit hoſpitari, pauetq; nouitatem. Biennio ferè poſteà proſilit. Rara etiam roſaria poſſunt, ducta virgarum propagine, reparari.

Præfatio libri decimi.

INSTITVTO ſeminario enutritis & adultis iam plantis ac ſeminibus, vt ea ætate & corpore valenti ſint vt ad alias ſedes & alios lares, & ad frugem atq; ſobolem & perpetuum domicilium transferri poſſint: de illarum tranſmigratione vt diſſeramus iam locus ſeſe offert. In qua verò re diligens ac prudens ſator, non minus cauere debet, quàm bonus paterfamilias, in maritanda & transferenda filia, ne illius impenſi laboris, ac ſumptuum pœniteat, huius verò diligentiæ, quam in educanda filia & impenſarum ac dotis. In quibus verò quædam non omnino abſimilia. primùm enim ambobus circa ætatem proſpiciendum: vt virgini & plantæ, et ætas, et robur conuenientia ſint, vt ſecũdùm ea proli magis apta ſint, morum item tam terræ quàm vxorum, par conditio aut ſaltem parum aberrans, vt propterea nimium longè vtraq; tranſmigrent vt mitior indulgentiorq; ſit viri erga vxorem quàm parentum, terræ etiam erga plantam, quàm matris benignitas & vbertas maior. Hac enim ratione illis longior vita, proles vberior & fœlicior, lætior vita vtriq;. quod enim vir vxori donare debet, videlicet amicabiles & benignos affectus, ſic plantæ aër mitis, terræ vbertas. Multa inſuper conſideranda tam parentibus quàm agricolis, quæ tam ille in tranſferenda filia, quàm hic in traducenda planta, quæ omnia ex ingenio illorum atq; prudentia, ac experientia eſſe debet.

HORTORVM LIBER DECIMVS.

Quo tempore ſerendæ ſunt arbores. CAPVT I.

DIONYSIVM ptimùm plantaſſe arbores, Euſebius de præparatione Euangelica autor eſt. Serendarum autem, arborum tempus aliquod definitum, vix quiſpiam præſcribere poterit. Neque enim rerum vbiq; ſeries eadem eſt. Differunt etenim regiones ex aëris qualitate, puta caloris, frigorisq́;, aut cœli manſuetudine, atq; feritate. Locorum etiam ſitus, inuicem ac natura. Quæ omnia in plantandis arboribus non cúctantiùs obſeruanda erunt, propter ipſam germinationem: quæ ex his aut ſeriùs, aut maturiùs ſemper contingere ſolet: vt paulò ante ipſam germinationem, & cùm adhuc ſilent arbotes, ſeramus: vt hæc lex vbiq; terrarum, cunctarum plantatum communis ſit: vt hæc non tantùm in taleis, ſed & *in ſtolonibus*, virgis & integris arboribus ſit: vt Columella nucem Græcam citca Calendas Februarias plantari voluerit, quoniam prima gemmaſcit. Vt hac ratione feſtinantiùs omnes præcoces, tardiùs verò ſerotinas ſeramus. Ex plantarum item natura, quædam citiùs, cætera ſeriùs tranſplantanda erunt. Quidam etiam dum agriculturæ præcepta tradunt, ſuis tantùm, quas incolunt, regionibus tradidiſſe videntur: quæ à multis cœli ſtatu diſſident. Quæ tamen ad ea loca, quæ eiuſdem aut propè conditionis ſunt, transferēda ſunt. Confeſſa igitur de tempore ſerendi æquè ratio eſt, Vere ſcilicet & Autumno. Idq́; ex magna parte fieri, decreuere omnes. Quod ex prouinciarum caliditate vel frigiditate conſtitutum eſt. Vt primùm Autumno, alterum Vere perficiamus. Hæc enim tempora Vergilius expreſſit:

Georg. 2. *- Cùm Vere rubenti*
Candida venit auis longis inuiſa colubris:
Prima vel Autumni ſub frigora, cùm rapidus Sol
Nondum hyemem contingit equis, iam præterit Aeſtas.

Sunt etenim quædam regiones adeò hyemis aſperitate rigentes, vt ante vernum tempus cuiuſq; plantæ ſationem non commodè recipiant. Cum frigoribus enim non ſerere, optimè præcipitur. Quod maximè in ficis eſt. Quare bene à Palladio ſtatutum, perſicum, prunum, poma omnia, locis calidis Octobri ac Nouembri, Frigidis verò Ianuario, Februario, Martio ſeri debere. Qui verò Autumnum prætulere, ab Arcturi exortu fieri volunt:

volunt: quoniam ſtatim radicem quandam capiant,& ad Ver parata veniant.Atq; non protinus germinatio,non aufert vires.Alij verò circa Calendas & Idus Octobres. Maricas, vlmos, vbiq; Autumno ſerere, vtilius conueniet: quia ſemine carent.Communis quidem Italiæ ratio tempora ad hunc modum,vt Plinius ſcribit, diſtribuit. Mora ab Idibus Februarijs in æquinoctium:Pyra in Autumnum,ita vt Brumam quindecim diebus ne antecedant. Malis æſtiuis & cotoneis, item ſorbis, pruniſq; poſt mediam hyemem in Idus Februarias.Siliquæ Græcæ,atq; caſtaneæ,à Calendis Martijs ad Idus eiuſdem.Salices,geniſtas circa Calendas Martias.Quę autem non niſi calidioribus regionibus proueniunt, & Autumno vtiliter ſeri manifeſtũ,quoniam hyemis iniurias non pertimeſcant.Sed etiam alio tempore, vt de quibuſdam infrà docebitur. Quædam etiam hyeme ſeruntur,verùm etiam id non eodem tempore.Iuglandem enim ſeremus extremo Ianuario, vel Februario. Quidam verò ab æquinoctiali occaſu, ſerendi arbores ius dant, verùm diuerſis temporibus. Aliud tempus atq; hora ſerendi,circa Canis ortus,paucioribus nota. Verùm quoniam non omnibus locis pariter intelligitur, idcirco à Plinio prætermiſſa. Vernam autem ſationem multi prætulere, quòd cœlum placidum atq; roſcidum tunc ſit,& ſolum humidum, & ſol tepefaciens plantas, germen elicit. Ita vt ex his omnibus germinatio & educatio proſperiùs ſequatur, & radicatio vtiliùs fiat.Tempus hoc fœcundiſſimum plantas ad naturalem impetum cõcitat,& humi turgor ad parturiendum impellit. Contrà hyems pòſt ſationem ſolitò locis etiam calidiſſimis frigidiùs ſecuta,plerunq; arboribus officit.Oleis corticem detrahit:ficis ſuccum incraſſat,atq; coagit, & cæteris magna ex parte cauſam offenſæ nonnullam infert:vt ea tantùm hyeme ſerenda ſunt, quæ frigora ſuſtinere poſſunt. Habent & regiones quædam ſpeciales ſationes.In Cyrenaica enim regione ſub Eteſiatũ flatu conſerunt,necnon & in Græcia oleam,maximè in Laconica.Cæteri apud Græcos arborem non ſerunt. In Ægypto verò omni menſe plantant. In India autem,atque Æthiopia,quando imbres æſtiui non ſunt. In Aſſyria circa Canis ortum palmas transferunt.Multum prætereà refert loci ſitus, atq; natura:vt maturiùs in Apricis,vbi cœli ſtatus neq; prægelidus,neque nimiùm pluuius eſt, quàm in arduis ſeptentrionémve ſpectantibus ſeramus. Celeriùs enim illic quàm hîc coguntur,vt hîc Vere, illic Autumno ſerendum ſit. In locis verò macris,& argilloſis, Autumno,aquoſis autem Vere. Nam his locis, hyemis nimia humiditate, vel Veris ſiccitate planta aut omnino perit, aut elangueſcit, vt cum loci contraria illi natura diutiùs luctetur.Prætereà Columella olearum plantas in olіueto optimè ſiccis,vliginoſis agris minimè per Autumnum,lætis & humidis verno tempore,diſponi præcipit,vt pro agri etiam differentia ficos diuerſis temporibus ſerendas voluerit.In ſerenda tamen olea,noſtræ ætatis agricolæ ferè vernum tempus circa Calendas Maias ſeruant. Et ſi M.Cato eas ſicco, per ſementem,læto per ver,ſerendas bis ſcripſit.M.tamen Varro nulla loci habita ratione, inter vernum æquinoctium, & Vergiliarum exortum ſerit.Caſtaneas Columellà,à Nouembri menſe, per totam hyemem terra ſicca

ſicca ſerit. In campeſtribus verò populos & fraxinos diſponi celeriùs conuenit:hoc eſt,ab Idibus Februarij:quia feſtinantiùs germinant. Quædam & ſuas notas habent,ſicuti ficus. Tunc enim maximè ſerendæ erunt cùm folia pauca in cacumine acetabuli modo germinabunt. Harundines enim prius ſerendæ,quàm oculi intumeſcant. Quod multis locis eſt,ante Calendas Martias. Quibuſdam verò vbique ſtatutum anni tempus nonnulli conſtituerunt. Vt poſt præceptiones generales, quædam annotare idoneum duxerim: Ceraſos Mago (vt Plinius refert) ab occaſu Arcturi ad Brumam ſerit. Sed eum Africæ præcepiſſe intelligendum eſt: quum apud nos etiam Vere ſetantur. Pyra oblonga & rotunda ab occaſu Vergiliarum ad Brumam,ex Magone Plinius ſerit. Reliqua media hyeme,ab occaſu Sagittæ, Subſolanum & Septentrionem ſpectantia, quia non omnia ſimul floreant. Laurus ab occaſu Aquilæ,ad occaſum Sagittæ tranſplantari debet. Malus punica Vere,vſq; in Calendas Apriles ſeritur. Mororum enim ab Idibus Februarij vſq; ad æquinoctium vernum,ſatio eſt. Ante Calendas Martias vel etiam inter Nonas, & Idus Martias, iuglandem pineam, ſerere oportet. Palladius menſe Septembri, circa Calendas Octobres, vel Februario tuberes, ſobole vel nucleis ſerit. Vlmos omnes præter maritas (de quibus ſuprà) Varro quindecim diebus, ante & poſt Brumam ſeri rectè dicit,& inter Fauonium & æquinoctium vernum ſalicta. Colutea ſeritur cùm Arcturus occidit. Vltima ſerendi ratio, lunaris erit. Quæ vbicunq; & quandocunq; ſeueris,vna eademq; erit. Quotiens enim ſerimus,id luna creſcente,aut paucis plenilunium peragendũ. *Nihil* autem omnino illa decreſcente, ſed ſemper augeſcente, plantandum eſt. Increſcentis enim lunæ ſpatia,eſſe plantationis velut decretoria quædam, exiſtimant:quoniam humoris exuperantia,ſemen madeſcens,celeriùs incrementa vendicat. Nam luminis copia,magis corpora humectat. Conſimiliter ad defectum tendente,humectatione detrimentũ fit. Alij à quarto ipſius die vſque ad octauum decimum, ſerere commodum eſſe arbitrantur. Cæteri ſoli tribus diebus à natiuitate ipſius plantare permittunt. Plures à decima vſq; ad vigeſimam ſerere ſummoperè deuitant: ne illius lumen cum plantis defodiatur. Exacta igitur prædictarum obſeruationum doctrina erit, vt luna ſuper terram exiſtente ſatio fiat. Quia, vt inquit Macrobius, ad incrementa ſtirpium, neceſſarium eſt humoris alimentum. Aër enim ipſe proprietatem humoris & prodit,& patitur. Nam cùm luna plena eſt, vel naſcitur, tunc à parte, qua ſurſum ſuſpicit, plena eſt: tunc enim aër aut in pluuiam ſoluitur,aut, ſi ſudus ſit, multum de ſe roris emittit. Vnde Alman poëta lyricus,rorem lunæ & aëris filium dicit. Locis verò humidis interlunio ſerendum, aut circa interlunium quatriduo. Tunc enim tantum humoris luna non irrorat,quanto planta ex loci humiditate indiget,vt ex nimia inteteat.

In hortis ponendis, ac ſerendis arboribus, conſiderandus cœli terræq; ſtatus. CAP. II.

IN

IN plantandis,ſiue in hortis, ſiue alibi arboribus, magnoperè attendenda aëris qualitas, ſoliq; natura erit, maximè verò,quæ vel ſua ſponte, nullo colente,vel quæ ex loci vicini ſimili ingenio,noſtra induſtria,producere valeat,ſcrutari. Et vt bellè M.Manilius ſcribit,

- Qui ſit conſenſus in aruis. Incredibile enim dictu, quàm variæ ſint in ipſo ſolo naturæ. Alia autem proueniunt lætius alibi. Alia etiam diligenter & accuratè culta,citò conſeneſcunt.Neglecta item alibi proſiliunt. Hæc autem ſtudioſè perſcrutari debemus. Et ad hæc præſertim noſtra dirigenda ſolertia, vti ab his etiam proſperæ ſationis argumenta ſumamus: quò audaciùs plerunq; etiam externas vtiliter transferamus. Quod ingenuè fecerunt, qui primùm arbores tranſportarunt. Itaque tentandum eſt quid cœlum, quídve terra, quicquid vna quæque regio poſſit, & velit. Nam quædam nouis ſedibus gaudent,alienaq; domicilia amant, quæ & ſenſim deguſtant, illorumq; nouos mores veſtiunt. Verùm ne id nimis pertinaciter. Ne ſi in noſtris agris, conſerta manu, vincere nobis minimè datum fuerit, id ſaltem præſtabimus, ne dum victores è pugna diſcedimus, victi tamen ignauiter abeamus. Præſertim verò cœli mores indagandi. Nempe hoc, nulla arte, nulla ope, nullaq; hominum manu ingenióve corrigi aſſeuerant experientes.Nam ſol hominum leges inuitè non accipit, vti inuito eo, ſicuti inuita Minerua, aliquid faciendum ſit. Niſi forte etiam decidere,aut cum dijs pugnare,malimus,atq; operam & oleum perdere: deniq; ſimus ad agnatos & gentiles deducendi. Quod pulchrè M.Varro idem de eo arbitratur, qui agrum minimè ſaluberrimum colit.Nec enim agricultorum labor cum reditu contendere debet: & meritò quiuis ipſis cultoribus ignoſcet,quos piget ſine fructu laborare.Ager autem,qui nunquam reſpondet impendijs,ex neceſſitate deſeritur,etiam inopia colentium, quibus in ære alieno vacillare licet. Nam,vt eleganter etiam Titus Liuius memoriæ reliquit, Sicut in frugibus, pecudibusq;,non tantùm ſemina ad ſerendum in dotem valent, quantù proprietas terræ,cœliq;,ſub quo aluntur,inuitat.Generoſius enim in ſua ſede quicquid gignitur. Inſitū autem alienæ terræ,natura vertente in id quod alitur,ſe degenerat.Fructus etenim,vt doctiſſimè ſcribit Hippocrates,pro cœli terræq; benignitate otiri videntur.Quod videre eſt in Ægypto,vbi omnia perfecta & naſcuntur & perficiuntur.Mite igitur ſolum mitia poma feret. Vt ille etiam præcipiat, ad medicæ materiæ vim valentiorem, ſingulorum locorum naturam cognoſcendam. Quædam enim ſuamet ſponte quibuſdam locis naſcuntur, quæ alibi nullo hominum ingenio, nullaq; opera, prouenire volunt. Multa etiam videre eſt, quæ ſi terram appræhenderint, nullatenus tamen ex loci habitu ferunt, vel perraro: Oliuam terra India non gignit, inquiente Æliano, cùm aliarum gentium arborum feraciſſima ſit. Aſiam autem nec ſuperiorem, nec ſeptentrionalem abietem gignere quoſdam autores Græcos ſcripſiſſe Strabo autor.Non enim,vt eſt in communi prouerbio,fert omnia tellus.

De feracitate quarundam regionum erga arbores.

CAP. III.

REGIONVM autem feracitatem ingentes arbores in ipſis ſponte natæ oſtendunt, vt ex his cum cæteris eiuſdem generis in producendo differentia, euidens ſit. De nonnullis ipſe, ex ſcriptorum aliquot monumentis referam. Sunt etenim quædam tanta cœli ſoliq; clementia, & vbertate prædita, vt arborum magnitudine, multis etiam generibus, cæteras prouincias, quodam naturæ miraculo, longè excellant. Inter quas principatum ſortitur India: in qua (vt hîc de eius ficu ſileam) tantæ proceritatis arbores naſcuntur, vt ſagittis eas ſuperare nequeant. Quod teſtatur Verg.

Georg. 2. *Aut quos Oceano propior gerit India lucos,*
Extremi ſinus orbis? vbi aera vincere ſummum
Arboris haud vllo iactu potuere ſagittæ,
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.

Apud Sabiſas autem eius populos (referente in Alexandro Diodoro) varij generis arbores ad ſeptuaginta cubitorũ altitudinem aſſurgunt. Craſſitudinis verò tantæ, vt vix eas amplecti quatuor homines valeant, vt vmbram etiam ad trecentos pedes effundant. Et in ea Strabo arbores naſci, ſub qua homines quinquaginta meridionari poſſint: & trans Hyarotidem, arborem viſam, quæ in meridiem quinq; ſtadiorum vmbram faceret. Eodem autore, in ea arundines ſunt, quarum adultæ, longitudine tricenûm paſſuum, humiles autem quinquagenûm: tanta verò craſſitudine, vt illarum latitudo communiter ſit trium cubitorum. In quibuſdam verò hæc duplicatur. In eadem etiam (autore Philoſtrato) nuces tam grandes proueniunt, vt apud nos miraculi cauſa ſuſpenſas cernamus. Circa Memphim arbores, multorum teſtimonio, tam ingentes reperiuntur, vt tres hominum vlnæ, caudicem complecti nequeant. Apud Fortunatas inſulas (autore Plinio) arborum amplitudo ad centum quadraginta pedes adoleſcit. Cedri in Syriæ montibus admirabili præſtantia tum latitudine, tum longitudine proueniunt. Adeò enim illic craſſeſcunt, vt reperiantur, quas hominum vlnæ quatuor amplecti nequeant. Addunt etiam in hortis & ampliores, & pulchriores reperiri. Exaltata etiam toties ſacris literis eſt, quæ in Libano eius regionis monte naſcitur. Magno etiã diſcrimine cæteras arbores, eodem etiam genere excedunt, quæ in inſula Corſica (ſcribente Theophraſto) naſcuntur. Quæ & tota ipſa arboribus confertiſſima aliquando fuit, vt propterea illarum turba atq; immanitate, quaſi horrida & efferа conſpiceretur. Ærijs Siciliæ montibus Diodorus quercum craſſiorem naſci ſcribit, quàm alibi. Nónne etiam, autore Lucano

Lucanus lib. 3. *Aethera tangentes ſyluas liquere Coaſtræ.*

Hæc autem vbertas ſoli, temperies cœli, aquarum abundantia faciunt, vt ſucci, carnis, fructuum bonitas, aeris lociq; rationem ſequatur neceſſe eſt. Vt ex his oſtendiſſe liceat, quantum arbores, eodem etiam genere, magnitudine,

gnitudine,fructuum vbertate,inter ſe ex regionum diuerſitate differant: vt inde manifeſtiſſimum ſit,aërem ab aëre,locum à loco, interuallo longo diſcrepare. Vt ſi in omnibus,quæ terra parturit,ex locorum varietate, quoddam diſſimile,inter vnum quodque genus inueniatur, & gignatur. maximè verò in arboribus eſt,vt ſæpe etiam genera varient.

Sub quo aëre, vnaquaq; arbos fœliciùs proueniat, & viuat. CAP. IIII.

NVNC videndum ſub cuius aëris ſtatu, aliud arborum genus lætiùs proueniat. Nempe aliæ magis calidum deſyderant. Nonnullæ frigidum. Multæ quadam ingenuitate & Naturæ beneficio,ſub vtroq; proueniunt. Cæteræ tepidum. Et huius ordinis plures, vt paucæ ſint ex his, quæ vel frigidum,vel calidum adament, quæ non tepidum propter cœli clementiam non recipiant. Eſt etiam in locis certis vis quædam latens, vt nonnulla contra ſuam naturam progenerent.Lauro frigus inimicum Natura fecit: in Olympo tamen copioſior,vt nuſquam magis. Quæ verò frigidum aut calidum patiuntur,id neq; nimis,vt cœli quædam conuenientia cum arboris natura eſſe oporteat. Nam nimio vel æſtu, vel frigore, non ſolùm fœtus arborum,ſed matres quoq; intereunt. Nimiùs enim calor perurit, vt fieri coctio minimè poſſit.Vt hac cauſa in Ægypto quibuſdam tractibus,ficus bonæ frugis non ſit. Contrà, frigiditas vehemens, partim tollit humorem, partim ad conuenientem cocturam conducere nequit. Vt propterea ſint regiones,quæ frigoris,caliditatiſq; vredine, omnino abſq; arborum vmbra,algentes & frigeſcentes ſunt. Quod Ouidius de Ponto, apud quam exulauit,ob frigiditatem teſtatus eſt: *De ponto lib. 1.*

Non ager hic pomum, non dulces educat vuas,
Non ſalices ripa, robora monte virent.

Scribit etiam M.Varro cùm in Gallia tranſalpina exercitum duceret, infra Rhenum aliquot regiones acceſſiſſe,vbi nec vitis,nec olea,nec poma naſcerentur. Nam differentias Solis vel aſcendentis vel occidentis, aut etiam medium cœlum tenentis, & quaqua ratione ſe habentis, ſcire nimirum condecet, vt loca plantis aptè diſtribuantur. Frigida autem loca amat iuglans, cydonia, ferunt tantum mediocris inter naturam frigoris & caloris ſitus: ſorbum autem ſterileſcere perhibent, ſi ad loca ſeruida perueniat. Betula etiam frigidiſſimis delectatur, & omnes ferè claſſis ſylueſtris.Hyemes autem quaſcunq; auellana perpeti poteſt.Cupreſſus etiam frigora pati poteſt, etiam ſi præter rei experientiam Statij teſtimonio fides adhibenda ſit: *- Brumaq; illæſa cupreſſus.*

Nam Idæ,Cretæ montis ſummitas,vbi peramplæ proueniunt, niue nunquam caret. In feruidis etiam naſcitur,vt in Lydia,& Rhodo. Abies gaudet frigidis,ceraſus,pinus. Calidiſſimum autem deſyderant ſiliqua, zizipha,piſtacia,morus,palma,citrus,punica,ferula,amygdala. Laurus autem & myrtus in frigidis minimè durant, verùm multò minùs hæc. Argumentumq; deſumunt,quòd in Olympo laurus multa, myrtus verò nulla.

Sed in lauro loci quadam vi occulta, vt ſuprà diximus, eſſe arbitrantur. Ficeta autem non poſſe fieri in locis frigidis, Varro ſcribit, quòd fici materia denſa non ſit. Oleam autem neq; in perferuidis neq; in frigidiſſimis prouenire Fabianus apud Plinium negat, neque aliud genus, ex decem, quæ Columella enumerat. Perſicus locis quibuſcunq; prouenit, verùm pomorum frondiumq́; durabilitate præcipua, ſi cœlum calidum nacta ſit. Frigidis enim atq; maximè ventoſis, niſi aliquo obiectu defendantur, interit. Meſpilus locis calidis maximè gaudet: ſed & frigidis quoq; prouenit. Caſtanea cœli ſtatum perfrigidum amat: tepidum tamen non recuſat, ſi humor acceſſerit. Cedrus in æſtuoſis partibus naſcitur: in Lydijs tamen frigidis montibus nutriuntur. Pruna in tepido meliùs adoleſcunt: poſſunt tamen & frigidum ſuſtinere. Buxus in algentibus naſci poteſt, ſed proceriùs atq; lætius in frigidiſſimis: vt huius naturæ eſt Cytherus Paphlagoniæ regionis Aſiæ mons, de quo Vergilius:

Georg. 2. *Et iuuat vndantem buxo ſpectare Cytorum.*

Catullo Buxiſius. Berecyntius mons Phrygiæ buxo etiam abundat. vnde Vergilius Æneid. nono,

– Buxuſq́; vocat Berecyntia Matris Idææ.–

Pulcherrima in Cyrena, proceritate, craſsitudine longè præſtantior. Apud Gallos mons Iura his ſcatet, atq; ibi præſtantiores quàm alibi mons frigidiſsimus, Græcis autem locus vbi fœliciter pullulant, proueniuntq́; arbores, γουνὸς dicitur, & εὔφορος ferax dicitur.

In ſerendis arboribus, conſtituendiſq́; hortis, conſpiciendum fore, quid vna quæq; regio ferre conſueuerit.

CAP. V.

SEQVITVR illud, vt qualis regio ſit, & qua parte, vel maximè bona, aut non bona. Plurimum etenim refert, quæ res in ea ſeri naſciq́; poſſunt. Sunt autem regiones in ferendo multùm inter ſe differentes. Quippe aliæ ad fruges idoneæ: quædam tantùm ad vitem: cæteræ ad arbores. Et harum quædam præcocibus, reliquæ ſerotinis, tantùm feraces. Sed & paucæ, quæ ad hæc omnia, ſummo telluris aëriſq; beneficio celebres reperiantur, ſicut teſtatus eſt Vergilius:

Georg. 1. *– Patrios cultuſq́; habituſq́; locorum:*
Et quid quæq; ferat regio, & quid quæq; recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt fœlicius vuæ:
Arborei fœtus alibi.–

Nulla autem tam ferax regio inuenitur, quæ & fruges, ac vites, & vnum quodq; arborum genus producat. Arbores autem multæ ſunt, quæ vnius prouinciæ, aut non multarum accolæ eſſe maluerint, quòd ſuprà demonſtratum eſt:

Georg. 2. *Aſpice* (inquit Vergilius) *& extremis domitum cultoribus orbem,*
Eoaſq́; domos Arabum, pictoſq́; Gelonos:
Diuiſæ arboribus patriæ, ſola India nigrum

Fert

Fert hebenum. Caduſiorum in Media prouinciam aſperam & difficilem eſſe Plutarchus in Artaxerxe ſcribit, & frugum infœcundam, pyrorum tamen & malorum, cæterorumq; fructuum arboreorum fœliciſſimam. Aſſyria (autore Herodoto) in ferendis ficu & olea nequaquam de principatu contendit. Cereris vſqueadeò ferax, vt ducenta reddat: trecenta etiam, vbi bonitate ſe vincit. Prouinciæ etiam plures ſunt, quæ etſi arborum multorum generum fœcundiſsimæ ſint, aliquas tamen reijciūt, & aſpernantur, vt nulla opera ibi, inuidente cœlo, prouenire velint. Aſia autem multas arbores longè lateq; habet: vt potè quæ vna & maior ex tribus orbis partibus ſit, hederam tamen neſcit, nec illius pars India, tot præclariſsimarum plantarum mater & altrix, præterquam in monte Mero. Hac autem caret Babylonis regio admodum omnium fermè rerum vberrima, & vbi fereretur & haberetur, periculum primus fecit Harpalus. Mandarat enim Cyrus Rex, vti hortorum regias deambulationes Græcis arbuſculis exornaret. Verùm inter has hederam non adoptauit, vt pluries atq; diligentiùs plantata continuò emarcuerit. Ægyptus verò arborum apprime fœlix, vt præter communes, peculiares quaſdam habeat: ceraſus tamen in ea nulla cura eualuit, vt prouenire poſſet. Iuxta Nilum rara platanus eſt, atq; etiam populus rarior, & fraxinus: etſi hæ arborum fluminum amantiſsimæ ſint. Lindus Rhodi pars vuarum & ficuum, vt ſcribit in Iconibus Philoſtratus, ſolùm fertilis, & autore apud Athenæum Hermippo, grata & pyrus Euboicis, & Ephippus Phœnicum nuces & mala punica laudat. Syria Ægypti contermina eiuſdem feracitatis, imò fœcundioris eſt, abietem tamen in parte ſuperiore, quinq; dierum à mari, vt ait Theophraſtus, itinere, agnoſcere nequit. Apud Damaſcum eiuſdem prouinciæ vrbem, mons adeò terebinthorum amantiſsimus, & refertiſsimus, vt omnem aliam arborem alere penitus recuſet. Non habet vires cinnami frutex proueniendi in Syriæ vicinis locis. In Ida Troadis raram vlmū Theophraſtus eſſe dicit, etſi alijs arborum generibus fertiliſsima ſit. Seleucus Rex cinnamum, nardum, amomum, in Aſſyriam transferre tentauit. Imò ipſas, quòd maximè mirum eſt, plerunq; enixiſsimè exorauit, vt transmigrarent, & viuerent: quod à ſolo etiam impetrare voluit: ſed id obtinere potuit minime. Apud Panticarpeum Ponti vrbem circa Boſphorum Cimmerium, myrtus nulla, laurus nulla, tametſi Mithridates & incolæ omni modo ſacrorum certè & religionis cauſa habere laborauerint. Quod non contigit. Fici tamen ibi multæ, punicæq; magnæ, adeò amplæ, vt propter fructuum opacitatem etiam gratæ ſint. Quin & pyrorum & malorum omne genus, & ibi inter ſylueſtres robur. In eo tamen genere, neq; pinaſtrum, neq; piceam, neq; abietem progenerat, atq; omnino quæ reſinam fundunt. Cataonia planities iuxta Amanum montem omnia præter ea, quæ ſemper virent, gignit. Tractus quidam ſub Caſpijs portis, in humili & concauo ſolo opulentus, vt omnia, præter oleam, ferat. Quæ ſi ibi induſtria, & labore naſci contigerit, acida tamen, & ſicca eſt. Sed quid tam longinquas regiones commemorari attinet? Iuxta Romam ipſam ceraſi, caſtaneæq; ægrè proueniunt. In Tuſculano perſicus, &

amygdala, cum tædio inſeruntur. Scatet tamen Terracina earum ſyluis. Suber tota Italia ac Hiſpania naſcitur, Gallia omninò caret. Betula Theophraſti tempeſtate Pyrenicæ familiaris, Italiæ omni ignota. Platanũ enim in Adria eſſe, præterquàm circa Diomedis delubrum. In Italia raram fuiſſe Theophraſtus autor. In Sicilia plurima nec in hac Gallia quoq;, Plinio aſſerente, omnino naſcitur ilex. Apud Allobroges nux caſtanea permulta atq; generoſa. Ager Pariſienſis, & alia vicina loca, non niſi paruas, ac degeneres alit. Ab his enim regionum moribus, quiſq; quæ plantaturus eſt, perſcrutari debebit. Hoc enim Natura comparatum eſt, vt vna quæque regio non omnia ferat, neq; arbores omnes, ſicut nec animalia quæque. Piſcium enim genera, prouincijs & litoribus diſcreta. Auium quoq; genera quædam, certis locis, ſicut arbores, ſterilia, vt fructuum iacturam ante maturitatem faciant. Scribit enim M. Varro ciconias & hirundines, omnibus locis parere, præterquam in Italia. Nam in Rhodo perſicus tantum floret. In Indiæ montibus olea ſterilis eſt, eiuſdem naturæ cum oleaſtro, genere tantùm differt. Adſunt & propria, inquit Theophraſtus, locorum vitia, vt apud Miletum atque Tarentum oleis euenit. Quippe apud Miletum cùm florent, ſi aër auſtrinus ſerenusq; fit, erucæ varium genus creatur: quarum aliæ frondem erodunt, aliæ florem. Iuuat contra hoc, ſi æſtus conſecutus ſit, tunc omnes diſrumpuntur, atq; intereunt. Apud Tarentum, cùm florent, aliâs deſiderio flatus, ærugine infeſtantur, aliâs habitu quodam ex mari caliginoſo, craſſoq;, floribus reſidente, odorem florum amittunt, vt ibi arbores, cùm maximæ pulcherrimæq; ſint, fructum tamen perpaucum ferunt. Idem autor, oliuam non niſi vltra ſexagenarium à mari milliarium poſſe viuere ſcribit: quod ſi cõtingat, minimè feracem. Hoc quidem propter flatum ab eo prouenientem illi noxium. At in Arabia, in maritimis naſcitur, æſtuq; operitur, vt & baccis minimè noceat: vt & in folijs ſalem relinqui conſtet: quin imo & in ipſo mari etiam fertilis. In Cilicia verò circa Solos, iuxta Pinarum amnem, vbi contra Darium dimicatum eſt, punicæ ſine nucleo ſunt, inquiente Theophraſto, Vt illud vltimum cenſendum omnino ſit loca, ſua vitia habere, alia ex ſolo, alia ex aëte, plerunq; ex vtroq;.

Palmam multarum regionum eſſe accolam, ſed non vbiq; fructiferam. CAP. VI.

SVPRA oſtenſum, qualiter regiones nonnullæ erga aliquot arborum genera, ex plurimorum monimentis, ex ſoli, cœliq; vi occulta, vt propterea ratio minimè reddi poſſit quare differentes ac diſſidentes ſint. Quod ſi circa genera plura, atq; in pluribus locis inuentum ſit, præſertim hoc in ſola palma reperire erit: quæ tametſi plurimarum prouinciarum hoſpes ſit, non tamen vbiq;, propter eius infœcunditatem grata, ſæpe ſuos hoſpites, flore, fructificatione, fallens: neq; omnibus regionibus multum permanens, & paucis regionibus fertilis. Nam ferè alijs regionibus, præterquàm in Syria, & Babylone, ſterilis, in qua Diodorus caryotas

magnitudine ferè ſex digitorum ferre ſcribit. Illa autem fœcunditate præcipua, ac copia, & nobilitate inclyta, non tamen tota, ſed Hierichuns tantùm (ſcribente Secundo) in Rechelaide, Phaſalide, & Liuide eiuſdem conuallibus proſperè enutrita. Hæc etiam vrbs, in ſacris literis dicitur vrbs palmarum: quod annotauit vtiq; Theodoretus in ſuis quæſtionibus. Theophraſtus verò vallem eſſe dicit, quæ per Arabiam, ad mare rubrum progrediatur, atq; in parte concauiori has gigni, condiq;, & reſeruari. Diodorus autem largiùs Iudæam omnibus locis palmetis fertilem deſcribens, quæ fluminibus & aquis irrigentur. Solinus verò Engadam oppidum Eſſeniorum in ea fuiſſe, quod nunc exciſum eſt: iuxta quod duret palmarum decus, lucis eminentiſsimis. Idumæa Syriæ regio, ab Idume ciuitate dicta, palmis abundantiſsima. Vergilius:

Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas. Lucanus: Georg. 3.

- Et arbuſto palmarum diues Idume. Statius: Lucanus lib. 3.

Non ſibi fœlices ſyluas ponentis Idumes. Silius:

Palmiferamq; ſenex bello domitabit Idumen. Lib. 3.

Perſiam vſque ad Meſenem, & mare magnum, palmis abundare: autor Ammianus, vt ibi inſtar ingentium nemorum viſantur, vt viator vndequaq; inceſſerit, palmas videat, ex quibus vinum & mel conficiant. In Europa, in Græcia ſcilicet, ac Italia vulgò naſcitur, ſed fructum non maturat, & apud nonnullos ne quidem vllum oſtentat. Ferunt & in maritimis Hiſpaniæ, verùm immitem. Dulcem autem Africa, verùm non durantem ſtatimq; euaneſcentem & putreſcentem. Diodorus ſquallidũ ac paruum deſcribit, cuiuſmodi in Ægypto & Phœnice, quamuis Syriæ propinquæ, ſint, Theophraſto autore. In illa verò, ſi ferat, minimè eſculentum. In locis tamen Deltæ & Alexandriæ proximis, atque Thebaica optima eſt. Quo aiente, in Cypro genus quoddam peculiare, dulcedine ſuauitateq; apprimè commendabilis, & ſi non matureſcat. In Arabia verò languidæ dulceſq; traduntur, quanquam Iuba Rex, vt refert Plinius, apud Scenicas Arabas palmam, quam vocant dabulam, ſapore cæteris omnibus præfert. Nulla præterea in Italia, quæ ſponte genita ſit, nec in alia terrarum parte, niſi calida,

- Palmis quoq;, vt ait Silius, *Selinis.* Vergilius etiam:

- Palmoſa Selinis. Vrbs iuxta Lilybæum. Neſcio an hæc ſterilis quoque ſit. Canaria, prodentibus multis, alia ex fortunatis inſulis, palmetis fertilis caryotas ferentibus. Mirum autem, quod Palladius refert, eum locum vbi palmæ ſponte naſcuntur, nullis propè fructibus vtilem. Magna quippe regionum in ferendis arboribus differentia, veluti in vna arbore demonſtrauimus. Quod & in cæteris nonnullis eſſe poterit: quoniam ſolum, & aër non vbiq; eadem. Fragrantiora, quæ in Ægypto, Syria, Arabia ſunt, multiſq; dotibus alijs differentia.

Arbores tranſlatione vel lætari, vel degenerare, & de nonnullis regionibus, in quibus plantarum quædam genera proſperiùs & generoſiùs viuant. CAP. VII.

PLVR

PLVRIMIS iam rationibus ex autorum ſcriptis deſumptis, demonſtrare nixi ſumus, quibus in locis quáſve arbores aut transferre, aut ſerere debeamus, vt votis noſtris impenſa ſimul & labor reſpondeant. Quædam autem locorum nouitate,& adoptatione quadam,&,vt vno abſoluam, tranſmutatione mirum in modum afficiuntur, vt degeneres nobilitentur,è ſylueſtribus vrbanæ fiant. Quod ex cœli terræq; natura euenire neceſſe eſt.In Ægyptum enim punica tranſlata ex acidis dulcia fiunt. De perſico in Ægyptum tranſportata iam dictum. Sæpe etenim fit, vt ex regionum habitu, ſuæ naturæ ſtatum permutent,vt diuerſos ab origine, tum ſapore, tum colore, ac magnitudine fructus producant : contrà in nonnullis fit,vt deteriora fiant. Sed & hoc in animalibus quoque videre eſt. Quod & Ariſtoteles, & poſt eum Galenus, memoriæ mandarunt. Nam & hominibus ſuarum originum & ſedium tranſmigratio mores immutat : vt aut ex agreſtibus,& non probatis moribus,ciuiliores & ingenui, aut econtrà fiant. Quod in feris, & alijs animalibus eſt,vt alibi ferociora,alijs mitiora ſint.In manſuetis verò vnum tantùm exemplum, ex illorum autoritate accipiam:& illud ex pecoribus,quæ ad alias terras deducta, colore mutari conſpiciuntur : tum in alijs quibuſdam, quæ differentijs noſtrum ſenſum minimè fugiunt. Quod alimenti ratione fit, vt aliud aliud vincat oporteat, vt minori quandoq; quàm duorum ſtadiorum interuallo fieri manifeſtiſſimum eſt. Suprà verò quaſdam regiones enumerauimus, quæ non bene neque amicabiliter cum aliquot *plantis* conueniunt. Bene etiam erit, vt hoc loco quarundam prouinciarum, & nonnullarum arborũ inuicem amicitias meminerimus, vt nullibi,quàm in his, auctiùs, copioſiùs, vberiùs, liberiúſve proueniant. Et ab ipſa olea incipiemus, tanquàm ab ea, cuius prouentus vſui humano magis neceſſarius ſit.Multis enim locis,per tres orbis partes naſcitur: verùm proſperiùs in Italia, atq; in agro Venafrano, eiuſq; parte, quæ Licinianum fundit oleum. M.tamen Varro connumeratis aliquot Italiæ locis, vbi quædam ad victum humanum cæteris præſtantiora naſcuntur, ad oleum agrum Caſſinatem prætulit. Venafrum Campaniæ vrbs, cuius agri oliua in pretio eſt,autoribus & Horatio,& Martiale. Ille in Odis:

Lib.2.Carm. *- Viridiq; certat Bacca Venafro.* Hic:

Hæc tibi Campani ſudauit bacca Venafri.

Reliquum certamen inter Iſtriæ & Bæticæ terram par eſt. Turditanum tamen oleum, bonitate præcipuum, quidam dixerunt. Eteſiphon, olea nobilis,& *Nitideq; ferax.-* Et,vt ſcribit Ouidius, Peparethos oliuæ. Samos etiam oliuetis fœcunda. Cupreſſus arbor rara, plurimis locis familiaris,verùm nonnullis procerior,fœcundiorq;,maximè in Ida Cretæ monte.In quocunq; enim loco ibi ſeueris,protinus emergit:alibi autem non niſi tempore erumpit,vt nutricem magnoperè faſtidiat,ibiq; præter eius arboris naturam, cæſa repullulat, maximum eius loci erga hanc arborem amicitiæ argumentum.De qua Vergilius, *- Nec Idæis cypariſſis.* Georg.2.

Amat etiam Orontes fluuius cupreſſum, teſte Iuuenale. Cupreſſis Ida abundat,

abundat,& Orontes. Claudianus enim his & Simoim addidit:

Tollebant geminæ capita inuiolata cupreſſus — *De raptu Proſ. lib. 3.*
Ceſpite vicino, quales non rupibus Idæ
Miratur Simois, quales non diuite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.

Quare, vt arbitror, Theophraſtus Creticam æternam vocat. Ammoniam, Chiam,& Cyrenaicam,in Sympoſiacis laudat Plutarchus. Halcyone mons cupreſſis maximè conſitus. Mileſiæ etiam cupreſſus à multis commemorantur. Ida Troadis pino abundat. Virgilius:

Idæasq; pices. — Et alibi: — *Georg. 3.*
Hic magnum Argoæ naui decus edita pinus — *In Culice.*
Proceras decorat ſyluas hirſuta per artus
Appetit aerijs contingere montibus aſtra.

Naxiæ amygdalæ olim in pretio habitæ in Naxo inſula naſcentes, vt inquit Athenæus,eas molles fuiſſe conſtat,vt ex Phrynici apud eundem teſtimonio eſt vt molaribus dentibus facilè rumpantur. In Cypro inſula naſcuntur etiam eximiæ, reliquis longiores, extremitatem, vt ille ait, habentes reflexam. Ita Cretæ Lauri Alexandrinæ, ficorum quoq; amantiſſima. Latinus in Italia ager, abietes & pinos, vt in eo tum magnitudine, tum pulchritudine,alijs Italicis præſtantiores ſint. Horatius querceta Gargani pluris facit: & ſacra ſcriptura quercus Baſan. Glandifera & Arcadia. Terebintho fertilis Arabia (autore Diodoro Siculo) & Oricos Epiri ciuitas,vt voluit Seruius. Quare Vergilius: *Oricia terebintho lucet ebur.*— Sunt & fluuiorum quorūdam erga quaſdam arbores amicitiæ. Alphæus oleaſtrum,Padus populum,Acheruns verò Nigram, Eurotas laurū amāt. Hæ ſunt regionum autorum teſtimonio,circa prædictas plantas amores. Omnium autem locorum & plagarum circa omnes arbores famulitium patefacere,res quidem perdifficilis,idq; nimirum, extra etiam difficultatem,ſtudioſè conari,magis curioſum quàm neceſſarium. Præſertim verò cùm id in agris ſuis, paruo etiam impedimento dignoſcere quiſq; poterit,& eiuſce rei periculum facere,rem ingenuam percunctando.

Terrarum genera,& quod horum hortis magis condecens.

CAP. VIII.

De terræ generibus ante,quàm ad ſationes deueniamus,dicendum. Nam & plurimum terrarum genera cognoſcere, conuenit, & aliud ab alio ſeparare. Cùm plurimum interſit, quam arborem in quo terrarum genere ſeueris. Neq; enim arbores omnes,omnem terram maximè amplectuntur: quam ſi propriam adipiſcantur, multò longiùs radices agunt, atque feruentiùs impellent, altiusq; hærebunt, deniq; dominio fructum vberiorem congratulabuntur. Etenim arbor ſemper eò fœcundior,quò terra propior. Inter enim tot terrarum varia genera, eſt aliud, quod quæq; arbos feligat,& magis amet: vt hæc alio potius, quàm altero, delectetur. Neq; enim eodē omnes gaudent. Eſt tamen aliquod,quo plures geſtiant.

Differentias ſanè multas, ſecundum propriam rationem terræ habent,vt argilloſa, cretoſa, arenacea, ſabuloſa, tophacea,cinericea. Differunt etiam colore,natura,ſapore. Argilloſam raſtri vomeres oſtendunt: huius enim glebis onerantur.Pinguedinis,autore Galeno,expers,friabilis. Candidam argillam, Græci leucargillion.Cretæ autem genus alterum,argentaria eſt, Tertium gliſchromargos. Intermiſta eſt terræ minutæ, arenoſæ. Argentaria verò,ex alto petitur,in centenos pedes,plerunq; actis puteis,ore intus anguſtatis,vt metallis,ſpatiante vena. Tophacea, alba inter fontes reperitur.A coloribus autem nomina ſumpſere, pulla, rubrica,columbina, alba,& ruſa,quas oculi indicant.Nam,vt prodit Vergilius,

Georg.2. *– Promptum eſt oculis prædiſcere nigram, Et quiſquis color.–*

Pulla terra quaſi puluilla,id eſt,reſolubilis & putrida,qualis eſt terra Campana, vt ait Columella, quæ nequaquam nigra, vt quidam perperam arbitrantur,verùm reſolubilis,& putrida: quæ ſæpius arata in puluerem reſoluitur, & abit. Columbinam Gallia vocat, ſuo nomine glaucopellam: Glebis excitatur, lapidum modo. Sola gelatione ita ſoluitur, vt tenuiſſimas bracteas faciat.Terræ autem nigræ,vt ſcribit Vergilius:

Georg.2.
– At ſceleratum exquirere frigus
Difficile eſt, piceæ tantùm, taxiq; nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt veſtigia nigræ.

Berytij autem optimum ſolum terræ nigræ eſſe aſſeuerant, ab omnibus præ alijs laudatum: Nam & imbres & ſiccitatem optimè fert. Qualiter autem terrarum ſapores dignoſcamus, Columella ſic nos docuit. *Ex ea* agri parte, quæ maximè diſplicebit, effoſſæ glebæ, & in vaſe *fictili*, dulci aqua madefactæ, ac fæculenti vini more diligenter colatæ, explorentur. Nam qualem traditum ab eis retulerit humor ſaporem, talem dicemus eius ſoli. Sed ante eum,ſic carmine Vergilius:

Georg.2.
Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infælix (ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat)
Tale dabit ſpecimen, tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaq; prælorum fumoſis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulces à fontibus vnda
Ad plenum calcentur: aqua eluctabitur omnis
Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ.
At ſapor indicium faciet manifeſtus: & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.

Si autem admonendi ſumus, qualis odor ſit terræ ille, qui quæritur, Plinius hoc modo demonſtrat.Contingit ſæpe quieſcenti in ea ſub occaſu Solis, in quo loco arcus cœleſtis capita ſua deiecerit, & cùm à ſiccitate continua imbre inundauerit: tunc emittit illum ſuum halitum diuinum è ſole conceptum,cui comparari ſuauitas nulla poteſt. Optima terra erit, quæ vnguenta ſapiet,vt Cicero meliora vnguenta eſſe dixerit,quæ terram ſaperent, quàm quæ crocum. Amaram enim demonſtrant arræ degeneresq; herbæ. Terrarum autem natura vna pinguis, alia macra, aſpera,humida:

mida: alia tenera vel grauis: ſicca, aut bibula, & vliginoſa. Pinguis viſcoſa eſt, atroq; colore. Vergilius hoc modo eam denotat:

Pinguis item quæ ſit tellus, hoc deniq; pacto Georg.2.
Diſcimus: haud vnquam manibus tactata fatiſcit:
Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo.

Inter pingues verò, vna altera præpinguior: cuius vnum genus mordaciſſimum eſt. Experimenta pinguis & aſperæ, in manuum tractatu. Huic contraria macra eſt. Quæ ſi miſtæ fuerint, ſolum lætum efficient, tantoperè deſyderatum. Quod & alij ramentaceum vocant. Tenera, quæ & leuis. Palladius eam exprimit, cùm dicit rarioris eſſe naturæ. Se pondere prodit, autore Vergilio. Mira ſignificatione dicta eſt tenera, autore Plinio. Quicquid enim optari debet, in eo vocabulo inuenitur. Illa enim temperie vbertatis eſt, illa mollis, faciliſq; culturæ, nec madida, nec ſitiens. Illa poſt vomerem niteſcit: qualem ingeniorum parens Homerus in armis ab eo cælatis dixit. Et quamuis fierent in auro, addidit miraculum nigreſcentis. Illam verò recentem exquirunt improbæ alites: vt corui, vomerem comitantes, & aratoris veſtigia rodentes.

Quæ grauis eſt, inquiente Vergilio, *ipſa tacitam ſe pondere prodit.* Georg.2.

Contraria eſt teneræ, & denſa etiam dicitur.

Humida (vt Vergilius ait) *maiores herbas alit, ipſaq; iuſto*
Lætior ah nimium, ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe prævalidam primis oſtendat ariſtis.

Vliginoſa, ſiue limoſa, quæ flumine rigatur, ſcaturiginoſa etiam dicta. Terram autem cœnoſam ne aremus, Cato præcipit, néve plauſtrum, néve pecus in eam impellamus. Quid autem hac appellatione tantoperè ab eo reformidatam, vt penè veſtigijs quoq; interdicat, ille intellexerit, Plinius aperuit. Redeamus igitur (inquit) ad ligni cariem, & inueniemus illa, quæ tantùm abominamur. Cato vitia, aridæ, fiſtuloſæ, ſcabræ, caneſcẽtis, exeſæ, pumicoſæ. Plus dicit vna ſignificatione, quàm poſsit vlla ſermonis copia enarrari. Famelicoſam antiqui, autore F. Pompeio, paluſtrem vocabant. Optima autem ad hortos ex his omnibus generibus ſeligenda erit, tenera, quæ & pulla vocatur. Nam ſua tenuitate, facilè imbres recipit, vt altè deſcendere, atque radices attingere poſsit, vt inferius alimentum haurire valeant. Nam in huiuſmodi magnas atq; robuſtas agunt contrà, pinguis aditum imbribus ad radices non exhibet, arboreſq; nimio alimento non coquit: vt ſatis ſit illis terra, quæ optimo conſtet temperamento. Terra etiam noualis, cæſa, extirpataq; vetere ſylua, optima erit, vt ſuæ bonitatis ſpecimen iam præbuerint ſylueſtres magnæ arbores, quæ illic natæ fuerint, vt abſolutiſsima etiam poſsit pronuntiari, ſi ibi mediocres, media ſi vepreta, vt ſpinas aluerit. Terræ enim ſapor, atq; natura, fructuum ſapores immutat, vt de ſalſa ſuprà ex Vergilio oſtenſum eſt, vt quæ in vliginoſa proueniunt, aquoſa ſint. Cuiq; arborum generi proprium terræ genus aſsignare difficile erit, vt tot genera ad totidem differentes arbores, vno in loco inueniantur. Sunt etenim longè lateq; tractus, ferè integræ regiones, vno tantùm genere terræ ſcatentes: vt potè deſpe-

ratum arborum percupidum reliquam, ni vnum quodq; alio emendari potuerit. Tenui enim pinguis ſuperinijcitur: ſuper pinguem cinericiæ. Super præpinguem, bibula. Humida verò ſicca, arida pingui temperatur. Creta columbina, vt vnumquemq; locum iuxta terræ ad arbores proprietatem emendare valeas.

Arbores ſerendæ ſecundum locorum differentias.

CAP. IX.

SVPRA de terrarum generibus, ſecundum quæ agri, locaq; diſcrimen accipiunt. Quorum etiam alterius naturam arbores magis adamant vt lætiùs & fructuoſiùs in eo viuant & longiùs ſeneſcant: vt omnium naturam demonſtremus. Sed primùm de nonnulla agrorum differentia videndum. Aut enim natura læti ſunt, aut aſperi, aprici vel vmbroſi, humidi vel ſicci. Alij paluſtres, aut lacuſtres. Refert etiam an in mediterraneis, vel ſecundum mare & flumina feramus. Nam arborum, ſicut animalium quoq;, maxima illa differentia eſt, quòd aliæ aquatiles, aliæ terreſtres ſunt. Cæterùm eiuſmodi naturæ quædam ſunt, vt non niſi in terra & naſci & viuere poſſint, vſqueadeò aquas peroſæ. Atq; etiam ex locorum differentia, vt quædam in læto, nonnullæ in ſicco & arido. Sed aqueas quoq; diſcriminatim intelligere oportet. Nempe aliæ paluſtres, aliæ lacuſtres, aliæ in fluuijs, aut etiam in mari gignuntur. Inter quas connumerandæ erunt, quæ ſecundum flumina, ac in loco humido aluntur. Sed, quod mirum eſt, vt nil etiam inter animalia, quod inter arbores reperire non liceat. Sunt & quæ omnibus locis communia ſint, vt terra aquaq; degere valeant. Quæ amphibia optima ratione, ſicut in animalium genere, dici poſſunt. Lacuſtres enim ſunt, ſalix, vitex, arundo, ſiler, alnus, canna quoq;. Vergilius:

Georg. 2. *Fluminibus ſalices, craſſiſq; paludibus alni*
Naſcuntur.- Ouidius:

Metam. 8. *Concaua vallis erat, quò ſe demittere riui*
Aſſuerant pluuialis aquæ: tenet ima lacunæ
Lenta ſalix, vluaq; leues, iunciq; paluſtres
Viminaq;, & longæ parua ſub arundine cannæ.

Salicta verò M. Varro locis aquoſis, vietis, vmbroſiſq; prope amnes ſeri vult. Columella enim arundinem fluminum ripis, ac limitibus, ac vepretis commodiùs, quàm medijs agris, deponit. Palladius canneta, ſi prouinciæ ſiccæ ſint, in vallibus humidis, vel irriguis, aut etiam villæ ſubditus, propter humorem, qui ab ea defluit, conſtituit: locis verò medijs ſi frigida regio ſit. Alnus, & populus, arbores fluuiatiles ſunt, vt propterea cum alijs, aquarum ſubterranearum Vitruuio indices. Iuuenalis:

- Nec ſperat cænoſi gurgitis alnum.

Platanus etiam aquas amat, & populus. Ouidius:

De reme. lib. 1. *Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus vnda,*
Et quam limoſa canna paluſtris humo. Vergilius:
Populus in fluuijs.- Lotos etiam aquas deſyderat, autore Martiale:

Nec

Nec plus lotos aquas, littora myrtus amat.

Non niſi in aquoſis vacinium & liguſtrum naſcuntur. Auellana, meſpilus, ceraſus, acer, carpinus, vlmus, riguis delectantur. Nam aquæ incrementum adaugent, & huius generis attinia pinguibus vel etiam mediocribus ſerenda, vt acer, carpinus. Sambucus quoq; iuxta aquam potiſsimumq; locis vmbroſis emicat: locis tamen cæteris non eiuſmodi, naſci non recuſat. Arundo, licet lacuſtris ſit, nullum tamen recuſat ſolum: proſperiùs in reſoluto quàm denſo, craſſo, læto, fæcoſo. Nam circa Oxeam Campem & Bœdriam tale eſt, vbi eſt plurima. Naſcitur & in Hippia campo, prope Cephiſi oſtium. Citrus humore continuo ſitit. Pinus humidis & arenoſis, ſæpe maritimum, & inter montes, & ſaxa procera inuenitur. Argumentum ex picis generatione duci poteſt. Sorbus viuacior in humectis. Malus Aſſyria ſolum tenue, riguum deſyderat. Pyrus locis tepidis conſerendus, vt ſolo iuuetur riguo. Hac ratione florem plurimum profert, & magnitudinem pomi turgentis acquirit, & vitium lapidoſi generis exuere creditur. Generaliter inter fructiferas, quæ humidis etiam delectantur, citius incrementum ſortiuntur, & cæteris craſſiora. Superioribus contrariæ naturæ quædam reperiuntur, vt aſperis, aridis, ac ſiccis lætius proueniant, vt ſaxis ſæpe inhæreant, & arenis creſcant, & alibi tranſlatæ, vel in humido, aut læto viuere neſciant, aut ſteriles fiant. Aquas autem odere cupreſsi, iuglandes, caſtaneæ. Hæ duæ lapidoſa loca, aſsiduam tamen pluuiam excipientia. Caſtanea etiam arenoſum maximè ſabulum aut carbunculum, vel toſi etiam farinam. Recuſat calcem rubricam, cretam, omnemq; fœcunditatem. Amygdalus agrum durum, ſiccum, calculoſum, gracile diligit. Quoniam ſi pingue ſit, nimia pabuli vbertate laſciuientes, ſterilitate vel morte afficiuntur. Debetq; meridiem ſpectare. Palma verò arenoſum ſolum, & ſalſuginoſum concupiſcit: argumentumq; cepere ex locis vbi harum copia proueniat. Quippe apud Babylonem, qua palmæ fœliciter naſcuntur, huiuſcemodi ſolum eſſe aiunt, & in Africa, Ægypto, Phœnice & Syria Cœle, in tribus tantùm locis, & quidē arenoſis. Quæ autem oleis gignendis terra accommodatior fuerit, rei ruſticæ autores, propter eius vtilitatem, maximum prouentum, propter quæ etiam numeroſior ſeri ſueuit, diligentiores fuerunt. Agrum enim argillaceum & candidum oleis fertile notarunt: quòd is multū vaporis flatusq; contineat, quod olearum natura maximè deſiderat. Alij aptiſsimum terræ genus oleis eſſe, cui glarea ſubeſt. Si ſuperpoſita creta ſabulo admiſta. Non minùs probabile ſolum, vbi pingue ſabulum eſt. Sed denſior terra, ſi viuida, & læta, commodè recipit hanc arborem. Creta toto repudianda eſt, etiam ſcaturiginoſa, & in qua vligo conſiſtit. Inimicus eſt etiam ager ſabulo macer, & nuda glarea. Nam etſi non emoritur in eiuſmodi ſolo, nunquam tamen conualeſcit. Vergilius autem ſic:

Tenuis vbi argilla, & dumoſis calculus aruis: Georg. 2.
Palladia gaudent ſylua viuacis oliuæ,
Indicio eſt tractu ſurgens oleaſter eodem
Plurimus, & ſtrati baccis ſylueſtribus agri.

M.Cato in agro craſſo oleam conditiuam, radium maiorem, Salentinam,Orchitem,Pauſiam,alij Poſiam, Sergianam, Colminianam,alij Cominianam, Albicerem,alij Albiferam. Qui ager frigidior & macrior erit, ibi lacinianam ſeri oportet. Sin in loco craſſo aut calido ſeueris, hoſtus erit,& ferendo arbor peribit,& muſcus ruber moleſtus erit,ratione excuſant,ne poma caduca fiant,& vermiculoſa naſcantur.Mala lætum amant, & cui humorem non tam rigatio,quàm natura ſuppeditet: macrū enim & aridum poma vermiculoſa & arida efficit. Quæ verò loca aprica deſyderant,longè numero plures,præſertim verò,quæ calorem expetunt,vt palma, zizipha. Hæc enim terram ſolutam, vel ſabulonem : ita tamen, vt quando planta deponitur, circa, vel ſub ea pinguis terra ſubdatur. Ficus etiam aprica & calculoſa interdum & ſaxoſa. Eiuſmodi enim agro citò coaleſcunt, ſi ſcrobes amplos & idoneos feceris. Cato tamen Herculanas,Saguntinas,hybernas,telanas,pediculo longo,in loco craſſo vel ſtercorato.Cedrus & iuniperus ſaxoſa ſequuntur,& ornus.Vergilius:

- Steriles ſaxoſis montibus orni. Sed & reperiuntur quæ vmbroſis,& à vento ſilentibus exultent, vt nonnullæ etiam à ſole nunquam illuſtratæ prodeant. Abies autem in vmbroſis multò pulchrior quàm in apricis aſſurgit: & taxus quoq;, vt cæteræ omnes, quæ hæc loca amant. Contrà vento expoſitis breuiores. Nam & ventus eas exaſperat, & retortiores reddit. Generaliter autem vmbras amant, quibus fructus ſicci ſunt, nucleoſiq́;,vt punicæ, myrti, & quæ natura breuia ſunt,vt laurus. Sanè horum fructus Soli expoſitus acerbus efficitur.Quamobrem in hortis *ſpiſſius* ponendæ. Plura etiam quæ magis ſicca,quàm humida *depoſcunt*,vt cornus,roſa,vt in ſiccis odoratior ſit. Perſicus etiam, ſed pomis, & frondibus,& perenniori vita,ſi cœlum calidum,arenoſum,humidumq́; nacta fuerit.Sicciora enim amant,quæ ſolidæ,ſpiſſæq́; ſunt. Hæ minùs alimenti deſyderant. Litora autem myrtus amat, vt iam ſuprà ex Martiale docuimus. Vergilius: *Littora myrtetis lætiſſima.-* Maritima verò diligunt ſiliqua,morus,citrus,pinus. Meſpilus pingui ſabulone, aut glareoſa terra, cum arena permiſta gaudet, vel argilla cum ſaxis. Morus ſabuloſa amat, vix in argilla vel topho comprræhendit. Auellana ſabulone delectatur. Eſculus nullum terræ delectum habet: omnium enim generibus ſeri poteſt. Naturæ enim illorum hominum eſt, qui nullam formam cæteris propoſitam habent. Rubra verò terra etſi ad plura vtilis eſt, ad arbores autem producenda inepta habetur. Leucargyllio vtuntur Megarenſes. Columbina ex æquo fertilis.

Georg.2.

De ſerendis arboribus,iuxta locorum ſitum. CAP. X.

IN plantandis arboribus,qualis ſit loci poſitura permagni intereſt. Natales enim ſitus, illæ & frutices, tanquam ſibi ſuæq́; naturæ familiares,& accõmodatiores primùm vendicarunt,in quibus conſentiente loci genio, lætiores proſiliunt,vt ſignificandum ſit, omnia, quæ terra gignit, vno magis tractu,quàm altero,delectari. Quippe dat Natura omni quod produxerit,

duxerit,tanquam parens,& ſui partus amantiſſima, quod illi magis conueniat: vt nedum eius munia diu latere poſſint, &, vt abſolutè loquar, omnium maximum,ſolum commodum,& aptum cuiq; arborum generi, ſecundum ſuam naturam tribui debet. Tum maximè vigebunt, nec citò exareſcere, atq; interire poterunt. Nam agri commoditas bifariam intelligi debet,vt qui naturæ cuiuſq; rei quod recipit conueniens ſit, aut robori congruum. Trahit enim ſua quanq;, tanquam voluptas quædam. Nam & animalibus differentes habitationes, ac luſtra. Alia enim arduis locis,montibus, alia vallibus, cætera campeſtribus. Suprà agrorum nonnullam differentiam docuimus: ſupereſt alia. Igitur tria ſunt agrorum à ſimplici ſpecie genera,ſcilicet campeſtre,collinum,& montanum.Ex quibus tribus quartum eſt,cùm fundo aliquo hæc tria,vel duo, vt locis permultis licet videre,inſunt.Vt hæc omnia nonnunquam in ſummis montibus reperiantur,vt in Parnaſſo,Cyllene,Olympo, Perico,& Mylio,atteſtante Theophraſto. In quibus, & eiuſmodi ſimilibus, plurima naſci valent, modò aër patiatur, ratione ſcilicet varietatis locorum, & telluris omnium differentiarum. Amant etenim tam ſylueſtres, quàm vrbanæ quædam magis montes: aliæ valles ac decliuos locos: cæteræ campos,& harum omnium aliquæ locis omnibus,aut horum multis,promiſcua illarum natura proueniunt, vt quencunq; ſitum minimè aſpernentur. Sed iam ſingularum affectus demonſtremus. Quæ autem montes amant, id ad portionem. Alia enim in imis, alia in ſummis, atq; in ipſis cacuminibus proueniunt:ſed quæ tantùm frigorum obſeruatrices ſunt, vt ibi pulchriores ac fertiliores attollantur. Nonnulla decliuia. Excelſa autem amplectuntur pinaſter,larix,pinus,abies. Vergilius:

Abies in montibus altis: ceu maria deuitent & fugiant. *Ecloga 7.*

Montoſa aquifolium,buxus,cornus,carpinus,cedrus,iunipetus,quæ plurima circa Cyllenium promontorium exurgit. Teda, picea, terebinthus, & omnes,quæ reſinam effundunt,fagus. Hæmus tamarice abundat. Collibus oleæ fœliciùs veniunt. Quæ æſtuoſis ſeptentrionali, frigidis meridiano colle gaudent: ſed vt neq; depreſſa loca, neq; ardua magis quàm modicos cliuos aueant. Quales in Italia Sabinorum ſunt: in Hiſpania totius Bæticæ prouinciæ. In campis autem lætas frondes,verùm vt plurimum abſq; fructu vllo.Citrus arbor ſola auſtro iuuatur,aquilone læditur vt locari debeat loco ab eo tuto. Contrà taxi Aquilone gaudent, inquiente Verg. Caſtanea cliuis delectatur,maximè ad Septentrionem verſis.Teſtes ſunt Mylius,Tmolus,Olympus,inquiente Theophraſto. Plana verò populus,ſalix,ſiliqua. Morus autē montes ac ſyluas odit:campeſtribus ac hortis delectatur,vt nobiſcum familiariùs viuat. Multo plures quæ & campis, montibus etiam & in infimis locis delectentur: verùm non æquè tamen,vt proſperiùs hîc,quàm alibi,aſſurgant.Montoſa & valles tilia amat.Non temerè in montibus viſuntur prunus,punica,iuglans,myrtus,laurus, cornus, pyrus, malus. Hæc tamen duo poſtrema in montium radicibus,& planis melius,vt in his præſtantiores, non ſolùm fructu, ſed & toto corpore,quippe montibus breuiores.Cydonium in planis,& decliuibus

cliuibus producitur. Inclinata tamen magis, quàm deuexa, optat. Ficus locis propè omnibus ſeri poteſt: ſed quæ in montanis & frigidis locis enaſcuntur,quia minus lactis habent,aduerſus ſiccitates durare non poſſunt. Quæ verò in campis, & locis calidis, ac pinguibus, fructuoſiores ſunt, & contra ſiccitatem contumaciores. Aquoſis verò montibus acer, fraxinus,ſorbus,ceraſus,tilia delectantur: ex quibus in valles deſcendunt, robur,ilex cornus. Campos etiam diligit corylus,quercus, fagus, & item cornus, ornus, acer, fraxinus. Omnibus prouenit meſpilus, pulcherrima tamen in vallibus.Arundo melius vallibus,quàm cliuis.Quæ autem communia omnibus locis ſunt,ſi cœlum calidum deſyderant, in vallibus potius,quàm in montibus,& arduis,locanda erunt.Calidiora enim ſummis inferiora ſemper ſunt:in montibus autem prolixiora, verùm copioſiùs, præſertim glandiferi generis ferunt. At quæ humore exhilarari cupiunt, vtiliùs imis, quàm ſuperioribus, figuntur, quòd illa his tepidiora ſunt. Deorſum magis laborant æſtate, ſurſum hyeme. Hæc autem ratio ponendarum iuxta ſitum arborum, potiſſimùm illis obſeruanda erit, qui generatim hortos diſponere voluerint. Quod vtile maximè erit, vt ſecundum deſyderatum locum feſtinantiùs creſcant, ne turbato loco imbecilla à valentiore opprimatur.

Hortorum ſerendorum ſumma ratio. CAP. XI.

HORTORVM autem ſerendorum multiplex quidem ratio. Sanè quidā prouentus & quæſtus tantùm, & vtilitatis gratia ſerunt. Alij domus ſuæ voluptatisve ac delectationis. Sed qui priori cauſa colunt, aut vt venales fructus exponant, ampliores habere conuenit: vt in ponendis eis circa plurima animaduertere debeant. Primùm vt iuxta Catonis ſententiam,prope validum oppidum locentur,quò deportentur fructus. Secundo loco, ex eodem autore refert, ſi mare aut amnes propè ſint, & illi idonei, quibus facilè inambulent, & fructus minima impenſa deportari valeant. Scribit enim Diodorus Siculus in Alexandri vita, Vxios, apud quos omnis generis fructus naſcuntur,ſub frigido autumno per Tigrim ab Babylonem ferre. Gallorum etiam Allobroges per Rhodanum fructus ſuos, apud quos magna copia, Auenionem Cauarum vehunt. Solonis autem lex fuit, memoriæ in eius vita mandante Plutarcho, vt agricolis tantùm fructus ſuos ad peregrinos tranſportandi ius eſſet. In eum verò, qui alienos exportaret,magiſtratum execrationes facere ſanxit,aut ipſum ærario drachmas centum diſſoluere iuſſit. Hac etiam ratione conſiderandum erit, via bona ſit,nécne celebris,qua exportari fructus facilè poſſint,atq; inde quæ opus ſit aſportari. Tertium erit ex Varronis autoritate, vti inſpiciamus,regio infeſtáne ſit,an non: peſtilens,an ſalubris. Multos enim agros feraces,& egregios excolere, propter vicinorum latrocinia, non expedit. Vt in Sardinia ille ſua tempeſtate,prope Celtem fuiſſe,ſcribit,& in Hiſpania proximè Luſitaniam. Ne,iuxta commune prouerbium, Salſuginoſa ſit vicinia. Quæ ſi huiuſmodi eſt, tametſi horti fructuoſi fuerint, nihil tamen

tamen aliud ex his percipies, quàm ſi in terra ſalſa ſeueris. Proximè viſendum erit, quid in vicinis regionibus longè lateq; agnaſcatur, quídve in his deſit. Etenim plura vltrà domus ſuæ neceſſariam annonam, excolere ſæpe non expedit, vel vbi locus non ſit, quò venalia deportari poſſint, aut aliàs venundari minimè conceſſum. Qui autem prouentus gratia hortos plantabunt, cauere præſertim debebunt, vt ij quàm maximè feraces ſint, atq; magnoperè attendere, quæ ſuprà de regionum, aëriſq; natura, deq; ſitu, deq; terra dicta ſunt, & quæ ſequenter ſcribenda erunt: vt etiam quæ generatim ſerenda, propter arborum, differentia interualla. Quando etiam vnius generis, plures arbores habere conueniat, vt olearum, amygdalarum, iuglandium, caſtanearum, & cæterarum quarum fructus diutius adſeruari poſſunt, & quorum item ſerotini fructus ſunt. Has enim maiores quæſtus ſequuntur. Verùm in his, quæ domus tantùm cauſa, vel voluptatis, non etiam vectigalis ſeruntur, horum non ita diligens ratio habenda erit, vt & multa præteriri etiam abſq; offenſa poſſint.

De hortorum poſitione, & ad illos loci præparatione.

CAP. XII.

RELIQVA hortorum ratio, in qua non minùs prudenter, atq; ſupradictis attendi oportet: vt loco videlicet maximè congruenti ponantur. Præſertim verò vbi regionis vnius, aut agri etiam eius, qui hortos ſerere volet, varius aſpectus, variusq; ſitus eſt. Primùm etenim plurimum refert, ad quam cœli partem horti ſpectare debeant. Loca verò à locis minimo nonnunquam ſpatio, aſpectuum diuerſitate multum ſæpe inter ſe differunt, vt varios aëris habitus induant: vt hac cauſa plus minúſve Solis aut nonnunquam flatuum, quàm ſit opus, accipiant. Porrò ventorum vi non ſolum tractus quidam, verumetiam totæ integræ regiones adeò infeſtantur, vt arbores commodè ferre minimè poſſint. Quas ſi fortè tulerint, fœtus tamen ſuos in matre ad maturitatem vſq; ſtare non ſinant, vt anteà illos intempeſtiuis flatibus, ſæpius Autumnum anteuertentibus, è ſede & loco deturbent, vt quædam ſolùm, atque perraros præcoces ſuſtinere valeant. Qualis fere eſt ager Auenionenſis, & circa. Nam vſqueadeò illic Boreas inualet, vt arbores defringat, aut inclinet. Liguriæ & Hetruriæ regio à Circio vento incommodatur: contra quem ſerere, imperitiam exiſtimant, ſed eundem obliquum accipere, prouidentiam. Sæpe etiam cœli lociq; indulgentia, qualis in conuallibus opacis, & aquoſis, cæteriſq; locis à vento ſilentibus, præmaturiùs arbores floreſcunt, verùm ſecutis frigoribus exuruntur, vt ibi arbores ſolùm vmbræ euanido munere fungantur, ac minùs ſua dote valent. Igitur in hortis locandis apprimè conſyderanda ventorum ratio erit. Oportet enim locum commodi flatus eſſe compotem. Qui enim nullum ſentit, aut qui illorum iniuriæ expoſitus eſt, hic certè fructuũ laudem conſequi minimè poterit: vt optima ratione concludendum ſit, arbores fructiferas, maximè verò ſerotinas, in editiſſimis locis, neq; omnes in conuallibus nequaquam ſerendas fore. Quare plagæ

ſitus maximè attendendus. Nam ſi ad auſtrum depoſitæ fuerint, & illis blandiantur, in florem defatiſcent. Aquilone verò gaudere plantas, omnes in confeſſo habent: præſertim verò, quæ regiones feruentes, & ſolem calidiorem depoſcunt. Nam afflatu eius lætiores fiunt, & germinationem ſecundum ſuum tempus faciunt, vtiliusq; finiunt. Tempeſtiua enim frigora, plurimum arborum firmitati conferunt, vt ſic optimè germinent. Sunt autem loca ad Aquilonem verſa, vt plurimum frigidiora. Hoc etiam ſitu, odoratiorem fructum fieri Democritus exiſtimabat: vt hæc etiam atque macra, caprificationem non deſyderare Theophraſtus memoriæ reliquerit. In Phaliſco enim agri Megarenſis parte, & quibuſdam agri Corinthij tractibus, ſalubrior atq; fructuoſior pars ſeptentrionalis eſt, vt Theophraſtus autor. M. autem Cato optimũ locum indicat, qui ad radicem montium, planitie in meridiem excurrente poſitus ſit, & multa peculiara prouenire plagis ad ortum meridiemq; vergentibus. Itaq; hic mihi locus ad hortos applaudet, qui ad ortum Solis poſitus, & apricus ſit, & ad radicem montis, planitie in meridiem ſeſe extendente, aut ſi in colle poſitus ſit. Porrò hoc modo rores matutini ſtatim auferentur. Qui locus Aquilone perfletur, parum Auſtro, & cæteris: vt ij finaliter bene poſiti cenſebuntur, qui ſole probè & ſtatim ab ortu luſtrentur, & bonis ventis afflentur. Sol enim cùm oritur, perluſtrat, purgatq;, ac contraria gigni prohibet, matutinumq; aërem quotidie purum, plurimumq; ſpargit. Qui deniq; locus natura ſituq; à nimio æſtu frigoreq; ſeſe tuetur. Cato olìueta ad Fauonium loco ſolibus appoſito ſpectari vult, nullumq; alium eſſe bonum M. Varro dicit. Multum inſuper proderit, in tota regione, non eſſe quod noceat, maximè ne excurrens germinatio aliqua intemperie enecetur. Quædam verò ex illarum natura peculiarem ſitum requirunt, vt ſuprà oſtenſum eſt. Quæ autem rores amant, vt malorum quædam, eæ ad occaſum vel ſeptentrionem ſtatuendæ, quo diutiùs eo vtantur fruantur. Cæterùm multas regiones reperire eſt, quæ minùs hac animaduerſione & diligentia indigent: cùm prædicta ratione poſitæ ſunt, vt totæ, aut ſaltem pro maiori parte, ad hortos feraces ſint. Qualis eſt Italia, ſcribente Plinio, quæ ad radicem montium conſtituta, planitie multa in Meridiem expatiatur. Quæ item Varronis tempeſtate vnum pomarium viſa eſt. Et Babylonis plaga (autore Theophraſto) Solis ortum & Meridiem ſpectat. illud poſtremum Antylli, referente I. Stobæo, non prætereundum, in locis lacunoſis fructus deteriores naſci. Lacus enim non aërem tantùm, ſed & fructus inficiunt. Horti intra domeſticam habitationem, ſi fieri poſſit, locandi ſunt: quod ſi non datur, ex propinquo: vt non ſolùm oculis ſpectantium intra ædes iucũditas hauriatur, verùm etiam vt ambiens aër ex plantarum fragrantia infectus, ſalubrem habitationem, ac totam poſſeſſionem reddat: longè tamen ab area: Nam veluti virgultorum radicibus fimus & paleæ proſunt, ita frondibus incidentes, eas perforant, atq; areſcere compellunt. In hortis autem aſſignandis, vereor ne quibuſdam nimium diligens ſolerſq; fuerim, vt qui de eiuſmodi poſitione multi deſperent. Sed me talem oportuit eſſe, ne videlicet hi, qui ſimilem locum in

agris

agris ſuis habent,alium minùs idoneum imprudenter ſeligant: vt hac re cæci ſint. Quales Megarenſes in exædificanda Chalcedone, Apollinis oraculo exiſtimati ſunt, Strabone ſcribente. Nam cùm Byzantij conditores de locandis ſedibus Apollinem conſulerent, illis reſpondiſſe fertur, vt contra Cæcos vrbem ponerent.Cæcos enim Megarenſes vocabat,qui cùm ad ea loca nauigaſſent, omiſſa tam locupleti ripa, vbi Byzantium poſteà conditum,tenuiorem accepiſſent. Deſtinato ad hortos & cognito loco (quam cognitionem,ſicut & in cæteris ſerendis rebus,primam è quatuor agriculturæ partibus M.Varro dicit) Locus hic ante omnia curioſè repaſtinari debet, atque altiùs terra effodi. Et ſi anteà rudis fuerit, euelli,extirpariq; debent ſtirpium radices, lapidibusq; omnino expurgari.Tunc enim generandis,alendisq; plantis fœcundior efficitur.Nec contentos nos eſſe oportet primâ ſpe ſummi ſoli,ſed exploranda eſt inferioris materiæ qualitas, terrena nécne ſit. Arboribus autem altitudo pedum quatuor abundè eſt.

De arborum ordinibus. CAP. XIII.


LOCVM hortis ſuprà præſcripſimus,cuius pars ad ordines & arborũ interualla pertinebit. Cuius verò rei non ſegnis cura, ac ſtudium eſſe debebit, cùm propter ordinum iucundum aſpectum, & delectationem ipſam, tum etiam propter arborũ vtilitatem, quæ certè in hac re non minima eſſe ſolet, ſiue ad plantarum incrementum, & longam vitam, ſiue ad fructuum vbertatem aſpexerimus. Voluptas autem in ordinibus erit ob iucundum & gratum conſpectum. Nam (vt ait Quintilianus) & in ordinem certo interuallo redigam eas arbores. Quid illo quincunce ſpecioſius? Qui in quancunq; partem ſpectaueris, rectus eſt. In commenſuratione enim partium inuicem ad totum omnium pulchritudinem eſſe ſitam Plotinus,dum de pulchritudine diſſerit, ait oculis delectationẽ procreare. Diomedes itaq; apud Homerum, Tydeum habitaſſe in Argis dicit, & habuiſſe plantarũ ordines. Et vti vtilitatem ex decuſſatione proſequamur,quæ multiplex eſt.Primùm ſequitur à ſole lunaq; munus.Nam hocmodo poſitas arbores, ſol, lunaq; æqualiter percoquent. Quò fit vt celeriùs matureſcant. Nempe liberiore ſole fruentur, nec cæterarum arborum vmbris prementur: vt deniq; vna quoq; arbos tantum cœli, terræq; accipiat, quantum totius gregis alia, & tam rami Solis caloris partem,quàm radices terræ ſucci hauriant. Luna autem,æquè ac ſol,arbores iuuare,fructusq; illarum ad maturitatem cogere creditur,& ab illa potiſſimùm arbores ali,quarum frondes & folia viridia ſunt.Qui color Lunæ attribuitur. Præterea folia plurimum humido abundant. Et illa quoque humida eſt. Qui verò hæc duo ſydera pro Dijs venerantur, quales multi perhibentur, maximè verò incolæ Pornæ, inſulæ Indicæ, non aliam ob cauſam, quàm quòd arboribus multum prodeſſe experti ſint: à quibus arborum fructus exorant.M.Varro aliam vtilitatem affert,vt ſic diſpoſitæ minùs loci occupent. Et ita coniectura, ex rebus aliquot videre licet, &

hoc in nucibus oſtendi, quas integras vno modio compræhendere poſſis, quòd putamina ſcilicet ſuo loco quæq; habet, natura compoſita. Quæ ſi eadem fregeris, vix ſeſquimodio concipere poſſis. Ideoq; artifices etiam, cùm plura in vnam tabellam opera contulerunt, ſpatijs diſtinguũt, ne vmbræ in corpore cadant. Vergilius Maro vtilitatem ſimul ac pulchritudinem huiuſce ordinis mirè expreſſit, vt neſciam an ſuorum verſuum lectio plus voluptatis viris doctis ingerat, quàm cæteris ordinum proſpectus:

Georg. lib. 2. *Indulge ordinibus: nec ſecius omnis in vnguem*
Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.
Ut ſæpe ingenti bello cùm longa cohorteis
Explicuit legio, & campo ſtetit agmen aperto,
Directæq; acies, ac latè fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, nec dum horrida miſcent
Prælia, ſed dubius medijs Mars errat in armis.
Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum:
Non animum modò vti paſcat proſpectus inanem:
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neq; in vacuum poterunt ſe extendere rami.

Ordinum igitur ratio, omnium ſententia quincuncialis eſſe debet. Decuſſis decem aſſis vnciæ, ea forma vt Varro ait, qua treſſis, octuſſis, à tribus & octo aſſis vncijs. Decuſſis autem nota tum apud Græcos quàm Latinos eiuſmodi eſt x, vt eius figuræ dimidia pars ſit talis, v, vt tam quincuncis notæ, quã eius numeri, ꟹ id eſt, quinq; vnciarũ aſſis ſignificationem exhibeat. In quam formam arborum ordines digeri debent. Vnde decuſſare, id eſt, in eum ordinem diuidere. Melius faciemus, ſi ordines in Fauonium dirigamus, vt æſtiuo perflatu refrigerentur.

PRIMVS ORDO.



De arborum interuallis. CAP. XIIII.

SVPERIVS de ordinibus, nunc de interuallis, quorum rationem ad vnguem, vt Vergilius ſupra ait, ſi quid aliud magis in re arboraria obſeruare debemus: cuius negligentia neſcio an plus in hoc, quàm altero reformidabilis ſit. Nam, vt ait Plinius, ipſis nihil fœdius quàm geſtæ rei pœnitentia, multò iam vt præſtet indulgentia interuallorum delinquere, quàm ignorantiam coarguere ſuam: vt ſolent ij, qui vbi poſuere, totas excindere coguntur. Illamq; inſcitiam pudendam eſſe conueniat, cùm adultæ iuſtò plus ſe ramis colluctantur, atq; in ſenectam præcipitantur.

Necantur

Necantur etiam ſæpenumero & inuicem alimenti rapina. Quippe etiam denſitas illarum obſtat, quò harum nihil ad iuſtam magnitudinem adoleſcere poſſit, quòd loco, in quem creſcant, careant: nec quicquam inſuper ſeri poteſt, vt neque fructuoſæ ſint, niſi aliquas interuulleris, alteraq; vmbris alterius premetur. Et vt ad rem deueniamus, interualla ex loci, regionisq; natura, ac ſitu, & arborum differentia variare oportebit. Porrò aliæ craſsiores, longioresq; naſcuntur, altiusq; radices agunt: vt eas latiorem locum occupare neceſſum ſit, veluti iuglandes, caſtaneæ, ceraſi, & pyrorum, & malorum quædam genera, vt ſyluestria ſileam. Quæ autem corpore breuiores, & quæ terræ altius non inhærent, minori contentæ ſpatio erunt, vt punica, laurus, myrtus, & reliquæ: quas ſine iniuria cum prædictis immiſcere valebis. Neque iuglandem iuxta cydonium iunges, neq; caſtaneam cum meſpilo, ceraſum cum perſico ſociabis. Vt peroptimè præcipiatur (vt iam ſæpius dictum eſt) vnumquenque ordinem ſuo generi deputandum fore, ne debilis à potentiore conteratur. Quædam etiam grandiuſculæ nunquam aſſurgunt: faſtidiunt enim cæteras, ſed ſui etiam generis vmbra læduntur, vt maiora interualla præter ſui corporis ambitum deſyderent. Iuglans equidem ſuorum foliorum ſtillicidijs, proximis, etiam ſui generis, nocumento eſt. Cydonia etiam largius ponenda, ne quatiente vento eius ſtillicidium alteram tangat. Cuiuſq; etiam arboris vmbram obſeruari decet. Sunt etenim nonnullæ breues, quamuis magnarum arborum, quòd in orbem ramos circinent, vt mali, pyriq;, enormes ceraſis, ac lauris. Aliæ autem vmbras amant non locorum, ſed ſui generis, aut alterius. Aliæ contrà, vt morus, quæ alterius vmbra tegi minimè vult. Nonnullæ ſpiſsius diſponi volunt, vt perſici, vt ſe inuicem à Solis calore excuſent. Ex regionum autem ac locorum natura, aut largiùs, aut breuiùs interualla metiri conueniet. Quod in vno arborum genere, olea ſcilicet, ex ſcriptorum monimentis manifeſtum faciam. Porrò M. Cato oleam in vigintiquinq; pedes minimum conſeri, plurimum in triginta: Palladius illi quindecim vel viginti attribuit. In frumentario verò & pingui ſolo, inter ordines quadragenos pedes, in alteram partem atq; in alteram quadragenos verſuris relinqui: in macro & ſegetibus ideò vicenos. Cæterùm huius magnitudinis fides in Africa, penes autores erit, vt milliariæ multæ ſint, ſic à prouentu annuo vocitatæ. Ideoq; Mago ſeptuagintaquinq; pedes illarum interuallis vndiq; dedit: in macro autem, & duro, atq; ventoſo, non minimum quadraginta. Non alia maior in Bætica arbos, nec cui maiora interualla largiri debeat. Salices in riguis locis, ſpatia latiora deſyderant, eaq; quinûm pedum, per quincuncem rectè faciunt: ſiccaneis ſpatiora, ſic vt facilis ſit eis colentibus acceſſus. Quinûm pedum intermedia eſſe, abundè eſt. Pro loci quoque ratione interualla relinquuntur. Iam per ſe colles minora, quàm campeſtria quærunt interualla. Ventoſis etiam locis crebriùs ſeri expedit. Ergo in Gallia hoc faciendum erit, ſi Iuſtino Pompeij Trogi abbreuiatori credimus. Nulla enim magis alia re infeſtantur. Quod & Vergilius in Bucolicis iucundè faſſus eſt, dum ait:

Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

Crebritate enim ſeſe aduerſus ventos fortiùs tuentur. Punicas,myrtos,& lauros denſiores ſeri Theophraſtus voluit: etiam vt ſe contectu operiant mutuo, atq; Solis nimios æſtus effugere poſſint, tum etiam quòd radice numeroſa non ſint. Nullo inſuper alimenti mutuo raptu infeſtantur. In pedes tamen nouenos:malos verò paulò ampliùs,vel magis etiam pyros, item magis amygdalas & ficus. Amygdalis autem Palladius viginti aut vigenûm quinûm pedum ſpatia donauit. Malis tricenos quidem conceſſerunt alij. Cæraſus longiora interualla amat. Qui autem eodem agro, arborum fructus,ſegetemq; vel herbam colligere,vt faciunt Neuſtrij, volent,longiora interualla ſtatuunt : ne videlicet, alimenti arborum rapina & vmbra ſegetes lædantur. Arbores autem plures ſimul ſerere multum proderit. Interim verò quæ ſolæ ſunt , aduerſus ventos leues & infirmæ erunt. Turba enim, inquiente Fabio , valebunt , vt ſi non magnitudine atq; robore , ſaltem multitudine , ac cohorte ſeſe defendant. μετόρχιον Polluci ſpatium inter plantas medium dicitur , & ὄρχος ipſarum ordo. Pompeius antras arborum interualla dicit.

De ſerendis arboribus alibi,quàm in hortis,& de topiario.

CAP. XV.

EST alia ſerendarum arborum aliquò quàm in hortis ratio. Multa enim ex arboribus agricolis neceſſaria & vtiliora alijs , quàm quæ in hortis ſunt , vt illas potiùs præſtet, quàm hortos, habere. Neque enim ſimul omnes ſeri poſſunt,neq; miſtim vrbanæ ac ſylueſtres, quarum maximus, imò perneceſſarius agricolis vſus. Nec idoneè vlmos,aut populos, quercum,aut fraxinum oliuetis,aut multis alijs ſociabis,nec ſalicem,aut arundinem , inter myrtos aut ceraſos , diſſidentibus inuicem magnitudine, loci,ſitusq; natura arboribus. Alia enim cura hortenſium,alia ſylueſtrium eſſe debet. Alij autem circa fundos pinos ſerũt:vt Fundania vxor M. Varronis,vt ipſe teſtatur,in Sabinis habebat. Cæteri cupreſſos,vt ille in Veſuuio habebat. Nonnulli vlmos,vt multi ſua tempeſtate in Cruſtumio habebant,quòd ibi fœliciter pullularent, & nulla neceſſarior arbos in campis ſeritur , quòd maximè fructuoſa ſit. Nam & ſepem ſuſtinet , ac colit vuarum aliquot corbulas. Frondem inſuper bobus, ouibus ac porcis iucundiſſimam ſubminiſtrat. Virgas ſepibus,focoq;,& furno abundè præbet. M. Cato etiam circum coronas & circum vias , illas , & populos ſeri oportere ſcribit,vt etiam frondem animalibus præbeant:quòd etiam fraxinus,quercus,ſambucus,vt ad id plantentur. Glandariam etiam ſyluam, hic nono loco agris proponit,qua cibus porcis ſuppeditetur. Pedamentorum verò , ac viminum gratia ſalix , arundo , caſtanea ſeritur. Præcipit etiam M. Cato in ſuburbano fundo , arbuſtum maximè habendum, vbi ligna,virgæ ſalicti poſſint venire,& domino fiat,qui vtatur. Et hic ſalicta agris tertio loco conſtituit. Populus etiam alba ad vinciendas vineas expetitur:vt hac cauſa eas maximè plantent apud Gallos Aurelij. Salices au-

tem ob id multi amerinas circum vineas. Fici inter vineas ſeri non vetantur ob vmbram: eſt enim leuis, & ſparſa. Alni, ſepes & aggeres muniunt, contraq; erumpentium amnium impetus muri ſunt, excubantq; in ruris tutelis. In aqua ſatæ, cæſæq; denſius in numero hæredibus proſunt. M. Cato ſub vrbe myrtum, laurum Delphicam, & Cypricam ac ſyluaticam, nuces caluas auellanas, prænestinas, & Græcas ſeri vult, caluas vocat iuglandes. Folia ad vſus multos, vt ea veterinorum pabulo ſtringas. Ad mille enim vſus arbores ſeruntur, quos omnes recenſere, ferè ſupra humanum ingenium foret, vt materierum ſileam, reſeruato ad id integro libro. Verùm ad hæc quoque ratio habenda erit, vt ad ſeptentrionalem plagam ponantur, quò minùs ſua vmbra ſatis officiant. Sed hæ quoque verùm paucæ in hortis coronarijs, vſu topiario ſeruntur. Per longa & recta arearum deambulacra, ſepium ratione, vel alio modo. Ad quam rem arbores, & frutices, præſertim quæ perpetuò virēt, ſeligimus, & quæ etiam flexibiles ſunt, vti in hominum, alituum, & cæterarum rerum varias imagines artifici magiſterio ſequaces ipſæ perducantur, vt iucundo mirùm nos aſpectu delectent. Buxus iam, & laurus, ad hanc in hortis frequens. Roſmarinus etiam, vt hortorum areas eleganter conueſtiat, ita vt nullum non animal olitoris mangonio ſuffragante cōfingat. Topia funiculi ſunt, quibus opus illud dimetitur, & topiarius artifex, quo vſus Aphricanus in tractatu legatorum, vt topiarius ſeruus is magis fundi ornandi, quàm colendi cauſa paratus eſſe videatur. Vlpianus etiam non ſemel, vbi de fundo instructo diſſerit. Plinius etiam, vbi de adianto frutice agit, ἀπὸ τῶν τόπων, hoc eſt, à locis, quæ hoc modo ornantur, dictus. Operis autem topiarij, Cicero ſic ad Q. Fratrem: Topiarium laudaui, ita omnia conueſtiuit hedera.

De ſcrobibus fodiendis, & illarum altitudine, atque latitudine, & quanto tempore anteà faciendæ.

CAP. XVI.

LOCVM priùs hortis deſignaſſe oportuit, quàm vt ſcrobes effodiantur, vt circa has quoq; quædam & temporis atque formæ ratio haberi debuerit: vt antè de tempore agamus. Nam omnis agricolationis præceptio ante, quàm plantæ ponantur, fieri vult. Mago autem (Plinio referente) ante annum effodi iubet. Quòd ſi conditio id minimè largita ſit, ignes ante menſes duos in medio fieri, & ſtramenta incendi, vt eas putres faciant: quod ſol & pruina facere debebant. Hic autem aliquod tempus non præſcripſit, ſed tanto (ſi fieri poſsit) donec pingui cæſpite obducantur. Hoc etenim modo, ſolem, lunam, ac pluuias combibent. Quibus circùm terra niteſcit, miteſcitq;, atq; putreſcit, vt quod poſueris citò compræhendat. Altitudinem verò earum ac latitudinem, ex loci, atq; arborum natura, eſſe conueniet. In argilloſo enim ſolo trium eſſe, in quancunque partem cubitorum. In nigro autem, vt duorum cum palmo vt ſint ſufficiet. Xenophon verò non altiores ſemipede, & quatuor pedibus eſſe debere

ſcribit,

ſcribit,nuſquam verò ſemipede minùs altos. In aquoſis autem minori altitudine effici debebunt. Porrò ſi profundiùs peregeris,aquam offendes, quæ radices putrefaciet,atq; etiam in his locis per æſtatem, propter loci humiditatem, ſiccitas minùs reformidabitur. At in eiuſmodi ſolo ſolertiùs agendum,diligentiorīq; opus eſt ingenio propter arbuſcularum periculum.M.autem Cato,ſciens agricola hoc præcepto effici iuſſit:Sulcos, ſi locus aquoſus erit,alueatos eſſe oportet,latos ſummos pedes tres, altos pedes quatuor, infimum latum pedem vnum & palmũ. Eos lapide conſternito.Si lapis non erit,perticis ſaligneis viridibus,quoquouerſus collatis, conſternito. Si pertica non erit, ſarmentis colligatis itidem facito. Poſteà ſcrobes facito altos pedes tres ſemis,latos pedes quatuor.Et facito vti de ſcrobe aqua in ſulcos defluat. In ſicco autem profundiores quàm in cæteris facere neceſſe erit.Nempe ſi Solis ardor ad radices peruenerit, areſcet arbor. Græci enim nec latiores duobus pedibus & ſemipede volunt. In ſumma verò quò latiores patentioresq; feceris,eo lætiores erunt, vberioresq; fructus percipies.Quæ enim minùs altè figuntur,facilè euellentur, & infirmiùs à ventis habentur. Quæ verò altius, ſæpe deteriori terra læduntur,& parcius radices imbribus hilarantur. Oleæ autem ſcrobem (inquit Columella) quoquouerſus pedes quatuor patere oportet. Scrobs enim clibano ſimilis eſſe debet, cuius imum ſummo patentius ſit, vt laxius radices euagentur: minùs etiam frigoris per hyemem penetrabit,minusq; vaporis per æſtatem,& auguſtum effundetur.Tum etiam cliuoſis locis terra,quæ in eam congeſta ſit,pluuijs non abluetur.

Arborum natura in agendis radicibus, & qualiter proſtratæ arbores reſtituantur. CAP. XVII.

AD ſcrobes etiam faciendas,adijcienda erit arborũ in agendis radicibus natura. Hac verò cauſa, aut latiores, aut profundiores, vel minùs altas compreſſioresq; efficere conueniet.Vt illæ altius dimittantur,quarum radices inferiùs magis ſeſe agunt.Nam & ipſarum arborum in mittendis radicibus magna differentia.Nempe aliæ in latum effundunt,per ſumma ceſpitum innitentes. Aliæ anguſtiùs: verùm id altius, quòd in his ſæpius quæ vna radice, aut duabus, paucioribúsve ſubſiſtunt, Natura aduerſus caſum ſe præmuniat: cuiuſmodi eſt ferula,amygdalus: Nam,vt ait Verg.

Georg.2. *Forſitan & ſcrobibus quæ ſint faſtigia quæras.*
Auſim vel tenui vitem committere ſulco.
Altiùs, ac penitus terræ defigitur arbos:
Eſculus in primis: quæ quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neq; imbres
Conuellunt: immota manet, multosq; per annos
Multa virûm voluens durando ſecula vincit.
Tum fortes latè ramos, & brachia tendens
Huc, illuc, media ipſa ingentem ſuſtinet vmbram.

Abietem

Abietem profundius radicem ſingularem, neruoſam, multis hirſutam capillamentis demittere Arcades (autore Theophraſto) arbitrantur, eoq; etiam magis quàm robur, quæ ſimpliciori atq; meatu rectiori figit. Neſcio an hoc in Arcadia verum ſit. Alibi tamen mihi, pluribusq; compertum, hanc neq; pinaſtrum altè radicem iaculari, ſed per ſumma inhærere, vſqueadeò vt præ nimio flatu, non turba tantùm vna, ſed integra ſylua omnino ad internecionem vſq; euertatur. Laurus etiam, & olea, ficusq; recto meatu deſcendunt. Prunus etiam altiſsimè, & meſpilus numeroſaq; radice. Ob id diuturnæ, fereq; etiam inextirpabiles. Glandiferæ omnes altius inhærent. Syluestres autem alta radice quidam eſſe negarunt, quòd ſemine proueniant. Quod falſum. Nam vbi diutiùs vixerint, quod in ſylueſtribus ſemper contingit, profundiùs emittunt, nec ſatio ex ſemine, arboris naturam immutat. Omnium itaq; ſylueſtrium, alto meatu ad ima progredi videtur ilex, & poſt eam terebinthus. Latius verò fundit cedrus: cuius radix maxima ſpatio atq; plenitudine eſt. Ab ea verò platanus, vſq; eò vt Theophraſtus ſcribat (referente Varrone) Athenis in Lycio, cùm etiam hæc nouella eſſet, radices trium & triginta cubitorum egerit. Quæ ſi locum habeant expeditum, quantumuis facilè poſſunt. Summa tellure gaudent cupreſſus, punica, malus, ceraſus, taxus. Sambucus multas non habet radices, neque grandes: ſumma etiam terræ cute iuniperus. Quæ verò altiùs gradiuntur, quaternos pedes oportet dimitti. Cæteris autem ſat erit, ſi altitudinis pedes ternos effecerint, vt in vniuerſum dicam vnaquæq; arbos, pro ſui magnitudine altioribus ſcrobibus delectatur. Quibuſdam enim non profundius radices deſcendere, quàm Solis ardor tepefaciat. Idq; natura loci tenuiores ſiue craſsiores dixere. Quod falſum, idq; verè Theophraſtus arbitratur, atq; etiam opinionem eorum, qui dicerent, nullam alternis ſemipedibus altiùs radicem deſcendere, improbarentq; illorum conſilium, qui profundiùs ſererent. Nam pini plantam inuentam eſſe ſcribit, cùm transferretur, octo cubitorum in altitudine fuiſſe, nec totam refoſſam, ſed abruptam. Quidam breuitate radicum celerius ſeneſcere arbores exiſtimabant. Quod coarguunt fici, quarum radices longiſsimæ, ſenectus verò ocyſsima. Falſum etiam Secundus arbitratur, quod nonnulli prodidere, videlicet arborum radices vetuſtate diminui. Nempe viſa quercus annoſa tempeſtatis vi eiecta, iugerum ſoli amplexa. Quarundam autem radix ſuperficie viuacior, veluti lauri. Itaq; cùm truncus inaruit, reciſa lætiùs frutificat. Id idem pluribus contingit, vt trunci demortui iactura reuiuiſcant: ſicuti in animalibus, membro læſo ſublato, cæterũ corpus meliùs ſeſe habere. Proſtratas arbores, plerunq; reſtitui, & quadam terræ cicatrice reuiuiſcere Plinius arbitratur. Et familiariſsimum platanis eſſe: quæ ventorum plurimum propter ramorum denſitatem, & foliorum amplitudinẽ, propterea & pondus & vim concipiunt. Amputatis enim ramis, & onere leuatæ, in ſua ſcrobe reponuntur, cui altera pars adhærebat. Factum itaq; hoc eſt iuglandibus, & oleis, & cæteris, quæ multa fronde oneratæ ſunt. Hoc enim modo munereq; apud Allobrogas in agro Valentino, iuglandes per nouem decémve ſe-

cundum Rhodanum milliatia, vi tempeſtatis deiectæ leuatæ ſunt. Quod ipſe conſpexi.

De ætate transferendarum plantarum. CAP. XVIII.

RADICE autem omnes facilius prouenire arbores, in confeſſo eſt, eiusq; properantiùs incrementum futurum erit, quàm quòd alio modo ſeueris, vt iam ſuprà dictum eſt: vt etiam Columella melius oliuetum conſtitui truncis, quàm plàntis dixerit. Hæc ſatio truncorum dicitur. Plantas autem Seruius vocat, quæ de arboribus raptæ ſunt. Plantaria, quæ ex ſeminibus nata ſunt, & cum radicibus, & propria terra transferuntur. Vergilius:

Georg. 2. – *Et viua ſua plantaria terra.* Transferendarum autem arborum tempus alij ab ætate, cæteri à craſſitudine demonſtrauere, vt vnum idem tamen ſit. Quidam cùm pollicis ſoliditati perſimilis fuerit plantam transferunt. Cato craſſiorem quinque digitis non omiſit. Multi, non minùs craſſam quàm vt manum implere poſſit. Quòd bidentis manubrium intelligunt. Nonnulli ad brachij craſſitudinem. Ab ætate verò tempus ſumentes, bimam volunt. Verùm id in quibuſdam plantis, ſecundum locorum naturam diſtinguunt, vt iuglandem in frigidis bimam, in calidis trimam tranſmutent. Hanc autem obſeruationem, plures parui faciunt, ſolùm plantæ nitiditatem conſyderantes. Maritas verò vlmos, in arbuſtum transferri quinquennes volunt: vel, vt quibuſdam placet, cùm vicenûm pedum eſſe cœperint. Populis eadem ratio è ſeminarijs, eademq; è ſyluis. Propagines enim poſt bimatum transferuntur. Quæ verò inter ramos fiunt, poſt triennium: abſcindunt enim, & cum quallis effodiunt.

De modo ſerendi. CAP. XIX.

IAM ad ſerendi poſt multas ad id præparationes rationem deueniamus. In qua quidem re diligentiores, ſi in aliqua arborum ſerendarum parte, eſſe nos oportet, ne tot antea impenſarum, ac operarum, iacturam vereamur. Primùm vt radicum maximam curam habeamus. Arbores autem diligenter eximere oportebit, ne cæſpes reſoluatur, & vt radices exemptæ non auulſæ appareant. Plurimum inſuper proderit, ſi cum ſua terra, atq; quamplurima, radicibus cohærenti, transferri poſſit: atque vt hoc fieret opetoſiùs voluerunt, vt circumligari cum cæſpite Cato præcepetit, ac in corbibus transferri. Viminibus ita innectunt, vt constricta terra, velut incluſa teneatur, & ſuppoſita pila transferunt. Hoc enim modo, cum ſua fronde ſeri poſſunt. Alioquin truncus fronde priuari debebit, atq; leuatis plagis, fimoq; & cinere oblitis, in ſcrobem vel ſulcum deponi. Recta enim planta, leuis, procera, & ſine vlceribus, libroq; integro, legi debet. Tunc verò celeriter compræhendet. Quod autem de radicibus læſum erit, amputandum. Poſitum quoq; ex æquo obſeruandum, quem arbores habe-rent prius, quàm transferrentur. Quem rubrica, vel alia qualibet re, in cortice notare conuenit, ne hoſpiti peregrina nouitas noceat: vti cùm ſe-

rerentur eaſdem cœli partes ſpectarent, atq; eiſdem ventis, & aſſuetis oris,quibus anteà cùm in ſeminario ſtarent,fruerentur. Capit enim vires antiqua,& futura ætas, à ſua infantia. Alioquin frigore,vel calore laborabunt:& Aquiloniæ meridianis oppoſitæ findentur,& algebunt meridianæ Aquilonibus, quòd præter conſuetudinem alio tractu expoſitæ fuerint. Quod diuerſo quidem id affectant, etiam in fico permutantes in contrarium. Denſiora enim folia ita fieri, magisq; fructum protegere, & minùs amittere, ficumq; etiam ſic ſcanſilem fieri. Pleriq; id demum cauent, vt plaga deputati cacuminis transferendæ arboris meridiem ſpectet. Sic enim fiſſurarum ignara, nimioq; vapori opponitur. Alij in horum diei quintam vel octauam conſpectare maluerunt. Innoxium autem abradi partes, itemq; ſi nudauerunt plagas, quas fimo oblinunt, folijsq; circunligant. Illud apprimè cuſtodiendum erit,vt de cliuo ac exili,in planiorem,humidiorem,& pinguiorem transferas,atq; in meliorem ſemper, ſi conditio patiatur. Etenim nutricem matre indulgentiorem conuenit. Vnde illud Vergilij:

Mutata ignorent ſubitò ne ſemina matrem. Georg.2.

Ad arborum autem indolem,vel augendam,vel detractandam,aquarum atq; terrarum vis,atq; poteſtas operatur. Arborem autem lætam,in alium locum tranſpoſitam,deterioris terræ ſucco,aut omnino interire,aut elangueſcere videmus. Quod nòn ſolùm hominibus, ſed cæteris quoq; animalibus contingit, quæ alieno,quàm matris,lacte enutriuntur.Nam hac ratione,naturam in deterius mutari conſtat.M.autem Cato in tota tranſlatione,ventos omnes,imbres quoq; damnat.Boreas enim arborum radices,quas poſiturus adferes, perſtringit, atq; percellit. Auſter verò laxat, effunditq; vires,cuius naturæ ſunt ferè venti omnes. Æquè latet non negligendum, ne radices mora inareſcant néve à Septentrionibus, aùt ab ea cœli parte vſq; ad exortũ brumalem, flante vento arbores effodiantur aut certè non aduerſæ ijs ventis radices præbeantur, propter quod emoriuntur,ignaris cauſæ agricolis.Antequàm enim planta deponatur,imum ſcrobis ſolum bidentibus fodere oportebit. Vtiliſſimè proculdubio erit, ſummam terram aratro ſubactam (ſi tamen hæc pinguior fuerit) ſubdi. Nam hæc, ſole, imbribus, ac ſtercoratione, alia ſemper lætior eſſe ſolet. Alij fimum bubulum. Meliùs erit, ſi cinis aſpergatur, ne ſtercoris calore adurantur. Nam cinis vel corticis teneritudinem, vel fructuum denſitatem adferre creditur. Et ſi conſtet in ſcrobibus aqua, ea omnis haurienda erit ante, quàm demittantur: & ita ſemina hordei ſubſternere,deinde ingerendi lapides minuculi, vel glarea miſta pingui ſolo. Arbuſculam ita locari, vt media ſit totius ſcrobis, neceſſarium eſt. Radices inflexas poni melius eſt. In his autem arboribus, quæ vna atq; recta tantùm radice innituntur,ſeruandum erit, vt directa vſq; ad ſummitatem ſuam illæſa, integraq; obruatur. Vbi autem radices bene operùeris,bene pedibus calcato,ne quid noceat.Poſteà fiſtucis vectibusq; quam optimè M.Cato præcipit. Idq; rei primum eſſe: alioqui leuis aqua vſq; ad imum penetrando tabefaciet:& ſol per æſtus exſiccando radices aduret,& ventis reuelletur.

Poſt depoſitas plantas quidam lapides ſubſtituunt. Cæteri dextra ſiniſtraq́; vſq; ad imum ſcrobis ſarmentorum faſciculos, brachij craſſitudine demittunt, ita vt ſupra terram paululum extent, per quos æſtate, paruo labore aquam radicibus ſubminiſtrare poſſis. Ne tinea ſeminibus ficulneis moleſta ſit, in imum ſcrobis lentiſci taleam inuerſo cacumine demittito. Aliqui multum prodeſſe cõfirmant, ſi plantam diuiſo ſquillæ bulbo interſitam, ſtrictam vinculis collocemus. Si oleam poſueris, eo loco, vnde quercus effoſſa fuerit, morietur: quòd vermes, qui raucæ vocantur, in radice quercus naſcuntur, tranſeunt. Ij enim maximè oleæ ſemina conſumunt. Nonnulli cerrum & quercum exciſas, noxias relinquere radices dicunt, quarum virus oleam enecet. Fabarum ſiliquæ, ſi ad arborum nuper plantatarũ radices poſitæ ſint, plantas exſiccant. Hæc Theophraſtus de cauſis naturalibus. Superiorem autem transferendarum arborum rationem, formamq́; ſerendi, Vergilius Georgico carmine complexus:

Georg. 2. *Antè locum ſimilem exquirunt, vbi prima paretur*
Arboribus ſeges, & quò mox digeſta feratur:
Mutata ignorem ſubitò ne ſemina matrem.
Quin etiam cœli regionem in cortice ſignant:
Vt quo quæq; modo ſteterit, qua parte calores
Auſtrinos tulerit, qua terga obuerterit axi,
Reſtituant. Adeò in teneris conſueſcere multum eſt. Et alibi:

Georg. 2. *Quod ſupereſt, quæcunq; premes virgulta per agros*
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra:
Aut lapidem bibulum, aut ſqualenteis infode conchas.
Inter enim labentur aquæ, tenuiſq; ſubibit
Halitus: atq; animos tollent ſata iamq; reperti,
Qui ſaxo ſuper, atq; ingentis pondere teſta
Vrgerent hoc effuſos munimen ad imbres:
Hoc, vbi hiulca ſiti findit Canis æſtifer arua,
Seminibus poſitis ſupereſt deducere terram
Sæpiùs ad capita, & duros iactare bidentes.

In eodem verò ſcrobe, ſi duas, aut tres arbuſculas ponere voles, curato ne mutuò ſe contingant: quoniam mutuo contactu aut computreſcent, aut vermibus interibunt. Semina trifurca quidam poni volunt, vt ea ſuper terram tribus pedibus emineant. Alij vt exiguum admodum ſupra ſcrobem, ſi periculum à pecore non habeat: lætius enim frondebit. Arbuſculam autem à tempeſtatibus diligenter tueri oportet, adminiculando. In ſumma, mutatione, aut meliora fiunt, aut deteriora. Quod ex cœli ſoliq; & aquarum ratione fieri oportebit, vt in animalibus quoq; eſt, quæ ſecundum locorum habitum in plurimis à ſuo genere differunt. At in arboribus non æquè manifeſtè depræhendi poteſt. Solum enim ex regionũ diuerſitate, magnitudine ſæpiùs, colore, ſapore, ac odore inter ſe diſſimile.

De legibus, & Senatuſconſultis, propter arborum ſationem latis. CAP. XX.

LATÆ

LATÆ etiam leges, & Senatuſconſulta, propter arborum ſationem facta. Nihil enim priſci illi, in agricultura, tantoperè antiquius habuerũt, quàm vt arbores plantarent. Verùm non ſine auiditate quarundam, qui iuxta confinia vicinorum, non ſine illorum damno arbores plantarent: vt propterea leges cenſere, propter vtilitatem publicam coacti ſint. Et inter legiſlatores Solonem primum fuiſſe proditum. Nam ſcribente in eius vita Plutarcho, hæc lex eius fuit, vt qui in agro quoduis plantare vellet, id à vicino quinq; pedibus abeſſe iubebat. Qui verò vel ficum, aut oleam, nouem. Has autem arbores longiùs radices protendere compertum eſt, vt vicinis nutrimentum auferre eas neceſſe eſſet. Quibuſdam etiam nociuum humorem tranſmittunt, vt denique; ſine detrimento cæteris plantis propiùs admoueri non poſſint. Huius autem legis meminit Caius Iuriſconſultus, vt alias arbores, præter has duas, à confinio alieni fundi pedes duos longè abeſſe velit. Et idem eſſe in actione finium regundorum ſcribit. M. autem Tullius in ſuis Legibus, quas ad inſtar duodecim ſcripſit, ſimilem legem ſanxit. Vt cæteris arboribus pedes quinque ſeruarentur. Quædam verò huius ſanctionis veſtigia apud nonnullos illorum moribus remanſerunt, in quarundam arborum genere, Theodoſius etiam iunior (veluti in Codice Iuſtinianeo relatum eſt) Titulo de aquæductu, etiam ſanxit, ne quis ſulcum aquarum publicarum, vllis intra decem pedes arboribus coarctaret. Factum eſt Senatuſconſultum propter aquæductus, Prouidentibus Q. Ælio Tuberone, P. Fabio Maximo, propter V. F. aquarum, quæ in vrbem venirent: cùm itinera monumentis & ædificijs occuparentur, & arboribus confererentur. Huius verò in hanc formam de aquęductibus Iulius Frontinus meminit, Q. F. P. D. E. R. I. C. Cùm ad reficiendos riuos ſpecusq;, per quæ & opera publica corrumpuntur, placere circa fontes & fornices, & muros, vtraq; ex parte vacuos, centenos quinos denos pedes patere: & circa riuos, qui ſub terra eſſent, & ſpecus intra vrbem, & extra vrbem continentia ædificia, vtraq; parte quinos pedes relinqui: ita vt neq; monumentum in ijs locis, neque ædificium, poſt hoc tempus, ponere, neq; ſerere arbores liceret. Si quæ nunc eſſent arbores intra id ſpatium, extirparentur: præterquàm ſi villæ continentes, & incluſæ ædificijs eſſent. Si quis aduerſus ea commiſerit, in ſingulas res in dena millia damnas eſſet, quòd aduerſus hoc Senatuſc. commiſiſſet pars altera dimidia, in ærarium redigeretur. Deq; ea re iudicarent, cognoſcerentq; curatores aquarum. Arbores autem ſeri iuxta aquæductus, prohibitum antiquitùs fuit, non ſolùm ob iuſtam viarũ latitudinem, verùm etiam quòd nocumento ijs ſint. Nam radices inter lapides infigunt, vt concamerationes & lateres ſoluantur.

mm 3 Præſat

Præfatio libri vndecimi.

HOMERI *Mantuani, in hæc verba ſententia eſt. Inſere Daphni pyros: carpent tua poma nepotes. Quæ ſanè ad arborum inſitionem nos hortatur, non tam noſtri cauſa & vt ipſi ſoli arborum quas inſerimus fructus legamus, quàm & liberorum noſtrorum atque nepotum, vt futuræ noſtræ poſteritati proſpicere debeamus & illis pendere quæ maiores ſui ſibiipſis impenderunt, vt pro ipſis multas inſomnes noctes peregerint. Neque illorum exemplo ingrati eſſe debemus vt eadem liberis noſtris ac nepotibus impartiamur vt ſaltem arbores in locum demortuarum, quas parentes poſuerant reponamus, vt eadem bonitate & feracitate liberis transferamus. Nec enim agricola dubitare debet (vt prudenter in Synephebis ait Statius) quamuis ſenex, quærenti cui ſerat, reſpondere: dijs immortalibus. Qui non accipere tantũmodo à maioribus voluerunt, ſed etiam poſteris tradere. Ait etiam apud Ciceronem M. Cato. Qui dictis rebusq́ agendis, ſemper grauis fuit. Serunt (inquit) arbores, quæ alteri ſeculo proficiunt, vt in hac re, non tam præſentia tempora, quàm ætates futuras ſpectare debeamus. Vt ea partim iure noſtro vendicare debeamus, quæ à maioribus relicta ſunt. Nec enim frugi patremfamilias pigere minimè debebit, eas arbores ſerere, quarum fructus paucis etiam poſt annis deſumere poßit, & liberi atq́ nepotes per multos annos. Verumetiam huic rei, in quibuſdam, cauerunt Iuriſconſulti noſtri. Nam agri vſufructu legato, in locum demortuarum arborum vſufructuarius, alias ſubſtituere debet, vt voluit Paulus. Verùm & Caßij ſententia, Fructuarius arbores ſubſerere cogitur. Vlpianus etiam inter Iuriſconſultos magni & præcipui nominis inter impenſas neceſſarias, arborum curam, oliuetorum deiectorum inſtaurationem, & ſeminaria, annumerauit. Nónne & emphyteuſis, de qua paßim apud eos mentio, ab arboribus nomen deſumpſit? Nempè enim dicta eſt ab* ἐμφυτεύω *quod eſt inſero, ſiue planto.* φυτὸν *enim planta eſt. Quod agri tantum illi antiquitus, in eam conuentionem concederentur, qui inculti & ferè ſteriles eſſent, vti cura induſtriaq́ meliores fertilioresq́ redderentur, vndè* ἐμπονήματα, *id eſt, laboramenta dicerentur. Quòd non alias facilius, mino-*

riq́

riq; impenſa fieri, priſci exiſtimarunt, quàm ſi arbores ibi ſererentur. Nam & vt Vergilius ſubdit. Omnia fert ætas, vt quædam harum breui tempore fruitione ad id nos incitet, & hortetur. Nam paruo tempore creſcit arbor, vt nos ſuis fructibus alat, & ſuis ramis adumbret. Quod Horatius teſtatur,

Creſcit occulto, velut arbor æuo
Sub qua nunc recubas arbore virga fuit.

Et in hanc ſententiam Ouidius,

Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus vmbras,
  Quò poſita eſt, primùm tempore virga fuit.
Tunc poterat manibus ſumma tellure reuelli:
  Nunc ſtat in immenſum viribus aucta ſuis.

Sed iam ad ipſam inſitionem deueniamus, de qua ſolùm in hoc libro dicetur.

HORTORVM LIBER VNDECIMVS.

Inſitionis commendatio, & vtilitas, et de eius inuentione.

CAPVT I.

INſitionis non paruum præconium, magnaq; huius vtilitas, admirabilis deniq; ferè eius inuentio. Enimuero primùm ſuccis mitioribus pomiferarum arborum voluptatem cibis attulit: Blandos enim ſapores ſiue ab homine coniugio illæ didicere, vt in ea etiam arborum adulteria excogitata fuerint. Inſitione autem arbores miteſcunt, genuinam feritatem exuentes, ſyluestrem illam naturam in vrbanam commutantes, & vrbanam in pretioſius genus: vt è ſterilibus fructiferæ fiant: nutricis etiam officio fungentes, alienos fructus enutriendo, etiam inuitè Æquum enim eſt dicere arborum fructus primùm inſitione feritatem priſtinam depoſuiſſe, & huius rei vnum exemplum eſt apud Plinium Corelius eques Romanus, Atteſte genitus caſtaneam ſuomet ſurculo in Neapolitano agro inſeruit. Quæ ab ipſo poſteà nomen accepit, & inter laudatas habita. Poſtea eiuſdem hæres libertus coroliam inſeruit. Hæc autem inter eas fuit differentia, illa copioſior, hæc melior. Quod gloriatur Aſtacus paſtor Calphurnianus:

Non

Non minùs arte mea mutabilis induit arbos, & non genitalia poma
Ars mea nunc malo pyra temperat, & modò cogit
Inſita præcoquibus ſurrepere perſica pomis. Propertius:
Inſitor hic ſoluit pomoſa vota corona
Cùm pyrus inuito ſtipite mala tulit.

Inſitione enim arbores, ſicut iure ciuili homines in alienam familiam adoptione tranſeunt: vt hoc adoptionis vocabulum ſibi vendicarit Columella in carmine: *- Aut alieno ſtirpe grauata*
Multis adoptatis curuetur frugibus arbos.

Sed hæc omnia quidem minima exiſtimanda erunt, ſi vera ſunt, quæ de ea ſcribit Ouidius, vt illius exercitium contra amores remedium ſit, mirabilis & ſumma laude digna magnum eius oblectamentum, vt tam arduas affectiones extinguat. Sic enim de Amoris remedio ait:

Lib. 1. de reme. Amoru.

Venerit inſitio: fac ramum ramus adoptet,
Stetq́; peregrinus arbor operta comis.
Cultus & in primis ſurcos emendat acerbos
Fiſſaq́; adoptiuas accipit arbor opes.

Neq; prætereundum quòd ſicut in animalibus ex diuerſi generis connubio monſtra fiunt, ſic eadem ratione in connubio eſt. Quod & Palladius Rutilius intellexit,

Si velocis equæ pigro miſcetur aſello
Ardor vt in ſterilem res cadat acta gradum,
Fœcundumq́; genus productus deleat hæres,
Et ſi defectum copia prolis agat,
Cur non arbor inops pingueſcat ab hoſpite gemma:
Et decus externi floris adepta miſcet.

Peculiarem impudentiam, hanc tranſmutationem Plinius vocat: vt in ijs, quæ faciem parentis, ſuccum verò adoptionis exhibent, vt aliud genus inſitione factum ſit: vt in nucibus, prunis inſitis, quæ nucipruna ex vtroq; genere appellata ſunt, vt quæ illius tempeſtate, apud Bæticos pruna malis inſita, melina vocitari cœperunt, & amygdalis amygdalina. His enim in ligno intus, amygdalæ nucleus eſt. Nec eo aliud pomum ingenioſius germinatum eſt. Struteis autem cotonea inſita, ſuum genus fecere milnianum. Meſpilus etiam in malo inſita Græcè ἐπιμελὶς quaſi ἐπὶ τῆς μηλέας diminutiua forma. A malo etiam hæ appellationes ortæ ſunt, hypomelides, hamamelides, & omomelides. Vt aliud genus, præter illud, in quo inſitio facta eſt, denotare videtur. Athenienſes autem melimela vocabant mala, quæ in ſylueſtrem pyrum, cydoniúmve inſita erant, aut in platanum, in qua rubicunda euaderent. Diophanes pyra odorata in malis inſita de meliore nota commendabat, eaq; myrapilia vocabat, tanquam aliud genus eſſet. Citrus etiam in malo inſerebatur, vnde citromelus diceretur. Cydonium in perſico inſitum melocotoneum vocant, Hiſpani membrillum. Inſitionem primùm ab auibus contemplatam Theophraſtus ſcribit, vbi arboris fructum voraſſent, & poſteà in arborum cauernis egeſſiſſent: qui dein pluuia irrigatus, in ſuum genus enatus eſſet.

Aliter Plinius. Eam enim caſus magiſter ad hunc modum reperit: Sedulus agricola, caſam ſepis munimento cingens, quò minùs putreſcerent ſudes, limen ex hedera ſubdidit. At illæ viuaci morſu apprænenſæ, ſuam ex alieno fecere vitam, apparuitq; truncum eſſe pro terra. Alij Saturnum à ſatu dictum, quòd Italos ſurculorum inſitiones primus docuerit. Illud prætereà non prætereundum, inſerere fœcundius, & firmum magis eſſe, quàm ſerere.

De tempore inſitionis. CAP. II.

INSITIONIS autem tempus bifariàm conſiderari debet, anni ſcilicet & ſyderum. Primùm enim idem cum ſatione eſt, præterquàm inoculationis, aut emplaſtrationis. Nam veluti in arboribus illarum, & loci natura attendi debet, ita atq; in inſerendis. Calidis enim & apricis, menſe Ianuario, & Februario optimè fit. In quibus etiam nonnulli Nouembri & Decembri, & cætero à deſita germinatione: Verno tamen frequentius. Quod qui probant, ab æquinoctio ſtatim admittunt: vel cùm Fauonius flare incœperit. Hoc autem tempus vrget, germinaq; parturit, ſeſe incitantibus gemmis, ac mutua vtrinque coëundi cupiditas, faciliorq; tunc corticum complexus. Vna enim cum partu germinationeq; cortex quoque adnaſcitur, atq; obtegit. Tunc enim arbores omnes ſimul atq; gemmas agere cœperint, vtiliſſimè inſeruntur. Sed & hoc ex loci qualitate, arboriſq; natura, aut ſeriùs, aut tempeſtiuius. In qua re etiam ſedulò proſpiciendum erit, ſucci vel abundantia, vel raritas: vt quæ ſicciora ſunt, tardiùs, & econtrà maturiùs, præterquam in punica & ficu: quæ quanquàm aliâs ſicca ſint, recraſtinare minimè vtile. Quare extremo Martio, vel etiam Ianuario antequàm incipiat gummi collacrymari, prunus inſeritur. At alij (vt Palladius) non anteà inſerunt, quàm fluere deſierit: vt inſitio germinationem anteuertat, neceſſe ſit. Mala & pyra Plinius poſt ſolſtitium quinquaginta diebus inſeri, ex Catone præcipit. Oliuam circa æquinoctium vernum, vſq; ad Idus Apriles inſerunt. In ea verò oculi diutiſſimè parturiunt, minimumq; ſucci ſub cortice habent. Peculiaris à tempore quarundam arborum inſitio eſt, vt ſolas ceraſos Plinius poſt brumam inſerat: vt ſtatutum his & amygdalis anni illud tempus vbique ſit. Græci tamen Vere etiam. M. Varro ficulnas inſitiones ex verno tempore in æſtiuum ſolſtitium contulit. Ille pyrum florentem inſerit, ac vſque in Maium protendit. Emplaſtratio autem, vel inoculatio, Maio, vel Iulio; atq; etiam vltrà celebratur. Per omne enim germinationis tempus vſurpatur: & ſub Eteſiarum flatu (autore Plinio) minimè formidatur. Alij vernam magis probant, dum æquinoctium agitur, arboribus adhuc fœtu grauidis, & illo tempore meliùs in his arboribus, quæ magis gracili & ſitienti ſolo gaudent. Quæ autem vliginoſo, & pingui, potiùs Autumno. Multum inſuper proderit, ſigniferi orbis cognitio, & quæ ſigna inſerendi tempore luna peragret: vt optimè tunc inſitio peragatur, cùm illa Saturnum intuetur. Nam ex eo dicitur, quòd ſatui, & ſeminibus præeſſe in-

telligatur,& vis eius terrena ſit. Inoculationem etiam alij præferunt, quæ exoriente Arcturo ſolet fieri. Tunc enim inoculata protinus quaſi radicari, maioremq́; in modum poſſe coire affirmant. Aqua etiam inoculationi vehementiſſimè officit: putrefacit enim, & admiſſa facillimè deſtruit,ratione infirmitatis.Quamobrem, in Caniculæ ortu tutiſſima.Illud poſtremùm cuſtodiendum erit,vt luna plena,vel paulò antè vel pòſt, inſitio fiat. Hac etenim ratione arbor citius prouenit.

De calamo ſeligendo, & eius varia appellatione, & quemadmodum è longinquo tranſportentur. CAP. III.

CALAMVM (vt ad rem præſentem attinet) ramuſculum ex alia arbore,ad inſitionem depreſſum, vocitamus. Vergilius flagellum appellat: quòd, vt ait Seruius, hæ arborum ſummitates, ex quibus calami defringantur,ventorum crebros flatus ſuſtinent. Alij ſurculum vocant. Lucretius etiam ſtirpem,hoc carmine: *Unde etiam libitum,eſt ſtirpeis committere ramis.* Neoterici quidam communi & vulgari vocabulo graphum vocant: hac, vt arbitror,ratione, longè tamen, & à ſcriptura ſumpta denominatione. Nam quemadmodum calamis, præſertim alitum ſcribimus,ita graphum calamum inſitorium vocamus. Illud primùm atq; diligenter inſitor obſeruare debebit,vti è bona ac frugifera arbore ſurculos effringat,vt ex his generoſos & vberiores fructus decerpere deſyderet,æquè etiam veluti de parēte optimo frugi filios ſperamus.E feraci autem arbore, & quæ quotannis etiam ferat,aut quæ ſaltem illo anno parere ſperauerit, eligi debet. Hoc maximum ad plantæ fertilitatem pertinere ſperandum eſt, vt qui etiam hac ratione frugiferi ſint. Omni item opera elaborandum erit, vt laudatiſſimi ſint:quales erunt,ſi niteant,integriq́; ſint,& prægnantes,hoc eſt, germinatione,ſiue oculis turgentes: ante omnia gemmantes,recti,vt nil vlceroſum, vel retorridum in his ſit. Eiuſmodi verò meliùs coaleſcunt,expediumq́; alimenti meatum facilè præſtant,vt incrementa eius ſequi poſſint: contrà,retorridi,atq; nodis cæci,quaſi quadam calamitate, orbi ſunt. Biſurcos, aut etiam triſurcos Columella deſyderat. Quod parùm hodie attenditur. Anniculi enim deſumi volunt, aut qui duorum annorum ſint,ſi arbori vetuſtæ inſerendi ſunt:robuſtiores enim tunc eſſe debent. Qui verò anniculi ſunt, promptè excurrunt. Quod autem ex præcedenti anno eſt, ruſtici trunco demergunt. Craſſitudine digiti minimi,legi Columella præcipit:verùm id ex ratione trunci adoptantis fieri debet,ne ille parentem nimis potentiùs,vltra quàm deceat,laxet:aut hic robuſtior,debiliorem aduenam ſtrangulet.Ex altiori autem arboris parte colligi Maro negat,his verbis: *Néve flagella*

Summa pete, aut ſumma defringe ex arbore plantas

(Tantus amor terræ) nec ferro læde retuſo

Semina. Peti autem Columella, & Plinius ex arborum humeris volunt. Sed non arborum cuilibet id conuenit. Non enim omnibus plantis iiſdem partibus ſubeſt ſuccus. Ficis media ſicciora, & è ſumma

parte

parte conceptus: ideò illinc calami carpuntur. Oleis cacumina ſitiuut, circa medium ſuccus, vnde ſurculi ſumendi. Ex parte enim, quæ orientem æſtiuum ſpectat, decidi debent. Alij ex partibus Boream intuentibus. Omnino reijciendi, qui vmbris ramorum & plantarum continentur. Luna creſcente, Florentinus deſumi vult. Plinius verò religione ſeruari prodit, vt ſi luna creſcente deprimantur: idq; vtraq; manu fiat. Alioquin in hoc opere, duæ ſimul minùs nituntur, neceſſario temperamento. Lacrymantes autem calamos inſeri non oportet. Quamobrem M. Cato inclinari paululùm vt aqua defluat, non herculè magis quàm aridos: quia illo modo labat humore nimio cortex, hoc vitali defectu non comprehendit. Cauendum etiam ne nimia viriditate vireſcant. Quare decem diebus, aut pluribus, ante inſitionem in vaſe cooperto, & probè munito deponi debent, ne perflentur & tranſpirent. Alij ſub terra, in tegula diligenter occultatos obſeruant. Si verò longiùs efferantur: rapo infixi ſuccum optimè cuſtodiri exiſtimant. Seruariq; inter duos imbrices, iuxta riuos vel piſcinas, vtrinq; terra obſtructi.

Arborum aliquot genus inſitionem non recipere, etiam Romanorum religione: & quòd nonnullæ trunco inſerantur, non etiam inoculentur. CAP. IIII.

ADEO arbores quædam pertinaci odio inuicem diſſident, vt nedum in ſocietate, verùm etiam in inſitione, nulla ratione ſimul coire valeant. Non enim, inquit M. Varro, pyrum recipit quercus. Non enim, vt diuus Iacobus Apoſtolus ſcribit, ficus oleam, nec illa vitem gignit. Oleam inſitionem non accipere quidam arbitrati, quòd oleum plantis inimiciſſimum ſit: quod agriculturæ falſiſſimum. Pinus, cupreſſus, larix, alterius ſobolem non educant. Et, vt generaliùs dicam, quæ pingues, quæve picem & reſinam illacrymant. Nam hæ diffiſſo libro hiant, quaſi de proprio lare ſaniem contrahunt, oleoſumq; exudant liquorem, nitetq; circunquaque pinguedo. Quocirca cum alijs generibus miſceri recuſant, perinde quoq; atq; ipſum oleum. Inſitionem autem maximè impedit corticis diuerſa natura: vt cùm tenuis & exuccus eſt, quòd nec ſtabilem ſedem, nec vitalem alimoniam inſitis præbeat. Nam arboris corticem aduenam accepturæ, ſequacis eſſe ingenij oportet. Quæ enim duriori ligno ſunt, vt buxus, & huiuſmodi cæteræ, inſitionem non recipiũt, aut quæ leui ligno ſunt. Nam hæ, ſua tenuitate non ſtringunt: illæ ſua duritia ſtrangulant. Multi pyrum in malo non inſerebant. Qui aruſpices audiunt, à quibus proditum, ſingulis arboribus quot genera inſita ſunt, vno ictu tot fulmina in illud, quod fulmen concipit, fieri. Religione etiam antiquitus, in quibuſdam ſpeciatim generibus, aliquod inſitionis genus vetitum. Morum enim ramo inſeri, fulgurum religio prohibuit, vt ſcribit Plinius. Omnia autem inſita miſceri fas eſt. Citrus ſterilis erit, ſi inoculetur: fiſſo enim trunco tantùm inſeri debet. Cydonia meliùs in trunco quàm cortice: olea meliùs ſub cortice, Ceraſus meliùs in trunco: iuglans in trunco:

Ficus oculis & ſurculis. Et vt generaliùs dicam, Arbores omnes proſperiùs trunco, quàm inoculatione, ac cæteris inſitionum generibus, inſeruntur.

Inſitionem in ſuo quoq; genere fœliciùs prouenire.

CAP. V.

INSITIONEM, quæ in alio, quàm ſuo genere, fit, adulterium nonnulli vocarunt, verum autem coniugium, cùm in ſuo genere: non inepta à coniugibus tranſlatione, vt quæ vera ſocietas, verum matrimonium arborum ſit, cum inſitio in ſuo quoq; genere fit. Nam nulla alia conuenientior inſitio, quàm quæ in ſuo genere fit, vt pyrum in pyraſtro, prunum, malum, in ſylueſtri mitive inſeras: etiam vt Plinius ſcribat, Africæ illud peculiare quidem eſſe, in oleaſtro oleam inſerere, propter æternitatem. Adoptione enim, virga emiſſa, ſeneſcunt: atq; ita alia arbore ex eadem iuueneſcente, iterum atq; opus quoties eſt inſitione, vt ex eadem oliueta conſtent. Hoc modo inſitas oleas quidam cotinadas vocant. Hæc eſt enim illa plantarum, ſicut animantium omnium, etiam in inſitione cognatio. Nam germinationis floriſq; idem aut parum ex loci differentia, diſtans tempus, atq; ſuccorum ſocietas plurimum operatur. Si tamen in pyrum ſyluaticam pyrum inſerueris, tametſi non bonam, pyrum æquè nòn iucundum tamen erit, quàm ſi in eam, quæ non fuerit ſylueſtris generis. Hoc quippe obſeruandum apprimè erit, vt in quancunq; arborem eiuſdem generis inſerere volueris, adoptatus adoptante ſit generoſior. Alioquin verò inanis labor, ſuperuacuaq; diligentia. Quare Vergilius nos monet, ne oleæ ſylueſtris inſeramus ſurculos. Altero loco erit, vt qui arbores pauciores habet, aut plures habere nec velit vel poſſit, vti ex optimo, quàm poteſt, genere inſerat, vti ex paucarum pretioſitate, numerum reſarciat, & numerum augere videatur. Nam vt IESVS CHRISTVS etiam ait, Bona arbos, bonos, mala verò malos fructus feret. Facillimè enim coaleſcent, quibus eadem corticis natura, nec quæ diſsimilis ei eſt, cui inſeritur. Quippe lenta res erit, quotiens humidis repugnant ſicca, mollibus dura. Inueniuntur tamen nonnullæ, quæ alienos fœtus inſitione alant: de quibus ſequenti capite. Sed neq; eundem, ac ſimilem, ſicuti in matre eiuſdem generis ferunt: quin ſæpe aut colorem, aut ſaporem, magnitudinémve immutant, vt hac cauſa frequentiùs deteriores.

De inſitione in alia, quàm ſui generis, arbore. CAP. VI.

SVPEREST vti arbores, quæ alienos fœtus inſitione alunt, dicamus. Inter quas capaciſsimæ omnium erunt, autore Plinio, platanus, poſteà robur. Verùm vtraq; ſaporem corrumpunt. Apud autores autem legi platanum recipere perſicum, pyrum, citrum, ſed in eo rubeſcete, ceraſum, ficum & malum. Quod teſtatur Vergilius,

Georg. 2. *Et ſteriles platani malos geſſere valentes.*

Cotonea malus, & caprificus, quancunq; voles arborem ſuſcipient. Illa verò pyrum, maximè malum, meſpilum, tuberes. Claudius Appius in ea mala inſeruit, quæ ab eo poſteà Appiana cognominata: ſorbum etiam. In ea enim omnia elegantiora, maioraq́;, & minùs lapidoſa naſci arbitrantur. Mirum eſt, Palladium contrariæ fuiſſe opinionis ſuo carmine, & contra experientiam ipſam. Sic enim ait:

Cum præſtet cunctis ſe fulua cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hoſpitio.
Roboris externi librum aſpernata ſuperbit,
Scit tantum nullo creſcere poſſe decus.

Ficus in moro & vlmo, vt ait Palladius, ſed parturit magnæ infœlicitatis augmenta. Africanus ex Florentino prodit, oleam in vite inſitam non vuas modò, ſed & oliuas quoq; producere: ſubditq́; huiuſmodi viſam à Mario Maximo arborem: cuius cùm fructũ deguſtaſſet, negauit ſe quippiam vnquam comeſſe, quod magis oleam vuamq́; repræſentaret, tam huic vtriuſq; ſimul ſapor inhærebat: naſciq́; tales arbores in Libya, quæ gentili appellatione vbolima vocarentur. Plutarchus Chæroneus, in hortis Soclari, quos Cephiſus amnis ambiebat, dicit ſe ex lentiſco oleas pullulantes vidiſſe. Ceraſus non niſi in ſuo genere. Plinius tamen ſua tempeſtate minùs quinquénio, quo antè hæc faſſus eſt, Ceraſia prodijſſe ſcribit, quæ à lauro adoptante, laurea vocata ſint, quæ eſſent non ingratæ amaritudinis. Eiuſmodi autem è ſylueſtrium genere, in Gallia naſcuntur: vt amaritudinem, magnitudinem, necnon colorem baccarum lauri referant, vt nihilo ab his, præterquam ſucci abundantia, differant. Apud Gallos ex acidorum genere, in vlmo prope Gergouiam, iuxta Ligeris pontem inſitam vidi. In Lugdunenſi verò agro, in alno è dulcium genere. De fago, orno, quercuq́; ſic Vergilius:

Caſtaneæ fagos: ornusq́; incaluit albo Georg. 2.
Flore pyri, glandemq́; ſues fregere ſub vlmis.

Morum hoſpitem caſtanea, fagus, terebinthus, pyrus, vlmus, populus alba fouent: in hac verò inſita fructum album ferre aiunt. Nux iuglans, in pruno & in arbuto. Vergilius:

Inſeritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida.

Amygdala in Perſico. In pruno verò inſita, fructum degenerem atque paruum fert, ſicut & perſicus in eo inſita: ſed vt diuturniores ſint, in eo inſeruntur maximè amygdalæ amaræ. Nam in ſuo genere inſita parum durant. Perſicus in malis, vt ait Palladius, ſed degeneres reddit fructus: & in amygdalo. Quercus pyros ferre Plutarchus eſt autor. Hæc autem in amygdalo, punica, terebintho, vlmo, fraxino, maloq́;, & aronio pruno. Pyrus viciſſim malum admittit: & prunus, ſorbus, perſicus, aronia. In moro verò inſita, rubicundos fructus fert. Si verò citrum comprehenderit, toto anno pomiferam reddi pollicetur Didymus. Malus etiam laurum & myrtum & meſpilum. Meſpilus in pyro, malis omnibus, pruno, aronia. Meſpilus item myrtum ſuſcipit, & punica: illa verò hanc mutuò, qua ratione plura mala feret. In citrio etiam punica, & in ſalice, punica etiam vi-

ciſsim citrum fert,& morus. Verùm hæc fructus rubros feret,& ſalix. Citrus verò quoddam amygdali genus, quod florem rubicundum fert. Inter autores quidem nonnullos conuenit,laurum,ſorbum, & fraxinum,ſe hoſpitio viciſsim ac familiariter recipere, vt in hac ambæ inſerantur, & hæ illam recipiant. Caſtanea verò in iuglande, terebintho & robore inſeritur. In ſalice etiam,vt Palladius ait,vetùm tardiùs,atq; in ſapore aſpera. Piſtacia in terebintho & amygdalo,in ceraſo apud nos inſita à viro graui audiui,pruna in perſico. Mixæ,Plinij tempeſtate Romæ naſci cœpere, in ſorbis inſitæ: aſſeritq; ille in Calabria ſpinam eſſe, quæ optimè eas recipiat,& etiam tuberes. Meliùs inſeri in pruno ſcribit. Hæc ſunt, quæ de coitu diuerſi generis arborum, erga inſitionem ab autoribus prodita: quorum nonnulla experientia didici. Præter hæc pauca Rutilius Palladius in ſuo carmine de inſitione ad Paſiphilum addidit. Quæ ipſe ex induſtria præterij, non tam quòd lectorem multis in vnum coacervatis offendere dubitarem, quàm quòd eum elegantis carminis contextu priuarem,cuius autoritas, & lepos, ſi intercisè hîc inſererentur, diminueretur, pleraq; etiam ab vſu exoleta. Iam pridem verò ad culmen inſitionis peruentum, vt nec quicquam ampliùs excogitari valeat, vt nullum certè pomi nomen nouum nunc perquiratur,nec iam diu inuentum eſt.

De modo inſerendi, & inſitionum generibus. CAP. VII.

IANDVDVM inſitionis tempus demonſtrauimus, iampridem calamum ſelegimus, iamq; arborum hoſpitium notum. Reliquum eſt, vt de inſitionis forma differamus. Inſitionis autem genera antiqui tria tradiderunt.Primum, quod inter librum & lignum fietet. Alterum, quod in trunco fiſſo. Tertium, quod emplaſtrationem, ſeu inoculationem vocant.Sic enim quoſdam hæc duo poſtrema confundere reperio,quòd in vtroq; oculus inſit. Primum Græci encetriſmon, ſecundum emphylliſmon,aliud enophthalmiſmon. De quibus ſic Palladius:

Aut noua diſcreto finguntur germina libro:
Aut aliud ſummo robore fiſſa capit.
Aut virides oculos extremi gemma tumoris
Accipit, & lento ſtringitur vda ſinu.

Antiquiores enim primùm truncum findere timuerunt. Quare prima inſitio inter lignum & corticem fuit, vt etiam ex his, quæ de inſitione commentatus eſt M.Cato,facilè apparet, non alio modo, quàm inter librum & lignum, illa ætate homines ſerere ſolitos. Mox poſtea truncum findere auſi. De quibus ſpeciatim videndum, & quidem diligenter, atq; ſtudioſè. Quandoquidem præcipua plantarum dos ex inſitione ſit, vtpotè quæ etiam totius agricolationis doctiorem manum deſyderet. Primum omnium anteà videndum erit de plantæ inſerendæ ætate ac craſſitudine. Hæc autem ex æuo eſſe ſolet. Neq; vna eademq; circa quodq; inſitionis genus vti erga ſingula differre debeant. Quod autem inter lignum & materiem fit,in adultis & ſenioribus commodiùs, propter corticis

ticis firmitatem. Porrò teneræ,largam, ob libri tenuitatem, atq; hiatione nimia,ſeparationem ferre non poſſunt, areſcit etiam citius cortex, vt hæ ſimiliter emplaſtrationem tolerent. Ægræ autem emplaſtrum minùs complecti poſſunt. Robuſtiores autem trunci, fiſsionem non æquè faciunt,vt ſæpe teneram & debiliorem aduenam,hoſpitali duritie ſtrangulent. Quod ſi cauere velimus,ſæpius vltra,quàm opus ſit, finditur, vt parum hiſcere compellatur,quæ cingulo difficulter ſtringuntur. Teneræ autem plantæ,ligni fiſsionem patiuntur,vt in his defigi poſsit ſurculus æquè craſſus,verùm vnus tantùm. Inoculatio autem neq; nimis tenuem,neque craſsiorem deſyderat. Secundùm erit,vt qua potiſsimùm trunci parte inſeramus. Alij verò altè,ferè hominis longitudine,vel ſuprà: cæteri, quod magis probant,ſtatim qua terræ proximum, ſi trunci ratio patiatur. Hac enim cauſa truncus ad inſitum citiùs,fuſiusq; alimentum transfert. Nam cortex, & lignum beneficio ſoli adhærentis humeſcit. Fructus inſuper generoſiores fore aiunt,quòd adoptantis ſuccus,latiùs euagando, ſurculi naturam inficiat,& ſuo natiuo humore imbuat,& adulteretur,ac ſi valentior longo tractu efficiatur. Planta inſuper ſimilis craſsitudinis erit. Nam ſi altiùs truncus inſeratur, natiuam craſsitudinem non mutabit: vt ſtipes à loco inſitionis differens ſit, inferiore parte, vel contrà ſuperiore, ex natura trunci & inſiti tenuiore exiſtente. Quod è longiquo conſpici poteſt. Parum alij alia commoditate curant,quòd inſitum altitudine ſe ab animalium iniuria tueatur,nec palo per aliquod tempus indigeat,quodq; etiam breuiori tempore,puta triennio, aut quadriennio, vmbra, quandoque fructu inſitorem & dominum tegat,ac delectet. Quod Neuſtrij, apud Gallos faciunt. Verùm iſtud non niſi in truncis ſatis amplis,vt inſitum ſuo robore ſuſtentare poſsit. Purganda ſanè omni ſobole planta inſerenda erit, ſerraq;, vbi conſtitutum ſit, recidenda, verùm ea parte, qua maximè nitidá,& ſine cicatrice erit. Dandaq; erit opera, ne liber lædatur. Plaga dein falce,aut cultello leuigatur. Poſteà cuneum faſtigiatum, & tenuem, buxeum,vel oſſeum, Palladius leoninum deſyderat. Quidam ferreo vtuntur, ſed minùs aptè, propter ferri rubiginem. Inter corticem & lignum non ampliùs tribus digitis demittito. (Hæc enim,vti iam dictum, prima inſitio fuit) verùm conſideratè, ne corticem vel rumpas,vel lædas. Deinde ſurculum exacuito ex vna tantùm parte,ſicuti voluit Columella. Alij ex vtraq;,ne tamen medulla denudetur. Quidam ex vno latere raſuram ita deducunt,vt medullam contingat,altero paulò vltra corticem. In ſpeciem cunei figuratur, vt ab ima parte acutus ſit. Vbi verò paratos calamos habueris,cuneum vellito, ſtatimq; hos in hæc, quæ cuneo adacto feceris,foramina,demergito,eo videlicet fine,quo calamos adraſeris, inter librum autem & lignum vel ſenos aut plures poſteà adiecerunt,mortalitati eorum ex numero perſuaſi. Nec ampliùs ſemipede ſuprà de arbore extare debent. Plaga luto,vt in alia inſitione dicetur,tegenda. Poſteà medio trunco inforare auſi, ipſiq; medullæ calamum imprimebant, vnum tantùm inſerentes. Neq; enim ſubtilior medulla, plures capere poterat. Locus priùs tenui fiſtula detegebatur. Terebra enim poſteà Gallica per

medullam

medullam in arborem infigebatur, vt plaga interiùs leuiter aperiretur, eductoq́; omni ſcobe calamum inſtar impreſſi foraminis arctè imprimunt, ſuccidum atq; humectum, vt foris gemmæ duæ, pluréſve extent. Hoc tertium genus Columella dicebat.

De inſitione in trunco fiſſo. CAP. VIII.

NIHIL vnquam priùs inuentum fuit, quin poſteà ad inuentionis vtilitatem & augmentum, aliquid non ſit additum, vt hac ratione artes omnes, diſciplinæ omnes, magnũ incrementum, magnum præconium, ingentem gloriam adeptæ ſint, vti circa eas ediſcendas, & amplectendas crebrum exercitium, & continuum ſtudium, perſpicax ingenium neceſſe ſit. Nec tam prætereà vile artificium, cui nonnihil ad eius auctionem & ſcientiam addi non potuerit, & in dies adijciatur: tam ſolers hominis ingenium èſt. Quod in inſitione fuit. Nàm, vt iam dictum eſt, antiqui truncum findere timuerunt, quod poſteà ſequaces, audaci ingenio, fecerunt. Exſeccatus enim, ac præparatus, vt ſuprà, truncus per medium, falce aut ſcalpello acuto permodicè findi debet: idq́; in loco nitidiori, & vt fiſſura minimè obliqua, nec tranſlucens: dein cuneo fiſſura laxari, nec minùs digitos tres deſcendere. Præcauendum nanq; ſtudioſè ne nimium hiſcat. Quod pertimeſcentes quidam, truncum priùs vinculo ſtrictius illigant, ne cùm ſcalpro iter ſurculo factum ſit, plus iuſtò hiet, & laxè calamum accipiat. Cauendum etiam, vt parum exprimat, vel minùs compreſſum enecet. Hac etenim cauſa, vt plurimùm inſitum periclitatur. Ideoq́; ex trunci craſſitudine ſurculus ſeligi debet, aut vnicus, vt aptius diducatur, defigi: tunc alterius laxitate minimè læditur. Quod etiam in tenuioribus ſtirpibus obſeruandum erit. Inter duos calamos cuneum ligneum demergunt, qui arctiorem ſtrictionem cohibeat. Quoſdam verò magis delectat, in arboris trunco; locum ſeminibus ſerra facere, atque ſectas partes tenui ſcapello leuare, &, vt dicetur, ſurculos aptare. Quod tutiſſimum in craſſioribus ſtirpibus erit, ſi malimus hoc modo, quàm inter corticem & lignum inſerere. Pòſt enim ſurculus ex vtraque parte leniter, ne liber conuellatur, cuſpidatim præcidi debet, ſed vt integra remaneat medulla, & demitti, ſic, vt librum ſeminis libro arboris æqualem facias. Spei enim multum fauet calami & trunci corticum inuicem commiſſura. Tunc verò cùm diligenter ſurculos compoſueris, cuneum eximito, vt depoſitus ſurculus, redeunte in plagam materie, poſſit ſtringi. Validius enim demiſſi tardiùs ferunt, fortiùs tamen durant. Vſq; ad ſuum corticem deprimi debent. Cauendum erit, ne dum merguntur, laxetur liber, néve in rugas replicetur. Inuerſi autem, vt breuior altitudo arboris ſit, inſeruntur. Amplior tunc latitudo arboris erit, ramis in latum hac cauſa magis ſeſe effundentibus. Multi inſitum deſuper quallo vel fictili vaſculo, terra ſubacta, cum ſtercore repletis muniunt. In citro Palladius præcipit. Cæraſi præter librum lanuginem habent: quæ ſi compræhenderit, inſitum putrefacit. Refert autem Palladius ſibi diligentem agricolã aſſe-

ruiſſe,

ruiſſe, omne inſitum ſine dubio comprehendi, ſi demiſſis ſurculis, viſcũ non temperatum in ipſa plaga pariter immittatur, quaſi glutino quodam ſuccos vtriuſq; materiæ miſturum. Alij tritum ſaccarum, aut cinnamomum, aliámve bene redolentem ſpeciem in fiſſuram refundunt, aut etiam immergendam ſurculi partem melle, alióve dulci liquore madefaciunt, & imbuunt. Dein vndiq; inſiti rimas, cera diligenter obturant. Hac cauſa exiſtimantes arboris fructus odoriferos, dulcesq; ſuccos ſapere poſſe, vt fructibus nonnullis hoc modo inſinuatus odor ſit præſtantiſsimus, vt pyris muſcatellis, & alijs. Sic enim compactis ſurculis argillam circa arborem adaggerunt, & muſco operiunt. M. Cato argillæ vel cretæ fimum bibulum, & arenæ paululum admiſceri, vnaq; quàm maximè denſari, vt lutum fiat, præcipit, atq; illo ſtirpem digitos craſſos tres circunlini. Deinde lingua bubula (herbæ genus eſt) inſuper obtegi, eamq; ſtramentis coopertam, ne cadat, illigari. Hac autem ratione, ne aqua ad librum permeare poſſit néuve etiam gelu noceat. Multi ſolùm argilla librum, plagamq; parum vltra fiſſuram. Superadditur muſcus vel ſtramen. Dein arborum corticibus in faſcias prætenues ductis, totum inſitum complectuntur, quas ſalice Græca alióve ſciſſa inferiùs circunligant, ingenioſè quidem: ne ſurculos argillamq; ſuâ ſede deturbent. Quod ſupereſt, à fine cinguli amputant. Neuſtri verò acerato luto inſitum tantum circunfarciunt, quod abundè ſatis (autore Plinio) eſt: atq; id commodiùs, vt aranei moleſtias deuitent: nam ſub cortice, quò aduerſus imbres, & frigora ſeſe tueatur, luſtra, & latibula conſtituit. Lues quidem non minima inſiti: Nempe germinantes gemmas & coliculos teneros perrodit, vt creſcere non permittat, ſæpe etiam perimat, niſi plurimis gemmis pabulum ſuperabundauerit. Plures virgulas prætenues in altum erectas inſitum muniunt aduerſus aues, ne illic inſideant, ac ſurculos infringant. Multi iunipero ad eaſdem moleſtias circunſepiunt, quæ ſpinarum congerie ſedes volucribus prohibet. Iunco ad ligaturam Columella vtitur: Nam vimen, cùm inaruit, penetrat, & inſecat. Molliora vincula probat. Puſilla arbos hoc modo vtiliter inſeritur: Eam imam abſcindito, ita vt ſeſquipede è terra ſolùm extet: deinde terram circa arborem adaggerato vſq; ad ipſum inſitum. Ea verò res à vento, & calore maximè tuebitur. De hac autem inſitione his Vergilius:

Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & altè Georg. 2.
Finditur, in ſolidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus: & ingens
Exijt ad cœlum ramis fœlicibus arbos:
Miraturq́; nouas frondes, & non ſua poma.

De cæteris inſitionis generibus. CAP. IX.

LVCIVS Moderatus Columella, vnus omnium, qui de re ruſtica apud Latinos ſcripſere, & doctiſsimus, atq; eloquentiſsimus: quod nemo, qui eius de ea re monimenta perlegerit, inficias ibit: ingenioſiſsimus item agricola, vt ex eius ſcriptis manifeſtò clarum

eſt. Is autem inſitionis nouum genus adinuenit, ſpecimen quoddam exercitij ſuæ, quam doceret, doctrinæ, quo maximè inſociabiles arborum naturæ ſimul copularentur, vt genus vnum ſurculi omni arborum generi inſeri poſſet. Quod nemo ante eum inuenit. Quod Plinius multæ lectionis, ſi quis alius, tam apud Græcos, quàm apud nos autor fuit, apud alium ſe minimè legiſſe ingenuè faſſus eſt: & vno exemplo, fici ſcilicet, & oleæ ille contentus. Nempe iuxta oleam ficum ſeri iubet, non ampliore interuallo, quàm ab olea contingi largè poſſit: & vt robuſta, nitidaq; fiat, cura adhiberi debet. Eumq; interim ramum, quem inſerere volunt, omni tempore, curuandi meditatione edomant. Poſteaquàm enim ficus vires adepta eſt (quod ferè euenire ſolet, cùm trima fuerit) illam detruncant, finduntq; (ſicut de inſitione dictum eſt) & ramum oleæ, qui videtur nitidiſſimus, deflectunt, & ad crus arboris ficulneæ ligant. Adraſo enim oleæ cacumine, ſicuti matri adhæret, ad inſtar ſurculi in fici inſerunt fiſſura. Ramulos colligant, ne qua vi reuellantur. Ita quodam propaginum atq; inſitorum, communi inter duas matres temperamento, triennio coaleſcunt: quarto verò anno abſciſſum totum adoptantis eſt. Similis enim inſitionis M. Varro meminit, in propinquis arboribus animaduerſam, vt ex arbore, à qua quis ſurculum habere vult, in eam, quam inſerere velit, ramulum traducat, & in eius ramo præciſo ac diffiſſo implicet, eo modo quo ſuprà dictum eſt. Palladius item alterius inſitionis meminit, quam ab Hiſpano ipſe didicit. Hic in perſico expertus fuerat. Salicis ramum brachij craſſitudine ſolidum, longum verò cubitis haud *amplius* duobus, in medio terebrant: perſicum omnibus ramis, *dempto capite*, ſpoliari, quod per foramen ſalicis induci, & ipſum ramum in arcus ſimilitudinem curuatum vtroq; capite terræ defigi. Foramen autem, quod manubrij amplitudine eſſe oportet, luto, muſco & vinculo ſtringi: vt poſt annum, quando perſici caput ſic ſalicis medullæ adhæſerit, vt ſint duo corpora permiſta, planta ſubter incidi debet, atq; transferri, & ita aggerari terra, vt arcuatum ſalicis ramum & perſici cacumen operiat. Hac cauſa pomum ſine oſſibus naſci ſcribit. Verùm hoc non niſi in locis perhumidis, vel irriguis, ex ſalicis natura. Quòd ſi locus eius qualitatis minimè ſit, aquationibus adiuuandus, vt lignum vigeat. Aliam inſitionem recentiores memorant: Salignam perticam abſcindunt, & ſubtili terebra perforant, ea craſſitudine, qua ſurculum foramen implere volunt: pluribus foraminibus ſemipede inuicem diſtantibus. Nonnulli vſque ad cor, alij vltra, & ſic ſurculos, ea tantùm parte, quam obruturi ſunt, abradunt, & foraminibus infigunt, & luto muniunt. Perticam poſteà loco æquo ſo, ſupereminentibus ſurculis defodiunt, alij partem ſupereminere volunt. Poſt annum perticam cum ſingulis ſurculis ſuccidunt, & ſingulis ſcrobibus locant. Hæc periculoſa, propter ſiccitates: quæ ſi aduenerint, debet continuò irrigari. De nonnullis inſitionis generibus Pallad. in ſuo carmine:

Nam quæcunq; virens alienis frondibus arbos
Comitur, his diſcit credita ferre modis:
Aut noua diſcreto finguntur germina libro,

Aut aliud ſummo robore fiſſa capit,
Aut virides oculos extremi gemma tumoris
Accipit: & lento ſtringitur vda ſinu.

Et cætera, quæ apud autorem videre poteris.

De inoculatione & emplaſtratione. CAP. X.

INOCVLATIONEM à Vergilio incipiemus. De qua ſic:
Nec modus inſerere, atq; oculos imponere, ſimplex. Georg. 2.
Nam quà ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, vdoq; docent inoleſcere libro.

Arborem autem, quam inoculaturus es, primùm ab omni ſobole & coma purgabis, relictis tantùm perfectioribus, & adultioribus ramis, quos inoculaturus es. Dein fiſtulam in arbore, ex qua ſemen deſyderas, & in qua oculus inſit, exciſo cortice aperias, eamq; in ramo alterius arboris delibrato includas. Quem verò eiuſdem craſsitudinis cum ramo, ex quo ſublata fiſtula fuerit, eſſe oportet, ne nimis laxè, ſed conuenienter aduenam ſuſcipiat, ne humor exhaletur, quæraſq; ſinum in nodo gemmæ expulſi corticis, in quo debeat includi. In ficis autem & malis hæc fuit antiqua inoculatio. Ex ipſa autem inoculatione nata emplaſtratio videri poteſt. Emplaſtraturæ autem arboris rami omnes amputandi, ne ſuccum auocent. In parte verò nitidiſsima, quaq; etiam præcipua cernatur hilaritas, ſcutellam, ſeu mauis dicere emplaſtrum, à quo emplaſtratio, acutiſsimo ſcalpello, ſubtiliter, ne gemma lædatur ex alia arbore, ac ramis nouellis atq; item feracibus, eximimus, ita ne deſcendat vltrà ferrum, vbi gemma eminens, & bene apparens, atque in medio conſtituta ſit. Lata enim eſſe debet, æqualiter duobus digitis. Cortex etiam adoptantis arboris in loco nitido ac vberi, quatuor digitorum longitudine, & trium latitudine excidi debet, atq; ita coagmentari, & intritus ſtringi. Scutella verò ſic imprimitur, vt par cum ſui germinis mamma, ſic compage cicatrici denſata, vt non ſuperſit locus, ac vt ſtatim vnitas fiat, neq; humorem, neq; afflatum vllum recipiens. Nihilominus tamen & luto atque vinculo munire melius, vt tamen libera gemma relinquatur. Palladius autem exactis vno & viginti diebus, vinculo exolui vult. Corticem autem gemmæ adoptatæ Plinius ſcutellam vocat, quæ vox ſcuti vocis diminutiua eſt, ad cuius formam ſcinditur, vnde ſic nominata. In cuius effigie Galli magnatum & nobilium inſignia depingunt, ecuſſonum vulgò vocantes. Quare ij emplaſtrationem vulgò ecuſſonum vocant. Emplaſtrationem L. Columella mira eloquentia deſcripſit, vt eius verba hîc transferre poſt meam deſcriptionem non veritus ſim, lectori quoque rem gratam me facturum exiſtimans. Hæc enim ſunt: Ex arbore, de qua inſerere voles, nouellos ramos, & nitidos eligito: in iiſdemq; obſeruato gemmam, quæ bene apparebit, certamq; ſpem germinis habebit. Eam duobus digitis quadratis circunſignato; vt gemma media ſit, & ita acuto ſcalpello circuncidito,

delibratoq; diligenrer, ne gemmam lędas: Poſteà item alterius arboris, quam emplaſtraturus es, nitidiſsimum ramum eligito: & eiuſdem ſpatij corticem circuncidito, & materiam delibrato: Deinde in eam partem, quam nudaueris, præparatum emplaſtrum aptato ita, vt alteri delibratæ parti conueniat. Vbi ita hæc feceris, circa gemmam bene alligato, cauetoq; ne lædas ipſum germen. Deinde commiſſuras & vincula luto oblinito, ſpatio relicto, vt gemma libera vinculo, ne vrgeatur. Arboris autem inſitæ ſobolem & ramos ſuperiores præcidito, ne quid ſit, quo poſsit ſuccus euocari, aut ne cui magis, quàm inſito, ſeruiat. Poſt XXI. diem ſoluito emplaſtrum. Tot modis enim inſitam arborem iuxta Tiburtes tiliam Plinius vidiſſe teſtatur, omni arborum genere onuſtam: Alio ramo nucibus, alio baccis. Aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus: verùm huic breuis vita fuit. Nec enim naturam (vt ille inquit) omnem experimentis aſſequi poſſumus: ſed nec vno modo pluribus ac diuerſis ſolam arborem onerare vtiliſsimum. Quod periculo mihi pluries compertum. Fertiliſsima omnium inoculatio, deinde emplaſtratio. Vtraq; tamē infirmiſſima, vt quæ cortice tantùm innitatur, vel etiam leui aura ocyſſimè deplantentur. Neque inſitionis genus, cùm ſit vtiliſſimum, omni arborum generi idoneum eſt: ſed ferè recipiunt talem inſitionem, quæ humidum, ſuccoſum, pinguem & validum librum habent: ſicut ficus, olea. Nam plurimum lactis ficus fundit, & craſſum ambæ corticem habent. Emplaſtrationem non recipiunt, quibus caducus, rimoſusq; cortex eſt. Optimè autem omne perſicorum, prunorum, amygdalorum genus, emplaſtratur, & hæ arbores, quorum fructus os egregium includunt. Allobroges caſtaneam tantùm inoculant, cæteras inſitiones non poſſe compræhendere aſſeuerantes. Roſam verò mali cortici inſitam, eodem, quo malus, tempore ſuos flores edere autor eſt Florentinus. Quæ autem natura minùs ſunt mollia, vas aliquod ſuperligant, vnde aqua guttatim in hos inſtillet, ne prius exareſcat ſurculus, quàm coaleſcat. Quod alioqui in huiuſmodi arboribus, quæ naturâ ſiccæ ſunt, per quatuor quinqueve menſium ſpatia, inſitū rigari oportere exiſtimauere.

Præſat

Præfatio libri duodecimi.

PArvm certè, imò nihil tantam diligentiam in ſerendis atq; inſerendis arboribus adhibuiſſe, ni poſtmodum cultura ad natiuum & genuinum genium conſeruarentur, ne etiam ſterileſcere, ſitire, fameſcere, frigeſcere, languere, & , quod deterius & crudelius, à prole ſubſocari, deniq, ab animalium varijs iniurijs affligi, deniq, & ante tempus emori. Vti erga ipſas tantum laborem quantū prudens paterfamilias circa liberos ſuos impendere debeamus, ne etiam tam diligens & ſolers noſtrum præteritum ingenium, ac impenſa immenſa, nimia negligentia & incuria euaneſceret, ac prorſus interiret. Quæ qualiſve eſſe debeat, infra hoc ſequenti libro oſtendetur. Quod Ouidius Naſo in ſua Metamorphoſi atq; libro decimo quarto, ſub Pomonæ nymphæ deſcriptione paucis declarauit, & quidem appoſitè, & nonnulla quæ ſupra iam diſcita. Nam & hæc hortos diu, & non ſegniter coluerat, vti propterea à pomorū nomine, appellationem ſumpſerit. Sic enim de ea ille ait,

Rege ſub hoc Pomona fuit, quà nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit ſolertius hortos,
Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus,
Vndè tenet nomen. Non ſyluas illa, nec amnes.
Rus amat, & ramos fœlicia poma ferentes,
Nec iaculo grauis eſt: ſed adunca dextera falce:
Quæ modò luxuriem premit, & ſpatiantia paſsim
Brachia compeſcit fiſſa modò cortice, lignum
Inſerit: & ſulcos alieno præſtat alumno.
Nec ſentire ſitim patitur, bibulæq; recuruas
Radicis fibras, labentibus irrigat vndis,
Hic amor, hic ſtudium. Veneris quoq; nulla cupido eſt,
Vim tamen aggreſtium metuens, pomaria claudit:
Intus & acceſſus prohibet.-

Quæ verò inferius atq, hoc libro trademus, ſcire lectorem velim, ad eius nymphæ Ouidiani elogij interpretationem tantùm pertinere, vt à me diffuſius exarata ſunt, vt arborum aggricultura commendatior nunc eſſet, quæ penè ſupra ætatem noſtram pro derelicto habita ſit.

HORTORVM LIBER DVODECIMVS.

Culturæ vtilitas, & quàm ſit arboribus neceſſaria: & de C. Furio Creſino, & quare leones duo currum Cybeles per aërem trahere fingantur. CAPVT I.

CVLTVRAM autem quaſi naturæ partionem alteram, & perneceſſariam nemo eſt inter rei agreſtis experientes qui non apprimè laudauerit. Huius verò negligentia ager omnis, qui alioqui natura ipſa fœcundus, & amœnus, in ſentes, inq; dumos degenerabit, ſentibus, ſpinis, herbisq; inutilibus, tanquam ab inimicis vincetur, viſu deniq; horridus, ac ſquallens, vt Deus optimus Maximus hominem fructus terræ, ſine labore, ſine ſudore, colligere non ſinat. Sic enim Flaccus:

Neglectis vrenda filix innaſcitur agris.

Solum omne incuria ſterile & infœcundum fit: vim enim ſuam per ſeſe tellus experiri non poteſt. Labore autem ſemper vberior, nitidiorq; fit, vt plus cultor, quàm ipſa ſoli feracitas per ſe, efficiat. Nempe induſtria & ſtudium naturalibus facultatibus magno præſidio eſſe ſolent: quæ & auxiliantur, efficiuntq; quò perfectiùs ſuum officium exequatur. Quòd narratione quadam exprimitur: Agricola olim quidam fuit non ſuæ artis expers. Acerbè enim ægrotans, & vitæ ſuæ finem propè adeſſe ſentiens, filios ad ſe ſuos auocat. Quos vt ad culturam exhortaretur, ſic allocutus eſt: iam cernitis, ô filij, quàm properè ex hoc ſeculo migrandum mihi ſit, vnum tamen me moleſtè angit, quod tamen vos monere volo. Vereor ne id quod in vinea defodi, vſui veſtro non ſit. Quod non ita, ni per vos ſit, erit. Quamobrem quærite & inuenietis. Illi autem ſe theſaurum inuenturos exiſtimantes, aſſumptis ligonibus, marris, ac bidentibus, omnem vineam repaſtinarunt. Et quod in Græco adagio eſt, peregerunt: πάντα λίθον κινῶ. Nec quicquã inuenerunt. Sed circunfoſſæ & ablaqueatæ vites, fructus ſolitò longè vberiores dederũt. Hic fuit in cultura theſaurus. Verùm è parabola ad hiſtoriam tranſeamus, & huius rei vnũ antiquitatis exemplum è Plinio afferamus. C. Furius Creſinus, è ſeruitute liberatus, quum in paruo agello admodũ largiores multò fructus quàm ex ampliſsimis vicinitas colligeret, in inuidia magna fuit, ceu fruges veneficijs & incãtãtionibus alienas pelliceret. Quare ei à SP. Albino curuli dies di-

cta eſt: & quum in ſuffragium ire oporteret, metuens damnationem, non in dicendi arte, neq; in verborum ſplendore, & orationis dignitate abſolutionis & proprium iuris ſubſidium poſuit, verùm in ſuo omni inſtrumento ruſtico. Quod in forum attulit, duxitq; filiam bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregiè fabrefacta, ponderoſos vomeres, graues ligones, boues benè ſaturos. Poſtea dixit: Veneficia mea hæc ſunt, Quirites. In forum autem lucubrationes, vigiliasq;, ac ſudores non poſſum vobis oſtendere, nec afferre. Itaq; omnium ſententijs abſolutus eſt, qui ſua diligentia iudicibus patefecit, quantum ager ab agro, labore & ingenio differat: & quemadmodum, ſolum, qui natura fertile eſt, cultura & induſtria longè fœcundior fiat. Nihil enim tam rude, atq; incultum eſt, quod non improbo, vt ait Vergilius, labore vincatur, & ad honeſtiorem, ſuauioremq; vſum ſubigatur, ac dometur, vt in eo nonnihil fœlicitatis etiam inuitè exprimatur: & ille nos aruis poſſe imperare dixit:

Exercetq́ frequens tellurem, atq; imperat aruis. Georg. lib. 1.

Studium enim cum labore loci naturam immutat: Quod ſignificare voluerunt Græci poetæ, Cybeles terræ deæ currum per aëra duos leones ab ea manſuefactos trahere fingentes. De qua ſic Lucretius:

Hanc veteres Graiûm docti cecinere poetæ Lucret. lib. 2.
Sedibus in curru biiugos agitare leones, &c.

Nam, vt ait M. Varro, nulla terra adeò immitis eſt, quæ non poſſit cultura, ac induſtria domari, non aliter quàm leones inter animalia ipſa ferociſſimi, manſuefiunt, Cybelæ ſubditi. Nam iuxta commune prouerbium, Cura poteſt omnia. Et Sophocles in Electra πόνου τοὶ χωρὶς οὐδὲν κέκληται. Neq; enim poſſumus (vt eſt in communi prouerbio) citra arationem, citraq; ſementem, tot, tantisq; agriculturæ munijs frui. Illud præterea è noſtris Iuriſconſultis addere libet, atq; ex vno Calliſtrato. Vt enim ſicuti diligenti cultura pretia prædiorum ampliantur, ita ſi negligentiùs habita ſint, minui ea neceſſe eſt. Proinde optimus & ſolers agricola, arando, expurgandoq;, naturæ plurimum confert. Etenim vertendo terram, expurgatisq; noxijs herbis, & terræ ipſius perdomitis vitijs, frugiferam reddit, vt non ſolùm vberiores, ſed & pleniores fœtus proueniant. Quippe etiam agitatum & ſubactum ſolum generoſiores fructus producere ſolet. Nam & ſapores immutat. Igitur Natura ſibijpſi non ſatis eſt, verùm per exercitium plurima acquirit, & aſſumit, ceu copiam alimenti, quod etiam melius præbet, pinguedinemq;, denique omnium rerum impedientium exterminationem, vti ex labore noſtro cum terra habeamus rationem, quæ reddit quod accipit: ſed alias vel minore, vel maiore fœnore, iuxta impenſæ magnitudinem. Verùm ſi erga hæc omnia, quæ terra producit, cultus neceſſarius ſit, apprimè verò circa arbores: vt tamen ſimplicior, quàm vinearum: quod norunt, & ſciunt ipſi hortorum cultores. Nanq; ſi arbores ipſæ neglectui dentur, tortæ pullulabunt, ſcabræ, ac deformes, nullo caudicis ſplendore, nullo ramorum ordine conſpicientur. Abſq; enim cultura ſterileſcunt, atq; exuta miti natura, ſylueſtrem nonnunquam induunt: quandoq; in alterius genus meabunt, & ante ætatis

legitimum

legitimum tempus emorientur. Quare Plinius illam inter remedia ad arborum morbos poſuit. Qua ſi carebunt, minimè valentes, ac fructiferas habere poſſumus. Et has ſic derelictui habere cenſorium erat. Itaque occando, ac ſtolones remouendo, efficimus vt paruo tempore augeſcant, & fructum ferant. Vt beneficium aliquod illis impendere videamus, quum vel ſitientes irrigamus, vel fameſcentes paſcimus, veluti hoc patrocinio gratiam par pari nobis referendo pretioſiores atq; maiores fructus largiantur, vt quæ anteà ſteriles negligentia erant, è ſylueſtri in vrbanum habitum tranſeant. Sæpe etiam ſapores & odores in melius commutant. Quod eleganter nobis teſtatur Lucretius:

Lucret. lib. 1. *Poſtremò quoniam incultis præſtare videmus*
Culta loca, & manibus meliores reddere fœtus.

Deniq; terræ cultu quod maximum ad diuturnitatem erit, validiores radices erunt. Politiones antiqui, Nonio Marcello autore, agrorum cultus diligentes vocabant: & illi bene cultos campos politos dicebant. Ennius in quarto Satyrarum: Teſtes læti campi, quos gerit Africa terra politos. Idem in nono Annalium: Raſtros dente carpſit cauſa agri poliendi. Sicuti enim in cæteris rebus polita dicimus omnia exactè culta, & ad nitorem deducta, ita campos diligenter elaboratos, politos. Plantarum autem culturam primus inuenit Eumolpus Athenienſis.

Artem & ingenium, naturam adiuuare & immutare, & de huius ſeculi negligentia. CAP. II.

SEQVITVR Naturam ars ipſa, & induſtria quæ ipſius Naturæ præitrix, & penè magiſtra eſt, veluti hæc ſæpe induſtriæ cedat,

His fauit (inquit Papinius) *Natura locis, hic victa colenti*
Ceßit, & ignotos docilis manſueuit in vſus.

Quod ſi in aliqua agriculturæ parte, maximè circa arbores ipſas euenit, quarum plures humanis ingenijs veriùs fiunt, quàm naſcantur. Hinc variæ inſitiones, hinc propagationes, hinc plantarum monſtra, & adulteria. Illæ artificio citra mare, atq; è longinquo apud exteros nauigarunt, & in alieno ſolo domicilia conquiſitis nouis ſedibus partim induſtria, partim ſponte ac beneuolentia poſuere. Quid autem eſt, quod ab homine diligentia, aut cura, effici non poſſit? Sed quoniam non ex aëris flatúsve ratione, ſoli, alimentiq;, & aliarum rerum, non vbiq; omnibus arboribus opitulantur. Igitur his ex ingenio atq; induſtria ſuccurrendum, atque multa excogitare & experiri, quæ anteà ignota erant. Quod pluribus bene ſucceſſiſſe, quandoq; etiam extra ſpem, compertum eſt. Grauioris enim cœli multa remedia antiqui tradidere, quibus mitigetur: vt etiam cœlum terræ parere cogamus: vt in ſiccis Septentrionem ſpectent, in humidis verò orientem. Medica malus non niſi in calidis & algentibus prouenire ſolet. At nunc etiam in frigidiſſimis cum ſua dote viſuntur in capſis & corbibus ſata. Quæ in hyeme in caueis ſæpe hac cauſa ædificatis, vt à frigoris iniuria defendantur: Vere autem in locis apricis, captato Solis ca

lis calore locantur: Hacq; ratione huius generis arbores apud Neuſtrios loco frigidiſſimo conſpiciuntur. In frigido loco nos poſſe habere Palladius hoc modo docuit: Arborem in meridianā plagam diſponere conueniet, aut in loco parietibus munito: quam itidem hybernis menſibus agreſti ſtramine veſtire oportebit, & poſt ingruentibus caloribus tegmine denudare. Peſtiferam verò ſoli luem atq; maciem in terra exili cultoris prudentia, plurima foſſione, ſtercoratione, deſiccatoq; ſubterraneis aquæductibus loco domare poterit, efficereq; vt in eo viuant vltrò arbores. Sed & quod in eo deerit, cura & imperio emendare. Etenim palma, omnibus prodentibus, locum ſalſum deſyderat. Quòd ſi Natura talem locum non præbuerit, ſolent agricultores regionis illius, in qua naſcitur, terram ſale aſpergere: verùm non id circum radices, ſed longius quantum ſextarius abeſt. Terræ verò naturam humana diligentia mutat, ſaporum etiam ac odorum vim: &, quod omnium difficillimum eſt, cœlum compeſcit. Quæ omnia experimento didicere antiqui. Quorum quidem erga ipſas arbores ſtudium, ac laborem, non poſſum ſolùm non valde probare, verùm etiam laudare, atq; demirari. Plurima enim occulta & ignota adinuenerunt, quæ poſteà promiſcuo vſu eſſe communia cœperunt: effecereq; ſua ſolertia, vti res arboraria longè fœlicior, longè elaboratior, multoq; ſuauior, ac nobilior redderetur, & haberetur: vt à viris illuſtribus, vt iam dictum eſt, proprijs manibus tractaretur. Sed nunc modò quod ægrè ferendum, à ſolis ruſticis colitur, etiam ignoratis, minusq; prætereà obſeruatis antiquorum ſuper hac re præceptis, eiusq; penè artis, quam exercent, ignaris: quæ nunc internecione memoriæ ferè inducta ſunt. Quo fit, vt res ipſa olim tam celebris, nunc vilis, & ferè derelicta ſit. vt etiam in multis prouincijs, aliquot arborum genera, quandoq; illis peculiaria, perierint, aut ſaltem vt illorum cognitio neſciatur, veluti Platanus in Gallia, Hiſpania, Italia, in qua frequens piperis arbor fuit, vt in illius montibus (autore Plinio) erraret, atq; etiam fœliciùs. At nunc omninò caret. Quædam verò ſolùm nomine tenus nobis notæ. Nonnullarum etiam genera multa penitus ignota, quæ forſitan apud nos naſcantur, eas tamen ignoramus. Quædam verò nobis nominibus cognitæ, nedum viſu. Quarundam etiam ne vllum quidem veſtigium remanſerit, vt illas nobis interijſſe exiſtimandum ſit. Arborum tamen culturam, ſicut & artes omnes, reſtauratum iri ſpero, vt iam proſperum initium ſortita ſit: ſtudiumq; accendi erga arbores in dies video. Sed horum, quæ ſuprà aſſeruimus, exempla aliqua, vt res probabilior, manifeſtiorq; ſit, in medium afferenda.

Fructus vel præcoces, vel ſerotinos, arte fieri. CAP. III.

ARBORES quædam artificio præter illarum naturam, ex antiquorum libris demutare oſtendendum, vt à præcocitate incipiamus. In quibuſdam enim prouincijs ficos hybernas eſſe Plinius ſcribit: verùm id arte, non natura: veluti in Mœſia genus quoddam arborum eſt, quod poſt Autumnum fimo contegunt.

Itaq; groſſuli, qui mitiore ſole cum arbore refoſſi, poſteà in lucem remiſſi nouos alios ſoles, quàm cum quibus vixere, tanquam naturæ auidi, accipiunt, & cum venientium flore matureſcunt, alio præcoces anno. In tractu etiam gelidiſſimo Arietis cornu iuxta ficum ſepultum, ad maturitatem impellit. Admirabilis eſt huiuſce pomi feſtinatio, vnius in cunctis ad maturitatem properantis, arte naturæ. Ficum ſerotinam antè tempus præcocem Græci faciunt, prodentibus illorum autoribus: vt ſi piper, ſimum columbinum, ac oleum radicibus indideris. Alij matureſcere cogunt, ſi ſæpe longioris fici ſucco, cum oleo & pipere miſto, groſſi, cùm incipiunt rubeſcere, inungantur. Serotinam verò, & ſi natura minimè ſit, faciunt, ſi groſſi cùm fuerint fabæ magnitudine, decutiantur: tunc enim alteri ſubnaſcuntur, qui ſeriùs matureſcunt, atq; in hyemem differuntur. Eædem cùm frondeſcere incipiunt, ſi cuiuſq; rami cacumina detrahantur, fertiliores, firmioreſq; fiunt. Ceraſi autem fructus, calx radicibus admota præcoces facit, cogitq; citius matureſcere, nonnunquam cum arboris detrimento, ſæpenumero cum morte, vt arbos ruſticorum auaritiæ inſeruire cogatur. Mori arbos feracior, atq; præcocior fiet, ſi perforato hinc inde trunco, ſinguli cunei, vel terebinthi, aut lentiſci adigantur. Roſam enim temporiùs habebis, ſi circa radicem, pedalem ſcrobem in gyrum defodieris, & aquam calidam calice incipiente germinare infuderis. Quod ſine temporis intercapedine habere deſyderes, ſingulis menſibus loco ſtercorato, roſas pangito. Si autem media in æſtate (ſcribente Democrito) bis in die rigetur, Ianuario menſe fructum feret. Ex Hermete Ægyptio prodit Albertus, roſam ſanguine commiſtam, atque *in terra* plantatam, item ſanguine irrigatam, in hyeme florem ferre: præſertim ſi vernò tempore rami leniter ligentur, ne conceptũ humorem effundant. Roſas autem è veſtigio albas habebis, ſi, cùm incipiunt aperiri, ſulphure ſuffumigaueris. Eaſdem odoratiores habebis (autore Didymo) ſi iuxta fruticem, alium odoriferum fruticem plantaueris.

Vt fructus aliquarum arborũ ſine oſſe, & putamine fiant, & de nonnullis alijs. CAP. IIII.

IVGLANDES, amygdalæ, ac omnes huiuſcemodi arbores, quarum fructus forinſecus tecti ſunt, eoſdem abſque putamine ferent, ſi confracta nuce, illæſus nucleus permanſerit, & lana, aut recentibus vitis, vel platani folijs, ne à formicis corrodatur, & ſic obuolutus, in ſeminario plantetur. Quòd ſi iam ferentem in hoc genus velis commutare, per annum continuum ter in menſe lixiuio irrigabis. Sine nucleis mala punica fore Africanus promittebat, ſi dempta medulla ſurculus obruetur: & dum comprahenderit, quod emergit, amputetur. Eodem item autore, perſicus etiam ſine oſſe fructus producet, ſi ſtipitem in fine perforaueris, & excuſſa medulla, ſalicis aut corni paxillũ adegeris. Ceraſia ſine oſſe naſci Martialis (referente Palladio) aſſerebat, ſi tenera arbuſcula ad binos pedes per medium, vſq; ad radicem fiſſa ſit, & abraſa ferro partis vtriuſq; medulla,

vt ſtatim ſeiunctas partes ſecum vinculo perſtringas,& laterum commiſſuras fimo oblimas, ductaq; poſt annum cicatrice prædictam arborem ſurculo,qui nondum tulerit, inſeris. Eodem autore,atq; ex eodem Martiale,plurima in grano punico mala erunt,ſi tithymali, & portulacæ ſucco æqualiter miſto,ſi arboris truncus ante,quàm germinet, illinatur. Fici autem eſus, deiectionem moliri Democritus affirmabat,ſi nigrum veratrum tritum ſimul cum lactuca matina ad ſummas radices deijceretur. Armeni (vt autor eſt Meſues) pruni arboris ſtipitem duobus tribúsve locis, palmi vnius interuallo tenuiter perforant,iniectoq; ſcammonio os obturant:inde poma magis, magisq; purgantia rigari. Diophanes in ſuis Georgicis, & poſt eum Didymus, punicæ mala rubicundiora agnaſci aſſeuerauit,ſi glandium cinere arboris radices aſpergerentur. Alij verò, ſi plantam aqua cum balnearum lixiuio miſta irrigaueris. Tradunt etiam candidos acinos fieri, ſi argillæ, & cretæ, & gypſi quartam partem, per triennium radicibus,terræ genus hoc,adiunxerit.Mala punica miræ magnitudinis habebis, ſi circa arborem olla fictilis immergatur, & intrà ramus cùm flore inflectatur, atque obruatur, ligatus ad palum ne reſiliat. Contra autem aquæ incurſus muniri debet. Per Autumnum autem pátefacta ſuæ amplitudinis mala exhibebit. Rubeſcit perſicus, roſis ſub rubris conſitus. Grandia hæc arbos feret,ſi florente, per triduum lactis caprini ſextarius radicibus ingeratur. Teneras autem nuces creabunt (autore Palladio) ſi ablaqueatis ante florem radicibus, aqua calida per aliquot dies ingeratur. Hederæ enim corymbum decorum habebis, ſi tria conchyliorum vſtorum,& contuſorum cinere aſperſeris,aut alumine irroraueris. E nigra alba fiet, ſi terram albam macerabis, & hederæ radicibus, per dies octo infuderis. Malorum & pyrorum omnium fructus, in animalium figuras,vel aliarum rerum, hoc modo effigiabis: Rei ſimulacrum intrinſecus gypſo lutóve formabis,tenui,quoad fieri poterit, tegumento,quò minus graue ſit.Quod etiam æquè in duas partes diuidi debet,vt probè coaptari & committi poſſit.Quum autem ad dimidiam ſui augmenti partem fructus deuenerit,includes, & vinculis, ne à fructu diuelli poſſit,aptè munies.Ad tempus enim maturitatis talem figuram præſtabit. Multa alia huius artis exempla in hoc opere deſcribuntur, quæ Græci autores ſuis libris inſeruerunt. Quæ quiſquis diligens agricola,an ſint vera, experiri poterit, & videre ánne tales hi fuerint in his ſcribendis,quales multi in hiſtoria,quæ à Latinis tradita,veriora verò ſuſpicanda, ſed experimento omnia exploranda.

De arborum cultura,& eius tempore, & de foſſione.

CAP. V.

ARBORVM autem cultura non eadem,communisq; eſſe ſolet omnibus. Specialem enim aliæ, cæteræ alteram, pluréſve, ac differentes:quædam omnibus generatim conuenit: nonnullæ autem diligentius, aliæ non ita. Foſſionem autem, ablaqueationem,ſtercorationem,rigationem,purgationem,putationem,paucæ re-

periuntur, quæ non deſyderent. Omnibus certè foſſionem vtilem fore, & quàm plurimum prodeſſe, cuncti exiſtimarunt, veluti herbis ſarritionem. Si quidem crebra foſſione coaleſcere, citiusq; incrementũ accipere arbores, manifeſtum eſt: nempe ea, quæ pabulum vel auferunt, vel impediunt, tollit. Solum etiam humectius reddit, præſertim ſi pluuiarum tempore id fiat. Ad hæc enim humo permiſtus aër, humorem quendam euaporatum atq; alimentum præbet. Permiſceatur enim terræ, cùm hæc agitatur, neceſſe eſt. Squallidum atq; ſiticuloſum ſæpiſſimè fodere & agitare, idq;, per Autumnũ & Hyemem, & nouo Vere oportet. Paluſtribus enim locis foſſio perneceſſaria: nam immiſtus ſol deſiccat. Foſsionis autem tempus non vbiq; idem. Quidam quidem menſe Martio fieri volunt, vt vbertim, & pulchrum fructum ferant: plures ſtatim in Autumno: multi in hyemem ſpectant, quo tempore terram aperiunt, & ſitientibus atq; fameſcentibus cibum quærunt. Æſtate nunquàm, ne Solis ardor radices adurat: præter quàm in ſolo pingui, ac luxurioſo, quod ſua firmitate contra Solis calores ſeſe tueri poſsit. In quibus verò multum, & crebrius, atq; hoc etiam in paluſtribus fodiendum erit, vti aſsidua terræ verſione deſiccetur locus. Alij radices à gelu cumulis hyeme, æſtate ab ardoribus vindicant. Illud in macris, & frigidiſsimis: hoc in feruentioribus, & hoc luna plena. Cato per ſementem ſcrobes ficis, vlmis, inuerti præcipit. Vbicunq; enim circunfodiendi arbores ratio expetit, in orbem pedes ternos. Verùm neq; id pratis Plinius admittit. Quando verò plantæ ſoli viriditate oblectentur, & Solis humoriſq; amicitia radices in ſumma *tellure* oberrent. Quod Palladius in ſolis malis expreſsit. Sed id adul*tis ſolis* indulgendum. Nouellæ autem foſsione ad incrementum adiuuandæ. Et hoc etiam prudenter peragendum, ne dum altius, radices lædamus. Ficus poſt vineas maiores operas deſyderat. Prunus aſsidua foſsione gaudet, & frequenti humore. Salicta, & geniſtæ fodienda primo triennio, hoc eſt, crebriùs, veluti nouella vineta. Cùm deinde verò conualuerint, foſſoris tribus contenta eſſe oportet. Segniùs enim culta celeriter deficiunt. Nam tametſi cura aſsidua impendatur, intereunt plurimæ ſalices. Quare in loco propinquo mergis propagari debent, curuatis, ac defoſsis cacuminibus, quibus reſtituatur quicquid anteà interierit. Anniculus deinde mergus, à ſtirpe decidatur, vt ſuis radicibus ali poſsit. Salix verò perticalis, crebro foditur. Nam huiuſce naturæ eſt, vt non niſi in humidis ac paluſtribus veniat, vt non minùs quàm vinea pampinetur, vt potiùs in ramorum longitudinem, quàm latitudinem euocetur. Salicta itaque & runcanda, deputandaq; ſunt, circa ea propter ingentem illorum & vtilitatem & neceſsitatem inuigilandum. Nunc de arundinetis, quorum item vtilitas magna, igitur cura diligentior. Cùm ſenuit, repaſtinandum erit. Senectutis verò indicium, cùm vel exaruit ſitu, vel cùm plurima annorum inertia, gracilis arundo prodit. Tunc deintegro intercidi, confodiq;, & diſcarificari debet. Quod opus caſtrationem ruſtici vocitant. Hæc arundineti reſectio cæca: quia non apparet. Interea verò, quid tollendum quídve relinquendum ſit, ſanè videndum. Quamobrem

obrem tolerabilis arundo antè caſtratur, quàm cædatur, quatenus calami, velut indices demonſtrant quid eruendum ſit. Tempus autem repaſtinandi, & conſerendi eſt, prius quàm oculi arundinum germinent, autore L. Columella. Nouum caſtanetum, autore Palladio, aſſiduè circunfodi debet. Punica Autumno & Verno temporibus circunfoditur. Morus, palma, ceraſus, meſpilus, citrus, circunfodi volunt. Hac autem ratione maiora poma fient. Cydonia, ſi non ſodiatur, aut ſterileſcit, aut fructu degenerat.

De olineto fodiendo, & roſarijs, & quòd inter arbores nihil ſerendum. CAP. VI.

NON eadem omnibus erga olineta fodienda ratio. M. Cato per ſementem ſcrobes oleis inuerti præcipit, ſummopereq; cauendum ille exiſtimat, ne altiùs id fiat. Nam, vt ille ait, qui oletum ſæpiſſimè & altiſſimè miſcebit, is tenuiſſimas radices exarabit. Si malè arabit, radices ſurſum abibunt, craſſiores fient, & in radices, vires oleæ abibunt. Plinius autem vetus oliuetum, omnibus annis, à ſolſtitio, cum æſtibus terra hiat, circunfodi, pedali altitudine, ſcrobe duobus cubitis ampla. Columella autem maturum oliuetum in duas partes diuidit. Itaque ſic diuiſum omnibus annis æqualem adfert. Sed minimè arari bis anno debet. Nam ſicut non continuis annis, ſed ferè altero quoque fructum fert: eximia quoque eius ratio eſt, quadam beneficij compenſatione, vt leui cultura ſuſtineatur, vt cùm ſe vix induit, impenſam vllam expoſcit. Quòd ſi quam recipit, compenſatione etiam beneficij accepti memor, fructus multiplicat. Neglecta verò annis compluribus, non deficit tamen, vt interim etiam patriſamilias præſtet, vt ex minore vel auaritia domini, fructum aut diminuat, aut largiatur. Omnis circa oleas herba vellatur, & quoties herba ſe infuderit, & ſubinde ducta à trunco terra, & permiſta in aliquantò altiores cumulos congeratur. Oleam verò, quam ſeueris, vt citò creſcat, ſemel in menſe ſarrire Cato præcipit, ac circum capita oleagina quot menſibus, donec trimæ erunt, ſodere oportet. Hoc enim modo cæteras arbores procurare vult. Roſaria fodiuntur altiùs, quàm fruges. A Fauonio foſſam oportet opponi, iterumq; ſolſtitio. Vltra quinquennium non durare. Theophraſtus autor eſt, niſi aut adurantur, aut recidantur. Illo enim modo iuueneſcunt, & plurimum proficiunt. Inter arbores enim ea ſerenda minimè oportet, quæ graui ſunt odore, vt raphanus, halimon, aut ea, quæ plurimum alimenti ſugunt, vt eadem rapina fameſcant. Qualia ea eſſe ſolent, quæ craſſiore corpore exiſtunt. Nam ab illis propinquum odorem, vt ſæpius fructus mutuantur. Multorum etiam ſatu, terra maceratur, vt ciceris & lini ſemina nocent. Alterum quòd ſit ſalſæ, alterum quòd ſit ſeruidæ naturæ. De vltimo Vergilius:

Vrit enim lini campum ſeges, vrit auenæ: Georg. 1.
Vrunt lethæo perfuſa papauera ſomno.

Neq; enim dubium quin & lino infeſtetur ager, ſicut & milio, & punico. Plantis etiam moleſtus Cytiſus. Omnia enim fermè enecat: ſed eo valentiùs eruum. Hoc autem vel cytiſum interimit. A fabis florentibus non attingi hederam aiunt. Id enim noxium, & exitiale tempus eſt.

Arbores nonnullas eſſe, quæ culturam aſpernentur.

CAP. VII.

ARBORES omnes culturam deſyderant. Sed & quædam huius naturæ inueniuntur, quæ omnino hominum ingenium, & operam omnẽ aſpernentur, vt illæ deteriores reddantur, ſæpe etiam emoriantur. Solo enim naturæ genio contentæ, vt ſunt ferè ſylueſtres omnes, quales abies, pinaſter, & reſiniferæ omnes, præſertim verò eæ, quæ in ſyluis degunt. Quod & teſtatur Vergilius:

Georg. 2. *Et dubitant homines ſerere, atq; impendere curam?*
Quid maiora ſequar? ſalices, humileſq; geniſtæ,
Aut illæ pecori frondem, aut paſtoribus vmbram
Sufficiunt, ſepemq; ſatis, & pabula melli.
Et iuuat vndantem buxo ſpectare Cytorum,
Naryciæq; picis lucos, iuuat arua videre
Non raſtris hominum, non vlli obnoxia curæ,
Ipſæ Caucaſeo ſteriles in vertice ſyluæ,
Quas animoſi Euri aſſiduè franguntq;, feruntq;.

Eiuſmodi etiam ferè illæ ſunt, quæ alienas regiones inuiſere non curant, in ſua natiua origine, curam humanam, ſicut reliquas regiones, exolæ. Myrrhæ radices raſtris læduntur, ac illo inſtrumento balſamum niteſcit. Thus verò (autore Theophraſto) omnem manum recuſat. Cupreſſus etiam neq; omnium regionum accola, circunfoſſuram renuit. Syri erga palmas nullam curam adhibent, purgant tantùm. Hedera, & arbutus, ſi Propertio credimus, laborem omnem verentur,

Propert. lib. 1. *Aſpice* (inquit ille) *quos ſummittat humus formoſa colores,*
Et veniant hederæ ſponte ſua meliùs:
Surgat & in ſolis formoſius arbutus antris.

Celaſtrus horret culturam: quam ſi aliquando patiatur, degenerat. Sorbum cultura dulcius reddit: verùm minùs odoratum. Amygdalæ, ſi foſſione colantur, florem amittunt: nec inſitas circunfodere oportet priùs, quàm validè ferre cœperint. Sunt & arbores nonnullæ, quæ abſque cultura valent, latius tamen ea adhibita: vt de arbuto nonnulli, arbitrantur. Quædam autem cùm iuuenes ſunt, coli nolunt: quæ ſi adoleuerint, operam ampliùs nullam depoſcunt. De his ſic Vergilius:

Georg. 2. *Contrà non vlla eſt oleis cultura: neq; illæ*
Procuruam expectant falcem, raſtroſq; tenaces,
Cùm ſemel hæſerunt aruis, auraſq; tulerunt.
Ipſa ſatis tellus, cùm dente recluditur vnco,
Sufficit humorem, & grauidas cum vomere fruges.

Hoc pinguem, & placitam paci nutritor oliuam.
Poma quoq; vt primùm truncos ſenſere valentes,
Et vires habuere ſuas: ad ſydera raptim
Vi propria nituntur, opis haud indiga noſtræ.

De ablaqueandis arboribus, & quo tempore.

CAP. VIII.

PROXIMA foſsioni ablaqueatio eſt: Nam eaſdem illa facultates habet, & parum ab illa differt. Eſt enim ablaqueare, circa caudicem fodere, & dolabra terram diligenter aperire, & purgatis omnibus velut lacus efficere. Itaq; ab lacubus Ablaqueare verbum dictum eſt. Ad hoc enim prouocatur terra, vt ſoles, imbresq́; imbibat. Ad augmentum enim, multum ac plurimum, ſicut foſsio prodeſt, vt quantò citiùs creſcere arborem deſyderes, eò frequentiùs ſi per loci regionìsve naturam ſit, ablaquees. Omnes quippe arbores, poſtquàm ſatæ fuerint, vt feſtinantiùs accrementum recipiant, ablaqueantur. Eum etiam Plinius commune erga arborum morbos, remedium eſſe dicit: quæ non minùs ipſis, quàm vineis neceſſaria, nec minùs negligenda. Omnibus verò per Autumnum & ſementem, præſertim circa oleas fieri debet. Columella poſt æquinoctium autumnale. Vere etiam, ſed ante germinationem: pyro tamen floris tempore conueniens. Aquoſis verò frequentiùs: plures tempore pluuiarum, aut cùm venturum imbrem præſentiunt. Morus ac perſicus, circa Calendas Octobres, & omnes ſiccioribus. Illam tamen auidius aliæ magis concupiſcunt, veluti myrrha. Hæc enim ablaqueationibus (ſcribente Plinio) mirum oblectatur. In cliuo autem poſitæ, ita ablaqueandæ, vti incilia excitentur, quæ limoſam aquam ad caudicem deducant. Quod in oleis apprimè obſeruandum. Illud item maximum inter ablaqueandum cuſtodire conueniet: vt omnem radicum ſobolem, exceptis inferioribus ac robuſtioribus conuellamus. Etenim quæ per ſumma cæſpitum inhærent radices, ſcindi par eſt. Nempe firmioribus alimentum auferunt, atq; ita eas interimunt, quæ maximè ad plantas reſeruantur, cùm per has arboribus cibus ſubminiſtretur. Frigore etiam ac æſtu illæ laborant, quibus areſcunt & intereunt: vt prætere a hac ratione cæteris non parum officiunt. Quare diligentiùs perquirendæ, atq; excidendæ ſunt. Nam paucas radices, verùm ſolidas, dimitti oportet, ex quibus vel in vetuſtate, matris loco delectæ, ſuccedant.

De ſtercorationis commendatione & eius inuentione, & de fimorum differentia. CAP. IX.

MAXIMA agris, ſatiſq; omnibus, vtilitas ſtercorationis inuentio. Nam illa terram, etſi bonam, meliorem tamen reddit, vitioſam verò ampliùs iuuabit. Agrum ſolutum & lepidum facit. Porrò, inquiente rerum Naturæ doctiſſimo Hippocrate, Terra fimo ſatiata calorem ſatis ſubminiſtrat, & frigus, geluq́; propellit,

quod alioquin arboribus nocens futurum erat: eò enim languentibus ſuccurritur. Quippe etiam illæ arbores vberiùs præbent fructus: ſuauiores etiam, propulſis amaritudinis ſuccis. A qua verò nec Reges ipſi manus molles abſtinuerunt. Nónne Augeas Solis, vel, vt alij volunt, Neptuni filius, Helienſium Rex, fimo lætificare agros in Græcia primus excogitaſſe traditur, rem profectò totius agricolationis viliſſimam, atque immundiſſimam, &, præter ipſam vtilitatem, equidem dignam vt nedum vilioris agricolæ manus fœdaret. Quod Hercules vbi ab eo didiciſſet, poſteà in Italia Sterculo Fauni filio Regi ſuo diuulgauit. Alij Sterculinum ſcribunt. Cui propter hoc inuentum, immortalitatem poſteà tribuerunt. Alij Stercem Pici patrem vocarunt: quem alij Stercutium vocarunt, Deumq; agriculturæ vocarunt, inquiente Auguſtino in ſua Dei ciuitate. Macrobius Romanos Saturnum Sterculium vocare ait, quòd priùs is ſtercorare docuerit, & fœcunditatem agris comparauerit. Seruius in nono Æneidos, Pilumnum fratrem Pilumni ſtercorationem inueniſſe dicit. Apud Homerum, regius ſenex agrum ſuis manibus lætificat. A Stercoratione autem Sterquilinus deus, ſicut à ſarritione Sarritor, ab occatione Occator, à ſatione Sator, vt hic in Georgicis ſcribit. Sed antè, fimorum differentias, quàm de ſtercoratione tractare, congruum denotare erit. Vt ad hoc potiſſimum fimus ille ſeligatur, qui & plantis vtiliſſimus. Tria igitur ſtercorum genera præcipua Columella poſuit, quod ex auibus, quod ex homine, quod ex pecudibus: omnia tamen ex vi, differentia. Etenim auium primum habetur: ſed harum præcipuum quod ex columbarijs egeritur, maximè propter caliditatem. Nam & terram fermentare compertum eſt. Deinde verò quod gallinæ, cæteræq; volucres edunt, exceptis tamen paluſtribus, ac natantibus, vt anſeris, & anatis: nam illarum, propter humiditatem, noxium eſt: alijs tamen miſtum, vtile erit. M. autem Varro præſtare arbitratur, quod ex turdorum auiarijs deijcitur. Secundum omnium proinde habetur, quod homines faciunt, quod acerrimum dicit Theophraſtus. Nam per ſe, naturæ feruentioris eſt. Idcirco terram perurit, priuatimq; omnes herbas corrumpit, & perdit. Quamobrem villæ purgamentis miſceri debet. Multi omnium optimum exiſtimauere. Tertium locum obtinet, pecudum: atq; in eo etiam diſcrimen eſt. Nam primum habetur, quod aſinus egerit: quoniam id animal lentiſſimè mandit, ideoq; faciliùs concoquit. Leue, confectum, ac idoneum eſt. Protinus enim aruo ſtercus reddit, naturaq; fertiliſſimum, & plantis omnibus commodius. Poſt hoc ouillum, quod pinguius ſit. Ab hoc enim caprinum: mox cæterorum iumentorum, armentorumq;: ſed bubulum, equorum, ac mulorum poſtponitur. Nam iſtorum duorum viliſſimum atq; deterrimum eſt. Suum verò ſpurcitias damnat Columella. Alij, inter quos Theophraſtus, laudant, vt hic ſecundum afferat. Compertum enim eſt malo Aſſyrio & amiciſſimum & vtiliſsimum. Horum autem in vniuerſum omnium, primum locum habet columbinum: alterum humanum, tertium aſininum. Quarto loco erit caprinum: à quo conſequens eſt, ouillum: poſt hoc verò bubulum. Sed eaſdem facultates

erga

erga arbores iuxta ordinis bonitatem hæc præſtant, veluti ſequenti capite demonſtrabitur.

De ſtercorandis arboribus, & quando, & de forma.

CAP. X.

PROTAGORAS Platonicus, quædam vtilia eſſe hominibus, quædam non: quædam bobus, quæ non equis, & econtrario. Sterquilinium verò arborum radicibus prodeſſe, ramis verò ac caulibus nocere: vt qua parte ſit locandus fimus, nos docuerit. L. item Iunius Columella pomaria in ea parte ponit, qua omnis ſtercorata cortis, atq; balineorum colluuies, & ex oleis expreſſa amurca influere poſſit, quòd eiuſmodi alimentis delectetur arbos. Stercoratio autem arborum, ſicuti omnes agricolationis partes certum tempus habet: quod in Autumno eſſe volunt. Huius verò temporis ac hyemis ſequentis humiditate, ſtercoris calor humeſcit. Nam ex fimo madefacto, liquor pinguis ad radices tranſmiſſus, mirè arborem alit. Per æſtatem autem, atq; in ipſo Solis feruore, non admouere, optimè conſulitur. Quod ſi contrà fiat, futurum, vt ſtercus calore adiutus, ac ſi ignem igni addideris, radices adurat. Solo duntaxat pluuio & humido, Vere ſtercorare. Secunda verò temporis obſeruatio erit, omniũ autorum vna concordi ſententia, vt luna ſilente, ſtercus inijciatur, maximè verò, inquiente Plinio, cùm menſtrua dimidia eſt. Hac tali ratione, mirum in modum effectus & vbertas eius augetur. Agrum herbis liberat. Contrà verò diſiectum, herbarum excretionem plurimũm adauget. Præthereà ſeruandum apprimè erit, vti modus adhibeatur. Aliæ enim magis fimum diligunt, aliæ minus. Neq; idem vniuerſis, neq; idem pariter omnibus conuenit. Cauendum quoque ne immaturiùs, néue validiùs quàm opus ſit, admoueatur. Nonnullæ verò acerrimum, aliæ minùs acrem concupiſcunt. Cæteræ penitus leuem, aut præter alias peculiarem. Crebra igitur, ac largior, humidis agris commodior. Siticuloſis ac gracilibus, modica eſſe debet. Bona quippe terra, multo ſtercore opus non habet. Tenuis verò & imbecilla denſius deſyderat. Pro ætate etiam arborum inferendum. Nam adultis multum, iuuenibus verò minimum, idq; non niſi tertio anno: nam ſi antè hoc fiat, adhuc teneræ, & nimij caloris imbecilles, ne fimo adurantur, timendum. Nam ſi præter modum copioſiùs ac effuſiùs ſtercorentur, ſua vi radices inebriabit, & peruret, atque, vt iam dictum, ſi intempeſtiuè miſceatur. Sed neq; id anniuerſariè fiendum. Nam oliueta, non niſi intermiſſo triennio ſtercoranda fore cenſent. Pyros interiecto anno, bubulo ſtercore lætificant: hoc arbitrantes, craſſiora poma generari. Obſeruant etiam ne annuo ſtercore vtamur, verùm tantùm triennali vel quadriennali. Quòd per hoc tempus, quicquid fœtidum inerat, euaporauerit, & euorauerit, quicquid durum decoxerit, ac emollierit. Acerrimo enim delectatur olea, humanum tamen omnino reſpuit. Myrtus, punica ſuillo maximè delectantur, vt hæ fructiferæ reddantur, dulceſcunt etiam (autore Theophraſto) & illo etiam amygdalæ

maiores atq; delicatiores fiunt. Illud autem omnium conſenſu conſtat, ſtercore non acri,neq; vehementi,ſed leui ac facili eſſe vtendum.Quamobrem ruminantium præcipuè ſtercus capiunt. Quod autem acerbum, atq; vehemens eſt,mirum calefacit,interdum etiam exſiccat. Quod ſi eo vtendum ſit,vbi facultas aliud non porrigit, parciùs eo vtuntur, vel cum terra miſcent, vt ſi ſatam protinus ſtercorare velis, vt cùm columbinum addis. Alij verò certam menſuram præſcribunt, ſecundum fimorum genera. Singulis arboribus ſtercoris caprini libras ſex Columella diſpertit. At in ſtercorandis arboribus, hoc non indiligenter cuſtodiendum, vt ablaqueatio ſtercorationem præcedat. Neq; ſtatim illud ad radices inijciunt, ſed paulò à trunco longiùs: quod poſteà terra obruunt, ne Solis halitu vires amittat, & vt prædicto alimento permiſta terra pingueſcat. Autore etiam Vergilio:

Georg. 2. *Quod ſupereſt, quæcunq; premes virgulta per agros*
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra.

De calce, ac cinere, atq; his, quæ fimi loco inijciuntur. Et de arboribus, quæ ſtercorari nolunt. CAP. XI.

SVNT & alia multa, præter animalium excrementa, arbores impinguantia, & lætantia, quibus fimorum loco vtimur, vt calce. Sed frequentius quædam prouinciæ, vt Hedui, & Pictones, autore Plinio. Calx vtiliſsima reperitur, quæ ex pellicariorum officinis deijcitur. Nam hæc mirum in modum luxuriare facit fronde arbores, & etiam æſtate refrigerat, vt vice & irrigationis & ſtercorationis fungatur. Huiuſmodi vtuntur Symphoriani. (Eſt autem Symphorianum, agri Lugdunenſis primarium oppidum, vnde mihi origo.) Nam illic ex loci opportunitate, & torrentis nomine Orſonis natura, huius artificij plures homines ſunt, ad quod calce vtuntur, quam poſtmodum reijciunt. Cinere alij vtuntur, quem arborum radicibus aſpergunt. Oleas autem cinere ex fornacibus calcarijs multùm gaudere expertum eſt. Quidam ficus ſuffodiunt, vbi puluere opus eſt. Sed & modum adhibent, vt ſingulis arboribus modius cineris ſufficiat. Alij cinerem terræ miſcent. Nam eo leuior fit: credentes etiam hinc pomis argutos ſapores contrahi. Salis etiam vim, in palma & lentiſco cinis habet: verùm leuiorem. Macies præthereà arundineti, cinere aut ſtercore adiuuanda, propter quod plerique cæſum arundinetum incendunt. Myrtis vrinam, & pellicum ſpurcitias, cùm germina proſilierunt, adhibent: quaſi fructus ſine nucleo interiori ita reddi poſſit. Suis folijs perſicum Palladius lætificat. Latere è parietibus tuſo, ſabinam mirè ali tradunt. Arbores autem ſeminibus lædi. De quibus nonnullis ſuprà in confeſſo eſt. At illæ contrà iuuari, vt ſtercoratione etiam, cerrum eſt, veluti lupino, faba, vicia, præſertim pabulari, eruo, lente, cicercula, vt tamen poſt horum meſſem, aratrum ſtatim ſubſequatur, & quod falx reliquerit, priuſquàm areſcat, vomis reſcindat, atq; obruat. Planè ſi radices eius, pabulo deſecto, relictæ inaruerint, omnem ſolo ſuccum deprædabuntur, vimq;

terræ

terræ abſument. Hoc enim pro ſtercore cedit. Horum tamen ſegetem plures ſiliquari non permittunt:ſed & eius manipulos circa arborum radices occulunt. Fabarum enim putamina radicibus iniecta, eas enecare quidam arbitrantur. Inter arbores ceraſum, fimum vſqueadeò abhorrere exiſtimant,vt admoto eo etiam degeneret. Stercoranda ſit nécne palma, inter autores ambigitur, alijs illam fimo lædi aſſerentibus, alijs id concedentibus. Priùs tamen fimus miſceri debet: quod facere Rhodienſes inquiunt. Cupreſſus etiam fimum renuit. Ignis aliquibus prodeſt, vt arundini. Itaq; ambuſta,denſior,mitiorq; aſſurgit.

De irrigatione arborum,& quòd aqua illis neceſſaria:& fabula certaminis Herculis & Acheloi. CAP. XII.

AQVAM arboribus per quàm neceſſariam, nemo eſt qui ignoret. Illud autem omnium conſtar, ſolem & aerem, omnia,quæ è terra naſcuntur,nutrire. Ideò Plato in ſuis Legibus aquam nutriendis hortis per maximè omnium conferre aſſerit.De ea etiam ſic diuus Ambroſius in Hexamero: Aqua nutrix omnium virgultorum, & diuerſos ſingulis vſus miniſtrat,vel è terra ſcaturiens,vel nubibus effuſa, deſcendat. Quippe radices alit, dat omnibus vires,radicem impinguat, caudicem prouehit, ramos diffundit,folia vireſcere facit, fructum alit, ſemina, pomum augere facit. Hæc ille.Præterea M.Varro ſtatim in limine ſui de re ruſtica operis, Lympham precatur,ac bonum euentum: quoniam ſine aqua omnis arida & miſera agricultura. Sine ſucceſſu & bono euentu, fruſtratio eſt, non cultura. Homerus etiam in hortis Alcinoi duos fontes poſuit:quorum altero horti irrigarentur.Olim Romæ hortorum gratia,cùm id etiam in vtilitatē publicam cederet, priuatis è publicis aquæductibus,aqua conceſſa: ſicut lege, quam S.Iulius Frontinus, de aquæductibus ponit, notum eſt. Serui Romæ paulò ante Neronis principis ætatem, piſcinas binis iugeribus maiores in viridarijs habuerunt, quæ agrorum menſura priſcis illis Romanis ſatis erat,vt nulli prætereà maiorem modum,illorum leges con cederent.Siccitate etenim nimia plantas non ſolùm laborare,verùm areſcere,atq; omnino interire maniſeſtiſſimum. In Thera autem, omnes ſecundum vias arbores exaruiſſe:quòd aquæ remedio leuatæ non fuiſſent, cùm illic per ſeptem annos non pluiſſet,vt Herodotus ſcribit. Lucretius:

Et niſi tempeſtas indulget tempore fauſto
Imbribus, & tabes nimborum arbuſta focillant. *Lucret.lib.1.*

Imò etiam, illo autore, vertunt ſe fluuij in frondes. Verùm quòd ſatis aqua ſit neceſſaria,poëtæ ſuis figmentis oſtendére,Herculem cum Acheloo ſub tauri forma decertaſſe fingentes, & huius alterum cornu effregiſſe. Quod poſteà vuarum,& omniummalorum ac fructuum refertum Ætolis dedit. Cuius veritas ita ſe habet, ſicuti ſcriptis Diodorus Siculus mandauit: Hercules in gratiam Calidoniorum, Acheloum amnem in alium curſum diuertit, vt longè plures agros ex fluuij irrigatione feraces reddiderit. Nam, autore Orpheo, referente in primo Georgicorum Ser-

uio, Veteres generaliter aquam Acheloum vocabant. Sed ad rem ipſam. Irrigandæ tunc maximè arbores ſunt, cùm ſiccitates inceſſerint, & cœleſtis humor ceſſauerit. Circa Canis exortum rigatio potiſſimùm prodeſt. Ferè enim tunc contingit vt ardentiores calores eſſe ſoleant. Et, vti vno abſoluam, Rigua æſtiuis temporibus vtilia, Hyeme inimica. Hoc enim tempus pluuium humidumq́; eſſe conſueuit, abundeq́; abſque hominis opera arbores humectat. Autumno verò varia eſſe ſolet, quam ex ſoli, cœliq́; moribus ac natura proſpicere conuenit. Citrum verò frigoris tempore, aqua mulſa irrigare prodeſt, quò frigus arceas. Siquidem hyemis frigore, calor, qui terræ ineſt, magis, magisq́; in ſe cogitur, qui concretam gelu terræ ſuperficiem euaporare nequit, vt inde ſuccus exareſcat. Verùm ſi irrigetur, tepeſcente terræ ſinu, aquam ad radices appetentiùs trahit. Aqua autem in alimentum verſa robuſtiorem aduerſus frigus ſeſe agit. Porrò hæc arbos admodum ſiticuloſa, & etiam ad ſummam ponè terram fibras plurimas & capillamenta agit, & quidem minutiſſima: quæ globulis inhærentes plurimum ſucci inde ebibunt. Quæ globulæ, ſicciores factæ, penituſq́; exuſtæ, capillamenta deſtituunt. Quod aſſidua rigatio prohibet. Quocirca, æſtate & hyeme opportuna irrigatione iuuanda. In feruentiſſimis verò partibus, & locis cliuoſis, ſi per aquarum copiam ſit, ſulcum è ſuperiore parte dirigere oportet, & lapidibus & alijs purgare, quo fluentiore alueo, aqua in hortos & ad plantas decurrere poſſit: quin & illarum radices, foſſam altiorem faciunt, vti aqua tum abundantiùs influat, tum diutiùs ibi moretur. Quidam vaſcula aqua plena ad arborum radices collocant, quibus illas refrigerent. Alij lapidum quædam genera ad radices ſternunt, vt hyeme humore perfrui poſſint, æſtate refrigerari, viam liberis flatibus præbentibus. Enimuero contra vtrunq; tempus ita præparaſſe oportet, vt lapides humorem contineant, & æſtate à radicibus calorem propulſent. De quibus & conchis ſic Vergilius:

Georg. 2. *Aut lapidem bibulum, aut ſqualenteis infode conchas,*
Inter enim labentur aquæ, tenuisq́; ſubibit
Halitus: atq; animos tollent ſata iamq́; reperti,
Qui ſaxo ſuper, atq; ingentis pondere teſtæ
Urgerent hoc effuſos munimen ad imbres:
Hoc, vbi hiulca ſiti findit Canis æſtifer arua.

Alij ſarmenta ad eoſdem vſus ſubſtituunt. Alij lignum infodiunt, ſatis craſſum, quod poſteà extrahunt. Horæ autem rigandi, matutina, atq; veſpertina, ne inferueſcat ſole aqua. Theophraſtus tamen frigidiorem plantis vtiliorem dicit. Multi tamen per totam diem in vaſis requieſcere permittunt, & ſerò infundunt. Aquarum item delectus haberi debet. Quæ enim nitroſa, quæq́; aluminoſa, vel quæ huiuſmodi ſapiunt, plantas neq; gignunt, neq; alunt. Salſæ enim aquæ plantas nutrire poſſunt, ſed deteriùs quàm dulces. Adurunt enim, augeriq́; prohibent.

Quæ arbores parciùs, quæve fuſiùs irrigari volunt: & de his, quæ hoc reſpuunt: & de alijs præter aquam liquoribus, quibus plantæ oblectantur. CAP. XIII.

SED arborum nonnullæ largiores aquas deſyderant,vt malus,pyrus:aliæ ſobriæ magis,vt nouellæ ferè omnes:& quædam omnino nullam, vt cupreſſus (autore Theophraſto) vt nouella etiam frequentiùs adaquata omnino moriatur. Ego ipſe ex ſemine ſatas tales irrigaui, compertumq́; experientia habui,illas irrigatione proſperè & augeri & viuere. Aſſidua enim aquatione, punica acida fit. Nam ſiccitas his & ſuauitatem, & copiam præſtat.Si tamen nimia caliditas inceſſerit,quid humoris inſpergi debet. Eiuſdem verò naturæ meſpilus eſt. Moro creber humor obeſt. Scribit tamen Palladius,ablaqueatis eius radicibus,vini veteris recentiſſimas fæces infundendas. Amygdalæ autem, dum fructum pariunt, neq; aquandæ,neq; alia cura tractandæ,ne plus æquo validiores redditæ,fructum in flore amittant.Copioſè autem irrigari palma vult:continuò enim ſitit,vt quidam homines,quorum deus Bacchus eſt: vt productà amet toto anno bibere,verùm magis ſcaturientem,quàm pluuiam concupiſcit. Aquis tamen aliquatenus ſalſis delectatur,vt ſale infici debeat, ſi tales loci natura non præbuerit. Dulciores verò atque præſtantiores eius fructus facit aquatio : quorum durities & acerbitas tale auxilium requirit. Lentiſcus etiam ſalſis gaudet. Multò fructuoſior myrrha, abundè refrigeratis radicibus. Lymphis gaudet & balſamus. Has autem auidè ſitire par eſt, cùm non niſi in algentiſſimis locis naſci velit: vt hyeme loci etiam genio ardeant. Piſtacia irrigatione oblectantur. Poma M.Varro dici poſſe ſcribit, quòd potu indigeant. Cydonia enim irriganda,quoties infuſio negatur. Maiora enim, atq; citius matura imber efficiet. Frequens adaquatio calculoſæ pyro, præſenti eſt remedio. Ficus riguis alitur, ac magis germine vrgetur,ſed pomum eius marceſcit,præterquàm Laconica,quæ riguis vehementiſſimè gaudet. Singularis ceraſi ex Palladio irrigatio eſt. Quas ex canicularum æſtu fatigatas trium fontium ſingulis aquæ ſextarijs,poſt ſolis occaſum, ſic ne remedium luna deprænhendat, irrigari vult, vel herbam Symphoniacam circum arboris truncum in coronam torqueri,vel ex ea cubile iuxta imum caudicem ſterni Palladius vult. Inſitas nuper arbores,ab ipſa inſitione,vſq; in menſem Auguſtum irrigant. Multi ad veſperum,ſpongiæ aqua. Alij vas aliquod ſupra inſitum locant, quod paulatim guttulas per palearum culmos infundat, Vrina hominis ſurculos valde delectari aiunt, præſertim ſi eam ſex menſibus veteraſcere paſſus fueris.In ſeminarijs verò,plantulas ter in menſe,ſi ſiccitas interceſſerit, rigant.Deſyderant enim quod maximè aſſueuerunt. Nam illis,ſicuti cæteris rebus,altera natura,cõſuetudoq́; eſt: Contrà,locis ſiccis genita humorem, niſi neceſſarium, non expetunt. Vbiq; enim loci habenda ratio eſt. Platanos verò mero infuſo enutriri,inquiente Plinio,compertum eſt,maximeq́; illud radicibus illarum prodeſſe. Quod feciſſe Q. Hortenſium Macrobius meminit, vſqueadeò, vt in quadã actione quam habuit cum Cicerone, ab eo poſtulauerit,vt dicendi locum ſecum permutaret, abire enim ſe in villam velle, vt vinum platano, quam in Tuſculano poſuiſſet, ipſe ſuffunderet.Tradunt etiam Sabinam vini fæce mirè ali. Myrtus ho-

minis vel ouis vrina apprimè delectatur, & aqua etiã calida, vt hac etiam ratione nucleus ſine oſſe ſit. Fortuitò hoc depræhenſum, cum iuxta balinea, neglecta myrtus iaceret. Vrina etiam hominis veteri, malus mirum in modum afficitur, vt eius fructus ſapores in melius commutet, ſed & ipſos augeſcit. Multum etiam proderit amurca, quæ ſalem non habuerit, huic permiſta. Sed vſus vtriuſq; maximè per hyemem eſt, & adhuc Vere ante æſtiuos vapores, dum arbores ablaqueatæ ſunt. Oleis verò laborantibus circum radices talem amurcam infundere conuenit, vel hominis vrinam veterem: maximis, ſex congij: mediocribus vrnæ ſatisfaciunt: cæteris æſtimanda portio erit. Veruntamen quæ nihil vitij habuerint, aliquando lætiores fient, ſi amurca rigentur inſulſa. Quas verò arbores amurca irrigare vis, non altè id faciendum, Catone hoc præcipiente, vim amurcæ forſitan pertimeſcens.

De arborum purgatione. CAP. XIIII.

CALLICRATIDES autem malos, & nihil frugi homines è Republica amputandos exiſtimabat, quemadmodum arborum ſuperflua. Congruit etiam bono & graui præſidi, autore Vlpiano Iuriſconſulto, curare vt malis hominibus prouincia careat. Sed ad arbores reuertamur: vt non minùs ad illarum vtilitatem amputatione ſuperfluorum indigeant, quàm ad vtilitatem publicam ciuitas facinoroſorum hominum purgatione. Quemadmodum enim in homine, vngues, capillos, barbamq; tondemus, ac radimus, & tanquam ſuperflua extrahimus, & alijs ſpurcitijs eum purgamus: & hæc omnia ſanitatis & nitoris cauſa. Sic in arboribus arida, putria omnia, maleq; nata, aut quæ denſiùs nimis arctata præferunt, tanquam ſuperuacua, & aliena eximimus: quæ tum alimenta auferunt, tum incrementa impediunt. Quò etiam arbores tum validiùs ſe habent, tum conſpectiùs inſpiciuntur. Verùm id aliæ curioſiùs magis, aliæ minus deſyderant, vt in hominũ genere, in quibus alij ex corporis habitu abundantius, in alijs minùs, vt id extra neceſſitatem, & vſq; ad corporis luxuriam peragant. Myrtus & olea, Androtione apud Theophraſtum autore, id ſtudioſiùs poſcunt. Sunt etenim quædam arborum genera, quæ cæteris crebriores, tenuiores, & citò areſcentes virgulas produnt, quas eximi citius conuenit: cuiuſmodi ſunt olea, myrtus, vitex. Nullum ad hoc, vt in prædictis, tempus præſcriptum eſt. Minori damno omni tempore extrahi poterunt, cùm ex huiuſmodi curatione, & aliquo vulnere arbores laborent. Muſcus etiam ſemper arboribus radi debet. Multi vili panno per pluuias abſtergunt. Hoc enim tempore facilè muſcus auellitur. Quòd ſi temporis conditio id elargita minimè ſit, pannum aqua madefaciunt. Hoc ſtatim in Martio fieri debet, Hyeme autem minimè. Nam hoc tegumento aduerſus frigora ſeſe tuentur. Eſt enim muſcus, maximè ruber, arborum infeſtiſſima lues, reptilium domicilium, & impetigo illarum. Cortex etiam illo ſcaber, ac deformis fit.

De

De vtilitate putationis, & quæ arbores decacuminari nolunt, & qui primus nemora totunderit. CAP. XV.

ANTIQVI (vt rudem adhuc lectorem hoc doceam) teſte & M.Varrone & F.Pompeio, putum pro puro dicebant. Vnde putare arbores Donato in Terentium, propriè eſt falſa & infructifera à veris & fertilibus reſecare. In his enim vacantia alienaq́;, & non neceſſaria, vel obſtantia, atq; fructum, ſobolemq́; impedientia, auferuntur, & excinduntur: & quod vtile, & abſq; vitio eſt, relinquitur: quod & in omni etiam re dicitur. Hinc arborum purgatores putatores dicuntur, & putamina purgamenta dicta ſunt. Plautus in Captiuis:

Nucleum amiſit, retinet pignoris putamina.

Dijs prætereà nihil gratum erat, quod non purum, purgatumq́; foret: vnde tractum adagium, de quo Plutarchus in vita Numæ: Ne liberis Dijs ex vitibus non amputatis. Dicitur etiam, rationes putari. Et in multis priſcorum monimentis, Argentum purum putumq́;, coniunctim legitur, id eſt, valde purum, &, vt interpretatur A.Gellius, exputatum, ac excoctum, omniq́; aliena materia carens, detractis ex eo omnibus vitijs, emaculatum ac candefactum. Imputatum etiam Pompeio, nondum purgatum. Computare etiam Varroni, pro putare. Sed iam ſatis de vocabuli etymo. Putatione autem arbores multò lætiores erunt, atq; vberiores reddentur, amputatis ſuperuacuis, & nimis improbè proſilientibus & luxuriantibus ramis, qui partim fructus prohibebant, partim alimenta abſumebant. Fit enim ceu deriuatio quædam plantarum alimenti, prout aliquis deduxerit. Quippe cùm ad ea, quæ relicta ſunt, pabulum confluat, eaq́; etiamnum auget, vt liberè natura ad fructificandum impetum ſuum faciat. Etenim quò pauciora reliqueris, eò feraciùs germinabunt, vt proptereà fructus copioſiùs præſtent. Onere etiam preſſæ ac languidæ, circunciſis quæ proceritate, quæ pondere premebant, non iniucundo remedio leuantur. Quibus etiam aliena vmbra laborantibus cœlum aperit. In ſumma, Antiqui tanti arborum putationem, propter vtilitatem, fecerunt, vt deam, quæ putationi præeſſet, finxerint, quam Putam vocauerunt, Arnobio autore. Decacuminationes autē vocamus, cùm arborum ſummas extremitates præcidimus. Græci ἐπικοπὴν vocant. Adeò enim hanc quædam verentur, vt hac cauſa moriantur: vt ſunt ferè omnes, quibus ordinatim rami ab lateribus exeunt, vt abieti, pino, pinaſtro, piceæ, larici, & cæteris alijs: vt cupreſſo, cedro, iuniperum ſuperaddunt. Quarum nonnullæ, detrūcata coma, & depreſſo cacumine, aut ignibus aduſto, ſurſum ſeſe non ampliùs leuantur, ramis ſolùm in latus, deformi facie, excreſcentibus, ac germinantibus. Pinum autem & palmam, non emori, ſed ſterileſcere Plinius ſcribit. Huius autem effectus cauſam hanc quidam reddiderunt, quòd videlicet ſiccæ ſint naturæ, & meatu rectiſſimo, atque vnica radice inhæreant: & toto impetu ſuo ſurſum contendant. Illud quoq; abieti, & nonnullis alijs accidit, vt ramis omnibus ablatis, & deciſo

cacumine,

cacumine, moriatur: præciſis ſolùm inferioribus, quòd ſupereſt viuit. Siquidem à latere nunquam renaſcitur. Nouellas autem plantas ante, quàm radices egerint, & his bene ſeſe firmauerint, amputare non licet, neque etiam eas ſolicitare. Non niſi poſt biennium à tranſplantatione ferro tangi Columella præcipit. Palmam nouellam ferro minimè tangi debere, Theophraſtus memoriæ mandauit. Comas tamen religant, ne torqueantur virgæ: & in altitudinem aſſurgant. Teneræ enim frondes ferrum reformidant, & cicatricem nondum pati poſſunt: magisq́; inſitæ, quàm ſylueſtres. Sed quas ferre poſſe putaueris, primò leniter amputato, & eas à primis & teneris annis ferrum aſſueſacere blandè doceto, & rectè dirigito, additis perticis, & alijs adminiculis, quibus, cùm iuuenes ſunt, regantur, & in bonos mores formentur. Nam veterem arborem fruſtra tractabis. Gn. Martium ex equeſtri ordine, Diui Auguſti amicum primùm nemora tonſilia intra annos octoginta inueniſſe Plinius ait. Tonſiles enim ſyluæ erunt, quæ reciſæ, & in pumilionum breuitatem coactæ, vmbræ tantùm ac delectationis cauſa: vt hac ratione denſiorem vmbram præberent. Quarum item æqua altitudo eſſet, quæ've ob breuitatem ventos & illorum ſtrepitus, & fragores, non recolligerent.

Quo tempore amputandæ arbores, & de putationis norma.

CAP. XVI.

IN putandis verò arboribus, optimi & experientis agricolæ artificium non indiligens eſſe debebit, ſi quod aliud erga ipſas requiratur. Ab hoc enim arboris decora facies, fructuum vbertas, à quo etiam plerunq́; vita dependet. Magnoperè itaq́; præcauere debebit ne, quæ ſolùm reſcindenda ſunt, auferat: ne illi contingat, quod cuidam Thracio imperito agricultori euenit. Is enim fundum emit, olea, atq́; vitibus conſitum, quorum culturæ inſciens erat. Videns fortè vicinum rubos latè atque altè obortos ſtringentem, fraxinos ad ſummum propè verticem deputantem, ac ſtolones in pomis & oleis perſcindentem, vicinum percunctatur, Cur tantam ligni & frondium cædem faceret: Vt ager, reſpondit, mundus purusq́; ſit, & arbores fœcundiores. Diſcedit ille, & imprudenter oleas omnes, arborumq́; lætiſſimas comas, & malorum fœlices ramos excidit: malo quidem ſui incommodo, qui non intellecta rei agreſtis præceptione, audax putator extiterit. Sed ne ignoratis ſuper hac re antiquorum præceptis cuiquam contingat, quod Thracio putatori, libet ea, quæ illi prodidere, patefacere. Igitur qui putat, circunſpectè manum admouere debet, ne ea, quæ ſana ſunt, reſecet, verùm ſuperflua tantùm, & quæ ventus interfregerit, aut quæ in medio, & inter brachia conſtituta ſunt. Extrinſecus enim factitari liberè oportet, & denſa incuruáve, & quæ ſibi incumbunt, auferre. Raritati enim proſpicere oportet, vt reſpirationem habeant, vt perflari placidè, vt ſolem denique ſentire commodè poſſint. Longi etiam rami, & in altitudinem valde excreſcentes, reſcindi debent. Sæpe frondibus arbores luxuriant, quæ earum proli nocumento ſunt.

Quas falce compeſcere oportet: præſertim verò, cùm non ex ipſis frondibus, ſed fructibus generoſam arborem dicimus. Ob id enim apud omnes agricolas receptum eſt, oleas decem cubitorum magnitudinem excedere non debere, ne augmentum ſupra prædictum modum detrimento ſit: cùm nimirum rami per ventorum vehementiam confringantur, & flos excutiatur, ac fructus ante tempus delabantur. Nanq; ferro coërcitæ, in orbem formoſiùs ſe fundunt, vnde tonſiles dictæ, & fructum ramis pluribus ferent. Nonnunquam etiam in olea ramus vnus aliquantò cæteris lætior eſt: quem niſi recideris tota arbos inuidia contriſtabitur. Arborum autem plagæ Septentrionem in Italia & locis feruentibus ſpectare debent, in frigidis verò Auſtrum. Ficorum verò ad Fauonij flatum. Putari aliæ plus deſyderant, aliæ rarius. Balſamus putatione gaudet: Auellana melior, atq; fructu copioſior, quò in plures ramos diſperſa fuerit: ideò tonderi non debet. Contrariæ tamen ſententiæ eſt Theophraſtus, vt fœcundiorem aſſerat, virgis aſſiduè præciſis. Quod magis expertus ſum. Minus proſperè ferrum patiuntur, quæ cortice tenui veſtiuntur, & quæ plaga infirmantur, vt pyrus, & malus. Nunc videndum quo tempore commodiùs deputentur: quod in Autumno omnes penè faciendum contenderunt. Per id enim tempus, arbores ſolidiores ac fortiores eſſe videntur, à fructu liberæ, & quieſcentes. Primùm enim medius humor in germina & fructuum alimentum inſumptus eſt, & quicquid reliqui humoris, per æſtatis calores reſiccatum: deinde hybernos imbres nondũ ſuſceperunt. Quotum omnium gratia præfatum Autumni tempus ad arborum putationem maximè maturum eſſe. Hoc poſt Vergiliarũ exortum ſpecialius deſignant quidam: alij poſt fructuum deceptionem: vt hac ratione comprehendantur, quæ ſeriùs fructificant. Nonnulli amygdala menſe Nouembri. M. tamen Varro hyeme interputari arbores his duntaxat temporibus, cum gelu, imbribus, ac glacie cortices caruerint. Cato oliuetum inter vernum & Vergiliarum exortum. Huius enim ſuper hac re talis eſt ſententia: Oliuetum diebus quindecim ante æquinoctium vernum incipito putare. Ex eo die quadragintaquinq; diebus rectè putabis. Menſe Martio & Septembri incrementum maius caſtanea accipit, ſi putationibus adiuuetur. Fico peculiaris deputatio, ſcilicet ante, quàm germinet. Et hæc omnibus fieri debet decreſcente luna, poſt horam diei tertiam, cœlo ſereno, aut ſiccis ventis. Hoc autem ſingulis annis minime factitandum: ſed quædam ſeriùs, quædam præcociùs. Quinetiam oliuetum compluribus interpoſitis annis putandum. Nam veteris prouerbij meminiſſe eum conueniet, Qui aret oliuetum, rogare fructum: qui ſtercoret, exorare: qui cædat, cogere. Quod tamen ſatis erit, octauo anno feciſſe, ne fructuarij rami ſubinde amputentur. Palmas robuſtas deputant craſſitudinis gratia, ramos ſemipedales, vt Plinius voluit, verùm Theophraſtus quantum magnitudo palmi relinquentes. Iuglandes, præſertim vetuſtæ, amputatis à trunco ramis mirum fructificant. Quod item in olea, myrto, punica, veteribus faciendum Theophraſtus arbitratur. Quarum deciſis ramis, truncos tanquam denuò ſatos coli oportet. Nam ſub

terra infeſtari eas minimè perhibent. Quædam enim, maximè annoſæ, totæ reſcinduntur, ac rurſus à ſtolone aliquo reſurgunt, ſed non omnes, nec quarum radices anteà morbo læſæ fuerint. Arundo reciſa,fœcundiùs reſurgit.Poſt brumam hæc cæditur,præcipiente Columella. Nam vſq; ad id tempus incrementum capit:poſteà compeſcitur, cum frigore obriget.

De remouendis ſtolonibus, & C.Lucinio. De lucorum collucatione. Quid ſit compeſcere lucum: quid ſublucare, & interlucare: & de remedijs contrà arborum frigora. CAP. XVII.

INTER ciues Romanos C.Lucinius fuit. Is legem tulit, quæ ciuem Romanum plus quinquaginta iugera habere vetabat. Diligens enim & doctus agriculturæ fuit. Qui, quòd in eius fundo,circa arbores nullus ſtolo reperiretur, Stolonis cognomen adeptus eſt. Circuiens enim agrum ſuum, circum arbores qui naſcerentur ſtolones aſſiduè effodiebat, vel euellebat.Enimuero in ipſis arboribus hæc inutilis fructificatio hoc nomine vocatur. Quæ non ſegniter falce quoties apparuerit, extirpanda, maximè verò in nuper inſitis. Nam ad ſe alimentum auocat, efficitq; vt inſitum fameſcat, & emoriatur. Nempe ea ablata celeriùs adoleſcunt arbores, redactis in vnam ſtirpem alimentis: nam cibum circa radices furantur. In nouellis enim plantis non ampliùs vno ſtirpe relinquendum. Reſecandæq; illius propagines omnes,vt rectus,atq; nitens ſit,& vt aſſurgat. In vertice autem, vbi iuſtam altitudinem conſtitueris, tres ad minùs quatuórve commodè inter ſe diſtantes relinques. Sic enim formanda planta vſq; dum tenera eſt, & ab ipſa iuuentute, vt ſui corporis geſtum, decoremq; tenere diſcat. Suprà de lucis dictum eſt. Supereſt vt hic de ſublucatione, quòd propinqua putationi ſit, dicamus. Sublucare, Feſto Pompeio,eſt arborum ramos ſupputare,& in denſitate ſuperfluos per interualla deputare, quaſi ſub lucem immittere. Eo verò ſignificatu eſt interlucare, vnde nata interlucatio, de qua ſic Plinius: Interlucatio arboribus prodeſt, ſed omnium annorum, trucidatio inutiliſſima. Collucare autem dicitur, cùm rami ſyluæ ſacræ lumini officientes vel arbores ipſæ ſucciduntur,vt lucus luce impleatur.Sublucare eo minus eſt.Lucum collucare Romano more ſic oportere M.Cato docet: Porrò piaculo ſic facito, Sic verba concipito: Si deus,ſi dea es cuius illud ſacrum eſt,vti tibi ius ſiet porco piaculo facere,illiuſce ſacri coërcēdi ergô.Harumce rerum ergô,ſiue ego,ſiue quis iuſſu meo fecerit,vti id rectè factum ſiet. Eius rei ergô te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, vti ſies volens propitius mihi, domo, familiæq; meæ, liberiſq; meis. Harumce rerum ergô macte hoc porco piaculo immolando eſto. Si fodere velis altero piaculo, eodem modo facito, hoc ampliùs dicito, operis faciundi cauſa: cùm opus quotidie per partes facies. Sed ſi intermiſeris, aut feriæ publicæ, aut familiares interceſſerint, altero piaculo facito. Compeſcere

lucum

lucum Pompeio erat,ſuis finibus cohibere. Seneca in Tragœdijs.

Alta vetuſtum valle compeſcens nemus.

Quidam aduerſum frigora, ſtramina circum ſtipitem ligant. Quod ita faciundum erit, ne inter ligandum plantæ cortex lædatur. Quare arbuſculam in ea parte,qua vincitur,in orbem muſco, alióve veſtiunt,ne ſingulo, palóve vulnerentur. Alij fimum exaggerant, aut etiam mapalia & caſas deſuper ex paleis exædificant, quas adueniente vere diruunt. Maior autem horum cura, qui arbores in capſis ſerunt, vt hyeme ſubterraneis fornicibus reponant, quas illarum gratia ædificant, & ad ſolem meridianum vertunt: illas per hyemem atq; per dies ſerenos educunt, & per noctem includunt. Quod in Gallijs,ac Italia,in malis medicis iam multis locis fieri cœptum eſt. Sed & Vergilius teneras myrtos à frigore defendendas oſtendit,dum in ſuis eglogis ait:

Hûc mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos. Ecloga 7.

Præfatio libri decimitertij.

OMNIA *orta occidere, ipſa experientia docet, vt alicuius teſtimonio minimè indigeamus: vt ſolius Cypriani, ad Demetrianum, erga ipſas arbores ſententia comprobemus: ait enim. Et arbor quæ fuerat viridis & fertilis, areſcentibus ramis fit poſtmodum informis. Quòd poſt animantium omnium genera, manifeſtius in plantis conſpicitur. Uti eas anteà aliqua infirmitate, veluti animalia, affligi oporteat. Neque enim omnes vno morbo, quod itidem in animalibus eſt,verùm diuerſis,nonnunquam peculiaribus, ſecundùm plantarum differentias ſicuti infra dicetur, laborant. Quòd agricolam noſſe conuenit,& prudenter mederi: vt ſuo labori, impenſa, ſæpe minima cura ac facili remedio ſubuenire habeat. Erga enim plantas quas ſeuit & inſeruit, eum eſſe in neceſſitate beneficum atque medicum & miſericordem eſſe oportet, ne negligentiæ & ingratitudinis vitio arguatur, & quaſi ſuæ prolis pene enector habeatur & exiſtimetur, vt illis, illarum vmbra, fructu, & denique vita carere habeat. Eandem autem gratiam, erga ipſas habere eum oportet, quam bonus paterfamilias circa liberos ſuos: cui nil eos procreaſſe profuiſſet, ni iam adultis & languentibus, ſua ope omnimodò ſubueniret: alias his & illorum progeniei diuturnitate atque officijs liberalibus carere. In qui-*

bus certè, tam pijs parentibus, quàm ſedulis agricolis non ſegniter nauandum, ne morbi ſæpenumero exigui, longa tabe, & longa mora, tam liberi quàm arbores periclitentur. Nempè verò in plantis veluti in animalibus ſerò cùm iam inualuerit morbus, medicina paratur, ſubſequaturq́, ex minima incuria, grauis pœnitentia.

HORTORVM LIBER DECIMVSTERTIVS.

De morbis & vitijs arborum. CAPVT I.

VITIIS ac morbis arbores infeſtari, atque emori, vt homines, & cætera quoq; animalia omnibus certum eſt. Vt eadem ratione atq; in illis, quædam naturæ, ac nominum ſocietate, arborum morbos dicamus: vt cùm harum trunca corpora, abortus, famem, obeſitatem, impetiginem, exuſtos germinum oculos, & horum cæcitatem, & ſimiles ſortes, ac pleraq; alia, cum mortalium miſerijs communia. Peſtilentia quoq; ac lue, per genera, veluti inter homines, nunc ſeruitia, nunc plebem vrbanam vel ruſticam vocamus. Nec enim vbiq; gentium huiuſmodi calamitates omnibus pares: ſed frequentiùs, largiusq́; aëris inclementia: nonnullis, vt animalia locis. Harum autem morborum cauſæ plurimorum, aut ex eorum natura, aut ex cœli temporis intemperie. Et hac ratione extrinſecus, cùm frigora ſupra modum, aut æſtus, aut imbres, vel ſqualores, vel aliqua cœli grauitas inceſſerit. Intrinſecus verò, cùm alimenti vel copia, vel inopia fuerit. Etenim eas fame, & cruditate laborare conſtat. At arborum morbi quidam omnibus communes, vt vermiculatio, ſyderatio, carbunculatio, radicatio, ſcabies, ſtrangulatio, membrorum dolor. Inter quos verò & abortum & ſterilitatem, iure computauerimus. Quidam verò aliquot generum peculiares, vt ficis impetigo, & quæ adnaſci ſolent cochleæ, oliuis, congros. Arborum quædam genera, veluti animalium, morbis minùs obnoxia, vti ſylueſtrium. Nam hæ vitijs plus minus quàm vrbanæ, obnoxiæ ſunt, vexariq; tantùm in germinatione, floréve, aut feruore, flatuq́; frigidiore ſolùm aduri quidam exiſtimarunt: maximè verò caprificus: vt potè qui nec radicatione, nec ſcabie, aut vermiculatione lædatur. Propè enim ab omni vitio, quod præter naturam contingit, immunis. Hoc autem arboribus euenit, quod & hominibus: vt ruſtici, ferè

ſylueſtres non ita frequentiùs,non ità faciliùs,neq; ex leuiori cauſa,veluti vrbani, ægrotent. Langueſcunt autem arbores nonnunquam toto corpore, iniuria hominum, vel animalium, vt cùm plagam, ligone, falcéve, aut raſtro acceperint: vt hoc modo caſu naturaq; ægrotent,vt animalia, arbores.

Morborum quorundam cauſa. CAP. II.

HVMORIS quantitate laborare arbores dixerunt, cùm vel fame, cruditate, pinguedinéve ægrotant. Alimenti enim abundantia, & nimia pinguedine, laborant arbores. Nutritione enim ſuperflua,meatus præ obeſitate,& condenſatione,obſtringuntur, vt arborum rami cibum accipere nequeant. Omnia enim, quæ ſupra terram naſcuntur, ſpirituum & meatuum ſolutionem libertatemq; deſyderant. Hoc autem vitio ceraſus plurimum infeſtatur, cùm nimio alimento gummi ſuperabundauerit. Hoc vitium, ſtrangulatio dicitur. Intereunt etiam, cùm radices pingueſcere cœperint, veluti animalia, adipe nimio. Reſinam autem ferentes, nimia pinguedine in tædam mutantur. Contrà verò alimenti inopia, veluti fame,laborant plantæ: cùm radices ſublimes,proſpectæq; ſunt.Tunc enim humorem propter Solis ardorem tranſmittere nequeunt. Nempe ſuccus plus,quàm commodum ſit,craſſatur: vnde morbus exinde,atq; interitus ſequatur, neceſſe eſt. Hoc autem proximum accidit, cùm aquæ inopia ſquallent. Luxuries etiam in arboribus erit, quam intempeſtiuam fructuum abundantiam appellabimus, Græcè φυλλομανεῖν. Fœcunditate enim,veluti animalia effœta,pereunt. Quemadmodum enim in animantibus,nimia ſeminis profuſio, & excrementi ſeceſſio, corpus calefacit, & ſenium celeriùs inuehit: itidem in plantis eueniet. Siquidem pro magnitudinis ratione largiùs,quàm par ſit,ſi fructificant,citò areſcent. Nam hæ fœminæ,quæ crebriùs pariunt,rarò ad ſenium peruenient.

De arborum abortu. CAP. III.

ABORTVM, veluti in animalibus,ita & in plantis quoq; dicemus. Non tamen ſicut in illis totius fœtus interitum: vt nonnunquam in ficis, in quibus mirabiles abortus ſunt, nunquàm matureſcentes, ſed quandam humilitatem, & puſilitatem,& præter eius generis arboris communem, & aſſuetam proceritatem,ac craſſitiem. Et quemadmodum inter homines, pumilionum infœlicitas dicta eſt: ſic inter arbores abortio. Indi tamen, & Dioſcoride,& Plin. autoribus,piperis ſemen,quod cum aëris intẽperie & carbunculatione inane caſſumq; eſt,braſma vocant,quòd illorum lingua,abortum denotat. Græci autem huiuſcemodi abortum,hoc eſt,paruitatem,denotare volentes, aduerbium χαμαὶ, arboris nomini præponunt, quod humi Latinè deſignat. Significantes hanc illam humi ſerpere,nec ſeſe altè à terra extollere. Vt cùm dicunt,chamæplatanus, chamædaphne,chamæmyrſine,chamæceraſus. Frutex (autore Plinio) cuiuſmo-

di ſylulæ in Gallia maximè prope Lutetiam Pariſiorum,acidorum generis ſolùm, vt hic tantum & ſequenti dixiſſe æquum. Pumila etiam arbos in Bithynorum agro frequens:veluti apud Athenæum Aſclepiades Myrtenus depinxit,radice parua, baccis ceraſorum ſimilibus, & per omnia ei arbori conſimilis. Copioſè enim veſcentibus caput vini modo grauat,& dolores cit, chamæcyſſus,chamæacte,chamærriphes,Genus palmæ eſt,folio molliori ac latiore, Chamæbatos,chamæpeuce,chamælea,chamæros, chamædrys,chamæpytis, chamæmelon: Harum quædam herbarum vocabula, quarundam arborum effigiem referentes. Quare ab his nomen deſumpſerunt,propoſita dictione χαμαὶ, & vt generalius loquar, arbuſtus. Præterea (autore Alberto) ſi hunc autorem comprobabis, tametſi citra veram analogiam, tamen iuxta rei proprietatem, vt fuit nonnullorum antiquorum vocabulorum deriuatio,dictus,quaſi arborum buſtus, quod arbores altè non creſcant. Fit autem,vt Plinius ait,& ſerendi genere, & reciſione. Cùm huiuſmodi paruitatem in quibuſdam arboribus deſyderamus,maximè in hortis,ſepium & topiarij operis cauſa,falce illarum ad creſcendum naturam compeſcendo. Sæpiùs tamen,vel deficiente humore & alimento: Quod loci ariditate euenit. Sed & inter, quædam arborum genera,huius breuitatis reperiuntur arbores,vt ſuprà diximus,vt inter mala,quæ à diuo Ioanne,& paradiſiaca nuncupamus.Igitur talis plantarum abortio, ſicuti in animalibus, morbus exiſtimabitur. Nam præter naturam infirmantur, ſi artificio & induſtria tales reddantur. Natura verò ſi puſillæ ſuapte natura, vel ſint, vel alimenti inopia remaneant.

De morbis ex cæli intemperie, & temporum ratione prouenientibus, & de ſideratione, ſiue vredine. CAP. IIII.

COMMVNIS omnium ſatorum calamitas, vt cœli iniuriam laborent, maximè verò arbores,

Corrupto enim (vt ait Vergilius) *cæli tractu, miſerandaq; venit*
Arboribusq;, ſatisq; lues, & lethifer annus.

Ante omnia enim cœleſtis offenſæ duo genera,inquit poſt Theophraſtum Plinius, meminiſſe conueniet. Primum quod tempeſtates vocamus, in quibus intelligendæ ſunt procellæ, grandines, cætera ſimilia. Quæ cùm acciderint,vis maior appellatur. Hæc ab horridis ſideribus exeunt,veluti Arcturo, Hœdis, Oriono. Alterum verò eorum,quæ cœlo ſilente, ſereniſq; noctibus fiunt: Quæ à nullo quidem præſentiuntur,niſi cùm facta ſentiuntur. Sic enim Flora apud Ouid.in Faſtis fatur:

Faſt.5. *Sæpe mihi Zephyrus, dotes corrumpere noli,*
Ipſa tuas, dixit: dos mihi vilis erat.
Florebant oleæ: venti nocuere proterui:
Florebant ſegetes, grandine læſa ſeges.
In ſpe vitis erat, cælum nigreſcit ab Auſtris.
Et ſubita frondes decutiuntur aqua.

Inter cœli offenſiones, frequens communiorq; eſſe ſolet, quam ſiderationem

tionem vocamus, Græcè σφακελισμὸς dicitur. Nam ex cœlo tota conſtat. Hæc enim ex pruinarū natura progreditur. Quæ verno tempore, intuitatis atq; properantibus ſatis, atq; adhuc mollibus, reſidens, lacteſcentes germinum oculos adurit. Quare vredo, autore Feſto, dicitur, Græcè καυθμὸς, in flore verò carbunculatio, ac ſi velis dicere vredinis carbone exuſtæ. Pruinæ enim perniciofior natura. Hæc enim prolapſa perſidet, gelatq; : ac ne quidem aura vlla depellitur, quoniam non fit niſi immoto, atq; ſereno aëre. Adueniente enim iam die, ac calore, frigus ipſum nocturnum ſuas in ſeſe omnes agit vires, inſurgitq; multò acriùs aduerſus ingruentem hoſtem, vt per conatus ipſos, aduerſus, contraq; obiectos, ac ſummè infeſtos, per eam, quam ἀντιπερίστασιν Ariſtoteles vocat, efficitur, vt etiam frigus adurat. Quod eſt ignis proprium. Siderationis etiam proprium, ſub Canis ortu. Tunc enim Syrius agros exurit. Illius autem exortum ferè omnia, præſertim verò nouellæ plantæ & ſurculi præſentiunt. Ratione autem ſuæ imbecillitatis tunc ſiderantur, maximè ficus. Nimij enim æſtus adurunt. Reſiccata verò tellure, neceſſarium humorem arbores minimè habere poſſunt. Quam verò iniuriam non adeò faciliter maiores, ac validiores arbores ſentiunt, radicibus illarum longiùs progredientibus: in veteribus etiam humor pinguior, atq; ad fructificandum, quàm in iuuenibus, maturior. Mutationem enim hæ minùs ferre poſſunt. De vredine & ſideratione ſic Horatius:

- Haud quia grando Epiſt. lib. 1.
Contuderit vites, oleamq; momorderit æſtus.

Generaliter autem conualles, loca caua, anguſta, & quæ fluminibus vicina ſunt, vredine magis laborant. Et in ſumma, quæ ab omni aura ſilent. Tunc verò his locis eiuſmodi ſpiritus diutiùs immoratur, & conſiſtit, igitur efficaciùs vires ſuas experitur. Quod in cæteris aëris motus prohibet. Nunc in vniuerſum, de gelu, quo non ſolùm infirmiſſimæ, verùm etiam maximæ periclitantur. Sic enim vexatis, prima cacumina inareſcunt, quando præſtrictus gelu humor eò peruenire non potuit. Itaque per hyemes cœli rigorem probamus, & ea tantùm frigora arboribus prodeſſe. Intempeſtiua autem exitioſa, ſuprà docuimus. Præſertim verò humi ſtillicidium damnoſum, cùm arbores ablaqueatas cæſpiteq; ſpoliatas occupauerit: tum maximè, ſi aqua ſtagnans adſit. Quod ſi diutiùs durauerit, infirmas radices penitus congelabit. Nam ſi ſolum agitatum inuenerit, vehementius offendet. Liberiùs enim penetrabit.

De ſcabie, radicatione, tabe, impetigine, & morbis ex locorum natura. CAP. V.

TABEM in arboribus aliqui dixere, Græcis ἔκπληξις dicitur, quaſi quidam ſtupor, rigorq;, cùm frigore & altiore gelu amnis contrahitur, cùm tabido morbo arborum ſtirpes areſcunt, veluti homines ægritudine longa emaciati, vt tabem in arboribus etiam maciem dixerim. Scabies potiſſimum in arboribus gignitur, ſi pluuiæ lentæ inceſſerint, maximè verò (autore

tore Vergilio) ſi pòſt Vergilias. Nam ſi crebriores fuerint, arborem abluunt, nec ſcabiem ſcalpunt. Tunc enim humor vitiatus, vt puſtula erumpit. Quo vitio & groſſi delabuntur. Quòd ſi copioſius fuerit, ad radices perfluit, illasq; inareſcit, marceſcuntq; poſtremò, aut glabræ fiunt. Hoc vitium Theophraſtus radicationem, Plinius aulam, alij patellam vocant, nonnulli in olea impetiginem. Ratione etiam locorum morbi euenire ſolent, ſimili, vt in animalibus, cauſa: quos & flatus regionum excitant: vt in Apulia Atabulus, autore Plinio, & Olympias Calcide Eubœæ (autore Theophraſto.) Hic enim perfrigidus, poſt ſolſtitia hyberna, exurit arbores, atq; aridas & ſiccas relinquit, vt nullis ſolibus, neque longo etiam tempore, recreari poſſint. Hoc pluries huic regioni euenit, verùm vehementiſſimè anno quadrageſimo Archippi Athenis magiſtratu. Tunc enim maximè ficus elanguit, ſecundo loco olea, & oleaſter: quanquàm robuſtior hæc ſit, quod mirum fuit. Mali autem, & pyri, & amygdalæ, ſine vlla noxa remanſerunt, vt ſcribit Theophraſtus. Quod cùm contigerit, à caudice ſtatim exuruntur, atq; in totum magis prius, quàm id ſentiant partes inferiores. Detegitur confeſtim, in germinatione, tardiùs tamen in olea, quòd ſemper vireat. Signum eſt reuiuiſcendi, ſi folia amiſerint. Quæ minùs vt putes præualuiſſe, motiuntur: nonnunquam inareſcunt folia, eademq; regerminant. Arbores in Septentrionibus, veluti in Ponto circa Panticapeum, & in Phrygia bifariàm tabes iuuabit, frigore ſcilicet cùm annus frigidus eſt, aut gelu, ſi poſt Brumam quadraginta diebus continuauerit. Ibi autem, & cæteris locis, ſi fructibus protinus editis, gelatio vehemens conſecuta fuerit, paucis diebus enecat. His quoque locorum ratione, morbi euenire ſolent, quemadmodum animalibus. Nam apud aliquos ſcabies nullo modo infeſtat, vt nec circa Æneam, autore Theophraſto.

De quibuſdam alijs arborum morbis, & nonnullis quibuſdam peculiaribus. CAP. VI.

SVNT & alij plantarum morbi. Non enim paucis, vt animalia, infeſtantur. Omnibus quidam communes, alijs ſpeciales. Nam & locorum homini affectiones quædam vt neruorum. Id autem arbori æquè duobus modis: aut in pedes, hoc eſt, radices morbi vis erumpit: aut in articulos, hoc eſt, cacuminum digitos. Qui morbi longiſſimè à toto corpore exeunt, extrinſecus plagis, ac vulneribus fit, cùm frigore aduruntur, Ariſtoteli, Theophraſtoq; σφακελισμὸς dicitur. Quidam ſphacellum vocant. Tuber radicis arborum vitium. Gignitur etiam in ramis. Quidam gongron appellant, cùm oleæ euenerit, Theophraſto autore. Nam & illæ magis, quàm cæteræ, laborant. Alij premnum, multi crotonam. Ab alijs mices, ſiue lopas. Quibus verò caudex vnus, minùs nocere videtur. Alius ab hedeta candida morbus: enecat enim arbores. Totidem enim radicum initia, quot brachia habet, quibus arbores exſiccat, & alimenta prohibet. Nam eas arctè vinciendo, pabuli meatum impedit. Quæ ſi vim tantam,

vt præu

vt prævalidas omninò enecare ac interficere non valeat, infirmas tamen reddit, caudice ac ramis deformes, atq; ingrato hoſpite infœcundiores. Similem periclymenos frutex labem adfert. Non contentæ enim hæ alieno hoſpite, ſine quo ſubſiſtere minimè poſſent, ni quoq; ingratæ illum afficerent. Muſco etiam arbores, præſertim locis ſiccis ac humidis, infeſtantur. Rubrum oleis, ſcribente M. Carone, maximè nociuum, vt nec fructum nec frondem lætam inducant. Oleæ quadam Solis inuſtione morbum contrahunt: quem alij clauum vel ſungum appellant. Græcis ἧλος. Pini morbus eſt, vt teda fiat. Quod Idæi, autore Theophraſto, accidere dicunt. Cùm non ſolùm cor, verùm etiam exterior caudicis pars in tedam tranſmutatur. Tunc enim quodammodo ſtrangulari arbitrantur. Quod fieri arboris largiſſima vbertate tradunt. Tunc autem totum teda efficitur. Hoc autem malum vetuſtiores perſentiunt. Amygdalæ vitium eſt, vt è dulci in amaram tranſmeet. Sed hoc quibuſdam iniuria non eſt, ſed beneficium: vt pyro, quæ phocida apud Chios appellatur. Vtilior enim hoc modo fit, autore Theophraſto.

De arborum interiùs vermiculatione. CAP. VII.

MAXIMA, atque exitialis arboribus lues, vermiculatio, vt hîc tantùm de vermibus, qui intrinſecus rodunt, dicam. Nam & arbores ipſas, ſi diutiùs eas poſſederit, interimere ſolent, vt infeſtiſſimo malo, hoc omne arborum genus, non æquè tamen, afficiatur. Vitium hoc alites, maximè picus martius, ſono caui corticis experitur, cùm eiuſmodi vermes ad prædam venetur. Depræhenduntur etiam paruo foramine, ex quo lacryma defluat, præſertim veris tempore. In vniuerſum autem magis ſentiunt, quæ lacteo ſunt ſucco. Dulcedine enim hac, propter cibum, magis alliciuntur, generationiq; illorum magis conuenit. Veteres huic morbo magis obnoxiæ, tum maximè, ſi ſiti laborauerint: ideoq; magis ſi in feruidis locis ſint. Speciatim plus hæ, prunus, perſicus, pyrus, malus, ficus, punica, meſpilus, ſorbus, olea, æquè ac ficus. Generaliter etiam minùs ſentiunt, quæ amaro ſucco, quæq; acri acerboq;, vt cupreſſus & laurus. Quæq; etiam odoratæ. Minùs enim putreſcunt, partum etiam horum prohibent. Duritia etiam, veluti in buxo, naſci prohibet: At nunc de nonnullarum arborum vermibus ſpecialiùs dicendum. Neque enim vnum & idem vermis genus omnes arbores infeſtat. Nam & habent quædam arborum genera ſuas huiuſmodi ſpeciales reptilium peſtes, proprijs etiam nominibus notas. Termites tamen generali voce, ligni vermes dicuntur, Græcè ὁ ἄλμινς ἄλμινθος. Alius multarum arborum vermiculus quidam multipes: quare celeri curſu, ſatis oblongus, inſenſiſſimus omnium, quos nouerim. Nam ad erodendas arbores impenſiſſimus, & ad necem citò deducendas feſtinantiſſimus, numeroſa progenie magis, quàm vi corporis, exitialis. Vulgus auriculariam vocat. Trips etiam vermiculus lignarius. Ficos enim vermis ceraſtes nomine moleſtat. Sonum edit ſtridoris exigui. Calaris Theocrito apprimè odio eſt, quòd ficos rodat. Sorbus vermibus

rufis ac piloſis infeſtatur, at ita ſeneſcens exareſcit. Meſpilus quoq; in ſenecta vt plurimum vermiculationi obnoxia. Maiores enim vermes in ea, quàm in alijs cæteris arboribus, cernuntur, vt Theophraſtus autor eſt. Roborum vermes prægrandes coſſi vocantur: vnde, autore Feſto Pompeio, rugoſi corporis homines antiquitus coſſi dicebantur. In quibus, autore Plinio, luxuria olim fuit, vti ederentur, atq; etiam in farina ſaginati vt ij quoq; alites fierent. Vermiculatio ipſa fructus ſequitur, alia arborum peſtis, non continuò, vt in ipſis parentibus, ſed quibuſdam, per ſe ſolùm annis, cuius pernicies eſt, vt ante maturitatem decidant: vel alias ingrati, præter ſuam dotem ſaporis ſint, neq; conſuetæ diuturnitatis, maximè malorum, pyrorum, & punicorum. Oleæ arahmus vermis adnaſcitur, verùm ancipiti euentu. Nati enim ſub cute, fructum adimunt. Augent Vere, ſi in ipſo nucleo fuere erodentes eum. Alij calpem vocant. Auſtrinis enim flatibus generantur, ramis anniculis, cùm imbres ſecuti fuerint. Gigni illos pluuiæ, quæ poſt Arcturum ſequuntur, prohibent. Qui autem in drupis ſunt, ad iacturam certè peiores inueniuntur, & marcidi & putres omnino videntur. Tunc enim præcipuè caducæ ſunt. Id in riguis magis euenit. Sorborum fructus in arbore adhuc crudus eroditur. Ficorum ſemina tineæ vexant. Pomum fici Ægyptiæ celerrimè teredinem ſentit, autore Dioſcoride.

De erucis, culicibus, & alijs huiuſmodi animalibus, arborum florem, folia, fructumq́, depaſcentibus, & de arborum venenis. CAP. VIII.

SVPRA de vermibus, qui interiùs arbores infeſtant. Reliquum erit, vt de erucis, & alijs exteriùs arborum folia, florem, fructumq́; deuaſtantibus: quorum calamitas partim ab aëre & ſignis cœleſtibus prouenit. Et horum omnium infeſtiſſima lues erucarum erit, vt non ſolùm eas fructu priuet, ſed & fronde, viriditate omni, ac vmbra, & prorſus omni ſua dote, triſti aſpectu, facie turpi, illas deformes relinquens. Vere enim ſtatim proſiliens, germen deprædatur, vt vno maleficio & flos & fructus ſimul interimatur, matrem etiam iterum alia germina producere, & amiſſum decorem ſtabilire nitentem, ſimili iniuria afficiente. Fructum etiam, vbi vires nondum conceperit, erodunt. Frondem & folia ſuis telis inuoluentes, & omnia vrentes, quibus ſui propaginem in annum futurum ad ſimilem peſtem ſuperſtitem relinquunt. Naſcuntur enim humido & læto tempore, cùm humor reſederit, & pòſt ſol acrior inuſſerit. Huiuſmodi autem Solibus vberrimè creſcit, & augeſcit,

Colum. lib. 10. *Sæpe* (vt ait Columella) *etiam grauidis irrorat peſtifer vndis,*
Ex quibus infeſtæ Baccho, glaucuq́; ſalictis
Naſcuntur volucres. Sunt etiam nunc vermium genera aliquibus ſpeciatim moleſta, vt ficis: qui videntur ex humore dulci corticibus ſubdito naſci. E groſſis etiam culices oriri manifeſtum eſt, verùm ex putreſcentibus eorum granis. Cuius quidem rei indicium afferunt, quòd poſt-

quàm

quàm euolauerint, nulla intus grana penitus reperiuntur. Exeundi verò tanta auiditas eſt, vt pleriq; aut penna relicta, aut pede pariter erumpant. Eſt aliud genus, quod vocant centrinam, alij centinam, non minima ficorum pernicies. Nam otioſè (vt inter apes fucus) viuit. Et quos ficorum maturitati, vt ſuprà diximus, vtiles interimunt, cùm viderint ſua poma ingreſſos. Suis tandem moritur operculis. Culices ficarios Ariſtophanes & Ariſtoteles, Ionica voce Pſenas appellat. Galenus verò à milij ſimilitudine cenchramidas. Humor autem, qui in vlmi folijs prima germinatione fit, ſi aruerit, in beſtiolas abit, quæ cnipes à Theophraſto dicuntur. Alias in Autumno fert canchryes vocitatas, complures minutas atq; nigras. Pinorum teterrima lues, à quibus pityocamparum nomen ſumpſerunt. πίτυς enim pinus, κάμπη verò eruca. Folliculos terebinthus fert, parua animalia, ceu culices, emittentes. Cantharides etiam pyrorum vermiculi dicuntur. Roſæ verò & cynocanthæ, peucæ. Quorundam verò annorum, omnium arborum, maximè iuglandium, non minima calamitas bordellarum. Sic enim Lugdunenſes prægrandes culices vocant. Iulus beſtiola multipes. In quercubus gignitur, in frondibus deliteſcens. Galbos animalia exilia, quæ eſculis innaſcuntur, appellari Suetonius autor eſt. Sed quibuſdam locis, hæ peſtes crebriùs, intenſiusq; progrediuntur. In Mileto enim oliuarum deterrima erucarum calamitas eſſe ſolet. Illic enim ſæpiùs, quàm alibi, arbores omnes deprædantur. Formicarum omnium arborum peſtis acerrima. Arborum, ſicut & animalium, venena reperiuntur. Generaliter autem omne pingue arborum inimicum, ceu pix & oleum, vſqueadeò inimiciſſimum, vt ſi eo inungantur arbores, protinus intereant. Inde ortum adagium, Amicis vt oleum plantis. In eum autem quadrat, qui inimicus, infeſtusq; omnibus eſt, atq; inſociabilis morum feritate ac truculentia. Maximè nouellis plantis ob ſuam caliditatem nocet. Fabarum & erui putamina arboris radicibus admota, illam areſcere cogunt. Viſcum quoq; plantam interficit, ſi diutius ibi moretur. Nitrum etiam, & alumen, aqua marina calida: inſita etiam mulierum menſtruis emoriuntur. Fructus quibus exciderint, exuruntur.

De morbis iniuria hominum contingentibus. CAP. IX.

MORBI, qui hominum iniuria conſtant, ſecundas habent partes, vt maximus ille habeatur, ſi arbor decorticetur. Porrò etiam ab vniuerſo ictu, maxima ferè pars morborum, vt quidam exiſtimant, contrahitur. Quippe & quæ ſiderata appellant, & radices inareſcunt: eadem etiam cauſa laborare aiunt. Communis itaque omnibus mors, cortice in orbem detracto. Omnes enim hoc modo mori videntur, excepta vnedone. Quæ tamen & ipſa, ſi quis carnem vehementer preſſerit, germenq; futurum laxauerit, emoritur: & ſubere, quod etiam ſic iuuatur. Alnum autem hac iniuria non interire expertus, nec adrachne, & nonnullæ aliæ, ſi non ſimul inuadatur corpus. Quod agricolas in Gallia facere cognoui, cùm ſtantem arborem ad ignis vſum deſiccari exoptant. Illud verò innocentiùs ferunt,

quibus cortex multiplex, vt ceraſus, betula. Vno enim detracto, ab alio proteguntur. Quibuſdam verò detractus, alius pumicis ſpecie coaleſcit, atq; naturam peculiarem haurit. Tardiuſculè verò quædam hac infirmitate moriuntur, ac temporis plus cum hoc morbo perdurant: vt ægrè diu cum morte luctari videantur: ſicuti ficus, robur, quercus. Latitudinem porrò aliquam decorticatio habeat oportet, præſertim verò robuſtiſſimarum. Nam ſi anguſtam admodum feceris, nihil prætereà abſurdum, ſi non moriantur, cùm vicinitate facilè coaleſcant. Quaſdam etiam emori affirmant, etiam ſi in orbem non excorticentur: maximè verò ſi tenue ſolum, ac ieiunum ſortitæ fuerint. Communis item omnibus mors, ſi radices amputentur, vel omnes, vel plurimæ, & quæ maximè vitales ſunt. In primis igitur de hoc interitu ex demptione dicendum. Aliæ autem ex leuiori infirmitate pereunt, ſi quantumlibet auferas. Palma vulnerata in cerebro, quòd vitalis germinatrixq; vis in eo ſit, penitus interit. Hac quippe iniuria, caloris, aërisq; alieni intruſione corrumpitur, vt hoc modo parte ſuperiori affecta, mox ad ima deſcendit. Eiuſmodi naturæ eſt, vti hoc peculiari morbo intereat, atq; aliæ alio. Quod animalium quoq; eſt. Fiſſo autem caudice, maxima ex parte pereunt. Nempe hac moleſtia humor perflatur, ac deſiccatur, & vitales ſpiritus intereunt. Hoc tolerare poſſunt, vel ficus, vel punica, vel malus. Medulla autem exempta, vt Theophraſtus voluit, nulla ferè arbos emoritur: argumentum ſumens, quòd arbores magnitudine etiam excellentes cauantur. Quod & in populo, robore, ſaliceq;, & alijs multis, longo ſenio cauis, videre eſt. Arcades verò, eodem autore, interire, ſi prorſus tollatur. Vlcere autem minimo quaſdam mori certum eſt. Quod de infirmioribus conſentaneum dixerim. Latum autem ac profundum tolerant aliæ, vt ficus, platanus, & omnes, quæ reſinam ferunt, præſertim pinus, pinaſter, quas potiùs vlcere ob reſinam facto labare anteà, quàm emori, videas. Refert & tempus anni. Abiete enim ac pino germinantibus, ſi quis Sole Taurum vel Geminos tranſeunte, corticem detraxerit, ſtatim intereunt. Eandem verò iniuriam hyeme paſſæ, diutiùs tolerant. Generaliùs autem robuſtiores, ſicuti ilex, quercus, robur, altiorem huiuſcemodi plagam ferunt: vt prætereà illarum interitus diuturnior eſſe ſoleat. Eiuſmodi autem læſiones, ſterilitatem, non interitum, quibuſdam adferunt.

De arborum morbis, ex iniuria animalium prouenientibus, & quare caper Baccho ſacer. CAP. X.

ANIMALIVM etiamnum circa arbores non minima iniuria eſſe ſolet. Magno admodum illis in damno iſtorum depaſtio, præſertim verò, cùm noua germina producunt & edunt, vt hac ratione, nonnullæ, veluti palma, & picea ſterileſcant, multæ verò areſcant. Rodunt & caudices cuniculi, & inter domeſtica, oues, vt his etiam mortem, ſi in orbem eroſerint, inferant. Sic enim Dryope in loton arborem conuerſa Andremonem maritum & ſororem apud Ouidium deprecatur:

Et ſi

Et ſi qua eſt pietas, ab acutæ vulnere falcis,
A pecoris morſu frondes defendite noſtras.

Amygdalus à pecore deroſus, etiam areſcit. Caprarum morſus exitialis vſqueadeò oleæ, vt ſi eam contigerit, depauerítq; primo germinatu, ſterileſcere autor eſt M.Varro. Omnia enim ſata nouella corrumpunt. Hinc & nomen ſortitæ: quippe F.Pompeio dictæ, quòd virgultum carpant: & M.Varrone, carpa, à quo ſcriptum eſt omnicarpæ capræ, non ſolùm vulnere, ſed & dentium veneno plantis peſtiferæ. Prætereà à M.Varrone, tanquam à lege agraria quadam vetitum, Ne colonus in agro ſurculario capras compaſcat. Ob quam iniuriam præſertim circa oleas & vites antiquitus inſtitutum, vt Libero Patri vitis repertori hircus immolaretur, vt damni dati pœnas lueret. Huius ſacrificij teſtis epigramma Græcum,

κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
ὅσσον ἐπισπεῖσαι τράγε θυομένῳ. Ouidius in Faſtis:

Quem ſpectans aliquis dentes in vite prementem, Faſt. 5.
Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode caper vitem: tamen hinc, cùm ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.
Verba fides ſequitur: noxæ tibi deditus hoſtis,
Spargitur affuſo cornua Bacche mero.

Huius ſacrificio mirum in modum delectatus, vt ait Cornutus. Ruſtica enim iuuentus capram excoriabat, & in vtrem eius per vicos exiliebat, pereuntem verò videre geſtiebat Liber Pater. At contrà Minerua videre præ odio nolebat. Quare antiquitus prohibitum ne illi quid ex caprino genere ſacrificaretur, propter oleam, quam reperit. Quare Athenis in arcem non ducebatur, præterquàm ſemel ad neceſſarium ſacrificium, ne olea ibi primùm nata, ab hoc animali tangi poſſit. Plinius tamen huic deæ capram immolari ſcribit. A feris etiam animalibus non leues iniuriæ inferuntur, veluti ab apro, qui ſuo robore, ipſas arbores ſcindit, radicitúsq; extirpat. Similem iniuriam fiber adfert, in ripis arbores ſuccidens atq; diſſoluens. Verùm non ſolùm ab animalibus terreſtribus afficiuntur, ſed ab aquatilibus quoq;, vſqueadeò innocuæ, & tot animalium tam variè iniurijs expoſitæ. Quas etiam nulla defenſione, nullis armis, ipſa Natura ad ſuijpſius aliquam tutelam ſtipauit, vt propterea noſtra ipſa ope ac tuitione indigeant, ni erga eas nimium ingrati eſſe velimus: cùm noſtri cauſa procreatæ ſint. Inter piſces verò paſtinaca eſt, qua in mari nihil veneno ſius reperitur, non ſolùm circa animalia, quæ ſuo aculeo enecat, verùm erga arbores quoq;: quas ſi virentes, maximè quernas, vt Nicander in Theriacis, & Ætius affirmarunt, aculeo ſuo contigerit, non longo interuallo emarceſcunt. Primùm verò folia fluunt, truncus deinde exſiccatur: ſimilis deniq; his redditur, quæ in æſtate, atq; maxima ſiccitate, Solis ardoribus exuruntur: Trygon Oppiano hæc dicitur. In Giaco maris Cretici inſula mures eſſe adeò veneficos, vt ſi arborem attigerint, aridam reddant. Antigonus Chariſtius autor eſt. Auium quoq;, vt cœleſtia animalia etiam ſilentio non prætereamus, cum arborum fructibus non leuis

pugna. Graculi enim, vt Varro ſcribit,à gerendo dicti, quòd cùm in oliueta ſeſe cubitum receperint, manè inde abituri duas pedibus, tertiam ore baccas aſportent. Quorum verò & ſturnorum vim, locator conductori præſtare debet,autore Vlpiano Iuriſconſulto.

De ſterilitate arborum, & Pellenorum Dianæ ſimulacro.

CAP. XI.

SVPRA libro quarto arbores aliquas natura omnino ſteriles eſſe oſtendimus. Verùm & inter eas,quæ natura feraces eſſe deberēt,nonnullæ reperiuntur, quæ etiam ſteriles ſunt. Quod morbo vitióve contingit. Et hæc potiſſimùm infirmitas ex cœlo eſt. De quibus nunc agendum. Diogenes autem Laërtius ex Zenone, Cittiæo ſcribit,officium cuiuſq; rei eſſe,propter quid factum, procreatumq; ſit, cuius etiam probabilis ratio reddi poſſit.Et hoc itaq; ad arbores animalia pertinere,vt ſuo officio fungi debeant: quod in plantis præcipuum erit fertilitas. Quod Galenus vna in arbore,ficu ſcilicet expreſſit. Ficus enim virtus,bonitaſq; eſt,vt optimos, plurimoſq; fructus efferat. Etenim, non alia maiori ratione arbores ſerimus, inſerimúſve, quàm vt illarum fructibus veſcamur fruamur. Pauci enim reperiuntur, qui arborem foliorum cæſarie tantummodo ſeſe efferentem laudent. Ex morbis autem variæ arbores infœcundæ redduntur: quod cuiq; generi euenit. Quædam etiam loci natura ſteriles,vt de ſylua in Paro inſula ſuprà ex Theophraſto dictum eſt. Sylueſtria tardiſſimè ferunt. Quidam ſorbum ſterileſcere, ſi in calidiora loca venerit, putant: contrà, frigus nonnullis, ceu oleis, ſterilitatem facit. Sterilitas ſæpe non toti arbori. Ramorum etenim nonnulli cæci, nihil penitus ad fructum germinantes. Quod naturâ fit, ſi non eualuere, aut pœna, cùm ex putatione cicatrix hebetauit. Aliquibus debilitas ſterilitatem adfert: vt ſi quis palmæ,vel pino,cacumen auferat. Verùm hac iniuria quaſdam emori *ſu*periùs docuimus. At nonnullis nimia feracitas nocumento eſt,ceu oleis. Sæpe etiam arbores, prona ad ferendum natura auidæ, concipiunt, florentq; auiditate & ſpe futuri partus:quo poſteà cœli intemperie,ac iniuria,fruſtrantur. Quæ verò ſi hoc (quod grauius eſt) multis continuis annis laborauerint,effœtæ moriuntur, ignotis agricolis cauſis. Nutrimenti copia ſterileſcunt amygdalæ. Sterilitatis infinitæ cauſæ, quas referre impoſſibile, ſcire autem difficile. Plures tamen vno epigrammate continentur,quod inter Priapeia inſeritur.A quo verò prodierit,incertum,elegans tamen, & non illepidum, vti huc transferre non me piguerit, ſicut nec quemquam legere pigebit. Malus loquitur:

Quid fruſtra quereris, colone, mecum,
Quòd quondam bene fructuoſa malus,
Autumnis ſterilis duobus adſtem:
Non me prægrauat, vt putas, ſenectus:
Nec ſum grandine verberata dura:
Nec gemmas modo germine exeunteis

Seri

Seri frigoris vſtulauit aura:
Nec venti, pluuiæ've, ſiccitáſve,
Quod de ſe quererer, malum dederunt:
Non ſturnus mihi, graculúſve raptor,
Aut cornix anus, aut aquoſus anſer,
Aut coruus nocuit ſiticuloſus:
Sed quòd carmina peſſimi poetæ
Ramis ſuſtineo laborioſis.

Refert Plutarchus in Arati vita, Pellenæ Achaiæ oppido Dianæ ſacellum fuiſſe, & eius ſimulacrum, quotiens à ſacerdote de loco moueretur, propinquas arbores infœcundas reddere, & hominibus horrori eſſe, & illorum aſpectum ita perſtringere, vt à nullo conſpici potuerit. Quamobrem cuncti ab eo oculos auertebant.

De fructuum præmaturo caſu. CAP. XII.

PRÆMATVRVM fructuum caſum cum mulierum partu, idq; ex Galeni ad Hippocratis Coi Aphoriſmos commentarijs conſeram, vt tria occaſus tempora vtriuſq; obſignauerit. Nam vbi primùm inſinuatum eſt vuluæ ſemen, ſi prægnantem vel corpore vel animo vehementius agitari contigerit, facilè ſoluitur nodulus is, quo ſocietas conflata erat. Sic arborum fructus primo generationis tempore debilioribus nexibus, & capulis continentur, vt tunc faciliùs à matre deturbentur. Secundum verò tempus, vbi partus firmiori nexu coalitus, propè inſeparabilis complexus. Sic in fructibus, vbi aucti fuerint, difficiliùs dilabuntur. Vltimo autem, vbi iam fœtus maturuerit, & partus tempus aduenerit, vuluæ clauſtra facilè erumpunt: ita fructus, vbi ad pleniorem maturitatem peruenerint, ſponte ſua, nulla extrinſecus graſſante vi, defluunt. Hæc ad occaſum arborum præfari licuit. Præmaturiùs fructum amittunt amygdalæ, pyrus, malus. Omnium ocyſſimè ficus, palma. Quod nonnunquam aut humoris alicuius intercluſi cauſa, vt in ficu accidit, aut quòd debili nexu dependeant. Quæ ſerotinæ admodum ſunt, fructus non ita faciliter amittunt. Serò etenim germinant, tum ſiccæ naturæ, tardiuſq; humeſcunt, diutiuſq; in arbore permanent. Ventis etiam agitati præſertim pondere graues, ante decoctionem decidui ſunt. Quod potius Auſtralibus, quàm Aquilonijs euenit. Qui ſi vehementiores, crebrioreſq; fuerint, maior iactura ſequatur, neceſſe eſt. Confert etiam natura ipſarum arborum: Nam præcoces libentiùs, quàm ſerotini, decidunt. Putreſcunt etiam ante maturitatē in arbore fructus. Cruda poma Cicero vocabat, quæ nondū matura eſſent: ſic enim ait: Poma ex arboribus ſi cruda ſunt, vi auelluntur: ſi matura & cocta, decidunt.

Præfatio libri decimiquarti.

*A*RBORVM *affectiones ac illarum aliquas cauſas, tum è cœleſti tum ex animalium offenſa proficiſcentes, vtcunque ex autorum agricultura traditis ſciuimus, atq; experientia nouimus, ſuperiori libro oſtendimus. Reliquum inſuper erit, vti de medelis nunc agamus. Solebat enim Pithagoras, vnus è Græcorum ſeptem ſapientibus, illius philoſophi vanã orationem dicere, quæ nullam in homine paſſionem curaret. Parum etiam fuiſſet, Hippocrati Coo, aut Galeno Pergameno, viris ſua arte, ſuprà omnem aleam poſitis, aut alijs antiquioribus vel ſequacibus, quorum plures, vtq; doctiſſimi ac diligentiſſimi fuere, ſiue Græcis, ſiue Latinis, rem medicam exactiſſimè docuiſſe & diligenter aperuiſſe, & morbos illorumq; cauſas ac origines demonſtraſſe, ni quoque remedia propalaſſent. Vt illorum prætereà vanus & inanis labor extitiſſet, vt nihil humano generi, tot illorum vigilijs profeciſſent. Sic pari ratione, nil agricolationis magiſtris, plantarum vitia noſſe, ni quoq; ac medicinas, quibus plantis languentibus ſuccurrerent, ſaltem verò his quæ medendo ſunt. Nam omnium morbos leuare ſicuti & animalium, non eſt opis humanæ. Sunt etenim & harum veluti & horum, affectiones quædam immedicabiles. Etenim plantæ omnes, poſtquàm increuerint, & diu vixerint, vt pereant ſicut & aliæ res, neceſſe eſt. Nam vt Carus Lucretius ait.*

Deniq; ad extremum creſcendi perfice finem,
Omnia produxit rerum natura creatrix,
Vt ſit, vbi nihilo iam plus eſt, quod datur intrà
Vitaleis venas, quàm quod fluit atq; recedit,
Omnibus his ætas debet conſiſtere rebus.

HORTORVM LIBER DECIMVSQVARTVS.

De arborum medicina generali. CAPVT I.

MORBI quidam arborum ferè omnium, ſicut & hominum & animalium communes inueniuntur. Sunt tamen & quibuſdam arborum generibus peculiares. Conſequens vt de illorum remedijs agamus, & quemadmodum ad ruendam mortalium valetudinem nonnulla neceſſaria, ſic & ad arborum quoque, vt varijs morbis variæ medelæ adhibendæ ſinr: quamuis quædam reperiantur, quæ plurimis morbis auxilio ſunt, ſicut & hominum. Amurcam autem, vehementer ad agriculturam pertinere autor eſt M.Varro, quòd circum radices infundi ſoleat. Cuius medicamina Cato componit, menſuræ quoq; diſtinctione. Nanque ad maiorum arborum radices, amphoram vnam, ad minorũ, vrnam vnam, & aquæ portionem æquam, ablaqueatis tamen anteà radicibus. In olea verò Columella ſic: in maximis arboribus, ſex congij. Mediocribus, quatuor: cæteris pro exiſtimatione ſufficiet. Hoc enim medicamine, per hyemem, ſi vermes, atq; alia animalia ſuberunt, necabuntur. Punicæ autem, pruno, & malo languentibus, eadem cum aqua æquis portionibus temperata infundi radicibus debet. His etiam ſubueniunt lotio bubulo, vel veteri humano, æqualirer aquæ miſto, vel cineribus è furno, maximè ſarmentorum. Ægræ autem arboris, radicum ſuperuacua capillamenta decidunt, vel ſalicis cuneum interfoſſis radicibus premunt. Multi autem vini veteris fæces ablaqueatæ arbori adfundunt. Perſico verò cum aqua permiſcent, vel ſpartum ligatum, ſparteámve coronam de ramis eius ſuſpendunt. Alij, inter quos Didymus, arborem omnem iuuari, fabarum & cæterorum leguminum paleis, vel frumenti aceribus circumpoſitis. Reliqui veteris humanæ vrinæ trunco, quod ſatis ſit, infundunt, præcedente ablaqueatione, maximè locis ſiccis, poſteà ad truncum terra adaggerata. Languente punica, fuco in mari ſcaturiente recreatur, ſi parte ima caudex radice tenus inuoluatur. Cydoniæ etiam auxilio eſt calx viua, cum creta vel reſina locularis picis liquidæ miſta, temperata, ſi hac truncus adlinatur. Si triſtis ſit ziziphus, ſtrigili ferrea ſubradi debet: vel fimus bubulus radicibus frequenter infundi, & aſſiduè, inquiente Palladio. Hoc enim medicamento hilarior fiet. Oleæ macies, eius cinere, vel alio ſtercore iuuabitur. Si ceraſus humore putreſcat, in trunco foramen accipiat, quo

poſſit ſanies educi. Palladius verò, quod ſuperſtitioſum arbitror, circa radices arboris ablaqueatæ, eius imparis numeri poma, pro eius magnitudine locat,& obruit. Hac ratione,ſi annuatim factum ſit,à vitijs arborem cuſtodiri,ſed longè arboris ætati offici. Bene M.Cato,& Columella, & alij,quarundam rerum menſuram erga arborum medelam præſcripſerunt,vt denotarent,in medendis his certum modum adhibendum:quod tunc eſſe debet,quum vel minima, vel tempeſtiua medicina erit. Nam in arboribus, ſicut in animantibus, excedit ſæpe medicina modum, vt inquiebat Lucanus.

De arborum remedijs,contra cœli iniurias. CAP. II.

COELI iniurijs,ingenium, ac poteſtas humana,vix ſubuenire poterit.Solus enim Deus ille eſt,qui ventis,qui imbribus,qui frigoribus imperare poſſit, à quo hæc procedunt. Nulla enim arte, nulla vi, hæc auertere, & ſi præſciamus, poſſumus. Tentarunt tamen, & ipſi homines remedia, quibus contra has iniurias obuiare poſſent. Contra verò vredines, palearum aceruos,& euulſas herbas,fruticesq́;, ac ſarmenta, cùm id euenire pertimeſcerent,per campos vrebant. Fumus etiam medebitur, hic quoq; è paleis,& contra nebulas auxiliabitur, non difficili remedio,vbi illæ nocent,ſi non calumniari rerum Naturam potiùs,quàm ſibi prodeſſe vererentur homines. Auerti grandines carmine, priſca ætas credidit, cuius verba à Catone prodita ſunt. Aduerſus frigora veſtire teneras arbores, intorto ſtramento prodeſt.Contra verò Caniculæ æſtus,& ipſam ſiderationem, arbores veſpertino humore irrigare proderit. Græci trium fontium ſingulos ſextarios poſt ſolis occaſum radicibus influunt, ne remedium ſydus deprehendat. Palladius. Alij obijciunt vmbracula, vel frequenti aggeſtione cumulant. Prodeſt quoque & in ea ſerpentis ſpolium appendi.Contra caniculæ æſtum ceraſi truncũ herba ſymphoniaca Palladius circundat. Quæ autẽ hæc ſit,nec ipſe aperit. Apuleius eam eſſe cum hyoſcyamo dicit.Alia tamen eſt,ſi Dioſcoridi & Plinio credimus.Quod ad cognitionem herbæ dictum ſit,ne quid interim præcipere videamur. Contra pruinas perſicus adiuuatur ſtercoris ingeſtione, vel vini fæce, aqua permiſta. Magis proderit aqua, in qua fæx fuerit decocta. Martialis (referente Palladio)de amygdalo loquens,vbi metus eſt à pruina,hoc remedio ſubueniri poterit, vt antequàm floreant, radices denudentur, & minutiſſimi lapides ſimul cum arenis miſti conijciantur. Verùm vbi iam tempus germinationis aduenerit, effoſſi ſubmoueri debent. Tradunt etiam Græci,arbores à noxia defendi, & cum omni largitione edere fructum,ſi caudex ſucco herbæ,quæ à ruſticis polypremnos vocatur, illitus ſit. Hanc eſſe ſedum maius quidam exiſtimarunt, quòd eius ſucco ſemina medicanda præcipiunt, eoq; remedio aduerſus beſtiolas, incolumitatem tueri. Alij arborum radices felle bubulo linunt. Quo item remedio, ſatam arborem à vitijs vindicari. Contra gelicidium ſtercus valde calidum reſiſtit.

De caprificatione, & remedijs eius, contra aliquot arborum morbos. CAP. III.

CAPRIFICATIONIS nonnulla contra aliquos arborum morbos remedia inueniuntur. Duo eius præcipua referuntur. Primum ad fructuum maturitatem. Vt Græci arborem, cui hoc maturitatis beneficio non ſit ſubuentum, ἀνερίναστον appellent, id eſt, incaprificatam: vnde adagium ἀνερίναστος εἶ, quod in malum, infructuoſumq́; conuenit, voce ἐκ τῦ ἀστερήλικῦ μωρίυ, καὶ ἐρινῦ. Alterum eſt, erga arborum ſtrangulationem. Vtrunq; enim nomen à culicum natura primùm ſumpſit, qui in caprifico proxima enati, vt ſuprà diximus, ad ficos, mutata ſede, euolant, atque groſſis aſſidenr, morſuq́; crebro ora eorum aperiunt, ſimile alimentum quærentes, vt inde calot liberq́; flatus intret, vt omnino poma ſpirantia faciant, maturitatiſq́; cauſam præbeant. Nam inteſtinum & ſuperuacuum humorem, qui iacturam fructui faciebat, abſumunt. Quo ſublato, perdurant: & paſtu illo exinanitæ, humorem lacteum amplius trahunt. Alterum caprificationis genus, quod nonnulli ſcarificationem vocant. Tunc enim fit (autore Plinio) cùm corticis macies, ex ægritudine iuſto plus arboris vitalia comprimit. Tunc verò falcis exactam aciem vtraque manu imprimunt, ac perpetuis inciſuris deducunt, ac veluti cutem laxant. Id quod ſalutare fuiſſe demonſtrant dilatatæ cicatrices, & internato torpore expletæ. Etenim magna ex parte hominum & arborum ſimilis medicina, quando eorum terebrantur oſſa. Hoc enim aduerſus eam, quæ ex nimio humore fit, ſtrangulationem ſubuenitur. Quod remedium caprificatio etiam dicitur, à ſimilitudine caprifici: quæ muros prorumpens tumida, proſilit. Quod exponit Martialis, cùm ait:

Marmora Meſſalæ findit caprificus. Et per metaphoram Perſius:

- Et quæ ſemel intus Satyra 1.

Innata eſt, rupto iecore exierit caprificus.

Palladius Iunio menſe circa ſolſtitium, alibi Maio, caprificandas fici arbores, hoc modo præcipit: ſuſpendendi ex caprifico groſſi, lino, velut ſerta, pertuſi. Quod ſi hoc deſit, abrotani virga ſuſpenditur, vel callum, quod in vlmeis ſolijs inuenitur, aut arietina cornua circa arboris radices obruuntur, vel truncus arboris, quo turget loco, ſcarificandus eſt, vt poſſit humor effluere. Theophraſtus alia ratione in palma fieri ſic docet: dum enim maſcula floret, ſpatham, qua flores emergunt, abſcindunt. Flos enim lanuginem quandam, & puluerem continet, quem ſuper fœminæ fructum decutiunt: quo ſic aſperſa fructus ſuos cunctos aſſeruat, vti nec vllo modo amittat. Vnde eſt vt duplici iuſti amoris vadimonio mas fœminam adiuuet, coitu ſcilicet ad generationem, altero ad fœtus, & maturitatem, & conſeruationem. Simili aſperſione multi, vbi caprificis carent, arena vtuntur, & ficos conſpergunt. Nempe inſperſus puluis ad perdurandum adiuuat, quòd eo aſperſo fructus protinus comprimatur, vſqueadeo, vt nec rores, neq; vllæ pluuiæ poſteà nocere poſſint. In ſolo autem

macro atque aquilonio, & quod modicè alere poteſt, vt vbi puluis plurimus, caprificatio non admodum deſideratur. Hæc autem omnia vim deſiccandi habent, nec cum modus aëris, alimentiq; eſt. Serotinæ hoc minùs remedio indigent; cùm ſeſe comprimant, nec ampliùs decidere poſſint. Caprificatione autem fructus deteriores fieri, certum eſt: quaſi certo artificio, & non propriò genio, maturi facti ſint. Vt olim ficorum venditores ſe ficos, non caprificatos vendere acclamitarent. Perſciſſo tamen fici caudice, fructus melioreſcunt. Sublata enim nimia alimenti copia, calor inſitus ampliùs in eo reſidere valet. Caprificatione etiam, quæ fit per inciſionem, deturbantur latibulis ſuis vermes, & ſæpe cùm fit, interimuntur: vt hoc remedio, non parum iuuentur arbores, contra illorũ iniurias.

Contra vermiculationem remedia. CAP. IIII.

IN curando vermiculationis morbo; rei agreſtis autores non ſegnes fuerunt: cuius plura remedia ſcripta ſunt ab his etiam, qui agriculturam non tractarint. Hunc enim pernicioſiſſimum morbum ſciuerunt, & mortem etiam arboribus inferre ſi in his diutiùs reſederint. Horum etenim foraminibus humor vitalis exhalatur: nec progredi vltra ſinunt, vt omnis dehinc deſiccetur arbos. Alij radices ante plantationem felle taurino oblinunt, quod poſt etiam frequentiùs faciunt: maximè in punica, pyro, & cæteris: continuò enim morientur. Nonnulli hominis vrinam deſumunt, & ex tertia aceti parte miſcent, &, vbi ſunt vermes, infundunt. Multi ſcyllæ bulbum cum lupinis, in aqua per multos dies macerant, & cum ſpongia vermium plagas abundanter inſpergunt. Qua ſi per aliquot annos arboris truncum inunxeris, à vermibus non corrumpetur. Plures cinerem amurcæ commiſcent, vel bouis vrinam cum tertia aceti parte infundunt, vel viuam calcem, vel aquam, in qua decocti lupini. Alij bitumen, & oleum vermium, latebris indunt. Alij amurcam, vel veterem vrinam. Nonnulli ſuillum ſtercus, vel caninum, vrina hominis vel aſini diluunt, & ablaqueatis radicibus effundunt. Democritus Lemniam rubricam cum aqua terebat, & eo poſteà radices illinebat. Alij eaſdem lupino cum oleo trito radices etiam oblinebant. Aliud remedium. Clauo æreo fodiendus, atq; vellicandus cortex, donec mucrone beſtiola depræhendatur: plagam poſteà fimo bubulo obducunt. Si autem rufi ac piloſi infeſtent, medullæ interna ſectari ſolent, & aliquos ſine arboris iniuria detractos, vicino incendio cremant. Malus à vermibus non erodetur, ſi circum ſata fuerit ſcylla. Si ficorum ſemina tineæ vexauerint, in eadem ſcrobe Italicæ lentiſci vel terebinthi taleam defodere oportet: inuerſa tamen parte, quæ fuerit à cacumine.

Remedia contra formicas. CAP. V.

FORMICARVM infeſtiſſima omnium arborum vbique locorum frequentiſſima lues. Siquidem & flores depaſcunt, & folia rodunt: fructus quoq; edunt: eoq; auidius, quò dulciores ſunt.

Vt horum

Vt horum pretioſitas magis illis ad prædam pernicioſior ſit, vt ſapore malo eos arborem totam, ſola inambulatione inficiat, vt denique toti arbori nocumento ſint. Totam inſuper arborem tum aſpectu, tum tetro & amaro odore deformem reddant. Multitudine enim ac labore ſedulo continuò arborem etiam prægrandem perambulat, vt nihil in ea intactum quin peragret ſua diligentia relinquit. Præcipuum verò remedium, vt aſcenſus ad arboris ramos prohibeatur. Quare nonnulli caudicem aliquo medicamine ſepiunt. Alij truncum origano circundant, Ariſtoteles enim has origano & ſulphure arceri ait. Cæteri rubrica cum pice liquida, vel cum rubrica aceto & cinere ſubacta, alij rubrica cum butyro & pice liquida miſta caudicem induunt: verùm id modeſtiùs, propter arboris noxam, ne idem faciat remedium, quod venenum. Amurca etiam intingunt. Stirpes etiam illinunt lupinis ex amurca aut aſphalto contritis, & maceratis. Alij ſucco Cyrenaico, ex aceto ſoluto. Multi fel taurinum cum pice & amurca diluunt, & madefaciunt. Oportet autem per circuitum truncum omnibus ſupradictis madefacere, ne locus tanquam ianua & ſcalla quædam ad aſcenſum & deſcenſum formicis pateſiat. Cæteri caudicem hedera amiciunt: pòſt ſub huius vmbra formicæ torpidæ inueniuntur, vt facilè comminui poſſint. Præſens verò ætas, ad hanc labem, vas terreum in medio perforatum, & per ambitum obice, ad continendam aquam occluſum excogitauit. Quod cùm ſerunt, arboris caudicem in foramine ſtatuunt, & vas continuò aqua replent: ſic enim formicarum nociuus exercitus, tanquam vallo via ad arbores prohibetur. Nunc ad alia præter truncum remedia. Plinius piſcem in arbore ſuſpendit. Hoc enim modo iuxta ac in vnum locum congregant ac interficiunt, illo piſce vel in flammas, vel in aquas coniecto. Palladius de coracino piſce expreſſit. Odor vſtarum formicarum cæteras abigit. Speciatim verò ſi ceraſus formicis infeſtetur, portulacæ ſucco, cum aceti media parte miſto, vel vini fæce florentis arboris truncum adlinunt. Ait Albertus Magnus, cor noctuæ in aceruo, & domicilio illarum ſepultum, eas omnes extra locum abigere.

Ad erucarum & culicum moleſtias, & arborum plagas medicinæ. CAP. VI.

DEMOCRITVS, referente L. Iunio Columella, in eo libro qui inſcribitur περὶ ἀντιπαθῶν erucas enecari affirmat, ſi mulier, quæ in menſtruis eſt, ſolutis crinibus, ac nudis pedibus, recincta, hortos ter circuierit. Poſt hoc autem decidere omnes vermiculos. Priuatim verò alij ambiri ſingulas arbores. Sic enim hic etiam in ſuo carmine:

At ſi nulla valet medicina repellere peſtem, Colum. lib. 10.
Dardaniæ veniunt artes, nudataq; plantas
Fæmina, quæ iuſtis tum demum operata iuuentæ
Legibus, obſcæno manat pudibunda cruore,
Sed reſoluta ſinus, reſoluto mæſta capillo,

Ter circum areolas, & ſepem ducitur horti.
Quæ cùm luſtrauit gradiens (mirabile viſu).
Non aliter quàm decuſſa pluit arbore nimbus,
Vel teretis mali, vel tectæ cortice glandis,
Voluitur ad terram diſtorto corpore campe.

Contra agrorum faſcinationes antiqui Liberum Patrem placabant, inquiente diuo Aurelio Auguſtino in ciuitate Dei. Apud Lauinium Italiæ oppidum, Deo totus menſis tribuebatur, per cuius dies, omnes verbis flagitioſis vtebantur, donec membrum illud obſcœnum per forū tranſuectum eſſet, atq; in loco ſuo poſitum requieſceret. Cui membro mulierem honeſtiſſimam anteà coronam impoſuiſſe neceſſe erat. Ianuario menſe erucarum telas ex arborum ramis diligenter, ne quid ſuperſit, nonnulli amouent: quod vix concuſſione euenire poteſt. Nam è telis in futurum ver aliæ progrediuntur. Ad hoc inſtrumentum forſici ſimile fabrificant, & in ſummo perticæ adaptant, ramuſculos & telas in his inſidentes deturbant. Contra erucas caudicem ſiliginis viridis caule æſtiuo ſolſtitio circunligare iuuenis vidi. Culices galbano accenſo fugantur, & lupinorum crematorum gytq; ſuffitu. Veſpertiliones filo ad arborum ramos ſuſpenſæ locuſtæ abigunt, vt nonnulli ſcribunt. Aduerſus beſtiolas, quæ ficarios culices deuorant, cancros ſuſpendunt, in eos culices ſeſe vertere inquientes. Allium arboris ramo ſuſpenſum, aues à fructuum depopulatione arcebit. Quo ſi falcem, cùm putaueris, illinas, idem faciet, autore Democrito. Speciatim verò ſi in punica cucurbitam, aut rapum, quæ anteà nullo humore maduerint. Si enim circa arborum crura, bitumen & ſulphur incendas, naſci erucæ prohibentur. Idem autor cancros fluuiales, vel marinos, quos Græci παγύρυς nominant, non pauciores quàm decem, in vas fictile cum aqua indit, & operculo addito, ſub dio, vt ad dies denos inſolentur, ſtatuit. Quicquid autem illæſum à quopiam, maioribus etiam animalibus volueris, hac aqua aſpergito: quo peracto, ad dies octonos hoc repetendum, donec adoleuerit, ne quod animal paſtu malefico frondem decerpat, fimo boum diluto folia quotiens imber interuenerit, abluantur. Hac ratione virus aſpergunt. Alij calce diluta, caudicem appingunt. Varia ſunt ad hanc rem medicamina, quæ ex his, quæ amaritudinem in ſe continent, conficiuntur. Suillo & columbino ſtercore medetur arborum plagis.

Ad quarundam arborum morbos peculiares remedia.

CAP. VII.

MORBIS arborum peculiaribus, medelas peculiares adhibere conuenit: morbis enim conuenientia remedia adhibenda. In locis humidis ficus, ſaporis obtuſi eſſe ſolet: aliquantus cinis circuncīſis radicibus infuſus proderit. Malus punica, ſi acidum, aut minùs dulcem fructum ferat, hoc modo emendare poteris: Circunfoſſis enim radicibus, ſuillo ſtercore, ac humano, veteriq; vrina eam rigato. Porrò ea res & fertilem arborem reddet.

det. Primis verò annis fructum vinoſum,poſt quinquennium dulcem & apyrenum facit. Sunt etenim qui caprinum fimum humanæ vrinæ adijciant,ſimul cum veteris vini fæce,pòſt radicibus infundunt. Alij exiguum admodum laſeris Cyrenaici vino diluunt: & ita cacumina arboris ſumma oblinunt. Multi algam marinam ad radices obruunt: cui nonnulli ſtercus aſininum miſcent, ſuillum etiam. Sed & plures ablaqueatis radicibus, prope truncum perforant, & tedæ clauum infigunt. Citri autem truncum menſe Februario obliquo foramine, ab imo terebrant ita,vt in alteram partem non exeat. Ex hoc enim humorem fluere, quoad poma formentur,permittunt: & pòſt foramen luto replent. Hac autem ratione pomi medium dulceſcere exiſtimant. Ex amaris autem amygdalis,dulces fieri conſentiunt,ſi circunfoſſo à radice tribus vel quatuor digitis, Theophraſtus dodrantali menſura exprimit ſtipite, cauernula fiat, per quam pituita deſudet. Vel ſi medius truncus terebretur, & cuneus ligni, melle oblitus, imprimatur. Vel ſi circa radices ſuillum ſtercus diffundatur. Vel ſi illis ante florem ablaqueatis,aqua calida ingeratur. Vlmis autem ſuccus inutilis detrahitur perforatis ſupra terram vſq; ad medullam:& hoc in ſenecta. Hac ratione etiã curantur, ſi nimio humore abundare ſentiantur.

Remedia contra arborum ſterilitatem. CAP. VIII.

PLANTARVM enim ſterilium remedia trifariam conſyderare oportet. Aut enim vt nihil ferentes frugiferas faciamus: aut vt parum feraces, vberiores reddamus. Tertiò, vt fructus in arbore,quoad maturuerint, contineamus,néve anteà putreſcant prohibeamus. Primùm enim circunfoſſione ac ſtercoratione è ſterilibus fertiles fieri CHRISTVS IESVS nos docuit. Quendam enim in vinea ſua ficum in ſuis pluſquam diuinis concionibus ſeuiſſe dicit. Quam cùm triennio ſterilem comperiſſet, vinitori eam ſuccidi imperauit. Cui ille, Sine illam hoc anno adhuc permanere, donec illam circùm perfodero,ac ſtercorauero. Quòd ſi fructum poſteà non ederit,euertam. Alimento etiam nimio ſæpiùs arbores luxuriant, vt hac cauſa nonnunquam ſteriles fiant. Quòd ſi amygdalis contigerit,palum ferreum Theophraſtus infigit, foramineq; facto, alium querneum vel tedeum adigit. Quem Democritus humano lotio priùs immergit,cinere terraq; cooperit. Hoc idem in ſorbo fit. In amygdalo verò forata lapidem adijciunt, & ita librum arboris madeſcere ſinunt. Africanus oleam vſque ad medullam terebra Gallica, & acceptis ab altera fructuoſa olea ex auſtrali parte paxillis duobus infigit. Columella verò oleaſtri viridem taleam deſumit,& ramorum principia fortiter conijcit. Quæ cùm fuerit optimè adaptata,quod ſupereſt,abſcindit,& luto paleato curat oculere. Alij lapidem vel pini aut quercus palum infigunt. Pyrum vt ſit frugifera,cùm adoleuerit,altè ablaqueant,& iuxta radicem truncum findunt & in fiſſuram cuneum tedæ adigunt,ac ibi relinquunt. Deinde abſumpta ablaqueatione, cinerem ſupra terram inijciunt. Morum Palladius hinc inde terebrat, & cuneos hincinde terebinthi ac lentiſci indit. Hoc enim

velut

velut coitu, ſteriles arbores vberantur. Quare Theophraſtus hoc modo in eas animaduertit perinde, ac ſi iniuria laſciuirent. Quædam autem pœna emendantur,aut etiam morſu excitantur,vt palmæ & lentiſci. Alia ratione oleæ puniuntur. Nudatas enim radices hyberno frigori opponunt: eaq; caſtigatione proficiunt.Radices etiam ſterilium arborum circuncidiſſe prodeſt: maximè vt ficorum luxuriam compeſcamus, addito pòſt cinere.Omnes arbores copioſiorem fructum dare,ſi illarum radices fimo columbino oblinantur. Meſpilus fertilis fit, ſi vitium cinis ac fimus radicibus infundatur.Alij aquam,in qua lupini decocti fuerint.

De fertilitate oleæ, fici, & punicæ. CAP. IX.

MARCVS Cato oleam non feracem circũfodi iubet,poſteà ſtramenta circumponi. Quod nonnulli fabarum volůnt,aut algam,aut terram argilloſam bubulo ſtercore permiſtam. Menſuram etiam ex arborum magnitudine addunt,deinde amurcam,quod olearum inſulſarum eſſe volunt,cum aqua æquis portionibus commiſtam,circa arborem infundi,verùm id prudentius, iuxta arboris amplitudinem: vt maximæ vnam amphoram confundi ſatis ſit,vt poſteà terra adaggeretur,& circùm terra ad aquam pluuiam ſuſcipiendam cauè perfodiatur. Vbertimas etiam ficus, rubrica amurca cum fimo diluta ſi radicibus, cùm frondere incipiunt, adfuſa fuerit. Harum etiam non ſolùm radices amputant, verùm etiam obducto cinere obſtruunt, & paſſim caudicem findunt. Ita enim copioſiùs fructum præberi affirmant. Multum etiam ac pinguem ferent, ſi in principio germinationis ſumma cacumina decutimus, vel illud tantùm cacumen, quod ex arboris medio procedit. Cinis cum lixiuio circa punicæ truncum frequentiùs infuſus,lætam & fructuoſam reddit arborem. Hæc etiam multum feret,aſſerente Democrito,ſi portulacam & tithymalum probè contuderis, atq; eo arboris truncum oblеueris. Arbores omnes adalligato ſelenite lapide (autore Dioſcoride) fructuoſiores reddentur. Vno fertilitatis elogio, atq; ex Zoroaſtre autore Græco, hoc caput finire libet, vt lectorem non minùs eo delectent, quàm oſtendant plurimos ſuperſtitioni plurimum tribuiſſe, qua multi adhuc, minùs tamen Chriſtianè,irretiunturvt etiam quod narraturus ſum,credant multi, ſicuti à nonnullis, aurito teſtimonio intellexi, rei euentu etiam ſe expertos aſſerentibus. Si quis autem ſuccinctus, & crine in nodum obtorto, arreptaq; bipenni vel aſcia indignabundus, ad arborem accedat, fingens eam ſe exciſurum,& ei quiſpiam obuiauerit, & deprecatus fuerit,perſuaſeritq; vti arbori parcat,ſpondens pro arbore,vt in futurum annum fructus ferat, quòd futurum ſit, mortem poſteà pertimeſcens. Vafrum certè commentum ad arborum ſterilitatem.

Ad flores & fructus deciduos. CAP. X.

VITIO arbores flores non continent, vt anteà quàm fructus maturuerint, decidant, vt hac iactura, ſublata ſit prolis futuræ ſpes. Quod

Quod ſi in punica contigerit, vrinam veterem cum aquæ pari menſura temperant, & ter per annum radicibus infundunt. Soli arbori amphora ingeſta ſufficiet. Vel amurcam mittunt inſulſam, vel algam radicibus iungunt: & bis in menſe rigant, aut florentis arboris truncum cingulo plumbeo circundant, aut anguis corio inuoluunt. Hæc enim arbos flores facilè amittit: quia nexus earum apprimè debilis, tum maximè ſi pluuiæ humectauerint. Pyrus in floribus non laborabit, ſi radicibus ablaqueatis, vini veteris fæces affundantur, & quindecim diebus regeſto ſolo rigentur. Quin etiam ſi hoc vitio non elangueſcat, hac medicina dulciores fructus creabuntur. Aliud arborum maius malum, vt cùm iam editos fructus ante maturitatem præcipitent, vt ſpes maior propè colligendi fructus, tam miſero caſu propè decidat, matre non valente præ infirmitudine eos in ſinu ſuo continere. Omnibus proderit, lolium, quod zizaniarum nomine venit. Iam pingueſcere cœpit, cùm à radice euulſum eſt. Eo enim arboris truncum in coronæ modum cingere oportet. Hoc præſtat & cancer trunco adalligatus. Plumbum etiam inſtar coronæ truncum amplexum, altitudine pedis vnius à terra. Cùm autem fructus cœperint adoleſcere, torquem eximito. Quotannis faciendum, ob vbertatem. Polium, herba ſuſpenſa, cum hac inſcriptione, Et erit ſicut lignum, quod plantatum eſt iuxta decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet. Parum abeſt, quin mea ſententia vt de ſuperiore ſit. In excauatos ſcrobes, cùm arbores pangerentur, Africanus cochleos ſi inueniretur, ingerebat, aut ſcyllæ bulbos obſerebat.

Contra fructus deciduos quarundam in genere arborum.

CAP. XI.

GENERALITER ſuprà, contra omnium arborum fructus deciduos remedijs ſubuentum. Nunc de quibuſdam arborum priuatim generibus tractandum. Fici enim, cùm Vulcanalibus tonuerit, cadent. Remedium verò eſt, vt anteà ſtipula hordeacea areæ ſtringantur. Harum enim turgidus cortex leui in obliquum inciſura findatur. Ita fit ne decidant fructus. Plutarchus in Sympoſiacis decadibus, caprifici groſſos domeſticæ, amuleti vice appendit: maturitatem etiam conciliat. Si autem fructus ſuos, veluti ægra, proijciat, terram bene adaggerato: ita non cadent, nec ſcabræ fient. Alij rubrica aut amurca inſulſa, aqua miſta, vel mori ſucco arborem liniunt. Id luna plena fieri Democritus vult. Alij cancrum fluuialem, cum rutæ ramo ſuſpendunt, vel faſcem lupinorum. Nonnulli terebratæ radici cuneum infigunt, aut ſalis chœnicem immittunt, vel corium arboris, cùm folia incipit producere, ſcindunt. Cæteri circa Pleiades, ſcrobes circunfodiunt, & truncum amurca æqualiter cum aqua perfundunt. Verbaſcum iuglandi adalligatum, fructum ſuum abijcere non permittit. Lotium (autore M. Catone) aut ſtercus ſuillum ad caudicem arborum addere oportet, vt ſtabilia mala fiant. Alij perforatæ radici, oleaſtri cuneum infigunt. Prunorum verò poma, in glareoſis ac lapidoſis

locis caduca, vt plurimum ſunt. His ſubuenit lætamen. Si perſici poma decidua erunt, nudatæ radici, aut trunco, lentiſci aut terebinthi cuneus affigitur, vel in medio terebratæ ſalicis paxillus imponitur. Vt autem meſpili fructus ex arbore decidui ſint, perrarò euenit. Nam pertinaciùs eos continent: vt anteà ſæpe in arbore mollia fiant, quàm ſponte decidunt. Quod ſi nonnunquam euenerit, fruſtum de eius radice præciſum, in media trunci parte figito. Vitio etiam ſoli, fructum ſuum oleæ necare ſolent: cui rei ſic medebitur: Altis gyris eas ablaqueant. Deinde calce, pro arboris magnitudine, plus minúsve circundant. Hoc remedio ſi nil fuerit effectum, ad inciſionis confugiendum præſidium erit.

Si fructus rugoſi, & hiantes ſint, & ante maturitatem in arbore putreſcant. CAP. XII.

PERSÆPE loci crudelitate, veluti cùm calculoſus, glareoſus, ſiccúsve eſt: in eo ſatæ arbores, rugoſos, vel citò putreſcentes fructus producunt. Nempe loci exilitate, & alimenti penuria, communem genium, ac bonitatem minimè præſtare poſſunt, vt ſæpe hient, ſæpiùs verò intus calculoſi ſint: vt tum cutis lenitate, tum ſaporis iucunditate, cum cæteris eiuſdem generis impares ſint. Contra quod vitium proderit frequens irrigatio, & ad arborem terræ adaggeratio. Mala punica, ne in arbore rumpantur, remedio ſunt lapides tres, ſi cùm ſeres arborem, ad radicem ipſam collocaueris. At ſi iam ſatam arborem habueris, ſcyllam ſecundum arboris radicem ſeueris. Alio modo, cum iam matura mala fuerint, antequàm rumpantur, peciolos, quibus pendent, intorqueto. Eo modo ſeruabuntur, etiam anno toto. Si poma rugoſa vel putrida perſicus creabit, circa imum truncum cortex recidatur: & cùm inde modicus humor putris affluxerit, argilla aut paleato luto plaga retegatur. Magna ac generoſa poma adferet, ſi florenti, per triduum ternos lactis caprini ſextarios infuderis. Sal verò & cinis ficis aſperguntur, ruta ne fiant, vermiculoſaq́; , néve radices putreſcant. Ne mala putreſcant, lacertæ viridis felle cacumina tangunt. Alij ea truncum cingunt. Id idem valere contra erucas aiunt. Si dura nux iuglandis erit, vt vitium mali humoris educat, autore Palladio, hoc modo emendabitur. Alij radicum ſumma præcidunt: alij terebratæ radici palum buxeum, vel cuprinum, aut ferreum clauum imprimunt. Lapidoſi generis pyra, vitium mutare creduntur, ſi terris mollibus conſerantur. Nonnulli ab extremis radicibus terram leuant, & omnes ſecernunt lapillos. Quibus diligenter ſummotis, terram cribro cretam in eius loco ſuffundunt. Si vini veteris fæces recentes radicibus per triduum affundantur, arbores in floribus non laborabunt.

De ſepiendis ſeminarijs, & hortis, & de roborarijs.

CAP. XIII.

QVANTA arboribus ab animalibus inferatur iniuria, ſuperiùs oſtenſum, præſertim verò illorum paſtione. Verùm ſupereſt aliud malum,

malum, quando illarum fructus deprædantur, magna quidem noſtra iactura. Quandoquidem omnem prouentum auferant, & anniuerſarij laboris commodo ac præmio nos ſpolient priuent: vt ſæpe propter caducos fructus, cum feris ipſis vt depugnemus neceſſum ſit:circa verò pendentes,cum alitibus. Contra quæ remedium erit,hortos ſepire: vt ab his non ſolùm feras beſtias, ſed & fures quoq; arceamus, vt ne ipſis hominibus, vt eſt in communi prouerbio, pomum dulce relinquamus, cùm abierit cuſtos.Cuius quidem rei,tutelarum genera quatuor M.Varro poſuit. Vnum naturale,alterum agreſte,tertium militare,quartum fabrile. Et horum vnum, quod plures habet ſpecies. Primum igitur naturale ſepimentum eſt, quod virgultis ac hirtis ſpinis obſeri ſolet. Locus autem, quem ſepire deſtinaueris, ab æquinoctio autumnali, ſimul atq; terra imbribus maduerit,ſulcis duobus circunuallandus,tribus à ſe pedibus ſeparatis. Modum autem altitudinis,& latitudinis eorum abundè eſt,eſſe ſeſquipedaneum,quos vacuos perhyemare patiemur.Semina verò ea erunt rubi,paliuri,& eius,quam Græci κυνόσβατον vocant, nos canis lentē. Horum enim quam maturiſsima eligi oportet, & ea cum erui farina aqua macerata immiſcere. Funes dehinc ſparteos,vel nauticos veteres,aut alias quaſlibet reſtes, vel tomices. Hoc miſtionis genus ſic inducere, vt intra recepta ſemina vſq; ad Idus Februarias in tabulato ſeruetur. Quo tempore ſi aqua in ſulcis per hyemem remanſerit,exhauriatur,reſoluiq; eius, quæ erat autumno regeſta, vſq; ad mediam ſulcorum altitudinem reponitur.Tunc prædicti funes in longitudinem, per vtrunq; ſulcum porrecti explicantur. Quos leni terra obrui non nimium debent,vt ſpinarum ſemina,quæ toris funiculorum inhærent,enaſci poſſint. Ea ferè circa trigeſimum diem prorepunt. At vbi incrementum aliquod habere cœperint,ſic inſueſci debent, & adminiculis adiuuari, vt in id ſpatium, quod ſulcis interiacet,inclinentur:vti inter ſe ſentes per ſpatia vacua iungantur, vt inuicem quaſi quodam adminiculo priuſquam corroborentur, acquieſcant. Hunc igitur veprem manifeſtum eſt, niſi radicitus effodiatur, interimi non poſſe. Cæterum etiam poſt ignis incendium, meliùs renaſci. Hæc autem claudendi ratio antiquis, autore Columella, maximè fuit probata. Nunc apud multas nationes commendatur, quod ex aronio, vulgus ſpinam albam à flore albo vocitat. Serunt enim circum hortos extrà vel intus ducta foſſa. Multi ad firmitatem, aliquot annis cædunt. Diuturnitate enim,& aculeorum aſperitate,ac duritia, cæteris ſepimentis validius. Secunda verò ſepes ex agreſti ligno fit,verùm imbecillior,quando non diuturnior. Nam putreſcentibus lignis citò deficit. Fit enim è palis crebrè propter minutorum animalium ingreſſum ſtatutis, latis perforatis longurijs,ferè binis, nonnunquam ternis in tranſuerſum traiectis: quarum ſummitatem ferro acuto multi muniunt, ne facilis ſit furibus aſcenſus & deſcenſus.Materies autem ad id propter diuturnitatem optima erit querna,aut è caſtanea,atq; è robore,à quo (autore Gellio) roboraria appellabantur viuaria, à tabulis roboreis, quibus ſepta erant. Tertium verò ſepimentum, quod militare dicitur, foſſa eſt,& agger terreus.

Verùm foſſa ipſa vt ita idonea ſit, oportet vt omnem aquam, quæ de cœlo venit, commodè recipere poſſit: aut faſtigium habeat, vt de fundo exeat. Agger autem, qui intrinſecus foſſæ iunctus eſt, ita arduus ſit, vt illum tranſcendere non facile ſit. Quem nonnulli virgultis, viminibus, & cæteris muniunt, quorum radicibus terra contineatur. Militare autem dictum eſt, quod huiuſmodi foſſa milites caſtra cingerent. Quartum fabrile, ſcilicet è maceria. Huius autem ſpecies quinq; ſunt. Primum, quod è lapide. Alterum è coctilibus lateribus. Tertium è latere crudo fit. Quartum, quod terra, vel calce, & lapillis componitur. Vltimum verò è terra ipſa ſola per ſe intra poſtium formas, ad deſyderatam latitudinem matella adaggerata. Nonnulli poſteà huiuſmodi parietem calce ad longiorem vſum incruſtant, atq; latere coctili, aut ſtipula, vel cæſpite cooperiunt. Sunt qui in ſepibus virgulteis ſerant arbores, maximè vlmum. Quod minimè à pluribus probatum iri video. Nam his facilè in hortos ſe fune alióve præcipitant vt damni cauſam præbeant, quæ ad tutelam parauerant. Quarum etiam vmbra, & alimenti rapina, virgultis noceat. Seminaria etiam his rationibus claudi par eſt, vt non ſolùm pecori, verùm etiam homini aditus minimè ſit. Quoniam ſi ſæpiùs cacumina hominis manu tractata, vel perfracta, vel à pecoribus prærosa ſint, in perpetuum ſemina incrementum capere nequeunt. Defendenda etiam arbos tenera, ne calcetur inualida.

De ſubueniendis arboribus fœtura preſſis. CAP. XIIII.

RELIQVVM eſt, vt poſt tot morborum medelas, neque illam, quæ omnium, meo iudicio, præcipua eſt, prætereamus: quæ eſt; vt miſeræ ſcilicet parenti à ſuis pignoribus preſſæ ſubueniamus: vt illam ad alios feraces plurimos annos, & aliam prolem reſeruemus, & præſentium fructuum incolumitati & damno ad eſus noſtros conſulamus. Fertilitate enim nimia nonnullis ſæpe annis contingit, vt arbos fœlix ab his, quos producit, fœtibus inhumaniter & crudeliter curuetur & opprimatur, curuatis in terram pondere ramis, qui parum ante cœlum recto tramite aſpicere ſolebant: vt plerunq; paruis cacuminibus humum verrere contingat,

- *Cum rami* (inquit Nemeſianus) *pondere nutant,*

Aſpice curuatos pomorum pondere ramos,
Et ſua, quod peperit, vix ferat arbor, onus. Ouidius:
Sunt poma curuantia ramos. - Nimio enim ſuorum pondere oppreſſa brachia nonnunquàm rumpuntur, frondeq; ſua priuantur: quibus orbata deformis poſteà viſitur, viliſq; feracitatis diminutione & totius faciei deformitate. Aliunde etiam, non leui iniuria affecta, vt ſæpe elargitis in ſuos alimentis, ipſamet fameſcat, vt cùm numeroſæ proli ſubuenire vult, ſibi neceſſarios ſumptus diminuat, neceſſe ſit: vt cum Ouidio dicere poſſit:

Ouid. de Nuce. *Fructus obeſt: peperiſſe nocet: nocet eſſe feracem:*
Quæq; fuit multis, eſt mihi præda malo. Et infrà:

O ego,

O ego, cùm longæ venerunt tædia vitæ,
Optaui quoties, arida facta mori?
Optaui quoties aut cæco turbine verti,
Aut valido miſſi fulminis igne peti!
Atq; vtinam ſubitæ raperent mea poma procellæ,
Vel poſſem fructus excutere ipſa meos.

Verùm languenti & piæ parenti facilè, minima opera, viliori ſumptu, noſtra ope ſuccurrere poſſimus; vt propterea ingrati erga eam eſſe videamur, ni hoc beneficio, propter tot munera nobis elargita adiuuerimus, vt parentis ſimul & filiorum miſereamur. Primùm enim vitioſa poma interlegere proderit, hac ratione, vt ſuccus, qui inutili poſſet impendi meliori ſuccreſcat. Onere etiam matrem leuabis. Sic enim quæ remanebunt, tum magnitudine, tum ſaporis bonitate, & reliqua generoſa dote prædalebunt. Quippe copioſiore fulta alimento, maiori incremento luxuriabunt, vitioſis amplius alimoniam non ſurripientibus. Vt hoc modo matrem in reliquos annos conſerues: in fructuū autem iactura nihil damni accepturus, paucis generoſis numerum ſarciente. Proderit inſuper graues & labentes ramos, fune furcáve & palis ſuſtinere.

Præfatio libri decimiquinti.

QVÆDAM *nunc tractanda, quæ ex ipſa arborum ingenita natura, & abſq; hominum ingenio, impenſa, ac labore ipſis arboribus inſunt, veluti de alimento, illarum cibo, atq; conceptu, & germinatione ac ſequentibus floribus, & nonnullis alijs: quæ ad arborum ipſarum ſolùm ſpectant, vt hæc etiam incultis ac ſylueſtribus ſicut & vrbanis, pariter eueniant. In quibus verò eſt aliquid, in quo aliquod ex ipſis oblectamentum accipere valeamus. Primum enim ex illarum conceptu & ſequentem germinationem, atq; exeuntes gemmas, & poſt varij coloris flores, nos ſuo aduentu exhilarantes, & exindè fructus (præmium noſtri laboris) de quorum collectione, adſeruatione, & conditura, ſequenti libro.*

HORTORVM LIBER DECIMVSQVINTVS.

Arborum alimentum, & cibus. CAPVT I.

ILLVD itaq; omnium maximum erit, vt ad arborum alimentum & incrementum ſit, cœli temperies, vt ſuprà oſtendimus, & anni conditio. Vbique autem maximè eſt imber. Quare tepidam hyemem arboribus vtiliſſimam dixere: & tunc illa præſertim probabitur, quando imbrium & niuium frequentia abundauerit. Vt qui inde ſerenas hyemes exoptauerit, minimè vota pro arboribus faciat: At contrà, pro his deuouere videatur, qui diu niues ſedere concupiſcit. Non ſolùm, quia animam terræ exhalationem euaneſcentem includant, atq; comprimant, retroq́; agant ad arborum radices, quibus arbor eſcam deſumat, verùm etiam, quòd liquorem ſenſim præbent, purum præterea, ac leuiſſimum: cùm nix cœleſtium aquarum ſpuma, & aëris adeps ſit. Humor præterea ex ea non diluit, aut ingurgitat, verùm quomodo ſititur, velut ex vbere, diſtillat. Erit igitur & frugibus, & arboribus, ſicut etiam prodit Gellius, niualis aqua ſanè fœcunda: & Plautus, vt Nonius Marcellus inquit, ob eius miram in alendis ſatis potentiam, aquam, animam nuncupauit. Ne illi puteo obſepto, animam omnem intertraxero. Hyeme verò expetendi imbres, euidens cauſa eſt: quoniam arbores fœtu exinanitas penitus, & foliorum amiſſione languidas, auidè eſurire naturale eſt: vt etiam abſumpto illarum partu, conceptus, id eſt, germinatio protinus ſequatur, ac deinde alia floreſcendi exinanitio. Cùm enim alimenti adfuerit vbertas, & cœli clementia, probè germinari, & fructificari ratio eſt. Quod nunquam fieri poterit, niſi frigus diutiùs oppreſſerit, quo arbores concoqui oportet, & imbres (hoc eſt alimentum) adiuuerint. Quin imo, ſi plures hyemes ſerenæ continuauerint, plantæ morientur: quoniam nemini pœna dubia eſt, in fame laborantium. Porrò euidens cauſa eſt, imbres fore alimentum: quod ſi deficiat, eas interire neceſſe eſt. Nempe ſi calor innatus nullum ſibi extrinſecus deſumat pabulum, ipſe ille ieiuno valentior factus, conſumit quod intus humidi erat. Quod cernere eſt, vbi magni ingruerint calores, & terra vndiq; arida, & exæſtuans fuerit: Humidū tunc calore abſumitur, cùm nulli ſunt imbres, & arente ſolo, nullus, aut exiguus, infunditur humor, qui natiuū calorem in plantis refrigerare & alere poſſit. Quo tempore primùm languentia, mox arentia, & decidentia cernuntur folia, planeq́;

neq; extremos arborum ſtolones paulo pòſt arbores ipſas totas ſquallentes inareſcere. Quare æſtate potiùs, quàm hyeme (in qua frequentiores pluuiæ,quod ſatis ad ſalutem, & temperamentum auxilij eſt) arbores intereunt. Vt conſequens ſit, plantas omnes fame, deficiente cibo, ſicut & animalia, interire. Poſtquàm enim humorem pluuiarum terra excepit, illum per arborum partes,perq; radices digerit.Nam hæc ſimili ac eodem officio,erga plantas eſt (autore Hippocrate,& commentatore eius Galeno) quo venter in animalibus. Porrò illa alit,calefacit, refrigeratq;. Radices verò,pro ore ſunt,quòd à terra cibum attrahunt,contraria ab animalibus natura: vt quod ſupernum animalibus eſt, infernum ſtirpibus ſit. Quamobrem arborem hominem inuerſum, vel econtrario, hominem, arborem inuerſam quidam dixere. Quæ autem fructus ſuos diutiùs cuſtodiunt,largiores deſyderant cibos, longiusq;, atq; etiam quæ frequentiùs,numeroſiúsve pariunt: vt ex fœtus ratione debeànt alimentari,iis & ſerotinæ aquæ vtiles, vt oleæ, & punicis. Sed iam imbres euiuſq; generis arboribus variè requiruntur. Maturantibus quibuſdam, alijs autem alio tempore. Quapropter ſæpe iiſdem pluuijs alia lædi, quædam verò iuuari videmus. Nonnunquam etiam in eodem genere,vt in pyris.Particulares autem nonnullarum cibi reperiuntur.

Quæ citò,quæ ve ſerius creſcant. CAP. II.

DIFFERVNT etiam auctu inuicem arbores. Aliæ enim ad creſcendum faciles, aliæ verò tardiſſimè incrementum accipiunt.Omnes tamen occulto æuo,vt ait Horatius:

Creſcit occulto velut arbor æuo.

Quæ verò ſpiſſæ,ſiccæq; ſunt naturæ,& amaræ.Nam igneæ naturæ eas eſſe oportet. Harum lenta acceſſio, vt buxi iuniperi, hebeni, aquifolij corni,meſpili,palmæ, cupreſſi, laurus, oleæ. Contrà verò, quæ raræ, laxæ, & humidæ naturæ ſunt, & quæ apud aquas aſſurgunt, veluti ſalix, populus, alnus, facillimæ ad creſcendum ſunt. Humiditas enim, & germina, & augmentum porrigit: vt in omni arborum genere celeriùs creſcant,quæ humidum ſolum nactæ ſint: Feſtinantius etiam,quæ in frigidis ac vèto ſilentibus.Terreſtres auctu faciles,vt platanus,vlmus, taxus, acer,carpinus,fraxinus. Quæ autem materie molles ſunt, citius creſcunt: vt tilia,oſtrya,picea,pinus, pinaſter,vnedo,abies. Inter vrbanas verò cerafus, pyrus,malus. Quædam magis in craſſitudinem,vt vlmus, malus, pyrus. In longitudinem verò, pinus, abies, & reſinoſæ ferè omnes, alnus, populus.

De conceptu & germinatione arborum,& quoto tempore fiant:& de Zephyro & Chlori. CAP. III.

NATVRÆ annuus ordo ita ſe habet,vt tria nobis tempora conceptus diſpartierit. Quorum primum, quod eſt in Vere apparentius, commune omnium arborum generibus. Deſiderio enim iam anteà ſpoliati honoris, quod in florũ pulchritudine

&

& odore, fructuumq; vbertate erat,quorum orbitate tam triſtes fuerant, ad priſtinum decorem, vrgente illarum clementia, tempore auidiores ſunt. Tunc enim nouas,& alias,quàm in viduitate fuerant, ſe præbent, & in varijs colorum picturis,in certamen vſq; luxuriant. Et, vt ait Poëta,

Verg.eclog.3. *- Nunc omnis parturit arbos,*
Nunc frondent ſylua.- Et alibi:
Georg.2. *Ver adeò frondi nemorum, ver vtile ſyluis:*
Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus Aether
Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omneis
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus. Et paulò pòſt:
Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua ſinus: ſuperat tener omnibus humor.
Inq; nouos ſoles audent ſe gramina tutò
Credere: nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,
Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.

Ab hoc autem germinandi tempore Aprilem menſem, quaſi aperilem vocari Macrobius autor,quòd hoc menſe arbores, nec minùs quoq; cætera, quæ tellus continet, ſeſe in germen aperire incipiant. Sicut & apud Athenienſes ἀνθεστηρίων, ab eo quod hoc tempore omnia floreant. Idcirco quidam Ver maſculum dixere, quòd eodem tempore germinent arbores: & æſtatem fœminam, vt ſub ea figura eiuſmodi depingatur, quòd eodem tempore fructus omnes patefiant. Quod in Tyreſiæ fabula,& ſerpentum percuſſu,mythologici intellexerunt. Cui rei aſtipulantes poëtæ Chlorim deam, quæ Latinè Flora dicatur, à Zephyro adamatam fingunt. Propterea Catullus illam Zephyritim vocat. Quam vbi ille per Ver errantem conſpexiſſet,inſequitur, rapitq;, ac domum defert. Verùm vim proprijs nuptijs emendauit. Sic enim illa apud Ouid.in Faſtis fatur:

Faſt.5. *Chloris eram, quæ Flora vocor, corrupta Latino*
Nominis eſt noſtri littera Græca ſono.
Chloris eram nymphe campi fœlicis, vbi audis
Rem fortunatis antè fuiſſe viris.
Quæ fuerat mihi forma, graue eſt narrare modeſtæ:
Sed generum matri repperit illa Deum.
Ver erat, errabam: Zephyrus conſpexit, abibam:
Inſequitur, fugio: fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas ius omne rapinæ,
Auſus Erichthea præmia ferre domo.
Vim tamen emendat, dando mihi nomina nuptæ:
Inq; meo non eſt vlla querela toro.
Vere fruor ſemper, ſemper nitidiſſimus annus:
Arbor habet frondes, pabula ſemper humus.
Eſt mihi fœcundus dotalibus hortus in agris:
Aura fouet: liquidæ fonte rigatur aquæ.

Hunc

Hunc meus impleuit generoſo flore maritus:
Atq; ait, arbitrium tu dea floris habe. De quibus etiam Lucretius:
It Ver, & Venus, & Veneris prænuntius antè Lucret.lib.1.
Pennatus graditur Zephyrus veſtigia propter:
Flora quibus mater præſpargens ante viai
Cuncta coloribus egregiis, & odoribus opplet.

Zephyrus autem Latinè Fauonius dicitur. Catullo Chloridos ales equus. Chloreus autem Latinè viridis. Sed iam ſatis per fabulas poëtarum diuagati, rem ipſam attingamus. Primus itaq; arborum conceptus Fauonio flare incipiente fit. Exinde ferè ſexto Idus Februarij. Hoc enim illo cuncta è terra viuentia maritantur. Sed non idem omnibus, certo & ſtatuto tempore: Nam & varijs diebus, pro cuiuſq; arboris natura concipiunt. Quædam ſeriùs, aliæ citiùs. Quum autem animalium ſingula genera ad conceptum ac partum, determinatum tempus habeant, ſic quoq; ad ſuas fruges, arbores: vt ex illis nonnullæ diutiùs conceptum gerant, aliæ celeriùs germen producant: & magna circa hæc, ex regionum natura, locorumq; ſitu ac generum diuerſitate anniq; conditione, differentia. Cœli verò quandoq; indulgentia germinatio præcurrit, vt tempus illi communiter ſuetum anteuertat. Situs verò germinationem variat, quum ad ortum, aut occaſum, vel meridiem, vel ſeptentrionem ſpectant: vt ſecundum illorum naturam, aut ſtatim, aut ſerò germinent. Paluſtres priùs, mox campeſtres, nouiſſimè autem, quæ in montibus, & ſyluis. Aliæ confeſtim ineunte Februario, plures ante Fauonium concipiunt, vt in locis algentiſſimis veluti in Cretæ Ida. Vbiq; autem præcoces citiùs germinare, iuſtum eſt, vt ſerotinarum prouentum occupent. Syluestres, & quæ non coluntur, ante vrbanas fructificant, quòd calorem ampliorem in ſe contineant, cùm non fodiantur, neq; radicibus nudentur. Calor nempe ille eſt, qui ad generandum arbores vltrò propellat. Adde quòd vrbanæ ſæpe inter amputandùm, vulnus aliquod accipiunt, quo laborare, & frigeſcere oportet, vt propterea tardiùs germinent. Sed vbiq; certum germinationis tempus habent, quæ tardiſſimè, quibus iam nulla cœli aſperitas, ex ſera atq; regionum differentia, formidari poteſt, quando iampridem anni clementia omnibus terræ tractibus ſe exhibuerit. Morus autem nouiſſima vrbanarum germinat: quare quidam à mora, id eſt, tarditate, dictam exiſtimauerunt. Etenim niſi exacto frigore non germinat. Ob id arborum ſapientiſſima habita. Verùm cum tanta celeritate, vt cùm cœperit erumpere, vniuerſam germinationem, etiam cum ſtrepitu, vna nocte peragat. Quoddam iuglandium genus, quod rarum eſt, comperi, non ante ſolſtitium æſtiuum germinare, atq; id cum ingenti feſtinatione: & eius generis duas tantùm arbores vidiſſe fateor. Alij germinationes per ſydera diuidunt, quas proprias, & naturales, vt ſuis conſtent ſideribus. Quarum primam hybernam vocant, ſub Aquilæ exortu. Secundam æſtiuam, quæ eſt à Canis ortu. Tertiam autumnalem, quæ ad Arcturi ortum, quam ferè communem omnibus exiſtimant. Manifeſtiſſima tamen hæc vrbanis, & illarum præcipua fico, ac punicæ. Quædam autem nimia ſoli

vbertate, ac cœli mollitie: quibus ſimul contingit, vt quando Autumnus longus, placidusq; fit, huius voluptate vberiùs coaleſcant, vltroq; denuò germinare cogantur: quod pluries mihi videre contigit. Et hoc ſub Arcturi ortum fieri ſolet. Et huius cauſam adferunt, quòd in Theſſalia & Macedonia ficus tunc plurima exeat & hoc maximè in Ægypto apparet vt plurimum tamen flacceſcit. Hæc autem fuit quarundam arborum in generando propenſior, auidiorq; natura. Quæ ſi ſæpius, propter tot nixus, defeſſæ fuerint, parùm tamen requieſcunt, quin rurſum priſtinos labores renouent. Hæc verò omnium conſenſu breuiſſima eſt, nec diutiùs ſeptenis menſibus durat. Theophraſtus verò germinationem primam ineunte Februario eſſe dicit, Alteram in Martio, Tertiam in Aprili. Has autem ternas germinationes non ita omnes emittunt: ſed hoc munere funguntur robur, abies, larix. Corticem verò illæ inter ſquammas ſpargunt, ac deinde erumpunt. Quare Græci has τριλοπίας hoc eſt, triſquammias, vocant, vel triſtepas, hoc eſt, intermiſſarias. Lentiſcus etiam ter germinat. In cuius rei teſtimonium hæc ſunt Ciceronis carmina:

Iam verò ſemper viridis, ſemperq; grauata,
Lentiſcus triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu.
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

Steriles ac iuueniles arbores ſua germina duplicant, quòd plus humoris ac caloris habeant. Fructiferas enim, humores ſuos circa partum effundere neceſſe eſt. Veteres enim ſicciores ſunt. Reliquæ, Vere vt primùm cœpere, continuant germinationem. Ante Fauonium cornus, tam mas quàm fœmina germinat. Paulò ante æquinoctium à Vergiliarum exortu ficus, olea, punica, ſambucus, vlmus, tilia, acer, carpinus, fagus. Hoc eſt illarum ſidus. Pòſt laurus, platanus, auellana, ſalix. Vere autem ineunte, iuglans, caſtanea, caprificus, aquifolium, terebinthus. Cum vrbanis germinat vnedo, apharca. Serotino autem germiniculo & malus eſt, tardo pyrus ſylueſtris, omnium tardiſſimè ſuber, aria, thya, taxus. Roſa nouiſſimè concipit. Germinatio, non niſi fructuum generatio βρύειν, autore Polluce, germinare propriè tamen ad oleas refertur. Thallus germen, Thallea germinatio. Prægnantium germinatione rumpitur cortex. Cutis ſe aperit, geniculato incremento, & inter ſquammas corticem ſpargunt. Prima cacumina impelluntur, clareq; tunc cernitur excreſcentium cacuminum articulatio. Caudex tunc etiam propellitur, totaq; arbos, tam supernè, quàm circa radices, incrementũ capeſſit. Variè germina emittunt. Quædam è cacumine ac latere: veluti ficus, punica, myrtus, pyrus, malus, & maxima arborum pars. Cæteræ verò non cacumine, verùm tantùm è lateribus. Hoc in iuglande, auellana, Theophraſtus eſſe ſcribit, & quibuſdam alijs, quarum germina in folium vnum finiuntur. Qua de cauſa, optima ratione, nullum ampliùs germen ſuperuenire poteſt, quo creſcere poſſit, cùm deſit augendi principium. Omnium itaq; arborum germinationes conſpicuæ ſunt, ſed maximè abietis, pini, pinaſtri, tedæ: quoniam genicula ſurſum rectè pergunt, ramiq; ex æquo conditi ſpectantur. In cunctis verò arborum fructibus, priùs pars exterior generatur: quia ſemina vt plurimum

mum lignoſa ſunt, ac nucleoſa, quamobrem lentiùs procedi oportet. Germinationes autem ita ſe habent.

De arborum floribus, & amento ſiue iulo: Et quo ordine floreſcant: & quare Aſcanius Iulus dictus. CAP. IIII.

ARBORES autem, ſicut animalium genus omne, priùs concipere quàm vt pariant, oportet. De quarum conceptione atq; germinatione ſuprà viſum. Conſequens igitur erit, vt poſt de partu illarum videamus, qui ſemper con ceptui proximus eſſe ſolet. Pariunt itaq; arbores, cùm florent. Tunc enim anni renaſcentis, & pleni Veris indicium eſt, & arborum gaudium. Itaq; flos ruptis vtriculis, arborum partus eſſe dicitur. Educatio verò in pomo ac ſemine eſt. At ſicut animalia quædam ſunt, quæ non diutiùs conceptum ferunt, citóq; parturiunt, & parum fœtum enutriant: aliqua verò, quæ multum & ferant, & enutriant: alia autem, quæ, etſi parum geſtent, per multum tamen tempus, progenitum alant: reliqua finaliter, quæ ſi conceptu ponderoſæ fuerint, paruo attamen tempore educant. Quod in arboribus euenit, vt ſtatim poſt germinationem floreant, fructúmq; continuò maturent, vt ceraſus, morus. Amygdalus autem omnium prima floret, tardiſſimè tamen fructum maturat, atq; in Septembrem. Iuniperus Vere germinat, partum tamen anno maturat: quo exacto alter præoccupat, vt vetus, ſi in arbore relinquatur, matureſcat. Prunus, perſicus, inter primas florent, ſeriùs tamen illarum fructus editur. Taxus à Vergiliarum occaſu concipit, paulò ante ſolſtitium floret, vt multo tempore fructum in vtero geſtet, & idem longo tempore enutrit. Sed poſt longam geſtationem, citò maturant aliquæ, vt pyrorum aliquot genera. Florum enim differentẽ naturam, non tam tempore, quàm figura, omnes arbores habere cuiq; conſtat: quos etiam ex temporis ratione, fructuum confectio non ſequitur. De quibus plurimis videndum: verumtamen, vt priùs partum deſignemus, quàm tempus integræ educationis. Ab amygdalo proximè florent armeniaca, tuberes, perſicus, prunus, ceraſus, pyrus. Malum ſequitur laurus, illum cupreſſus, deinde punica, ficus. Poſt vitem floreſcit olea. Sylueſtrium prima ſambucus. Abies autem flores croci colore circa ſolſtitium emittit. Pinus, & picea germinatione præueniunt, quindecim ferè diebus. Poſt Vergilias arbutus floret, menſe Iulio. Ponticam verò nucem, iuglandem, cum nuce Græca florere Macrobius ſcribit. Caſia poſt Autumni æquinoctium, autore Theophraſto, germinat, floretq;. Sed ſicut arbores in proferendo flore, tempore differunt, ita & illorum figura, de qua parum hic. Neq; omnino loco in vno præcipuè tamen, quum de vno quoq; arborum genere ſpeciatim dicetur. Quibuſdam verò foliati, vt amygdalo, pyro, malo, pruno. Alijs peculiares, vt quæ lanuginoſum habent, ceu morus, hedera, populus, tilia. Porrò hæ florem in totis fructibus habent, ſed neq; poſtremis inſidentem, neq; in ſingulas partes ambientem. In medio verò inculcati, niſi fortè cerni, propter lanuginem, nequeat. Plures item aliæ differentiæ. Speciales autem, & proprios

vnaquaq; arbos baiulat, ab alijs figura, magnitudine vtcunq; diſſidentes. Neq; vnam, aut alteram, inter tot arborum genera cernere eſt, quæ eundem ac ſimilem florem geſtet. Nonnullæ antè florent, quàm foliaſcant, vt amygdalus, perſicus, prunus, pyrus, malus, ceraſus. Aliæ contrà, priùs folia, quàm florem, emittunt: vt cydonia, ſambucus, ſorbus, & inter frutices roſa. In multis enim cernere non eſt, quid horum primordiùs egrediatur, flore ac folijs vnà exeuntibus. Defloreſcunt omnes ſeptenis diebus, quædam celeriùs, quædam tardiùs: plures intra octauum Idus Septembris. Caſia autem, vt voluit Theophraſtus, poſt æquinoctium Autumni. Idq; etiam multo tempore. Proprium aliquibus amentū eſt, quod & cachryes dicitur: quod in auellana iulum multi dixere. Hoc enim callo compactum, cui peculiare quiddam racematum eſt. Singulari autem ac pingui pediculo emergit, minutulis, & innumeris ſquammis. Hoc hyeme augetur, concepto Vere dehiſcit, & ſquammæ illæ in longitudinem laxantur, & intumeſcunt, flaueſcuntq;, & euolant. Hæc folia deijciunt. Nonnulli florum loco eſſe arbitrantur. Hoc in corylo, alno, iuglande, caſtanea, populo alba. Amentum autem habere abietem, pinum, roborem, vlmum, Theophraſtus arbitratur. Tilia autem, nunquid amentiferum quicquam habeat, ipſe dubitauit: ego verò minimè. Quod enim in ea lanuginoſum eſt, flos eſt, qui cæterarum amento nequaquam reſpondet. Hoc autem nonnullis, veluti robori, iuglandi, caſtaneæ, parum ante verni temporis germinationem. Cæteris autem, ceu auellanæ, veluti conceptus quidam, inter antecedentem obſtructionem, & ſequentem germinationem medius eſt: gigniturq; in Autumno poſt foliorum occaſum. Iulus autem in arboribus eſt, atq; in homine prima lanugo, & barba. In quibus, vbi adoleuerit, decidit, atq; in folia & flores, tanquam firmiorem ætatem, commutatur. Ab eo Aſcanium Iulum primò vocatum aſſerunt, quod ei tempore victoriæ hæc lanugo naſceretur. Vnde nomen familiæ Iuliorum, tam celebre emanauit. Et quo ad fructuum rationem, maior illorum pars in medio flore generatur, vt amygdalis, prunis, ceraſijs. Non deſunt quæ fructum ipſum flori inſidentem habent, vt punica, malus, pyrus. Arbores autem vel etiam ipſæ in fructificando diſtare videntur. Quippe aliæ ex nouellis ſurculis, quædam ex annotinis, reliquæ ex vtriſque fructum gignunt. Theophraſtus autem, id generalius ex diſcrimine arborum naturæ eſſe ſcribit: vti ex annotino ſurculo fructificent, quæ natura ſiccæ denſæq; ſunt: quoniam parcè in his ſuccus præ denſitate defluat, ſoletq; eſſe nouellus tenuis & infirmus, qui abundè neq; traducere, neq; retinere humorem valeat, vt in olea eſt. Ex annotinis etiam caſu ferunt arbores, quarum fructus perticis deijcitur, vt præciſo nouello, qui ad ictus facilè fragilis, neceſſe ſit vt ex alia arboris parte ferat. Quæ autem humidæ, raræq; naturæ ſunt, hæ fructum è nouellis ſurculis pariunt. Quando verò in his ſucci impetus fiat, vt ſimul & germen, & fructum effundere poſſint. Inter arbores enim aliquæ ſunt, quæ ante aliquid producant, ex quo poſteà florem fructumq; edant: vt myrtus, meſpilus, cydonia. Ex nouellis autem ficus: ex annotinis punica, amygdalus, pyrus: ex vtroq; quæ biferæ ſunt, vt

caprificus.

caprificus. Arborum item aliæ cacuminibus fructificant, aliæ ramorum lateribus, cæteræ verò parte vtraq;:vt olea, pyrus. Cacumine ferunt, punica, ficus, meſpilus, myrtus, ſorbus. Palma ſola arborum in ſpathis, fructum habet, racemis propemodum, quæ & folia & germina gerunt. Quippe vis eius genitalis parte ſuperiori tota conſiſtit. Quædam fructum ſupra folia gerunt, vt myrtus ſylueſtris, quæ fructum in folij dorſo gerit: ſicut viticis quoddam genus, pilulam rubeam. Peculiaris maximè illarum ortus habetur, quæ caudice fructificant, vt moro Ægyptiacæ contingit. Non deſunt tamen, qui affirment, ex grandioribus quoq; ramis & hæc vtique fructificare, ſicuti ſiliquam. Iones cerauniam vocant. Id eſſe in ficu Cypria quidam atteſtantur. Omnes enim arbores ſub folio pomum, vt protegatur, habent excepta ficu, quæ ſupra folium pomũ habet, eiq; demum ſeriùs folium, quàm pomum naſcitur. Inſigne autem proditur in quodam Ciliciæ Cypriæ Helladis fici genere, quod ficos ſub folio, groſſos ſupra folium habeat. Neq; enim arbores ſtatim ſuos fructus tales, vel figura, vel colore, quales poſteà, quum ad maturitatem peruenerint, oſtendunt. Quædam enim citiùs ingenitam formam referunt. Quod itidem in animalibus eſt: vt quædam ſimul atq; nata ſunt, parentis præferant faciem: quædam non ita citò, vt vrſus. Fructus enim ante maturitatem ſæpiſſimè colores variant: vt malorũ omnia genera, ceraſus, ac ferè omnes. Vltimum erit, vt inter arborum fructus, præſertim, propter vim medicam minime prætereatur galla, ſiue nigra, ſiue alba. Ambæ autem menſe Aprili gignuntur. Naſcitur magna ex parte noctu vniuerſa: in diem verò augetur tota excepta reſinacea. Quòd ſi ab æſtu præoccupetur, marceſcit, & augeri ampliùs nequit. Quamobrem illarũ aliquæ fabis maiores non euadunt: aliæ ampliore magnitudine grandeſcunt, mali amplitudinem capeſſentes. Nigra diebus pluſculis viret.

Quæ arbores cito tardéve ferant, quǽve perraro.

CAP. V.

PLVRIFARIAM inuicem & arbores & animalia in multis conuenire (quod omnes Naturæ diligentiores norunt) ſæpe teſtatus ſum, quod in multis ſuprà à nobis demonſtratum. Verùm maniſeſtiſſimum illud habetur, quod eſt in producendo. Nam veluti in animalium genere multa ad procreandum auidiora, propenſioraq; ſunt, vti & citiùs & frequentiùs pariant, alia tardiora, & quæ ſemel tantùm in vita progenerent: idem certè in plantis euenit, in quibus aliquæ reperiuntur, quæ præcociùs, crebroq; ferant: aliæ verò quæ ſeriùs, ac perraro. Itaq; in omni arborum genere, fœliciores ſunt, quæ iam adoleuerint, quæq; ſenuerint. Nempe quæ adhuc nouellæ, fructu vt plurimum quamdiu creſcunt, carent. Alimentum enim omne, & vires in incrementum conuertunt, & impendunt. Quo labore ſimul atq; in fructuum vbertate affici, defatigariq; minimè conuenit. Haud enim mutuo vtriq; parti ſufficere poſſunt. Quod ſi id in quibuſdam euenerit: laſſitudine certè deficientibus viribus, citò mori

plerunq; contingit, vt mulieres properantiùs præter ætatem, atq; ſæpiùs parturientes. Sorbus ante trimatum non fert. Omnes enim quò magis ſeneſcunt, eò maturiùs producunt: & quæ in apricis, nec pingui terra, ſitæ ſunt. Ad fructificandum enim multum refert, quæ ſit terræ ratio, non ſolùm quòd tenuis, quòd ſquallida. Item quæ ſubarantur aut ablaqueantur, celeriora. Eſt etiamnum ætatis differentia. Palmæ enim vt plurimùm, quadrimæ, aut quinquennes, in Cypro, Syriaq; fructificant, hominis altitudine. Amygdala autem, & pyrus in ſenecta fertiliſſimæ, vt glandiferæ omnes, & ficorum quoddam genus. Seriùs olea fert. Heſiodus enim negauit ſatorem ex ea vnquam deguſtaſſe, tam tarda tunc res erat. Quare

Georg. 2. Vergilius dicit: *- Et prolem tardæ creſcentis oliuæ.*

At nunc in plantarijs ferunt. Tranſlatarum enim baccæ altero anno decerpuntur. In ſenecta autem deteriorem fructum gignit malus: tunc enim breuius pomum, magiſq; vermiculis obnoxium, qui tunc in ipſa quoq; arbore frequentiùs generantur. Theophraſtus cuiuſdam Indicæ arboris meminit, quam ante centeſimum à ſuo ortu annum non ferre affirmat. Quæ verò ampliore magnitudine ſeſe attollunt, minorem fructũ edunt, vt ficus Indica, robur, caſtanea, cupreſſus. Natos enim parentes, alimenti ingluuie, exinaniunt. Quæ item nimiùm oleoſæ, obeſæq; ſunt, ceu picea, pinus, cupreſſus. Nam & tales fructus infœcundos producunt: ſimileſq; ſunt hominibus præpinguibus, obeſis, nimiumq; corpulentis, qui vt plurimùm gignendis liberis inutiles, cibi etiam, ſicut in alijs, voracitate. Fructificant protinus, pyrus, malus, maximè quæ paradiſiaca, & à diuo Ioanne vocitantur: perſicus, prunus, abies. Eſt quoq; in ipſis onuſtis peculiaris differentia. Nempe ſumma ſui parte fertiliores cerafi, pruni, vnedines: quercus autem, iuglandes, fici mariſcæ, inferiore. Fructus autem ſuperiùs inferiuſq;, craſſiores. Surſum enim ſol magis incaleſcit, deorſum verò terræ alimento, quòd proximior, magis adiuuantur. Alternant enim quædam fructus ſuos, ſingulis annis ferre non valentes: vt quæ ſiccæ & duræ naturæ exiſtunt, vt olea. Caprificus autem nunquam matureſcit. Nequaquàm tamen inutilis, vt & ferentem adiuuet.

De futuræ vbertatis, vel inopiæ, prognoſticis, ex ſyderum ſtatu. CAP. VI.

ASTROLOGIAM agricolis ad multos rerum euentus pernéceſſariam, ſuprà oſtendi, ſed nunc maximè ad fructuum euentum. Futuræ etenim horum vel abundantiæ, vel caritatis prognoſtica, aut à ſyderibus, & ex cœlo ipſo, aut ab aëris temperie vel intemperie expetenda eſſe, nemini dubium vt certiſſimum, veluti in prouerbio eſt, vt ſcribit Theophraſtus, Annum, non tellurem, fructificare. Sed illa nobis manifeſtiſſima ſunt, & quæ etiam magis norunt agricolæ, quæ ex aëris ſtatu ingruunt, quàm quæ ex ſyderum ortu, vel occaſu, atq; natura: vt hæc nobis, vt plurimum abſtruſa, illa verò nobis ob oculos poſita. Nam ſicut ex ſyderum vi, & proprietate, vel aëris conditione, hominibus morbi, ſæpe etiam epidemiales

miales ingeruntur: hac ratione fructuum raritas, vel exuberantia, & præter hæc etiam arboribus morbi, contingunt. Futuram olearum penuriam Thales Mileſius, Democritus, & Sextius, philoſophi per aſtrologiam præſcierunt. Ille enim vnus è ſeptem Græciæ ſapientibus, Cui quum, vt Ariſtoteles in Politicis, & Laërtius in eius vita, memoriæ mandarunt, obijceretur paupertas, propter ſtudium philoſophiæ, tanquam inutile, atq; infructuoſum: parum pecuniæ ſimul coëgit, vrgenteq; adhuc hyeme in Mileto & Chio inſulis paruo pretio olearia conduxit, arraſq; dedit, nemine plus offerente, ſecutaq; olearum raritate, innumeras pecunias ſibi comparauit. Oſtenditq; facile eſſe, philoſophum contemnentem diuitias, ditari, ſi velit. Idem fecit alter, ſcribente Secundo. Is enim cum terris cœli eſſe ſocietatem primus intellexit. Præuiſa verò ex futuro Vergiliarum ortu, olei raritate, in toto tractu omne oleum coëmit, mirantibus omnibus qui paupertatem, & doctrinarum quietem, in primis ei cordi eſſe ſciebant. At vbi apparuit cauſa, atq; ingens diuitiarum curſus, mercedem anxiæ & auidæ dominorum pœnitentiæ conſtituiſſe fertur. Contentus ita probaſſe opes ſibi, cùm vellet, in facili fore. Hæc etiam poſteà feciſſe Athenis Sextium è Romanis ſapientiæ ſectatoribus, hic ſcribit. Democritus, vt ait Clemens in Stromatibus, ex cœli, & ſublimium rerum obſeruatione multa prædicens, ſapiens cognominatus. Cumq; eum perbenignè Damaſus excepiſſet, ex quibuſdam ſtellis capta coniectura, multam futuram pluuiam prædixit. Quod credens fructus collegit. Nam cùm æſtas eſſet, in areis adhuc erant. Alij omnia amiſerunt, cùm ingens ac inopinata ſubitò ingruiſſet pluuia. Aquilam in Italia ad decimumtertium Ianuarij Calendas exoriri prodiderunt. Ante eum diem quicquam in ſatis certæ ſpei eſſe non patitur Naturæ ratio. Sin verò incidat interlunium, omnes hybernos fructus, ac præcoces, lædi neceſſe eſt. Nonnulli è Græcis, vt Diophanes, magnam fructuum vbertatem prædicebat, ſi Luna exiſtente in Leone Canicula exoriretur: Olei raritatem, ſi ea in Libra eſſet: Fructuum eorum, qui foris putamen lignoſum habent, abundantiam: Si verò in Capricorno, vel Ariete, olei fertilitatem: ſi in Geminis, omnium fructuum copiam. Rudis quidem fuit priſcorum vita, atq; etiam ſine literis: non minus tamen in illis ingenioſa fuit obſeruatio, quàm poſteà fuerit ratio. Tria nanq; tempora fructibus, propter quod & ferias inſtituerunt: de quibus ſatis vt arbitror ſuprà diſputatum: dixiq; Floralia quarto Calendas Maij inſtituta. Si enim in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges, & omnia, quæ florent, periclitari oportebit. Hoc quatriduum rore ſordeſcere propter oleas nolunt. Quarto Nonas Iunij iterum Aquila exoritur veſperi, decretorio die florentibus oleis, vitibusq;, ſi plenilunium in eum incidat. Hanc autem iniuriam omnibus accidere non poſſe, ſatis conſtat, propter ſtatos ſiderum curſus, nec niſi paucis anni noctibus. Quod quando futurum ſit, facilè dignoſci poteſt. Nec per omnes menſes pertimeſci poteſt. Æſtate interlunia præterquam biduo ſecura eſſe. Hyeme plenilunia, nec niſi æſtiuis, breuiſſimisq; noctibus metui, diebus non idem valere: ſed hæc permutari poſſunt. Quando

vnum

vnumquodq; ſidus vbique eodem tempore oriatur, vt ſecundum locorum naturas cuiuſque obſeruatione conſtent. Hæc pauca ex ſyderum prognoſticis, quæ cognitu facillima. Omnia autem noſſe, diligentiſſimi potiùs, ac ſcientis aſtrologi, quàm agricolæ eſt. Vſqueadeò enim res ſcitu perdifficilis, vt non omnes id ſciant. Quemadmodum nec omnes olearum ſequuturam raritatem philoſophi, ſed ſolùm Sextius, Thales, & Democritus.

De futuro fructuum arborum prouentu, ex aëris temperie & intemperie prognoſtica. CAP. VII.

NVNC autem qui ſit erga fructuum proximam vel penuriam vel largiratem aëris ſtatus, videndum, cuius prima ratio circa germinationem; vt nec proſperè ſeſe erga fructus ſuos habitura ſint, ſi bene germinauerint, nec contrà ampliè fructificant quæ malè, vt potè quæ vtriq; parti naturâ æquè ſatisfacere minimè valeat, vt horum alter, alterum abſumat neceſſe ſit. Copioſa itaq; germinatio detrahit aliquid, vt ſæpe ob id, ſicut in ſegetibus eſt, luxurient. Quod accidit his arboribus, quæ ſoli bonitate lætæ ſunt, & nimiùm viribus arboreis ſubſiſtũt, vt pabuli nimia abundantia luxurient. Quibuſdam tamen aliter contingir, vt fico, vt ſi bene germinauerint, meliùs fructificent. Quod autem ad frigus attinet, illud tunc noxium erit, quod Septentrionibus, & præpoſteris horis fit: præſertim verò cùm cœli indulgentia excurrere iam germinationes: tunc enim recentes fœtus exuruntur, qui nuper editi benignum & mitem aërem deſyderabant. Quod & Ouidius notauit,

Metam. 14. *Sic tibi nec vernum naſcentia frigus adurat*
Poma, nec excutiant rapidi florentia venti.

Ad ſuſtinendum enim aëris illam ex frigore iniuriam adhuc infirmiſſimi, non ſecus atq; animalia nunc nata, quæ in matris aluo fota fuerant, vt adhuc nutricis officio indigeant. Syluestribus quoque ſerotinæ hyemes infeſtiſſimæ. Quæ magis etiam dolent, vrgente vmbra, nec adiuuante medicina. Quare hyemem Aquiloniam eſſe, omnibus ſatis vtiliſſimam. Futurum itaq; proſperam germinationem, & ampliùs metui non deberi ſequentes fructificationes. Sequitur flatuum ratio, quæ non omnibus communis eſt, neq; cuiq; regioni eadem, vt vnus & idem ventus ibi noxius, alibi vtilis: & alij alijs etiam proſperè excurrunt, alijs verò officiunt. Nam & quibuſdam Fauonius, multis Aquilo, cæteris Auſter. Quæ enim commodè ad maritimos iacent, proſperè fructificant, etſi tenues. Auſtro arbores humeſcunt, atq; imbecilliores redduntur: vt ab eiuſmodi natura ortum ſit adagium, immiſit floribus Auſtrum. Cùm exprimere volumus, quem damni cauſam dediſſe. Quod & Vergilius appoſitè declarat, dum ait:

Eheu quid volui miſero mihi? Floribus Auſtrum
Ecloga 7. *Perditus immiſi.* — Aquilonibus arbores validiores redduntur, & ad concoquendum apriores euadunt: vt potè quæ ſibi magis conſtent, &

ſuum incluſum calorem retineant. Præſtant auſtrinis Fauonij & Aquilonij, non tamen omnibus, vt nonnullis noceant. Quod de ſingulis ſimiliter dicendum. Æſtate verò feruidi, Vere frigidi nocui. Illa enim excitati atq; humiditatis penuria, fructus deteriores redduntur, hac aduruntur. Supereſt imbrium commoditas, & damnum, quos ſæpe ventorum alij excitant. Peſſimum omnibus plantis, ſi dum florent impluerit. Tunc enim & flores & fructus imbecillitatis cauſa defluunt. Vt etiam hanc iniuriam patiantur, ſi continuò poſtquàm defloruerint, id contigerit: vt in totum depereant, vt poma, & oleæ, adeò & amygdala, & pyri, etiam ſi omnino aër auſtrinus nubiluſq; ſit. Pluere commodiſſimum, cùm educant poma non protinus, ſed fœtu iam valido. Accidit enim arboribus, vt fructus amittant, non ſecutis pluuijs: vt fici. Natura enim comparatum, vt fructus omnes, humoris abundantia putrefiant, ſtranguleturq;: aut contrà exſiccentur, aquarum vltra modum penuria. Circa Vergilias pluere, inimicißimum oleæ: quoniam tunc coitus eſt illarum. Hoc enim quatriduum oleis decretorium. Imbrium autem & ſiccitatis mala Auſonius patefacit:

Ver pluuium ſine flore fugit, Canis æſtifer ardet, Epiſt.1.ad Paul.
Nulla autumnales variat Pomona ſapores.

Arbores malè affici perſpicuè dicuntur, cùm vel paulò poſt germinationem, vel germinare incipientes vel grandine vexantur. Oleam autem vtiliter & probè defloruiſſe ferunt, cùm flores caduci, velut perforati reperiuntur. Florum prognoſticum ex Ouidio tale eſt:

Si bene floruerint ſegetes, erit area diues: Faſt.lib.5.
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ, nitidißimus annus.
Poma quoq; euentum temporis huius habent.

Oportuit enim flores, quos fructus ſequuntur, antea bene cecidiſſe.

De florum & fructuum coloribus. CAP. VIII.

FLORVM, & fructuum differens natura in coloribus, etiam vnius generis arborum, eſt. Flores enim natiuum & originarium colorem nunquam mutant, ſicut nec herbarum. Quod contrà in fructibus eſt. Cur autem hoc, problema diu dubitatum. In cauſa eſſe plures exiſtimarunt, quòd in floribus ferè amburitur humor, vt propter velocem humoris conſumptionem non patiantur vlteriorem, nec longiorem concoctionem. At in fructibus humiditas amplior, ideoq; in his diuturnior, & longior, vt proptereà maioris concoctionis capaces ſint, vt in longiori concoctione demutare colores neceſſe ſit, ita vt ſuccedens color priorem demutet. Color etiam in fructibus concoctionis indicium eſt, ſecundum fructuum naturam. Quædam enim rubra ſunt, quædã crocea, alia ad rufum, aut ad crocea rubicantia. Quædam ſemper herbacei ſunt coloris, vt in his nihil maturitatis ex colore depræhendere poſſis, etſi huius coloris præſtantiſſima inueniantur. In omnibus enim plantis primus color viridis, tam in germinibus, quàm folijs, ac fructibus, in quibus nulla apparet concoctio.

Sequitur pòſt herbaceus, vbi prima concoctio inſpicitur. Nam viride Solis radijs temperatum, paulatim nigreſcit. Sic miſtum herbaceum fit: & vbi vetuſtiora fuerint, nigriora fiunt. Quod in folijs & germinibus ſemper eſt. Fructus hunc mutant colorem, alium in æſtatis initio aſſumentes, alium in Autumno: vt ſic per anni tempora colorem varient. Sunt qui per ὥρας intelligant ea tempora, quæ maturitatem præcedant. Sed ad particulares ſingulorum colores deueniamus, ex quibus maturitas perfecta intelligitur. Aliqui equidem nigri, vt oliuæ, & lauri baccæ: nonnulli flaui, vt in aliquo genere perſicorum: alij nigricantes, vt pyrorum & malorum quædam genera. Cæteri fuſci, vt meſpilorum, & ſorborum. Multa etiam diſcrimina in vno pomo: vt & rubea, crocea, & candida ſint. Quædam flauo colore ſunt, vt malorum quædam genera. In vno genere etiam multi ac varij colores reperiuntur, maximè verò in prunis, & ceraſijs, & perſicis, & malis, & pyris, in quibus varij colores, ſecundum eorum genera.

De fructuum concoctione, & maturitate. CAP. IX.

FRVCTVVM autem concoctionis ratio duplex eſt, carnis ſcilicet, & ſeminis. Huius verò ad arborum generationem, ac perpetuitatem: illius autem cibi gratia. Hac enim cauſa Natura hæc duo produxit. Fructus autem ſubtiliore, ac purgatiore, quàm & folia, & cortices, materia ſunt: Hæc ſiquidem craſſiore & calloſiore. Fructus & carne, & ſuccis (de quibus ſuprà) & ſemine conſtant: quod in nucleis multorum obſeruatur. Vbi enim caro amplior, ibi nucleus minor. Quod contrà eſt, vbi nucleus craſſior: quia caro ibi minor, inſipidiorq́; eſt. Ineſt etiam vrbano, quàm ſylueſtri, minor, cultoq́; quàm inculto. Culturâ enim arbores magis humeſcunt, vberiusq́; alimentum ad carnem deducunt. Diſtant autem inuicem nuclei pinguedine, ſiccitate. Alij etiam lignoſi magis. Omnes tamen ex terreno & lignoſo confici alimento conſtat: ad quos perficiendos, ampliori opus eſt apparatu. Si plus æquo ſuccus inceſſerit, vt fructibus impetus fiat, obeſt, vt non prodeant. Semen autem ex puriſſima, vt in animalibus, conficitur materia. Sylueſtres autem ſemen ampliùs augent, quoniam maſcula quodammodo ſunt. Cultura enim, & alimenti copia, quodammodo arbores effœminantur: & quò plus calidiores, ſicciores q́; ſunt, cuiuſmodi ſunt ſylueſtres, eo magis ſeminis afferunt. Matureſcunt autem fructus omnes partim caliditate, partim frigiditate. Nempe calor concoquendi vim, ſicut omnibus palam eſt, obtinet: atq́; maturitatis ſimplex ratio eſt. Qui verò frigiditate maturantur, euentu id fit. Nam qui ſerò maturantur, hoc fit hyberni temporis opera. Quibus verò fructus humidus, aut nudus, aut prætenui intectus membrana, hi celerius ſuos fructus perficiunt, vt ceraſus, morus, prunus, ficus. Contrà, qui numeroſiore continentur putamine: &, vt generaliùs dicam, omnia dulcia breuiori tempore matureſcunt. Serò verò omnes, quæ ſucco pingues, quæq́; nucleo duriore, quæ racematim fructificant, quæq́; perpetuò virent,

rent. Quarum fructus frigidi ſunt, vel ſicci, parum, vel plurimum humoris habent. Hæc enim concoctionem vehementer impediunt, & omnes nouellæ. Syluestres, & ſi validiores, fructus tamen non idoneè maturant, copioſiores enim in fructificatione ſunt. Quantum equidem plus fructificant, tantum minùs ſuis viribus præualent. Pro virium autem ratione coctiones ſequi, conſentaneum eſt. Quapropter agricolæ, cùm plures fructus produxerint, auferunt. Sylueſtres autem denſiores, ſiccioresq́; ſunt: quare plus ſucci ad ſeſe attrahunt. Excoctio enim ex humoris expanſione fit. Quòd ſi humor aliorſum trahatur, aliunde capere non poteſt. Quædam verò, omnes ſimul fructus ſuos non maturant, verùm diuerſis temporibus, vt & virides, atq; maturos, in vna atq; eadem arbore, conſpicere ſit, vt in moro, ficu, & ceraſiorum aliquo genere. In India fici non anteà, quàm ſcaplti, oleoq́; inuncti fuerint, non matureſcunt. Scribente Theophraſto. Idq; in Græcia eſſe, multis multorum autorum Græcis epigrammatibus maniſeſtum eſt. Quod contingit ex nimio humore, & nutrimenti abundantia.

Quando fructus maturi intelligantur. CAP. X.

QVID autem per fructuum maturitatem intelligere debeamus, A. Gellius, & Macrobius nos docuerunt. In pomis, inquiunt, matura dicuntur, quæ neq; cruda, & immitia ſunt, neq; caduca, & nimium cocta, ſed ſuo tempore adulta, maturaq́;. Hæc Vergilius mitia dicit, vt voluit eius interpres Seruius Maurus, quæ non remordent, cùm mordentur. Ariſtoteles autem maturitatem fore, quum fructuum quædam coctio in his eſt: concoctionem verò integram, cùm fructuum ſemina (quod illorum proprium) procreare poſſunt. Tunc enim maturitas præcipuè ſe oſtendit, cùm ſemen nigreſcit, aut ruſeſcit. Nam per ſemen incipiunt matureſcere fructus. Æſtate, & meſſibus ipſis, prunus, præcocium: Autumno perſicus, cydonia, fructus maturāt, robur, & caſtanea, ſed ſerius æſculus. Autumno incipiente ſemen terebinthus, acer, fraxinus, alnus, reddunt. Cornus circa ſolſtitium æſtiuum fructū primò reddit candidum, poſteà ſanguineum. Circa Vergiliarum occaſum philyra, ilex, paliurus. Poſt illarum occaſum abies, pinus, & apharca: fructum enim primum cum vua maturant. Aria hyemis initio. Omnium autem tardiſſimè fructus ſuos perficiunt, vnedo, iuniperus, celaſtrus. Serotina admodum tilia, hedera: ſed his ſeriores thya, taxus. Malis verò & pyris certum maturitatis tempus aſſignare difficile quidem erit. Nam & ſunt quæ Æſtate, quæ Autumno, & quæ etiam in Hyemem illorū maturitates prorogēt: ſicuti nec in his generibus, in quibus & ſerotini, & præcoces fructus reperiuntur.

Præfatio libri decimiſexti.

SOLVTIS iam tot circa arbores laboribus, reliquum, vt fructu illarum, propter quos maximè inſeruimus, & cæteris illarum munijs, quæ ingenita natura vltrò nobis abſque aliqua cura obtulerunt, fruamur. Ut eos legamus condiamus, & ſeruemus. Quos non abſque magna lęticia, cùm liberis, coniuge, amicis legimus, & comedimus: & in multos menſes adſeruamus, & condimus. Jn quibus verò his duobus extremis, plurima ex antiquis obſeruaui, quorum ſtudium circa hæc perdiligens fuit. Arborum fructus maximum vectigal exiſtimantes & non ſpernendam annonam fructuum abundantiæ, quæ ſæpe multis annis euenire ſolet prouidentes, eos in multos menſes condientes, ne hac ratione putreſcere aut fatiſcere ſinerent, quæ nobis annus ſua liberalitate elargitus fuerat, inuentis & cogitatis varijs modis. Ut quæ à plurimis diuiſim & ſeparatis locis exarata fuerant, in vnum librum, coniunctis multis capitibus adnexuimus. Sed illorum in hac re eximium ingenium, per multos annos exoletum ac ferè neglectum, quin potiùs ignorantia, hac deſita & ſpreta. Verum horum in his præcepta à multis amplecti iam cœperunt, vt ſperem crebrius & auidius amplexatura.

HORT

HORTORVM LIBER DECIMVSSEXTVS.

De vindemia, & quibuſdam alijs vocabulis, fructuum collectionem denotantibus. CAPVT I.

ILLVD autem prætereundum minimè cenſui, maximè verò, vt id lectorem ſcire voluerim, vindemiæ vocabulum, non ad id tempus ſolùm vuarum delegendarum, verùm etiam ad aliorum quoq; fructuum, & rerum cæterarum, puta ad mellis collectionem. Plinius, Prima mellis vindemia melior. Cùm alijs etiam componitur: vt cùm virgindemiam dicimus, quo M. Varro vſus eſt in Agathone, M. Marcello referente: Hæc ſpes eſt argentaria, ideò ſcapulæ metuunt virgindemiam. Ficitas etiam dicitur ficorum vindemia: & ficitores, ficuum collectores. Neuius: Ficitores omnes cupiunt ficitatem. Merx eſt ſine moleſtia. Oliuitas, vel oleitas, tempus idem deſignat. Antiqui etiam oliuitam, autore Feſto Pompeio, dixerunt. Quod vocabulum frequentari, eo autore, debet, quàm aliud, magis. Legulus etiam oliuarum lector. Balaniſtæ autem dicebantur, glandarij, qui glandem mercede legerent. In quos cauillabantur viatores, proferentes, Alienam quercum excute. Cùm id, quod in quercu decuſſa ſuperforet, intuerentur. Quod in vicem prouerbij poſteà verſum eſt. Quo monemur, ad derelinquendum negotium, ex quo nil emolumenti conſequi poteſt. Viſum enim æquè priſcis fuit, vt horum fructuum legendorum, quorum maior prouentus eſſet, ceu vuæ, ficorum, oliuarum, temporis propriam ſignificationem haberent. Sed quia vuarum maior ratio haberetur, vindemiam etiam cæterorum fructuum dixerunt.

De fructuum collectione. CAP. II.

SICVT maturitatis fructuum in vniuerſum arborum tempus vnum ac idem eſſe non poteſt, ſic nec illorum collectionis, vt vnum atq; certum omnibus aſſignari commodè non valeat. Ex regionum autem ac locorum habitu, maturitatem variant: vt vnius generis fructus, hîc celeriùs, alibi tardiùs, colligi debeat. Præcocium verò & fugacium minima cura habenda, quorum etiam cognitu faciliot maturitas. Quippe aut guſtu, aut tactu, vel colore eſui eſſe deprehenduntur. Maior itaque obſeruatio

legendorum ſerotinorum eſſe debet, quotum vt plurimum in Autumno collectio eſt. Ideò Græci illum φθινόπωρον vocant, quòd eo tempore, poma, fructúsve omnes, folia quoque quadam mortis imagine decidant. Nam certis temporibus Naturæ bona diſtribuuntur, de quorum nonnullis Ouidius:

De remamor. lib. 1.

Poma dat Autumnus: formoſa eſt meſſibus Aeſtas:
Ver præbet flores: igne leuatur Hyems:
Temporibus certis maturam ruſticus vuam
Colligit, & nudo ſub pede muſta fluunt.
Temporibus certis deſectas alligat herbas:
Et tonſam raro pectine verrit humum.

Nihil enim prodeſt ante maturitatem colligere fructus:

Lib. 3. eleg. 5.

Quid fraudare iuuat vitem (inquit Tibullus) *creſcentibus vuis?*
Et modò nata mala vellere poma manu?

ὥρα Græcè etiam, pro eo tempore, quo quid in ſuo vigore eſt, accipitur, vt ait Suidas. A qua certè ſignificatione Galenus τὸ ὡραῖον fructum vocat maturum, & ſuo tempore, quaſi ſua hora, lectum. Alij ὡραίους fructus vocant, qui Caniculæ tempore enaſcuntur. Nam ſic Græcè Canicula dicitur. Fructus niſi maturi fuerint, nullo modo probantur: vt lector dignoſcere debeat, quod acerbum, ſuaueq; ſit. Iidem fructus etiam vbi nimiò plus ematuruerint, perputreſcunt. Quo fit, vt in colligendis ipſis, feſtinatio, aut tarditas noceat, vt parum eos vtiles, aut prorſus inefficaces hæc collectio reddat. Omnes enim ante perfectam maturitatem legi debent. Hac enim ratione diuturniores erunt. Et decreſcente Luna, atque ſereno cœlo. Generaliter enim omnia, quæ carpuntur, innocentiùs decreſcente, quàm creſcente, Luna fiunt. Et vt infra terram Luna ſit, multi deſyderant. Plinius ante lunam decimamſextam, neq; ante horam primam ſtringi præcipit. Fructus enim ad Hyemem adſeruaturi, manu leui, ne tactu aſperiore vibrentur, aut vulnus ſentiant, interlegi debent. Omne autem pomum, quod in vetuſtatem reponitur, cum pediculis ſuis legendum eſt. Tempus enim malorum colligendorum, Plinius cum videmia eſſe dixit: quam antiqui nunquam ante æquinoctium autumnale exiſtimauere. Sed iam antè leguntur. Vuæ enim notis & argumentis vindemiæ tempora demonſtrantur, vt certum tempus in omnibus fructibus, vt iam oſtendimus, præſcribi minimè poſſit. Scantiana mala cum gelu matureſcunt, ad Hyemem vſq; in parente pendentia. Tunc enim fructus in multum durabunt, ſi vegeta ſint decerpta. Tarentina pyra ſeriſſimè legi Plinius præcipit. Amygdalæ, legendi tempus fatentur, cùm fuerint corticibus ſpoliatæ. In omni autem nucum genere, cortex dimiſſus, maturitatis indicium facit. Quòd ſi illæ difficulter corium exuant, palcis obrutæ continuò relaxabuntur. Menſe Iunio, pineæ nuces leguntur, antequam Eteſiæ venti ſpirare cœperint, & antequàm dehiſcente tegumento procidant. Menſe Nouembri, glandis colligendæ, & ſeruandæ cura, nos excitat. Quod opus fœmineis, ac puerilibus operis celebrabitur, more baccarum.

carum. Alia ratio legendorum ſeminum, præſertim harum arborum, quæ tantùm ad ſemen ortæ ſunt, vel ad id ſolùm reſeruantur: Nam tunc fructus in ſumma maturitate legi debent. M. Cato, toto anni tempore cupreſſi, pini ſemen delegi poſſe ait. Hæ verò ſemen viride & maturum habent.

De legibus ob fructuum collectionem latis. CAP. III.

PLATO diuinus Philoſophus, aduerſus eos, qui alienos fructus ſurriperent, plurimas leges ſanxit: quarum pœnam ex fructuum natura, & hominum conditione menſus eſt, atq; omnia ex boni æquiq; ratione. Æquum ſemper ille exiſtimauit, nemini licere auferre quod non depoſuiſſet. Lege duodecim Tabularum cautum Plinius ſcribit, vti glandem in alienum fundum procidentem colligere domino liceret. Huius verò legis nulla mentio, quod ſciam, in fragmentis antiquorum Iuriſconſultorum quæ modò habemus: verùm alterius legis duodecim Tab. de paſtu pecoris, Iulianus libro decimo Digeſtorum meminit, qua quis tenebatur ei, cuius glans in ſuo fundo ab pecore immiſſo depaſta fuiſſet. Extat tamen interdictum de glande legenda, cuius verba hæc, referente Vlpiano Iuriſconſulto, AIT PRÆTOR, GLANDEM, QVÆ EX ILLIVS AGRO IN TVVM CADIT, QVO MINVS ILLI TERTIO QVOQVE DIE LEGERE AVFERRE LICEAT, VIM FIERI VETO. Adeò hoc verum eſt, vt ſeruitus imponi minimè poſſit, vt quis pomum in alieno decerpere poſſit, teſtante Paulo libro octauo Digeſtorum. Et indignum fore, in ea oratione, quam in contentione ad populum habuit Q. Fabius, alium fructum legere ſub ea arbore, quam conſeruiſſet, dixit. Adagium eſt, ſub aliena arbore fructum legere. In eos dicitur, qui alienis fruuntur laboribus. Dominus autem IESVS CHRISTVS Moſi præcipit, vt populo Iſraëlitico item præciperet, vt cùm ad terram promiſſam veniſſet, atq; ibi arbores ſeuiſſet, ne ante illarum quinquennium fructus decerperet. Qui verò quarto anno agnaſcerentur, ſacros ſibi fore, & flaminibus reſeruandos.

De ſycophantis. CAP. IIII.

NVNC videndum, qui ſint ſycophantæ. Soliti enim fuerant (prodente F. Pompeio) Attici iuuenes in hortos irrumpere, ficosq; delegere. Quamobrem ob frequens furtum, lege Athenienſium cautum eſt, vt qui hoc committerent, capite plecterentur. Quam pœnam qui perſequerentur, quòd minimum detrimentum foret, ſycophantæ dicti ſunt. Aliter Græci autores, maximè Plutarchus, qui interdictum fuiſſe Athenienſium ſcribit, ne quid extra Atticam ſcadas ficos apud ſe genitas, venales exportaret. Ea cauſa vti ſoli Atticæ regionis incolæ his fruerentur vterentur. Qui autem prodebant, vel deferebant, ſycophantæ appellabantur. Alexis autem iniquè inter improbos, ſycophantas recenſeri ait: cùm & boni viri ad id deligerentur.

rentur. Rhodi autem ſycophantæ appellabantur, qui tributa ex ficubus exigerent. Cui muneri non niſi, qui digni haberentur, præficiebantur. Qui de his etiam iudicarent, ſycophantæ dicti. Iſocrates Athenas ſcortis ſimiles eſſe aiebat, quòd cum his rē habere malebant, quàm cum his matrimonio iungi. Sic peregrini eam vrbem totius Græciæ pulcherrimam arbitrabantur, in ea tamen permanere nollent, quòd Athenienſes Sycophantæ eſſent. Ariſtoteles autem interrogatus, cur Athenas relinqueret (autore Æliano) quòd in ea pyrus ſupra pyrum, ficus ſupra ficum conſeneſceret. Sycophantas ibi perpetuò eſſe intelligens. In loco autem vbi cauſæ Athenis agerentur, Lycus quidam, lupina ſpecie ſculptus fuit. Ad quam ſtatuam ſycophantæ pecunia corrupti, veluti apud Deum quempiam, ſui quæſtus præſidem, verſari conſueuerant. Ei in dies ſingulos triobolus conſecrabatur, autore Zenodoto. De eo Ariſtophanes in Veſpis, vnde tractum adagium, Lupi decas. In eos, ad quos inhoneſti lucri quota pars, etſi puſilla, rediret. Vel in eos, qui largitionibus eſſent corrupti, aut alios corrumperent. Aliud adagium, ἀλλ' ὐκ ἔνεςι συκοφάντυ δήγματος. Id eſt, aduerſus ſycophantæ ictum non eſt, ſubaudiendum, pharmacon, id eſt, remedium. συκάζειν Græcorum veteres calumniari dicebant.

De oliuarum maturitate, & tempore collectionis.

CAP. V.

OLIVAM immaturam plus reditus habere, quàm ſi matura legatur, Iabolenus Iuriſconſultus, libro trigeſimotertio ſcribit. Quod & Plinius autoritate etiam Iuriſconſulti, neſcio an Iaboleni, teſtatur. Nam cruda, atque nondum inchoata maturitate, ſapore præſtantiſſimo eſt, & tunc ſyncerius atq; albius oleum effundit. Quantò enim maturior bacca erit, tantò pinguior ſuccus, minusq; gratus habebitur. Vlpianus tamen etiam Iuriſconſultus, libro nono Digeſtorum, eum lege Aquilia teneri ait, qui oliuam immaturam decerpſerit, non eum, qui iam maturam. Nulla enim (inquit) iniuria eſt, cùm tibi etiam impenſas donauerit, quæ in collectione huius fructus impenduntur. Cæterùm multum refert an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis: irriguáne fuerit arbor, an ſuo tantùm ſucco, nihilq; aliud, quàm cœli rores, imbiberit. Oleitatem autem variè deſignarunt. Alij à certo anni tempore, etiamq; à ſiderum ortu. Multi ab fructu, vel natura, vel ſtatu. Quod vltimum certius commodiusq; eſt, ſicut & in cæteris fructibus, propter anni varietatem, & locorum differentiam. Nam omnes expectandam fore maturitatem, nec ſtatim excerpendam falſi ſunt. Rationem tamen colligendæ oliuæ bifariam diſtinxerunt, propter oleum acerbum, & maturum. Quare Columella mediæ oliuitatis tempus eſſe dixit, initium menſis Decembris. Nam ante hoc tempus, acerbum oleum conficitur, quod vocatur æſtiuum: & circa hunc menſem, viride. Deinde poſteà maturum, quod Hyeme fieri Vergilius ſcripſit:

Georg. 1. *Sed tamen & quernas glandes tunc ſtringere tempus,*
Et lauri baccas, oleamq́, cruentaq́ myrta.

'De

De Hyeme antè locutus fuerat. Vindemia facta, oleam rapiendam Plinius ſcribit. Quod à Vergiliarum occaſu agi debet. Alibi ille non expectandam oleam, vt cadat, ſcribit, niſi his, qui impendium decerpendi deſyderant. Nam hærendo extra ſuum tempus, venientibus alimentum abſumit, & locum detinet. Argumentum eſt quòd niſi ante Fauonium collecta ſit, vires reſumit, & difficiliùs cadit. Enimuero accelerare collectionem antè, quàm glacies congeletur, decet. Faciliùs enim copioſiores exhibebunt. Illud itaq; certiſſimum leguli, nihil plus olei poſt Arcturum fore poſſe autumant, ſimulq; tunc nucleum obdureſcere. Quo facto, non ampliùs humorem in oleum vetti, verùm tunc carnis incrementum ſuccedere. Argumentum etiam eſt, quòd ſi imbres copioſi acceſſerint, hoc pabulo nullum augmentum liquoris ſuſcipi, ſed oleum in amurcam conuerti: & ſæpe fructum ob id putreſcere accidit, niſi ſequens ſerenitas corpus exſiccat, atq; attenuet. Calor enim oleum largè præſtare poteſt, ſi id minus non ſit, neq; vehementius. Et, vt vno finiamus, in confeſſo erit, optimam ætatem ad decerpendum, quum baccæ variare cœperint, & iam nigræ quædam fuerint. Græci δρυπετεῖς, noſtri drupas vocant. Plures tamen albæ. Illæ enim plus olei cùm torquentur, emittunt. Nam ex anni definitione, vel ſyderum vlla ſignificatione, oleitas propter regionum & locorum variam naturam, certa præſcribi non valet. Multi certam, certis quibuſdam generibus diſterminant. Plinius initium Autumni pauſiæ diffiniuit opere, non natura, cui plurimum carnis. Mox ſequitur orchites, quibus olei multum. Pòſt radius: has enim ocyſſimè occupat Æſtas: quia ſunt tenerrimæ, & amurca cogit decidere. Contrà ſergia, quam Sabini regiam vocant, non antè Fauonij flatum, nigreſcens, hoc eſt ad ſextum Idus Februarias. Tunc enim eas matureſcere arbitrantur. Ex his oleum probatiſſimum.

De collectione oliuarum, & quales leguli eſſe debeant.

CAP. VI.

CONDECENS eſt, vt poſt deſignatum maturitatis tempus, ſequatur collectio: in qua certè præcipua verſatur vtilitas, maiorq;, quàm in cæterorum fructuum lectione, ars deſideratur, propter olei vel acceſſionem, vel deceſſionem, quæ ex tempeſtiua, vel præpoſtera ſtrictione fit: vt oliuæ decerptio longè difficilior ſit, quàm olei confectio. Quare oportet legulos in hac re, propter olearum maximum, ſi quod aliud in quacunque arbore deſideratur, prouentum, prudentiores fore, vt etiam hanc rem diligentiùs, ac longiùs, rei ruſticæ autores tractarint. Æquumq; prætereà erit, vt de ipſis legulis anteà dicamus, quos puros eſſe oportet, vt Florentinus ait, cùm & ipſa olea pura ſit. Et iurare debent quòd à ſola propria vxore veniant, & non ab alieno cubili. Hac enim ratione, & in ſequenti anno vberiùs fructum exhibebunt. Sanè in Auzarbo Ciliciæ, pueri caſti colunt: vt proptereà apud eos fortiſſima & optima ſemper ſit. In legenda verò oliua optimus præceptor M. Varro fuit, ſi quis alius è rei ruſticæ

præceptoribus. Oliuam verò, quæ è terra tangi poterit, manibus diſtringi oportebit, aut ſcalis. Melior certè ea, quæ nudis digitis delegitur. Quæ enim vapulauit, marceſcit: nec tantum olei fundit, quàm quæ manibus ſtricta fuerit. Ramos etiam glubit, ac etiam ad gelicidium retectos relinquit. Quippe oliuantibus antiquiſſima lex fuit. Oleam ſtringito, néve verberato. Sæpe enim ita percuſſa, ſecum de ramulo partem fert. Quaquidem ratione ſæpiſſimè contingit, vt poſteriori anno fructum amittant: vt hæc cauſa ſit, quare dicatur, Oliuetum alternare fructus, aut non æquè magnos ferre. Grauior etiam plaga medicum expoſcit. Quæ autem manu tangi non poterit, ita quati debet, vt arundine atq; leui ictu potius quàm pertica, feriatur. Qui verò quatiet, ne aduerſam cædat, præcauere debet. Illudq; maximè attendendum, vt ſereno cœlo diſtringantur, non minimè pluuioſo. Nam humectum germen imbicillius fit, atq; ita faciliùs frangitur, nec fructum auferre licet priùs, quàm humiditas omnis à plantis diſcuſſa ſit. Stramenta, aut ſtoreas, aut tale quid, antè ſternere, oportet. Quòd ſi coinquinentur, aqua calida lauandæ ſunt. Oleam legendam, quomodo locare oporteat, M. Cato docet, & formulã ipſe dat.

De oporothecis, & alijs vocibus idem ſignificantibus, & de templo Cereris Micaleſiæ. CAP. VII.

AVTVMNALES fructus, qui maxime adſeruantur, opora dicuntur. Ab ὀπώρα Græco vocabulo, quo primùm autumnum illi ſignificant. De quibus Vergilius:

Georg. 2. *– Et varios ponit fœtus Autumnus.*

Oporinum autumnalem Martialis de Earino Diocletiaui ſcribens, libro nono dicit. Apud Ariſtophanem tamen Græcum lepidiſſimum comicum poëtam, meretricis etiam nomen eſt, ſub cuius vocis æquiuoca ſignificatione, apud eundem iocus feſtiuus eſt. Nam ſeruus, ſub meretricis nomine, herum feſellit. His enim verbis dominum interpellat: ὐκῦν βλαβῆναι διὰ χρόνου τί σοι δοκῶ ὦ δέσποτα τῆς ὀπώρας κατελάσας: ὐκ ἦν δ' εἴ γε κυκεῶν ἐπιπίεις βληχωνίαν. Hotum ſenſus eſt: nunquid tibi, ô here, videor Oporæ congreſſus, noxam corpori contraxiſſe? Nequaqnam ſi pulegij pultem ſuperbiberis. Exiſtimat enim herus, ſeruum malè ſe habere, propter fructuum autumnalium comeſtionem, cui remedio eſſet pulegium, propter eius calefaciendi, & concoquendi vim. Oporice etiam medicamentum illud dicitur, quod ex pomis, arborumq; fructibus conficitur. Oporonem etiam vocamus, qui oporas vendit, emitq;. Pomarios Latinè fortè dixeris. Erit ergo oporotheca pomorum reconditorium, ab ὀπώρα & θήκη, repoſitorium, quod & oporophylacium dicitur: φυλάττω enim cuſtodio eſt. Et pro hac ſignificatione, merum Latinum erit, pomarium, & vbi etiam pecuaria ſeruantur, autore Soſipatro Chariſio. Oporothecas autem ſic locari oportet, vt ad Septentrionem feneſtras habeãt, quas, vt ſereno die, aut aëre perflentur, patere oportet. Auſtri etiam ſpecularibus arcendi. Aquilonis enim afflatu poma rugis deturpantur. M. autem Varro foriculos, id eſt, tabulata,

tabulata,quæ poma ferant, in pomarijs eſſe vult, ne poma videlicet vieta fiant, vbi vento pertinaci humorem amiſerint. In loco enim frigido ac ſicco, quò neq; fumus, neq; teter perueniat odor, pomaria contabulari conmodum præcipitur. Quare,eodem autore, qui oporothecarum cameras, & parietes marmore incruſtant, & pauimenta propter frigiditatem ſternunt, laudabiliter quidem faciunt. Nam cùm calor excoquit, aëris firmitatem percipit, virtuteſq; naturales feruidis vaporibus exugit, ac diſſoluit,caloreq; molleſcentia,& imbecilliora fiunt. Septentrionis autem regio nullo vnquam tempore mutationes recipit, ſed perpetuò firma,atq; immutabilis eſt. Quamobrem Vitruuius,obſonia omnia, & poma, in ea cœli parte locari ſuadet, quæ ſit à Solis curſu auerſa. Iuxta Mycaleſiam (prodentibus Græcis) Bœoticæ ſecundùm mare ciuitatem, Cereris,quæ ab illa Mycaleſia nuncupata eſt,templum fuit,ante cuius ſimulacri pedes, ſi autumnales expoſiti fuiſſent, integri, vegetiq; per anni ferè totum ſpatium perdurabant.

De fructibus in oporothecis conſtituendis, & alijs ſeruandi modis. CAP. VIII.

CONSERVANDORVM fructuum in opotothecis multiplex ratio,ſed frequentior,quæ in tabulatis, aut cratibus. In hoc enim vltimo Palladius diutiſſimè adſeruari ſcribit. In quibus verò mala omnia, pyra, meſpila, loco ſicco, vt dictum eſt. Stramenta, paleas, vel ſtoreas priùs ſubſternunt, alij nucum folia. Rara etenim componi debent, ne alterum ab altero contingatur,vt limites parui,ſpiritum æqualem accipiant. Illud etiam obſeruandum, vt vnumquodq; genus ſeparatim reponatur. Stramentis de ſuperiori parte operiunt. Alij ſuis arculis,ex ſua materia ædificatis, cæpis etiam miſta: quibus hanc viciſſitudinem reddunt, vt illis acredinem tollant. Nam cùm diuerſa genera clauſa ſimul ſunt, inter ſe diſcordant, & celeriùs vitiantur. Poſteà arculæ conteguntur, & luto paleato opercula liniunt, ne ſpiritus introire poſſit. Plurimum verò durant ſtruthea, ſcantiana,quiriana,orbiculata,camerina. Melimela autem minimum. Cadiua enim ſeparari oportet, & ſupradicto modo componi. Alij in arena ſiccà obruunt. Alij in milio mala cydonia,pyra. Quidam hordei paleis minutiſſimis tecta ſeruant. In ipſius autem hordei aceruis, mala omnia, cydonia, citria occultata, & diligenter cooperta, à putrilaginis labe vindicantur. Quæ omnia diſcreta poni debent,ne tactus viciſſim labefaciat. Hæc autem omnia etiam intra hordeum in dolio ſic ordinantur, ne alterum aliud contingat.Dolium etiam deſuper operiatur.Alij in ſcobe lignorum odoratorum, puta cedri, cupreſſiq;, vel etiam populi,abietis, vel alterius indifferenter arboris,ſæpe etiam ramentis, reponunt. Quippe ſcobis,vel ramentorum ariditate,defenduntur.Plures ſingula mala fuco,ſiue muſco marino, ſeorſum conuoluunt, & vndiq; ſic cooperta in olla recondunt, ita ne ſeſe vlla ex parte pertingant. Cydonia in floccis, tomentoq; conuoluta,in ciſtis depoſita, clauduntur. Itidem plurimo tempore, in ſcobe

demerſa cuſtodiuntur.Non autem eſſe condenda optimè præcipitur,vbi prunorum fructus repoſiti ſunt. Nam ſua acredine, & odore, ſaporeq; acerrimo adiacentia vitiant.Intra ſabulonem verò caſtaneæ inuerſæ,& in fictilibus nouis,ne inuicem tangantur,in ſicciore loco defoſſis, & incluſis, vel etiam in receptaculis, ex fagineis virgis contextis, lutatis etiam, vt nullum reſpiraculum ſuperſit, vel ſportis denſioribus, & vlua recluſis. Sunt qui filo cumulatim transfixas, & ad ignem torrefactas conſeruent. Mala omnia præter cadiua, & pyra M.Varro folijs ficulneis ſingula conuolui vult, ciſtisq; vitilibus condi. Seruantur etiam ſtrata in nucum folijs aridis. Nam hoc ad odoris & bonitatem, & iucunditatem plurimum conferre. Alij in eiſdem conuoluunt. Quidam etiam cum ramulis ſuis. Quod ſine arboris noxia fieri non poteſt. Poſtea in locis opacis & ſiccis ſuſpendunt. Sorba viridia præſtabiliùs exiſtimant, cum myrti baccis ac ramulis ſuis componi. Zizipha cum ramulis ſuis deciſa, atque in fronde ſua conuoluta ſuſpendunt. Præferuntur, quæ edeſina dicuntur quàm gratiſſima, calore quidem ac humore temperata. Citria Luna latente, cum ramis foliatis carpunt, ac in ſecreto diſponunt. In arbore autem per totum annum cuſtodiri poſſunt. Alij mala omnia,pyra etiam, picato pediculo ſuſpendunt. Pyra geniſta religata ſuſpendi Martialis ad Mancinum nos docuit:

Epigr. lib. 1. *Non pyra, quæ lenta pendent religata geniſta.*

Non putreſcent mala, ſi arborum ſummitates ſatyrij viridis herbæ ſucco illinantur,vel,vt voluit Palladius,ſi viridis lacertæ felle tangantur.

De conſeruatione malorum punicorum. CAP. IX.

OMNES enim modos, quibus mala punica adſeruari poſſunt, vno hoc in loco adferre conſentaneum duxi. Qui non parum multi ſunt. Nam circa pomi iſtius diuturniorem cuſtodiam, propter eius erga ægros vim nobilem, ac famulitium in extinguenda ſiti egregium,nequaquam negligentes antiqui fuerunt,excogitatis ac expertis pluribus rationibus,quo diutiùs hoc vegetum cuſtodirent. In tabulatis autem, paleis,hordeo, milio, vt cæteris rectè occultantur. In frumenti verò aceruo, in vmbra, donec rugoſa fiant. In parente enim ſic per tempus ſeruantur. Singula mala fermentis inuoluunt,& funiculis reuinciunt, gypſoq; vndique diligenter oblinunt, vt ne tumefacta rimam accipiant: & ſic in arbore eſſe ſinunt. Alij ſingula in nouas ollas indunt,& diligenter occluſas ita ſtabiliunt, ne caudicibus atq; mutuo earum colliſu poſſint confringi: ita & viridibus & adultis ſemper potiuntur. Quidam pediculos, ſicuti in arbore ſunt, torquent, ne pluuijs mala rumpantur, & hiantia diſpereant, & eo ad maiores ramos religant, vt immota permaneant. Poſteà arborem reſtibus ſparteis occludunt,ne vel cornicibus,aut coruis picisve,alijsq; auibus,poma lacerentur. M.verò Varro in dolijs ſeruari dicit, atq; in ſua virga, pice circumillita. In olla ſine fundo demerſa,& in terram coniecta, ne extrinſecus ſpiritus inflet. Hoc enim modo immatura fieri maiora, quàm

vnquam

vnquam in arbore pependerint. Per ſe tamen ac ſine dolio ordinata ſuſpenduntur, picatis pediculis. Mago Carthaginienſis, in vrceo nouo fictili, referente Columella recondit. Primum enim ſcobem populneam, vel iligneam ſubſternit: deinde mala ita diſponit, vt ſcobs inter ſe calcari poſſit. Deinde facto primo tabulato, rurſus ſcrobem ſternit, & ſimiliter mala, donec vrceus impleatur. Qui cùm fuerit oppletus, operculum imponit, & luto craſſo diligenter oblinit. Item in ſeriola obruuntur. Hæc autem arenas vſq; ad medium continere debet. Mala autem in tenacibus cannis ſingulis, vel ſambuci virgultis imponantur, & ita arenis inſigantur, vt ſeparata ſint. Et ab arena quatuor digitis abſint. Hoc ſub tecto fieri poterit, loco ſicciſſimo, foſſulæ tripedaneæ. Loco arenæ aliquantum terræ minutæ reponi debet, & rami, vt ſuprà, figuntur. Scrobi operculum imponitur, & paleato luto circum linitur, eaq; humus, quæ fuerat egeſta, ſuperaggeretur, & vtilius erit, ſi cum ramo longiore tollantur. Aliter in ſeriola ſuſpendunt: cui ad medium aqua immitti debet, ne tamen ipſa humorem tangant. Seriola enim claudi debet, ne ventus forinſecus irrumpat. Sunt qui hæc eiuſdem amplitudinis cortice induant, & acutis ſuis ſurculis infixa longa demergunt in foſſa, vt mala, ſine terræ tactu, ſuſpendant, ne ab humore lædantur. Nonnulli in ſcobe quercina, perinfuſo aceto componunt. Idem Mago creta figulari, dulci, bene ſubacta: ſingula mala incruſtat, quæ poſtquàm occuluerint, incolumia frigido loco ſeruantur. Mox cùm vſus exegerit, in aquam dimittunt, & cretam reſoluunt. Hæc ratio, tanquam recentiſſimũ cuſtodiri. Alij in pice liquida, vel aqua calida immergunt, & protinus erepta, & refrigerata, ſuſpendunt, vel in arena ſicca componunt. Quidam (hæc ratio à multis proditur, maximè ab Apicio) integra in aqua marina, vel muria, lixiuióve feruente demergunt, vt combibant. Dein ſole per triduum reſiccant, vt ſub dio nocte non permaneant, ne rore nocturno contingantur. Pòſt loco frigido ſuſpendunt. Et cùm vti volunt, aqua dulci pridie perluunt. Feruntur hæc, pomis recentibus æmulati. Hoc autem in fructuum conſeruatione erit, vt multi fructus, quantò diutiùs adſeruentur, eò mitiores ſint. Quod maximè in pomis, & pyris ſerotinis euenit. Alij tamen fructus vetuſtate amariores redduntur, iuglandes, oliuæ, glandes.

De conſeruandorum fructuum in ſcrobibus, & vaſis, & alijs modis, ratione. CAP. X.

RELIQVOS conſeruandi modos proſequamur. Adeò enim frugalis antiquitas, arborum fructus, pro quibus tantum laboris exudauerat, & impenſę expoſuerat, conſeruare ad vſum contendit, vt plures modos conquiſierit. Quare in vaſis & ſcrobibus adſeruari inuenit. Nam & ipſa mala omnia, & fructus ferè omnes in vaſculis clauſerunt, vt per totum annum cuſtodirent. Ea autem vaſa picata multi voluerunt, in quibus fructus diſponerent, & poſteà in puteos & ciſternas demergerent. Mala verò cydonia priùs cera, melléve illita ſic incluſa Columella etiam in puteos

ac ciſternas abſcondit. Alij ſingula ſingulis fictilibus aſſignare operoſiùs contenti ſunt, vel etiam plura operculo picato, iterum alio includunt dolio, & loco opaco cuſtodiunt. Vel fictilia in ſcrobe inuerſa terra obruunt. Alij in nouas patinas ſic ordinant, vt altera alteram non contingat, & gypſo ſicco obruunt, & in ſcrobe, ſubiecta arena duum pedum altitudine, effoſſa, aut in floccis, capſisq́; quas luto paleato illinunt. Quum autem ſcrobibus demergunt, hoc vnum in vniuerſum erit, vt vno, pluribúsve ſcrobibus, pauciora vaſa inter ſe diſponere ſit. Nam in exemptione eorum, dum aliud tollis, ſi reliqua commoueris, celeriter vitiantur. Apuleius verò conſeruari mala hoc experimento didicit. Vas enim non picatum, & in fundo perforatum, malis manu decerptis, incolumibus, non inueteratis, explebat, & illud myacantha, aut alio obturabat, ac in quancunque arborem ſuſpendebat. Hac etenim ratione, per totam hyemem qualia iniecta fuerant, conſeruabat. Mala omnia, citria quoq;, nonnulli folijs integunt: quæ multi ficulnea malunt. Deinde argilloſum lutum, aut cretam figularem cum pilis ſubigunt, quidam cum amurca, vel vino: & ea mala linunt. Quæ cùm ſole aſſiccata fuerint, ſi iterum rimam creta fecerit, denuò linunt, poſtmodum in tabulato reponunt. Hoc enim ſine folio conficiunt. Alij cùm expoſtulauerit vſus, fracto luti tegmine, qualia fuerint indita, inueniuntur. Ex his autē cotonea melle incoquunt, atq; ea intercludunt, omni ſpiramento adempto. Pyra verò Palladius in vaſe picato, operculo diligenter operto, diſponi, & illud in arcta ſcrobe, iuxta profluentem obrui. Quæ verò carne cuteq́; duriora ſunt, prius in aceruo iaci, quæ poſtquàm molleſcere cœpiſſent, in vaſe fictili bene picato componi, operculoq́; dein bene gypſato in breui ſcrobe, quæ in eo loco eſſet, demergi, qui quotidie ſole luſtretur.

De conſeruandis minutulis fructibus, vt nucibus.

CAP. XI.

MESPILA legi nedum mitia debent. In arbore diu durant, & ibi longè poſt hyemem legi poſſunt. Tunc enim eſus iucundiſſimi ſunt. In vrceolis etiam picatis, aut in ordinem ſuſpenſis, cuſtodiuntur. Sorba alij in vaſis fictilibus, picatis, gypſato operculo, inuerſis in ſcrobibus duûm pedum in loco aprico ſuperinducta terra defodiunt. Ceraſia ante Solis ortum collecta, in vas, ſubſtrata ſatureia conijciuntur: dein alternis vicibus, & ceraſia, & ſatureia. Nonnihil acidi mellis aliquantum dulceſcentis infunditur. Seruantur itidem arundinum interiectis folijs, alternatim in eum modum, & in cado diſpoſitis. Tuberes etiam, in vrceolis picatis ac oblitis conſeruant: & etiam Zizipha. Si verò recenter tecta poma, vini veteris guttis perfundas, efficitur, ne ea rugarum contractione deformentur. Optimè etiam adſeruantur, ſi acu & filo, vt orbes deprecatorij inſuantur. Myrti enim baccæ, in vaſa non picata coniectæ, & coopertæ, ad multum tempus habebuntur. Amygdalæ ſine hominis cura faciliter ſeruantur, quas ſi in paleis repoſueris, facilè decorticabuntur, & corium dimittent.

tent. Si enim hæ muria lauentur, candidæ fiunt, & incolumes, plurimumq́; durabunt: mox ſiccatæ ſeruantur. Præneſtinæ nuces in ollis, in terra, virides adſeruari traduntur. Pinei nuclei, niſi purgati fuerint, durare non poſſunt (autore Palladio) multi tamen in vaſis fictilibus, nouis, terraq; repletis, cum ſuis operimentis deiectos cuſtodiri aſſerunt.

De ſiccandis fructibus, & roſæ conſeruatione.

CAP. XII.

DE ſiccandorum fructuum, magna, abſque impenſa vlla, paruo labore vtilitas, ruſticorum non minimum per hyemem edulium, muliercularum opera. Pyra autem granis purgata, in ſole reſiccant, ac reponunt. Quæ autem dulciſſimi ſaporis ſunt, mediocriter matura leguntur, & in duas tréſve partes, arundine, vel oſſeo cultello diuiſa, in ſole, donec areſcant, ponuntur. Pruna recenter lecta, in muria, vel aqua marina demergunt, & in tabulis expanſa, in furno, vel ſole deſiccant. Perſica detractis oſſibus in ſole ſiccantur, ac ſeruantur. Ceraſia, in ſole, vſq; ad rugas ſiccata ſeruantur: ſiccantur etiam in molliuſculo ignis feruore, in furnis. Sorba in partes ſecta, in ſole ſiccantur, atq; in vaſculis, in hybernum tempus ponuntur. Cùm autem vti volueris, aqua feruenti macerantur: ſapore enim iucundo reuireſcunt. Et vt ad minora deſcendamus, & ad ea quoq;, quæ magis ad voluptatem, quàm ad vtilitatem ſpectant, ad roſæ ſcilicet ſeruationem: in qua vitam, vigoremq́; permanere aiunt, ſi in amurca ſic immergatur, vt humor extet. Alij, vt diu conſeruetur, hordeum vſque dum in herba eſt, cum radicibus euulſum, in fictile nequaquam picatum demittunt, atq; in eo roſam prius, quàm dehiſcens ſeſe pandat, operiri præcipiunt. Multi virentis hordei ſegetem loco pauito ſternunt, & in ipſo ipſas roſas recondunt. Sunt qui recentium alabaſtro turgentes calyces, in adoleſcentis arundinis ventre, facta rima claudunt, & fiſſuram papyro chartáve ita molliter obligant, vt aura vapore poſſit expirari.

De ſiccandis ficubus. CAP. XIII.

MVLTVM honoris ineſſe ficubus Plinius ait, quòd laudatæ, in capſis cuſtodiantur, atque vbi copia abundauerit, impleantur arcæ: in Aſia verò cadi. Nempe, inquiente Columella, aridæ, & ſepoſitæ, ruſticorum cibaria adiuuant. Quare pluriſariàm adſeruare, curauere antiqui, vt huiuſce rei multiplex, atque varia à priſcis ratio tradita ſit, propter huius non minimum commodum. Primùm enim ſeruandas, neq; nimium vietas, neque immaturas, legi debere oportebit. Vt anteà de cauſa ſiccandorum videndum ſit. Cuius quidem ratio bifariam docetur. Multi enim furno recluſas, alij in ſole expanſas deſiccant. Sed quæ furno adſiccantur, duriores efficiuntur, quàm ſi foris exemptæ refrigerentur. Nam in furno, vi caloris, totus humor euaporatur. Foris autem aër circunſerens, contrahi humorem, emanareq; prohibet. In ſole autem hoc modo alij ſiccant. In eo enim

enim loco,qui die ſole perluſtretur, pali quatuor in terram defiguntur,vt quatuor inter ſe diſtent pedibus:quibus iunguntur perticæ,& his cannæ, in hunc vſum præparatæ, iuges ſupponuntur, ita tamen vt ab terra pedibus duobus abſint, ne humorem, quem fortè noctibus humus remittit, fici iniecti trahere poſſint. Deinde crates paſtorales,culmo,carice,filicéve contextæ, ex vtroq; latere ſuper terram , cùm ſol in occaſum vergit, eriguntur. Inter ſe verò accliues , teſtudinato tecto , tuguriorum more , vti marceſcentem ficum,à rore interdum,pluuiáve defendant. Nam vtraque res prædictum fructum corrumpit. Poſtquam enim,vt conuenit,aruerit, calentes atq; meridiano tempore,in orcas bene picatas, condere, ac diligenter calcare, oportet, ſubiecto tamen arido fœniculo , & vaſis repletis iterum ſuperpoſito. Quæ ſtatim operculare, & oblinire , ac in horreum ſiccisſimum reponi,quò meliùs ficus perennet. Cæteri verò minori opera,interdiu in cratibus expanſas ad ſolem locant: noctu verò propter rorem,ſub tecto reponunt. Hocq; pluries,quoad ſatis deſiccentur,efficiunt. Alij mediocriter maturas ac diuiſas, in cratibus expandunt, toto ſole exſiccandas. Nonnulli pinguiſſimam quanq; ficorum viridem eligunt , & arundine,vel digitis,diuiſam,dilatant,atq; in ſole patiuntur areſcere. Quas deinde bene ſiccas, meridianis temporibus, quum calore Solis emollitæ ſunt, colligunt, &, vt mos Hiſpanis & Afris eſt, inter ſe compoſitas in figuram floſculorum,ſtellarumq; comprimunt, in formam panis redigentes. Tum rurſus in ſole aſſiccant,& ita in vaſis recondunt. In furno autem deſiccandi ratio talis à Palladio perhibetur: in cratibus ficus expanditur, & ad ſolem vſq; ad meridiem exponitur, & adhuc mollis in furno poſt exemptum panem includitur, cratibus, ne ardeant, ſuppoſitis lapidibus. Deinde quoad deſiccetur,furnus clauditur,& adhuc calida in vas fictile, picatum,densè, preſſeq; conditur. Quod operculo diligenter obducitur. Plures candente muria ex oleo in ſole rigant, & noctem vnam roris imbre ſub dio conſpergi, & vaſe luto conlito cludunt, & in cellas deferunt. Quod ſi propter imbres ad ſolem exſiccari minimè datum ſit, ſub tecto ea, vt à terra ſemipede extent, locabis, cineremq; calidum, qui Solis vice euaporabit,ſubijcies,vt fructus,vbi diuiſus eſt, ſubinde vertatur : vt coria deſiccentur,& pulpæ replicentur,& poſteà ciſtellis,& loculis reſeruentur. Quidam lectis ficis,vt prodit Columella, pediculos adimunt,atq; in ſole expandunt: vt cùm deinde paulùm exſiccatæ fuerint,& antequàm indurerint,in labra vel lapidea,vel fictilia,eas congerant. Tum lotis pedibus, in farinæ modum proculcant,& torrefacta ſeſama cum aniſo Ægyptio,& ſemine fœniculi & cymini, admiſcent. Hæc autem cùm bene conculcauerint, & totam maſſam fici comminutæ permiſcuerint , folijs ficulneis, modicas offas inuoluunt , ac iunco religatas , qualibétve herba, offas in crates proponunt, & ſiccari patiuntur. Deinde cum peraruerint, picatis vaſis condunt. Nonnulli hanc ipſam fici formam , orcis ſine pice includunt , & oblita vaſa , clibano vel furno torrefaciunt, quo celeriùs omnis humor excoquatur. Siccatam verò in tabulatum reponunt. Et cùm exegerit vſus, teſtam comminuunt. Nanq; induratam fici maſſam aliter eximere

mere non poſſunt. Pompeiana verò ficus ad annuos vſus cum mariſca optimè deſiccantur. Vaſa fictilia amurca, autore Plinio, inungi, in quouis ficum aridam libeat aſſeruare.

De tempore condiendorum fructuum. CAP. XIIII.

FRVCTVVM condituram, in ſexto gradu animaduertendam eſſe, M. Varro præcipit, propter eius vtilitatem: vt hac præcipuè ratione, arbores, maximè ſerotinas, & eas, quarum fructus conditura, præſertim diu adſeruare poſſumus, ſeramus: aliàs inanis, & ſuperuacuus labor, atq; deperdita impenſa foret. Etenim cùm conditorum fructuum multitudo eſt, non minimam cibariorum partem per hyemem, ruſtici vendicant. Nam pro pulmentario cedit. Nemo enim, inquit ille, condit fructus, niſi vt promat. Et pòſt promunt condita, aut propterea quòd ſint tueda, aut quòd vtenda, aut quòd vendenda. Ea, quæ diſſimilia ſunt inter ſe, aliud alio tempore tuendum & vtendum. Nunc autem ferè deſita, atq; penes ſeplaſiarios ſolùm cognita, ac in totum relegata. Primùm itaq; erit, vt de eius tempore diſſeramus. Per meſſem enim, & ea finita, ac per primum Auguſtum, fructus (vt voluit Columella) condiri oportet. Quod tamen tempus, ſecundum regiones obſeruandum erit: vt priùs in calidiſſimis, cùm ibi celeriùs matureſcant: Seriùs verò in frigidiſſimis, vbi tardiùs ad frugem peruenerint. Pruna onychina, vt Columellæ placuit, item ſylueſtria, circa meſſem condiuntur. Verùm omnes antè, quàm omnino matureſcant, vt neq; omnino acerba ſint, neq; ad iuſtam maturitatem peruenerint. Quique enim fructus conditurì ſunt, diligenter, cùm leguntur, inſpiciendi ſunt, vt integri ſint, ſine vitio, ſine verniculo.

De condiendis in melle fructibus. CAP. XV.

PRIMA itaq; condiendorum fructuum cum melle ratio erit. Nempe illud percipiendum erit nullum pomi genus eſſe, quod non poſſit melle ſeruari. Porrò ea mellis natura eſt, vt vitia coërceat, nec ſerpere vltrà illa patiatur: vt etiam ſi in his vermiculus inſit, non ampliùs tamen corrumpantur, cùm eum liquorem imbiberint. Mel enim exanimum hominis corpus, per annos plurimos innoxium conſeruare valet. Sed de natura mellis aliquando plura. Alij enim mala omnia, & inter hæc maximè orbiculata, ſeſtiana, melimela, matiana, pyra etiam, ac meſpila. Sed ſi minùs integra collegeris, eadem in melle dimittunt. Multi tanna, vel ebore in tres, quatuórve partes diuiſa, ac ſublatis quæ in medio ſunt omnibus: in vaſe fictili, in melle obruunt. Perſica duracina, oſsibus exemptis, melle condiuntur, grata, ac iucundo ſapore, quæ itidem bene ſeruantur, ſi vmbilicus pomi, pice calenti oppleatur, vt ſic in vaſe concluſo ſæpiùs innatare cogantur. Mala cydonia (inquit Apicius) ſine vitio cum ramulis & folijs condes in vas, & ſuffundes mel, & defrutum. Ficum recentem, mala, pyra, ceraſia, cum petiolis diligenter legito, & in melle ponito, ne ſe contin-

gant. Hæc ille Cydonia aliter Columella, nihil enim certius habuit, quàm vt maturiſſima, integra, ſine macula legerentur, & in lagena oris patentiſſimi, deterſa, quæ malis ineſt, lanugine, leniter ac laxè componerentur, ne collidi poſſint. Deinde cùm ad fauces vſq; compoſita fuerint, vimineis ſurculis, tranſuerſis modicè mala comprime, ne patiantur ea, cùm liquorem acceperit, ſubleuari. Inde optimo & liquidiſsimo melle, vas vſq; ad ſummum ita repleatur, vt pomum ſubmerſum ſit. Hæc ratio non tantum mala ipſa cuſtodit, verùm etiam liquorem mulſi ſaporis præbet, qui ſine noxa febricitantibus interdum dari poſsit, præſertim, ſi ventris profluuio ſimul corripiantur: ſuoq; ſubacido guſtu iuuante palatum, moroſam abigit malaciam. Is vocatur melimeli. Hac ratione etiam corna, quæ condienda Columella præcipit, quibus pro oliuis vtamur, vel in ſuccharo eius vicario condiuntur, etiam in fæce vini. Ouidius in Octauo Metamorphoſeos:

Conditaq; in liquida corna autumnalia fæce.

Sed cauendum eſt, ne quæ in melle cuſtodire volueris, immatura mala condiantur: quoniam cruda ſi lecta ſunt, ita indureſcunt, vt vſui minimè ſint. Martialis aſſerebat ſe expertum, nuces virides, tantùm ſuis putaminibus liberas, melle demergi, & poſt annum virides eſſe, & ipſum mel medicabile fieri, vt ex eo potio, arterias, & fauces curare poſſit.

De alijs condiendi præterquam ex melle modis.

CAP. XVI.

PERSICA duracina, alij muria vel oxymelle condiunt. Poſtera die exime, & diligenter ſpongiabis & colabis in vas, cum ſale, aceto, & ſatureia. Pyra volema, anitiana, ſementina, in ſapa bona diu adſeruari tradunt: itidem meſpila, & ſorba. Hæc autem in defruto commodè, adiecto ſpiſſamento fœniculi aridi, quo ita deponantur, vt ius ſupernatet, & operculo picato claudunt gypſato: ne ſpiritus introire poſſit. Illa etiam in poſca, vel cum pediculis ſemimatura lecta, atq; ſalſa aqua per dies quinq; macerata, vt poſteà ſæpe infundantur, vt enatent. Quod autem ad pyra attinet, aliqui aquam ſalſam, cùm calida cœperit vndare, deſpumant: in qua iam frigida facta, pyra demergũt, pòſt exempta, poſtq; exiguum temporis, vrceo condunt, illitoq; eius ore cuſtodiunt: vel diu, noctuq; in frigida ſalſa manere patiuntur. Pòſt, in aqua pura biduo macerant. Deinde ſapa, vel paſſo, vel dulci vino merſa, ſeruant. Pruna omnia, damaſcena quoque in cadis muſti, vinive optimè conſeruantur, vel vini fæce, defruto, paſſove, vinaceis etiam: vt ſuum genus quodq; ſeparata inuicem iaceant. Vinum, in quo enatant, odoratius redditur. Alij ollis componunt, quas in dolijs ſubmergunt. Nucipruna & cerina ac ſylueſtria, & perſica, per Autumnum cadis condita, vſq; ad alia naſcitura, ætatem ſibi prorogant. Pruna onychina, adhuc ſolida, nec maturiſſima legenda ſunt; nec nimium cruda. Deinde vno die in vmbra ſiccanda, tum æquis partibus acetum, & ſapa, vel defrutum miſceatur, & infundatur. Salis autem aliquid adijcere, ne

vermiculus, aliúdve animal, innaſci poſsit, oportebit. Commodiùs ſeruantur, ſi duæ partes ſapæ cum aceti vna parte miſceantur. Vt autem mora diu perduret, hoc modo faciendum: Succum ex moris exprimi oportebit, & cum ſapa commiſceri, infundiq́; ſimul cum moris, in vaſe vitreo. Hoc enim modo diu conſeruabuntur. Myrteæ virgæ, cum baccis, & aliud quoduis genus, & ramuli ficulnei cum folijs, ſic conſeruantur. Inter ſe enim conligari in faſciculos debent: quos in amurcam demitti, & vt ſuprà ſic oportet. Verùm quæ demiſſurus eris, paulò acerbiora ſumito. Vas autem quo condieris, planè oblinito. Ferulæ caules (autore pedario Dioſcoride) condiuntur. Plinius ait eius ſemen anni ſpatio in vrceis durare poſſe, præſertim verò eius, quæ corymbia dicitur. Palmæ Thebaidis fructus extemplò in cados conditur cum ſui arboris anima: ni ita fiat, celeriter expirat, matureſcitq́;, non retoſtus furnis. Theophraſtus ſolum illum, qui in valle Syriæ naſcitur, recondi poſſe ſcribit. Nam qui in Ægypto, Cyproq́;, atq; alibi prouenit, recens omnis conſumi. Intereſt autem quanto tempore fructus conditos promamus. Nam vetuſtate quidam inſipidiores, ac deteriores fiunt. Alij enim ſenio miteſcunt, ac dulceſcunt. Nucem verò iuglandem, palmulam, ficum, ſabinam, quantò citius promes, iucundiore ſapore veteris. Nam vetuſtate ficus fit pallidior, palmula carnoſior, nux aridior, rancidiorq́;. Natura quædam etiam oſtendunt, quando ad vſum depromi oporteat. Et inter penſilia, mala & ſorba ipſa patefaciunt, colore in aliquibus mutato. Quædam etiam ſi non demiſeris, ad deijciendum ſponte ſeſe deſcenſura minitantur. Sorbum maturum mite conditum promi citius debet. Acerbum enim ſuſpenſum lentiùs miteſcit, quod prius maturitatem domi aſſequi vult, quàm in arbore nequit, vt inde promatur ad eſcam. Quærit Ariſtoteles, cur fructus non conditorum myrtorum folia potius quàm non conditorum & in alga reſeruatorum decidant. Nam fructus peracta decoctione, flacceſcunt, & decidunt. Quæ decoctio in conditis & repoſitis agi non poteſt. Algæ itaq; vapor prohibet, ne fructus humor immutetur. Folia enim cùm ſiccent, reſoluunt. Quod efficit alga, cùm vim ſalſam, ideoq́; exſiccandi, habeat. Ergo non idem folijs arbori adhærentibus accidit, quod conditis.

De condiendis ficubus. CAP. XVI.

FICVS virides, inquiente Palladio, adſeruari vel in melle poſſunt, ordinatæ, ne ſe inuicem contingant: vel ſingulæ, intra viridem cucurbitam clauſæ, locis pluribus, vnicuique cauatis, & teſſera, quæ ſecatur, incluſis. Suſpendi enim cucurbita, vbi neq; ignis, neq; furnus ſit. Multi ficus recentes lectas minùs maturas cum pediculis in nouo vaſe fictili ſeparatas recludunt: quod vas in dolio vini pleno natare permittunt. Alij calicem vitreum, aut aliud quoduis perſpicuum poculum, ſuper ficus leniter inuertunt, & obducto cera ſpiramento, ita relinquunt. Hac ratione immarcidæ permanere. Subtile eſt, quod docet Paxanus, vt aridas ficus, quas vocant iſchadas, à putrilaginis, & alio carioſæ labis ſenſu, vindicari poſſe,

& integras permanere: ſi tres liquida pice imbutæ fuerint, & vna inter cæteras in fundo vaſis, altera in medio, tertia in faucibus ſuperponantur. Fici aridæ, integræ, in vaſe fictili optimè condiuntur. Debet autem vas amurca decocta inungi. Thaſia dicitur tabula ex calamis contexta, in qua refrigerantur ficus: alij pro ficuum aceruo ponunt.

De condiendis oliuis, & primùm de caducis.

CAP. XVII.

MARCVS Cato, cùm cuiuſq; partis agriculturæ perdiligens autor fuerit, tum maximè fructuum conditurae, atq; præcipuè oliuarum, vtpotè quarum conditura vberior, & amplior eſſe debeat, tanquam familiæ magis neceſſaria: cuius etiam caducæ pulmentarium ſit. Quas plurimas condi, idem ille antè præcipit, poſt intempeſtiuas, vnde olei minimum fieri poſſit. Nunc verò ſicut olim genera quædam conuiuiorum epulis præparabantur: verùm diuerſa eſt illarum conditura, vt ſecundum etiam genera varientur. Nanq; alia in cadiuis, alia in lectis, alia in albis, alia quoq; in nigris: vt ſecundum condiendi modum, nomen etiam accipiant, vt colymbades. Sed primùm de caducis dicendum: circa quæ propter illarum caſum, nulla collectionis, neq; temporis, ratio habenda. Has verò, quæ rugis contrahentibus criſpæ ſunt, colligis, & ſale trito aſperſas, donec inareſcant ſole, expandis. Tunc ſtrato cratibus lauro, baccas dein ordinabis, & pluries inuertes, vt vndiq; deſiccentur. Demum aquam, tribus aut duabus vndis, cum defruto, & ſatureiæ faſciculo feruefactam, & pòſt tepefactam, iniecto paululum ſale cum origano ſuperinfundes, & ad vſum recondes.

De conditura albarum oliuarum. CAP. XVIII.

TEMPVS autem condiendarum oliuarum mutare oportet. Nam & aliud in albis, aliud in nigris deſideratur. Quod & in omni genere obſeruandum erit. Nam & omne & quodque hac ratione condiri poteſt. Sed vt antè de albis, quàm de nigris, tractemus, ratio exigit. Nam priùs albeſcunt, quàm nigreſcant. Hoc autem ſummæ maturitatis eſt, illud verò vireſcentis adhuc oliuarum ſignum. Quod circa vindemiam eſſe debet, autore M. Catone. Lectam enim albam oliuam, priuſquàm in aquam calidam deijciatur, contundunt. Crebrò autem aqua mutari debet, & vbi ſatis macerata eſt, exprimi debet. Pòſt in fideliam, cum fœniculi & lentiſci ramuſculis, & cocto modicè ſale, permiſtam recondunt, & muſtũ quàm recentiſſimum infundunt: tantundem enim aceti, quantum muſti, addi debet. Deinde faſciculum viridis fœniculi immergunt, vt oliua promatur, ita tamen vt ius ſupereminear. Ea verò ſic curata, tertio die vti poteris. Poſias autem, vel regias quàm candidiſſimas eligunt, deinde ſubſtrato arido fœniculo, in amphoram conijciunt, atq; lentiſci ramuſculos, nec minus fœniculi intermiſcent. Cùm autem ad fauces vſq; amphora repleta

 fuerit,

fuerit, duram muriam adijciunt: ac ſpiſſamento de arundinum folijs facto, vti infra ius mergatur, premunt: & iterum muriam duram, dum ad ſummum amphoræ labrum deuenerit, infundunt. Alij aqua marina, ad dies ſex macerant: deinde in vas mittunt, & recens muſtum ſuperfundunt ita, ne omnino vas repleatur, ne videlicet in illius feruore effundatur. Quód vbi effetbuerit, obliniunt. Cæteri vinacia recentia priuſquam exprimantur, vnà cum oliuis viciſſim interpoſitis in vas condunt, deinde oblinunt. Nonnulli contundunt: ſed acuta arundine inſecant, id quidem operoſius. Quod apprimè obſeruandum erit, non ferro, ne ſaporem inſipidum concipiat. Hæc etiam candidior eſt, quàm quæ ex contuſione liuorem contraxerit. Quidam verò ſiue contuderint, ſiue inſecuerint, modico ſale cocto, & prædictis ſeminibus immiſſis, ſapam deinde vel paſſum infundunt. Oliuam autem pauſeam cùm iam decoloratur, & antequàm miteſcat, cum petiolo legunt, & in oleo quàm optimo ſeruant. Hac enim nota, viridis, etiam poſt annum, oliuæ ſaporem repræſentat. Plures etiam cùm de oleo trito exemerunt, aſperſam ſale pro noua apponunt.

De condiendis oliuis nigris. CAP. XIX.

NVNC de nigrarum conditura, quæ vbi iam nigruerint, nec tamen adhuc permaturuerint, legendæ ſunt, & lectas cribrare, & quæcunq; maculoſæ, ſeu vitioſæ minorísve videbuntur incrementi, ſecernere oportet: deinde in ſingulos oliuarum modios, ſalis integri heminas ternas adijcere, atq; in vimineos quallos confundere, copioſe ſuperpoſito ſale, vt baccas contegat, atq; ſic triginta dies conſudeſcere pati, & ita omnem amurcam extillare. Poſteà in alueum diffundere: poſtremum in vas adijcere, & illud ſapa defrutóve replere, aridi fœniculi ſpiſſamento ſuperpoſito, quod oliuam deprimat. Alij lectas, & compoſitas, muria diluunt, atque in ollam deijciunt, & mellis partes duas, defruti dimidiam, vini vnam. Quæ vbi ſimul omnia deferbuerint, abijciunt, & acetum miſcent, ac permouent, & vbi refrixerit, origani ſurculos ſternunt, vt liquor ſuperabundet. Multi autem cum pediculis legunt, & aqua tribus diebus aſpergunt: poſt per duodecim dies in muriam dimittunt, & exemptas in vas cum aceti & muſti æquis portionibus deijciunt: & repletum vas ita operiunt, ne aliquod ſpiraculum ſuperſit.

Colymbades, qualiter fiant, & de Epityro. CAP. XX.

COLYMBADAM ſic fiendam Columella docet. Maturam oliuam in ſtatura colymbandæ factam, de muria tollito, & ſpongia tergito: duobus, tribúsve locis viridi canna ſcindito, & in aceto triduo habeto, quarto verò die ſpongia extergito, & in cacabum, aut nouum vrceum, ſubſtrato apio, & modica ruta, mittito: dein conciſis pleno vaſe oliuis, defructum vſq; ad os mittito. Poſt dies viginti vtere. Palladius ſic: Oliuas muria per

triginta dies macerant: pòſt vniuerſam fundunt, & duas defruti partes, aceti vnam, cum mentha minutè inciſa vaſculo adijciunt: quod oliuis replent, vt iuſta infuſione liquor ſupernatet. Epityrum album, nigrum, varium, ex albis, varijs, nigris oleis ſic faciunt. Ipſas condito, addito oleum, acetum, coriandrum, cyminum, fœniculum, rutam, mentham. In orculam condito, vt oleum ſuprà ſit. Oleas albas celeriter promi M. Varro vult. Alias propter amaritudinem illas reſpuit palatum. Plures alij condiendarum olearum modi, apud Columellam, Palladium, & cæteros huius farinæ autores, & etiam certi ſecundum ſua genera. Ex quibus ego ipſe tantùm hæc ſelegi, quæ vnicuique generi communes eſſe poſſunt. Peculiares autem parum neceſſarios arbitratus. Quandoquidem olearum genera neque omnia, neque multa, omnibus nota: ſed & nomina etiam iam deſita. Columellam autem maximè ſum ſecutus, quòd de his præter alios & diligentiſſimè, ac copioſè, atque elegantiſſimè ſcripſit: vt modeſtius à me factum foret, ſi poſt tam grauem ſcriptorem omnino ſiluiſſem. Quod facere decreueram, ni in generali arborum hiſtoria nonnihil deeſſe teformidaſſem: ni etiam lectorem ſuper huius rei, in conquirendis libris, cognitione, remorari vererer: vt etſi non amplè, ſaltem in aliquo iuuarem. Multa tamen de induſtria à me prætèrita, vt quemadmodum ſampſa, ſyrápa, fieret: quæ apud Columellam libro duodecimo inuenire eſt.

Præfatio libri decimiſeptimi.

HORTOS *meos firmo munimento, addita arborum deſcriptione, & illarum natura iam ſatis vallaſſe exiſtimaueram, verùm ampla arborum hiſtoria, eò nos volentes vltro protraxit, propter illarum ingentem vtilitatem, vt de cædenda illarum materie, etiam diſſereremus; & iam mortuas honoraremus & nobiſcum domeſticas haberemus. Et ſi operoſum nobis quidem ac perdifficile foret, nihilominus tamen propter illarum circa rem cùm domeſticam tum publicam vtilitatem iucundum: vt nobis prouidens natura, vbi iam fructibus ſuis nos aluiſſent, etiam poſt mortem, non minimo noſtro commodo inſeruirent. Ad quam rem maximè ſylueſtres idoneæ, vt quod in vita præſtare non poterant, hac re vrbanis infirmiores, his tamen poſt vitam ſuperiores. Inter eas enim res, quibus humanum genus indigeret, ſecundas habitationem obtinere, diuinus Plato, in ſua republica, aſſeruit. De ſyluarum*

ſyluarum in prima ætate domicilijs, poſt de domibus, caſas veriùs dixerim, quæ ſine libella, ſine regula & perpendiculo prius ſtructæ abſque ſectis lapidibus ſuprà dictum. Verùm poſt augeſcente hominum luxu atque ingenio, non quæuis materies ad id proſtrata, ni inter tot genera, rarior, pretioſior, diuturnior, lucidior longis itineribus, exquireretur. Quibus ſumptibus legiſlatorum aliquot edictis, olim prouiſum. Nam apud Lacedæmonas, lege à Lycurgo lata non niſi ſecuri ſerraq; tecta & fores, elaborari, permiſſum fuit, vti leuiori artificio, hebetiori ingenio, atq; minori impenſa, ædificia ſtruerentur erigerentur. Ut hac cauſa ſimpliciorem priſtinorum ſtatum retinerent, quò innocentiùs ac ſanctiùs viuerent. Quòd poſteà exemplo docuit Leontychides. Spartanorum Rex. Cùm enim is in Aſia eſſet, & illic contignationes, ex quadratis trabibus leuigatas, introſpexiſſet, ædium dominum percuntatur, An apud ipſos quadrata materies naſceretur? Quod ille negauit. Cur igitur (inquit) ſi rotunda eſt, quadratam facitis? Nam hic pro vetere ſuorum modeſtia, priuatam domum ad neceſſitatem, non ad voluptatem delicias fore exædificandam arbitrabatur. Verùm ſubſequente hominum cupiditate ac luxu inde progreſſum vt magnificentiæ gratia ingentes ſtructiones erigerent quibus cæteras res ſumptu ſeperarent magnificentiæ præcipuam partem arbitrantes, vt quaſdam arbores ad hac creaſſe naturam exiſtimarent, & ferè omnes, quæ parum fructu valent, vt cedrum cupreſſum & ferè pinei generis omnes, vt hæ ad ædificia non modò vtiles, ſed ad alia multa opera domeſtica. De quarum artificium infrà docebitur.

HORT

HORTORVM LIBER DECIMVSSEPTIMVS.

Arborum cæſores, & de præparatione materiei ad templum Hieroſolymitanum, & de hoc vocabulo, ligneus.

CAPVT I.

APVD antiquos non parum laudati, qui optimi materierum cæſores fuiſſent, quales quondam fuiſſe memorantur Sidonij. Cuius teſtimonium ex ſapiente Salomone Hebræorum & Syriæ ditiſſimo Rege fuit. Exædificaturus enim molem illam templi dominici apud Hieroſolymam, & regiam ad Iromum Regem Sidoniorum literas miſit, vti illi cæſorum ſuorum opera vti liceret, quod ille liberaliter conceſſit: fuerat enim parentis Dauidis amiciſſimus, obtinuitq; octuaginta milia hominum, qui in monte Libano cedros, cupreſſus & abietes cederent. Prius enim epiſtolam ad Vaphrem Ægypti Regem miſerat, à quo id depoſcebat, à quo etiam ſimilem numerum impetrauit, & ad ſuam epiſtolam reſcriptionem Iromum nonnulli, Suronem vocatum ſcribunt. De hac re Ioſephus in antiquitatibus. Munerum etiam vacatio his, qui arbores cederent, tributa fuit, autore Calliſtrato Iuriſconſulto. Cùm ij magno Reipublicæ vſui eſſe, dignoſcerentur. Ad multa enim opera & penè infinita Reipublicæ neceſſarij. Et vti paulo remotiùs materiam attingamus, Seruius in commentarijs Maronianis, M. Varronem memoriæ mandauit antiquos fœtæ mulieri deos tres, cuſtodes adhibuiſſe, ne Syluanus ſcilicet, in domum ingrederetur, ne moleſtiæ item eſſet. Quorum ſignificationis cauſa, homines tres, domus limina noctu circuibant. Horum igitur primus, limen domus ſecuri percutiebat, vt denotare vellet, arbores abſque ferro nec cædi, nec putari. Alter vero cum pilo, cùm far minimè ſine pilo conficeretur. Tertius deuerrebat, vt potè quod fruges abſq; ſcopis, non coaceruarentur. Vt his quidē culturæ ſignis, cuius Syluanus Deus haberetur, intrare prohiberetur, & ab his tribus deos illos Intercidonem, Pilumnum & Deuorream, vocitarunt propter arborum duram materiem. Autores quidam hoc vocabulo, ligneus, ad plura vſi ſunt. Catulus Furiam eius nouercam ligneam vocauit, & Lucretius amatorum corpora lignea dicit. Ille propter nouercæ duros, & aſperos mores, hic propter labores ingentes, quos facilè ferunt amantes.

De

De cædenda materie, & qua anni parte, & decorticanda materie. CAP. II.

MVLTVM ſanè refert, quonam tempore arbores cædi oportet. Futurum enim, vt ſi tempeſtiuiùs cæſæ fuerint, diuturniores, & æternæ magis ſint, firmiusq́; perſtent, atque à carie, ac tineis protegantur. Vt hac denique ratione in longum magis tempus ædificia permanſura ſint: vt propterea in longum tempus nobis, liberisq́; noſtris, ac reliquis ſucceſſoribus tum priuatim, tum publicè ad arcium firmitatem, diuturnitatemq́; perdurent: quibus etiam res cùm priuata, tum publica, magis, magisq́; ſuſtentetur. Quod non ſegniter fabri materiarij præcauere debent, vt maiori certè ratione in hac re tempus, aſtrorum etiam caſus, & ortus, obſeruari non minùs ſtudioſè debeant, quàm cùm ipſas arbores aut ſerimus, aut inſerimus. Nam, vt ait Maro,

Nec fruſtra ſignorum obitus, ſpeculamur, & ortus: Georg. 1.

Temporibusq́, parem diuerſis quatuor annum. Antè enim dixerat:

Aut tempeſtiuam ſyluis euertere pinum.

Quando ſcilicet conueniret. In hac enim maximè re inuigilandum: ne temporum neglecta minima obſeruatione, ingentes arbores, longiſſimo tempore adultas, tanquàm ad pulcherrima ædificia, ad arces, ad moles, deniq; ad mortalium domicilium, & tuitionem aſſeruatas enodes, raras nonnunquam & pretioſas materie, ita facilè peſſundare valeamus: ne tantos Naturæ conatus irridere videamur, non leui etiam iactura: quando, vt inquit Vergilius,

Hoc vbi non à ſtirpe valent, cæſæq́ reuerti Georg. 2.

Poſſunt, atq́ ima ſimiles reuireſcere terra,

Infœlix ſuperat folijs oleaſter amaris. Cædendæ igitur materiei, duplex temporis habenda ratio. Anni videlicet, & Lunæ. Sed de primo priùs dicendum, & quibus ſecuris aufert corticem. Ab Arcturi enim occaſu, & ante eum fidiculæ, vel ſeriùs à Bruma ad Fauonium cædi, tempeſtiuum. Vere etenim arbores omnes, prægnantes fiunt, & ſuas vires in frondes, floresq́;, atq; anniuerſarios fructus experiuntur: vt tum ad materiem imbecilles & euanidas eſſe oportet. Quod vtiq; etiam in corporibus muliebribus eſt, vt à conceptu vſq; ad partum, neq; ſanæ, neq; fortes iudicentur. Tunc enim plantæ temporum neceſſitate, humidæ ſunt, vanæq́;, ac debiles, laxitate venarum humorem effundentium, raræq́;, & languentes fiunt. Porrò alimento, quod in folia, frondes, & futurum partum emiſerint, infirmiores ſunt, eoq; minùs idipſum ſolidum, ex quo procreatur. Edito autem fructu, ſuccum in ſe retinent, & quieſcentes reficiuntur, redeuntq; ad priſtinum robur, & ſoliditatem. Sequens etiam aëris hyberni vis humorem comprimit, vt propterea ſicciores ſint, remiſſaſq; facit ab opere naturali. M. verò Cato cædi vult, à ſolſtitio æſtiuo vſq; ad brumam, Columella menſe Martio, alij verò cùm ſemen maturum habuerint: vt hac ratione quædam ſeriùs, quædam præcociùs cædantur, propter matu-

ritatis diſpar tempus. Quæ ſemina non habent, Cato tempeſtiuas eſſe dicit, cùm glubent. Robur verò cæſum ante fructuum partum, teredinem ſentit. Bruma autem minimè vitiatur, vt nec pandat, verùm perdurum, ſpiſſumq́; remanebit. Totum enim cordis ſpecimen gerit. Alioquin obnoxium erit, etiam vt torqueat ſeſe. Quod in ſubere etiam eſt. Aria autem, vlmus, acer, fraxinus, carpinus, ſciſſima, tilia, non niſi poſt editos fructus, vt antè etiam obruendæ ſint. Aliud tempus cædendi erit, vt cùm materiem decorticare velimus. Quod maximè fit neceſſitate quadam, vt cùm tempeſtiuiùs ad vſum veniant, fortè ad templa, ad teretes, cæterosq́; vſus rotundi: aut etiam propter corticis ad plurima vſum. Salices etiam ad pedamenta, & perticas decorticari ſolent: nam hoc modo diutiùs durant. Tunc enim cùm germinare cœperint, cædendæ erunt. Nam hoc tempore cortex extricatu perfacilis, atq; etiam coloratior materies redditur, præſertim in abiete, pino, larice, in quibus potiſſimum corticem detrahimus. Reliquis verò temporibus inextricabilis cortex eſt, nigreſcitq́; materies, & aſpectu deformior redditur. Abietem autem circa germinationes, atq; Luna ſilente, ſic decorticatam, aquis corrumpi tradunt minime. Quod apud Phineum Arcadiæ fluuium, autore Theophraſto, patuit. Obſtruſis enim fluminis faucibus, campus in lacum redundauit, vt tunc pons ex abiete hoc modo excoriata deduceretur, verùm extumeſcente aqua, alium deſuper exædificare neceſſe fuit. Poſteà verò apertis obturamentis, aqua omnis erupit, diſceſſitq́;. Totaq́; materies illæſa incorruptaq́; inuenta eſt: vt rei euentu veritas innotuerit.

De lunari circa cædendam materiem ratione. CAP. III.

AD cædendam autem materiem, in infinitum refert lunaris obſeruatio: quæ etiam diligentiùs cum anni tempore cuſtodienda erit: vt Tiberius Princeps, in capillo etiam tondendo interlunia ſeruauerit. Et M. Varro aduerſus defluuia, idem à plenilunijs præcipit. Luna etiam in ſyluis Diana à poëtis vocitata eſt, Deaq́; nemorum apud eoſdem habita, quòd hæc arboribus, & fruticibus ſuccum inculcet. Itaq; rei agreſtis Doctores, materiem non niſi decreſcente Luna ſcindi, vna ſententia omnes conſenſerunt. Nonnulli ſtatim in eius coitu: idq́; vtiliſſimè conuenire. Quod tempus Tiberius Cæſar, concremato ponte naumachio, vt larices ad eundem reſtituendum cæderentur ex Rhetia, præfiniuit, vt Plinius ſcribit. Quidam etiam diligentiùs, vti in coitu, atq; cùm ſub terra erit. Quod fieri non poteſt, niſi noctu. M. Cato etiam à coitu quatuor proximis diebus eximi vult, poſt meridiem, atq; ſine Auſtro vento. Columella verò à vigeſima, vſq; ad trigeſimam. Vegetius ſpecialiùs ad naues, fabricandas coarctiùs à quintadecima vſq; ad vigeſimamquintã. Duritiæ cauſa etiam ſemper poſt Lunæ occaſum, vt hoc modo, computreſcendi peruicax ſit. Proximè cum hoc ſidere addunt, & Canis ortum. Et ſic cæſas materies in forum Auguſtum Romæ fuiſſe. Nempe ſic innocentiùs cæditur. Immunis etenim à catie conſeruatur, ſolidiorq́; remanet, lucidiorq́;, atque

diutiùs

diutiùs permanet. At contrà, creſcente Luna, ac in eius plenilunio præciſa, inepta fabricis operibus, per humoris conceptionem erit, & marceſcet. Vt eodem quoq; anno interiùs vermium labe exeſa, in puluerem fatiſcit. Quod ars ipſa, & omnium architectorum quotidianus vſus, perdocuit. Siquidem augeſcente Luna, corpora ipſa implentur, atq; humoribus exuberant. Porrò humidum ipſum ſuapte natura & faciliùs, ac feſtinantiùs corrumpitur. Decreſcente igitur magis ac magis euacuantur, atque areſcunt, quòd tunc exiguo ſucco ſint. Idcirco ſicciores, ac tumidiores. Illud vnum inſuper admonendum erit, vt circuncisas ad medullam vſq; arbores, aliquandiu ſtare patiaris. Sic autem ſtantibus, ſi quis in venis continetur humor, excurrit, & defluit, ac exſiccatur. Qui ſi intus permaneat, & exitus non habeat, concreſcens putteſcit, efficiturq; materies vitioſa, & inanis. Quæ hoc modo curata, durior fit, magnasq; habet ad ædificiorum vetuſtatem, vtilitates. Quod præſertim fieri debet in his, quæ humore plurimo abundant, veluti in ceraſo, vlmo, cupreſſo. Sunt inſuper qui tradant arborem faciliùs cædi, ac celeriùs inareſcere, ſi priùs manu palpetur, quàm ſecuri feriatur. Mirum poſtremum eſt, quod & Anaxilaus, & Nicander, Græci autores memoriæ mandarunt. Hic enim minime algere cædentes, adalligata ad arborem amphiſbæna ſerpente. Ille verò arborem, linteo ex aſbeſtino lino, quod aſneſtinum, ex naturæ argumento Græci vocarũt, circumuolutã ſurdis ictibus, qui non exaudiantur, ſcindi.

Sylua cædua, quoto tempore, & in quot annos cædenda, & quando frons pecudum cauſa, & alijs, ad aliquot opera cædendis. CAP. IIII.

SYLVAM cæduam rei domeſticæ fore idoneam Ariſtoteles in ſuis Politicis ſcribit, atq; in ea comparanda, œconomum debere eſſe expertum. In qua verò ſuccidenda, & alijs arboribus, quæ ignis, & nonnullorum operum gratia, cæduntur, ratio alia erit in quibus & anni, & Lunæ tempus aliquod certum eſſe debebit. Quod non ita diligenter, propter non tam pœnitendam iacturam obſeruare, ſicut materiei cauſa, conueniet. Itaque multi, paulò ante Fauonium, & ipſam germinationem, cædi tempeſtiuũ arbitrantur: cæteri pòſt Brumam. Quod ex loci natura proſpiciendum erit. Nam in calidis regionibus minùs innocuè fit. Quod ſi contrà in frigidis, ſequens hyemis vis ſtipites ſupernè exurit, adfertq; non minimam, propter vniuerſitatem, calamitatem futuris germinibus. Verùm qui in iiſdem locis factitant, hoc etiam præcauent, ne in ſyluis ad Septentrionem, & ipſum Boream verſis, ſed tantùm ad Meridiem & apricis expoſitis. Sed ne etiam in cæteris, ne feſtinantiùs peragant: ne frigus intempeſtiuiùs nonnunquàm adueniens, nouella germina, propter feſtinatam ceſſionem, præcociora adurat. Quidam tamen longè poſt germinationem, propter corticis vſum cædunt. Qui ſtantibus adhuc plantis corticem eximunt, maximè verò roboribus, & quercubus, & vlmis, ligni quidem & corticis duplex lucrum captantes. Quod cùm ſibijpſis ſatagere cu-

piunt ; ſibi tamen prouident nequaquàm. Enimuero hoc modo germinationem retardant : tum etiam , quòd caudices , maiori lacrymarum vi exſiccantur. Vt infernè etiam & tardiùs, minusq́; vberiùs proſperiusq́; regerminent. Lunaris autem ratio, non eadem atq; in omnibus, diſſimilisq́; eſt , atq; in materie cædenda. Nam ad maius incrementum, quædam, & ferè omnes, exceptis paucis, ſtatim in plenilunio, & pòſt, cæduntur. Salix autem populus, ac betula, & omnia, quæ vinciendi cauſa cæduntur, ſilente Luna cædi volunt : alioquin ſoboles in nimiam leuitatem fatiſcit. M. Varro ſalicem inter æquinoctium, & Vergiliarum exortum cædi mauult. Sic enim M. Cato: Salictum ſuo tempore cædito, glubito, arcteq́; alligato. Librum conſeruato , cùm opus erit in vinea ex eo in aquam conijcito, vimina, vnde corbulæ fiant, conſeruato. Alia cædendæ ad pabulum hyemalem, quadrupedum cauſa frondis ratio. M. Varro inter Caniculam, & autumnale æquinoctium cædi, M. Cato ante Brumam, eo præſertim tempore, vt minimè adhuc decidua ſint folia, ſed vt poſſint etiam arida ligno adhærere. Quod ſecundum regionum naturam , maturè peragendum erit. Nam in frigidiſſimis citiùs decidere frigus cogit. Frons etiam populnea, vlmea, quernea, ceraſina, ad id vtiliſſima, quæ per tempus condi debet , & ſicca ouibus , & bobus per hyemem tradi. In ſuccidenda verò ſylua, quotus quiſq; pro ſua voluntate tempus aliquod certum præſcribit ſecundum eam, quam ſibi deſyderat perticarum aut magnitudinem, aut craſſitudinem. Alius enim longius , alius breuius , verùm non minus quàm triennij. Longius verò non ſatis conueniens : nam tunc emoriuntur plantulæ, quæ inferiùs, & in ſtipite internaſcuntur. Perticas ſalicis, & palos (quæ Vlpianus Iuriſconſultus & in numerum materiei redigit , vt ideò in lignorum appellatione contineantur) ad vinearum vſum, quarto ferè anno cædi iuſtum eſt , populi tertio. Cæduæ autem arbores ſunt, eſculus, fraxinus, laurns, corylus, betula, malus, alnus, ceraſus, caſtanea. Sunt cæduæ palmarũ quoq; ſylnæ, germinantes rurſus omnes à radice ſuccisæ.

Materiei in vniuerſum , ex quatuor elementis natura, & quæ in opere pandat, quæ ve non. CAP. V.

ARBORVM materiem omnem, ab quatuor elementis, videlicet; igne, terra, aqua, & aëre, naturam accommodare, apud Græcos Theophraſtus, & apud Latinos Vitruuius, autores ſunt: ſicut & ab his omne genus humanum. Non tamen vt huius rei generaliter quædam præceptiones demonſtrari poſſint. Quamobrem de vnaquaque arbore ſpeciatim diſputandum , vt hac ratione vna ab altera diſcrepet. Et vt primùm ab abiete incipiamus, plus aëriæ, & ignis virtutis, quàm aqueæ, aut terrenæ habet. Quamobrem minùs ponderoſa, & quæ ſub onere non ita citò flectatur, & quæ in contignatione per tranſuerſum etiam recta permaneat. Ea tamen pars , quæ terræ proximior eſt, & quæ ſapinus vocitatur, propter terræ affinitatem, ac humiditatem, enodis, liquidaq́; eſt. Superior verò pars, propter effuſos per aëra ramos , vi caloris nodoſior ſemper eſt. Quæ verò aliè circiter

pedes

pedes viginti ſucciſa,ſuſterna appellatur. Contrà verò robur,magis terræ naturam,quàm cæterorum elementorum amplectitur. Ob quam rem ad opera ſubterranea, vtiliter obruitur, infinitè quidem duratura, quadam vtriuſq; naturæ affinitate.Foraminibus non adeò frequens,vt humorem, qua putreſcere poſſit,continuò recipiat:vt poſt etiam per longa tempora effoſſa,ad multa,propter eius duritiem,& nigritiem opera tornatilia,com mendabilis ſit,ac pretioſa. Fagus verò,ſerrus,& ſuber,ignis,aquæ ac terræ naturam fortiuntur,ideò raræ,faciles ac fragiles: ſed aëriæ poteſtatis non parum. Ideò veluti ſitientes,ad imbibendum humorem perfaciles,vt auidiùs ſatiatæ,citò marceſcant. Populus autem alba,item & nigra,tilia,ſalix, ficus,vitex,aëris & ignis,æquè ſociam virtutem habent,& aquæ ſufficienter, parum terrenæ, ſua lentitia multifariam ad egregia opera facilitatem, præſertim ſculpturis minimè duræ, raræ ac candidæ. Alnus plurimum aëria, igneaq; vi eſt, minimum cum terra commercium habens. In paluſtribus autem ædificijs, ad fundamenta & palos perquam vtilis, æternaq; habetur. Recipiens in ſe igitur, quod illi à Natura denegatum eſt, & vt caſu, omnibus elementis fruatur. Quod Rauennæ videre eſt, vbi ad omnia ædificia,tum priuata,tum publica, eiuſdem generis arboris palis ad fundamenta vtuntur.Quòd autem proximè ripas fluminum adnaſcatur, ad materiem,propter imbutam ab ineunte ætate madidam naturam, parum idonea,vt ſuprà terram minimùm perduret. Eſculus,vt laurus,hedera,igneæ naturæ,igitur calidæ.Prima verò humoris impatiens.At in terra, & in paluſtribus, impacta, æterna habetur. Nam terræ humoris vi ſubacta, inualeſcente vi aduerſus ignem & aërem hoſtes præualet. Fraxinus autem,morus,ceraſus,aquæ vim plurimum habent:ignis verò,& aëris parum, terræ autem quod ſatis ſit. Quapropter ob humiditatem in opere flexiles ſunt, vt inde celeriter pandant. Cupreſſus, & pinus, quòd aqueæ naturæ ſint,tametſi æquè in cæteris ſint,in opere tamen pandæ.Carpinus minimum terræ atque ignis habet, maximum autem aquæ, aëris, frangi quidem neſcia,& in operibus perfacilis. Larix verò aquæ, terræq; vi, ſolida eſt. Materie prolixa, & facilis. Pondus ſuſtinet, etiam in tranſuerſum poſita. Decorticata verò aquis commodiſſimum ſubmergitur: idcirco idoneè longè ratibus transfertur. Reliquum eſt, vt cum Theophraſto hoc caput finiam. Singularum, tam ſyluestrium, quàm vrbanarum, hæc ſunt communiter diſcrimina,Pondus,ſoliditas,raritas,ſiccitas,durities,leuitas,mollities, humiditas, & ſi quid huiuſmodi in his perſpici poteſt. Et horum plura,in vna eademq; ſimul eſſe poſſunt,veluti in buxo ac robore grauitas, & durities. Non tamen,vt omnes ponderoſæ, duræq; ſint, nec econtrariò duræ, graues. Quæ differentia ex facultatibus eſſe poteſt. Omnes tamen generaliùs iuxta elementi proprietatem regi par eſt:vt flexibilis, lentaq;, ex humore aquatico, neceſſe eſt vt ſit. Grauis, quæ terrea. Ignea & aëria ſiccior, frangiq; facilior. Vt tamen ij effectus, altera natura, ex loci regioniſq;,& natura & ſitu:ſicuti homines,generaliter temperentur,vt infrà dicetur. Palma verò,& ſi in tranſuerſum conſtituta ſit,contra tamen aliarum naturam ſurſum in fornicis modum flectitur. Olea facilè

curuatur, & robur: Fracturam verò derepente futuram, in eius ſtrepitu pronunciat. Quod in Antandro euenit, prodente Theophraſto, vt è balneis, ſono territi aufugerint, & vitam tutati fuerint.

Eiuſdem generis materiem, ex loci natura differre.

CAP. VI.

EX locorum ſitu arbores, ad materiem, aliam à propria natura, induere vel virtutem, vel vitium, materiarij ſatis compertum habent, non alia, quàm in fructibus, ratione. Et vt generaliùs quidem loquar, Firmiores omnes, quæ in montibus naſcuntur, vt potè quæ validioribus perflentur ventis. Ingenita enim natura, tanquã aduerſus hoſtem, ſeſe obfirmant. Quod teſtatur Seneca, apud Latinos philoſophus in ſuis libris de diuina prouidentia. Non eſt, inquit, arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat. Ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices figit. Fragiles ſunt, quæ in aprica valle creuerint. Hæc ille. Chiron præterea Achilli haſtam in Pelio monte, vt eſſet præſtantior, excidit. In Gallia autem arbores, quæ in monte Iura, & Voſego enatæ ſint, præferunt. In plenum deteriores, quæ in opacis, & conte&tis, & humidis locis naſcuntur, plurimumq; à fortitudine & materiei dignitate ſua mutabunt. Nam humoris copia augentur, & ſaturantur: quo effluxo, inanes, & euanidæ fiunt, in ædificijsq; non durant. Quæ etiam ad Aquilonem ortæ ſunt, vbiq; generaliùs robuſtiores ſunt, quàm quæ Auſtrum aut Zephyrum. In totum enim illæ ſolidiores, copioſiores, meliores deniq; ſunt partes illæ, quæ ad Boream proſpiciunt. Spiſſiores etiam ſunt, quæ in apricis, quàm quæ in opacis naſcuntur, & ad opera diuturniores. Ideò Romæ infernas abietes ſupernati præferunt. Nam ſol non ſolùm terræ, verùm etiam arborum humorem deſiccat: vt hac cauſa non adeò putredini obnoxiæ ſint. Locus etiam nodoſiores arbores facit. Siquidem natura tenuis ſit, vt non poſſit quod ſatis nutrimenti ſit, arboribus elargiri. Quod ad materiem odoriferam attinet, ſunt nonnullæ arbores, quarum materies odorifera eſt: ſed in eodem genere odoratiores, quæ in locis ſiccis naſcuntur: contrà ingrati odoris, quæ in aquaticis. Quod in omni arborum materie eſt tum propter frigus, tum propter ſuperfluentem humorem, qui non bellè digeri, & confici à calido poteſt. Materierum etiam præſtantiam, ſpeciatim per regiones diſcernunt. Nam autore Theophraſto, optima materies, quæ ex Græcia aduehitur: Macedonica verò, quòd leuis, atque obediens ſit, ad ædificiorum vſum, perutilis. Tertio Rhyndacena. Quarto Æneatica. Deterior autem Parnaſſia, & Euboica habetur, quòd nodoſa, contortaq; ſit, ac facilè putreſcat. At quæ in Arcadia naſcitur, quædã vtilis, quædam contrà: veluti in multis regionibus eſt. Buxus in monte Olympo, ob breuitatem, & nodoſitatem, improba. Cedrus in Creta, Africa, & Syria laudatiſſima. Iuniperus vaſta in Hiſpania, maximeq; baccæ eius, & apud Remos Galliæ populos, in Corcyra, autore Theophraſto, arbores nimirum amplæ fuerunt, magno etiam diſcrimine, in ſuo genere exterarum regionũ cæteras exced

excedentes. Quarum materies, leuis enodiſq;. Quum autem Romani illuc, cum quinque & viginti nauibus applicuiſſent, cauſa condendi oppidi, & inſulam occupandi, eam tam vaſtis arboribus, & tam confertiſſima turba efferatam videntes infecto negotio retro ceſſerunt, deſperantes eam fore habitabilem. In Tylo Arabiæ inſula arborem produci, idem ſcribit, ex qua materies ſolidior, ponderoſiorq; fit, verùm fragilis, ſi deijciatur, fictilium modo. Cuius color varius, proximus tigrium pellibus. Ex qua baculos cædunt pulcherrimos. Ex abiete autem Gallica materiem vtilem Palladius ait. Fraxini materies Troadis in tantum cedro perſimilis, vt, detracto cortice, ementes fallat. Nulla vtilior, pretioſiorq; haſtis apud nos eſt, quàm quæ apud Cantabriam Hiſpaniæ regionem naſcitur, apud exteros multum commendabilis, ſolida, ac ponderoſa: quo arboris genere aliud apud cæteros celebrius vidi nunquam, ſæpe altitudinem, & rectitudinem, ramos bene diſpoſitos, deniq; totius arboris pulchritudinem demiratus, plurimumq; illarum vmbra arborum quandoque delectatus. Omnium autem locorum materiem arborum, quæ ædificijs vtilis, quæve item deterior, commemorare impoſſibile foret. Satis ſit nonnulla perſcripſiſſe: maximè verò, cùm regionis cuiuſq; incolæ id ſatis norunt. Vt generaliter ea apud omnes probetur, quæ leuis, enodiſq; eſt, firma, & oblonga, quæq; viſu pulcherrima: contrà, improba, quæ nodoſa, quæq; breuis eſt.

Materierum omnium differentiæ, quæ ſcilicet ad opera faciliores, quæ've intractabiliores. CAP. VII.

COMMVNIS autem omnium arborum per ſua genera, vbiq; etiam locorum, quædam differentia eſſe ſolet, à natura ipſa illis quidem innata, quæ ad opera omnia attendi maximè debet. Quando vero, non omnes omnibus. Alio enim alia, alteriq; altera. Paucæ verò, quæ alteri, vel pluribus conueniant. Primùm autem generaliter ſylueſtres ab vrbanis, maſculæ à fœminis, à ſterilibus fœcundæ, etiam in ſuo cuiuſq; arboris genere, ipſa materie plurimum inuicem diſcrepare, certiſſimum. Faciliores etenim ad opera fabrilia, cæteris ſunt, vrbanæ, ferentes, fœminæ, niſi quo in genere mares, non fœmellæ ferunt, ſicut cupreſſus & cornus. Nam illæ, ſicut in humano genere, molliores, igitur tractabiliores. Quædam nodoſæ, reliquæ contrà enodes. Aliæ carnoſæ, ceteræ oſſeæ. Nonnullæ neruoſæ, aliquæ ſine neruis. Aliæ fiſſiles, quod quibuſdam alijs denegatum, vt frangantur potius. Quædam inodoræ, aliæ odoratæ. Colore etiam differunt. Plures ſine venis ſunt: at contrà, quæ venoſæ. Sed & hæ plurifariam differunt: nam nonnullæ quadripartitos venarum curſus habent, vt pinus, & abies, aliæ bifidos, multæ tantùm ſimplices. Quæ omnia genera, ſpecialia nomina apud Græcos ſortiuntur. Quædam rectos, & laxos meatus habent, vt pinus. Suber venas non per totum corpus, neq; prolixiùs extendit, aut expandit, neq; eodem poſituræ modo. Pino autem nodi plures ac patentiores, tedæ colore proximi. Abieti duriores, ſicut & reliquis ferè omnibus,

omnibus, quibus lignum mollius. Nodoſiores etiam mitibus ſylueſtres, vt ſunt, quæ ſub eodem genere ſtatuuntur, vt oleaſter, caprificus, pyraſter, ſub olea, ficu, ac pyro. Nodoſiores etiam, quò ſolidiores, & quæ rari corporis. Sæpe nodoſæ intus ſunt, quæ foris leues conſpiciuntur, eaſq; quidam explorandi cauſa perforant. Pino nerui pauci, abieti duriſſimi, & inter ſe diſtantes, copioſiore, & duriore intermedia carne. Neruoſiſſima & palma eſt. Totum è carne fico corpus, Carnoſa, & tilia. Oſſea tota ilex, cornus, robur, cytiſus, ebenus, & quas ſine medulla diximus. Quibuſdam verò pulpa ſine venis eſt: mero, & tenui ſtamine, conſtantes. Fiſſilis abies, meatuum rectitudine. Pinus ad inteſtina opera ſectilis. Fiſſilis fagus, maximè ab ea parte, quæ radici proximior. Multæ autem celeriùs frangun-tur, quàm findantur, quibus ſcilicet pulpa, vt oleæ, non eſt. Obliquitate etiam ac duritia, fiſſura difficiles, vt in malo, palma, & ſubere. Fiſsionem ſpontaneam minimè capiunt cedrus, cupreſſus, olea. Illud enim infinitè ſciendum eſt, vt quibus venæ egregiæ & in directum perfluunt, in opere obedientiſsimæ. Eiuſq; dotis ſunt, quibus læuis cortex, rectuſq; eſt. Quod intelligunt periti, vbi ſtatim arborem circunſpexerint. Contrà ſi contortus, atque ſquallens eſt. Colos terebintho eximius, nigerrimi ſplendoris. Robori etiam nigricans color, magiſq; etiam cytiſo: ad quas proximè accedere videtur hebenus: verùm hac tamen nigriores Syriacas terebinthos, non deſunt qui affirment. Morus vetuſtate nigreſcit. Furuæ autem cedrus, larix, iuniperus, vlmus. Candicans populus, ſalix, philyra. Diuerſi tamen colores in vna eademq; arbore viſuntur: veluti in quercu, cuius cor nigrum, albicante parte exteriore. In pruno verò & pyraſtro, medulla rubeſcit. Odoratæ ſunt vbiq; cupreſſus, cedrus, iuniperus. Laricis odor acrior. At in aliquot regionibus, ſicuti in Arabia, India, Ægypto, Syria, vi aëris odoræ omnes. Nam odoratiores omnes ſunt, quæ feruentioribus plagis veniunt, quales ſunt ſupradictæ. Siccæ enim loci natura, & calidæ efficiuntur, cōcoquentes expeditiùs humorem, qui fæculentus odorem corrumpere ſolet. Stans enim, & viridis materies, non ita bene olet, atque arida.

Quid ligna thina, in ſacris Biblijs, & de adagijs ſuper ficulno ligno deductis. CAP. VIII.

LIGNA autem odorata, interpretes librorum Biblicorum, generali vocabulo, thina, ſiue tina vocant, alij Almugina. Plures tantùm ad vnam arborem, videlicet hebenum referunt, quæ in ſola India, vt ſuprà dictum eſt, naſcitur, ante Salomonem in Syria non viſa. Sua tunc claſſe, quæ apud Ophiram, quam Eupolemus Græcus autor Vrphen appellat, Indiæ, alij maris rubri inſulam ſuo iuſſu nauigauit, in Syriam aſportata eſt: ex qua rex fulcra domus Dei, & regiæ, citharaſq; & nabla fecit. Ex recentioribus autem nonnulli, breſillum nouum ligni genus, nobis cognitum intelligi volunt. Non placet (vt iudicium meum ſuper re hac promam) ad omnem materiem odoratam extendi: cùm ex prædicta claſſe tantum hæc aduecta ſit.

cta ſit. Multa inſuper odorifera materie in Syria, & continuis regionibus, Arabia, atq; Ægypto, vt cupreſſus, iuniperus, maximè in Libano monte cedrus, cæteris aliarum regionum prælata, illic ante Salomonem copioſè naſcente, vt pro his tanta, tamq; longa & difficili nauigatione minimè opus fuiſſet. Cedrus autem, & cupreſſus, ædificijs publicis apud Hieroſolymam pretioſa. De quibus ſic Ambroſius in Hexamero: Cedrus ſuſpendendis tectorum apta culminibus, eò quòd huiuſmodi materies & procera ſit ſpatijs, nec oneroſa parietibus. Lacunaribus quoq;, comendisq; faſtigijs habilis eſt cupreſſus. Vndè & eccleſia dicit: Trabes domorum noſtrarum cedrinæ, lacunaria noſtra cupreſſina. νηφάλια ξύλα Athenienſes vocabant, quæ neq; vitea, neq; ficulnea, neq; myrtea eſſent: ac ſi velis dicere, ſobria. Vnde tractum adagium de his qui ab omni voluptate alieni ſunt, νηφάλιος θυσία, id eſt, Nephalium ſacrificium. De conuiuio abſtemio & ſobrio dicitur. Nunc de ficulnò ligno, quod fragile eſt, & inualidũ, ac omnibus rebus inutile: cuius etiam fumus & acerrimus, ac moleſtiſſimus eſt, vt aliquot prouerbijs, quicquid imbecille, aut contemnendum ſit, denotantibus locum fecerit. Nam Theoph. in Ergatinis, Ficulnos homines, molles, ac nullius momenti vocat. Apud Ariſtophanem etiam Ficulnus Deus, pro imbecilli dicitur. Ad quod alludere videtur Horatius:

Olim truncus erat, ficulnus inutile lignum.

συκίνη ἐπικουρία, id eſt, Ficulnum præſidium, auxilium, pro inutili. Ficulnam mentem Lucianus pro imbecilli poſuit. Plato etiam in Hippia maiore, Ollæ lenticulari ficulnum operculum, magis conuenire, quàm aureum dicit. Connæ autem ficulnum ſolium, quòd eo Conna citharœdus luſitare ſolitus ſit. συκίνη μάχαιρα, id eſt, ficulnus gladius. De friuoli cauſa dici poteſt, quæ minimo negotio poſſit peragi. Nauis ficulna. Quod in irriſorem dicitur ac vilem. Mandronis ficulna nauis. Quod in eos dicitur, qui præter meritum ad opes, & fœlicitatem euecti, priſtinæ tamen conditionis non meminerunt, verùm præſenti rerum ſucceſſu inſolenter abutuntur. A Mandrone idcirco ſumptum, qui indignus atque immerens, è nauiculario factus eſt Imperator. συκίνη βακτηρία, id eſt, Ficulnum baculum, & aliud σῦκον αἰτεῖ, id eſt, ficum petit. Quo vltimo in adulatores vtimur. Nam Athenienſes tum maximè agricolis blandiebantur, cùm præcoces ab illis accipere cupiebant, bene ominantes & precantes, vt in annum ſequentem, fici fœliciter prouenirent. Quod vbi poſteà ruſtici id ſenſerunt, in prouerbium verterunt, de quo Ariſtophanes in Veſpis. Eſt & aliud, σῦκον ἐφ' ἑρμῇ, id eſt, ficum Mercurio. Quod his conuenit, quæ ad volentium vtilitatem expoſita ſunt. Nam ſi quando primùm ficus apparuiſſent, Mercurio dicabant. Quam vnicuiq; ſumere licebat. ὁμοιότερος σύκου, id eſt, ſimilior ficu. De vehementer inter ſe ſimilibus dicitur. Nam & ſi ficuum multa genera, fructus tamen ferè ſimiles. σῦκα μέριζε. Id eſt, diuide ficos. In auaros dictum. A fratribus tractùm, qui cùm bona diuidunt, euſque minima diuidi etiam volunt: Martialis ad Calliodotum:

Quadringenta ſecat, qui dicit σῦκα μέριζε. *Mart. lib. 5.*

Ficus poſt piſcem. Græcè, σῦκος μετ᾽ ἰχθῦν. In eos adaptabimus,qui alijs ſimul bene conueniunt. De eo Athenæus: ficus auibus gratæ. Carmen heroicum Athenæo,cuius ſenſus eſt,

Fici grata auibus ſunt, quæ plantare recuſant.

In voluptarios ac fugientes honeſtum laborem,quum alioquin appetant emolumentum. τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγων, id eſt, ficus ficus, ligonem ligonem vocans. De ijs dicitur, qui ſermone ruſtico rem vti eſt enarrant.Nam Comicus ait: Nam ego ruſticanus ſum,& ligonem ligonem appello. Hic tantùm de adagijs ſuper ficulno ligno meminiſſe debueram: verùm ſuper tota arbore, & fructibus excerpta adagia, in vnum conſerre malui.

Aliud materierum per ſingula opera diſcrimen.

CAP. IX.

VT autem de materierum ad aliquot opera differentijs videamus,conſequens eſt. Diſsimiles itaq; inter ſe vnaquæq; habet virtutes,vt nec ſola omnibus operibus vtilis ſit.Neq; enim quod robur, aut fraxinus poteſt, pinus abiesq́; præſtat:neq; cupreſſus,quod populus,aut vlmus quod buxus. Nec cæteræ omnes eiuſdem rerum naturæ ſimilitudinem habent: ſed omnes per ſe ſingularem ad opus aliquod proprietatem quandam obtinent:vt alicuius rei præter fructus vim medicam,& cæteras huiuſcemodi illarum dotes alicuius gratia, etiam demortuas procreaſſe natura intelligatur. Non enim quam inuenire eſt,quæ non aliquo opere magis,quàm quæuis alia, vtilior ſit. Sed harum iam differentias, in quibuſdam commoditatibus videre eſt.Pinus omnium fere viribus pollet, ad vſum ædificatorium ſpectabilis,tectis maximè accommodata.Copioſior enim hæc, & abies,ad plurimos humanos vſus.Aptiſsima enim & pulcherrima materie ſunt. Diſtant tamen inuicem. Pini enim materies exilior,criſpior,& carnoſior,& in totum robuſtior,vt renitatur: Abies autem rara,rigidior, molli carne:altera leuis,hæc grauis:illa teda referta,hæc ea caret, ideoq́; albior. Harum igitur,ac piceæ, trabibus præcipua materies. Pini enim non niſi in ſicco diuturna eſt.Palladius tamen,Sardos eius putredini hoc modo prouidere ſcribit. Præciſas enim trabes, in piſcinam toto anno mergunt: pòſt in arena obrutæ, aut in maris litoribus defixæ, vt tamen eius fluctibus abluantur. Ædificia ſuſtinent,eamq́; etiam,& piceam in tubos, ad aquarum ductus,vtiliſsimè cauari certum eſt:vt ſemper irrigata durare dignoſcatur.Aceris materies operum elegantia,& ſubtilitate,cedro ſecunda,criſpa,& rigida materie. Ex abiete autem,& acere, equum Troianum conſtructum Vergilius autor eſt.Sic enim in ſecundo Æneidos ait:

Inſtar montis equum diuina Palladis arte
Aedificant, ſectaq́; intexunt abiete coſtas. Et alibi:
Præcipuè, cùm iam hic trabibus contextus acernis Staret equus.

Obedientiſsima enim in quocunque opere fraxinus, Corno quidem leuior, ſorbo autem lentior. Quamobrem in commiſſuris firmas recipit

concal

concatenationes. Et eadem ratione vlmus, cuius materies robuſta. Viribus enim ſubſiſtit:deformis tamen. Hæ autem ſi ſiccentur,rigeſcunt antè curuabiles. Fortius lignum quercus habet, & incorruptibile. Quod & Statius comprobat. Sic enim in ſexto Thebaidos ait: atq; ſi tu non expugnabile robur. Exabulnatum ſiccior. Cui clauus adactus auelli non poteſt. Contrà, non tenet cedrus, cuius materies pulcherrima, nata humorem emittere, veluti omnes, quibus humor oleoſus. Quare Deorum ſtatuæ cedrinæ ſudaſſe ſæpenumero viſæ ſunt. Quod ad prodigium inſani homines ariolati ſunt. Oleagina etiam materies germen potiſſimùm emittit, præſertim rudis, nonnunquam etiam dolata, ſi quem humorem adhuc habeat, aut locum humectum nacta ſit: vt iamiam valuæ cardo quidam germinaſſe perhibeatur,& poculum limo iniectum. Eius autem materies,rigida,ſpiſſa, & oleaſtri. Iunipero eadem virtus, quæ cedro. Cupreſſi egregia, & perpetuò tenera. Pontem autem ſupra Eufratem Babylone Semiramis regina ex cedrinis,cupreſſinis,ac palmarum trabibus exædificauit. Opus ſpectatæ magnitudinis,vt nulli alteri, quod antè, poſteriúsve, ab ea factum ſit, cederet, prodente Diodoro Siculo. Quod non tam admirabile illic fuit,propter materiei excellentiam,quàm ob ædificij præſtantiam: cùm ibi propter alterius materiei inopiam,è palmeis trabibus ædificent. Sed & tota Aſſyria, atq; Perſis, materie è ſterilibus palmis vtitur. E palma etiam fiebant antiquitus camerulæ, inquiente Pompeio Feſto, in vſum popularem, vnde cumerum vas nuptiale dicitur. Factum quidem ad illarũ ſimilitudinem. In fagi pulpa pectines tranſuerſi ſunt,vt propterea lignũ in longitudinem fluctuet.Carpinus vtiliſſima. Rudis verò corni materies,& ſi propter exilitatem,quibuſdam materies non videatur,forſitan quòd tam parua apud eos naſcatur. Dolata enim, ac tractata, omnino inutilis.Latifolia,ædificijs minùs vtilis. Peſſimã materiem habet, quæ haliphleos dicitur. Suberis materies rigida, ſpiſſa,& omnes,quæ materiæ criſpæ ſunt,vt malus, pyrus. In aquis non fluitat, ſi dematur cortex. Morus in operibus valida,& perfacilis in his,quæ flexu conſtant.Ei enim in hac re primatus datur. Æternam quidam arbitrantur, & vetuſtate,loti modo nigreſcente.Ideò forculas ex ea faciũt. Nauibus verò tornacula,ſimiliter & auriculas: liburnicis verò teſtudines atq; firmamenta. Caſtanea mira ſoliditate,rigida,& ſpiſſa materie.In tectis & cæteris inteſtinis,operibus perdurat. Cuius ſolũ pondus in vitio eſt, vt propterea lenta depræhendatur.Eſculus ædificijs & ridicis apta.Tilia molliſsima leuiſsimaq; eſt, ſculpturis aptiſsima,vt populus vtraq;,& ſalix.In palis eius propter illius leuitatẽ panni ſericei conuoluuntur. Alnus rei fabricæ penitus inutilis, verùm neceſſaria,ſi humidus locus ad excipienda palãdus ſit.Aquifolijs materies præcipua,veluti ſambuci radix. De iuglande infrà dicetur. Buxus & hebenus,ne arefactæ quidẽ leues ſunt.Spiſiſsimæ igitur grauiſsimæq;, vt neutra in aquis fluitet.Illa natura gracilis,inhonorata,non niſi radice criſpãte,cæterùm leuis materiei,quodã ſilẽtio duritiei,vt loto,& cerro.Terebinthi materies admodũ lenta,ſpiſſa tamẽ:Loti verò ſicciſsima. Harũdine cameras aliquot gẽtes leuiſsimè contegũt.In vniuerſum autẽ optima qua-

dripartitis materies, ſpiſſam enim præſtant, vt cæteris melior ſit. Media autem criſpior,& quò radici proximior,minoribus magiſq; flexibilis maculis. Materiei autem, & omnis pars duriſsima & rariſsima eſt medulla, atq; etiam ipſius abietis. Qua de cauſa, architecti partes, medullæ proximiores auferendas præcipiunt,vt quod duriſſimum ſit,tantùm relinquatur.Cityſi medulla ſpiſſa magis,quàm roboris.Iuniperi medulla vbicunq; ſolidatur etiam quàm cedro. Nullam autem materiem idoneam eſſe, ramis deputatis cõſtat. Caſtratio illa eſt,quæ adimit vires.

De robore,ponte Romæ Sublicio,& ſcandulis. CAP. X

SPISSA roboris medulla, quod atrum nonnulli vocant, alij cor. Aptiſſimæ ex ea ſcandulæ,etiam è glandiferis alijs, & fago. Facillimæ item ex omnibus, quæ reſinam ferunt. Verùm parum durabiles, præterquàm pino. Scandula autem conte&tam Romam vſq; ad bellum Pyrrhi quadringentis ſeptuaginta annis Cornelius Nepos autor eſt. Et Vitruuij tempeſtate,vt ille aſſerit, Gallia,Aquitania,Hiſpania,Luſitania robuſteis vſus eſt. Adhuc apud Carnotes tecta ædificia ego ipſe vidi. Sunt autem ſcandulæ tabellæ,tegularum vicem præſtantes. Iſidorus in etymologijs ſcindulas à ſcindendo vocat. Scandulare autem dicitur id,quod ſcandulis conſtat. Apuleius in tertio tranſmutationũ: Iam vecors animi tectum ſcandulare conſcendit.Et ſcandularius,faber lignarius,qui ſcandulas facit.Cuius meminit Calliſtratus Iuriſc.libro quinquageſimo Digeſtorum.Pons Romæ, olim ſupra Tyberim Sublicius dictus eſt, quòd ilicis materie ſtructus eſſet,quòd ſub ilice mearetur:Nam ſine ferro,ſine clauo,ſine ſuturis,contignatione ita diſpoſitus,vt trabes per bella eximerentur, ac poſteà reponerentur.Quod,vt ſic fieret,religioſum fuit,poſtea quàm Horatio Coclite defendente, ægre reuulſus fuit, vt poſteà ilicis materie confici ſoliti ſunt. Alij à ſublicibus lignis dictum volunt. Nam Volſca lingua, magnæ trabes,ſublices vocabantur. In Sublicio autem ponte, pauperes conſidebant,petituri ſtipem à tranſeuntibus,vt volunt hæc Senecæ verba: In Sublicium pontem me transfer, & inter egenos abige. Non ideò tamen me deſpiciam,Quòd in illorum numero conſedero,Qui manum ad ſtipem porrigunt. Ex eo autem facinoroſi in Tyberim præcipitari ſolebant. Ex quo etiam Heliogabali principis cadauer,pondere etiam,ne fluitaret,annexo,deiectum eſt. Ex eo etiam dicebatur, Sexagenarium è ponte deijci. Hoc eſt,à ſuffragio repelli. Quòd per illum pontem ſuffragium ferebant, vt autor eſt M.Varro.Agricolas autem nonnullos veteres ac expertes noui, qui materiem ad inſtrumenta ruſtica præparatam, longè anteà, quàm ad ea dolarent, in aquam ſubmergerent, ibiq; per aliquod tempus relinquebant,quò largiùs humorem imbiberet: vt hac ratione firmior fieret, vti aſſerebant,& ad opus facilior,atq; contra fiſſuras immunis eſſet.Pectines autem, vt his hoc caput finiam, in arborum materie dicuntur rectæ per longitudinem lineæ,pectinum modo,interuallis diſtantes,quas Græci κτηδόνας appellant.

De

De arborum tubere, bruſco, moluſco, ægide, & leuſo.

CAP. XI.

SÆPE contingit, vti in arboribus, non etiam eiuſdem generis omnibus, quoddam præter communem materiem, agnaſcatur differens materie. Quod tametſi vitium propriè exiſtimandum ſit, propter tamen eius ad aliquot opera elegantiam, pretioſum habetur. Et primùm de tubere videamus, quod radicis vitium eſt, maximè in eo laudatum, quòd ſub terra totum fuerit, quod rarius eſt: vt non tam raritate ipſa, quàm etiam dignitate honoratum. Super, atq; in ramis, etiam hoc frequentiùs gignitur. Tanto pluris hoc emitur, quantò amplior eſt. Sunt etenim arborum tubera, inſtar carnis glandes: Callus quidam ad nodi ſimilitudinem. In his verò nec vena, nec pulpa eſt, tanquàm callus carnis in ſe conuolutus. Hoc autem pretioſiſſimum in cedro, & acere. Reperitur & in alno, verùm tantò deterius, quantò à cedro ipſo, aut ab acere, alnus ipſa diſtat: vt nec cæterarum etiam arborum tubera in pretio ſint. Sequitur bruſcum, quod in acere, ac carpino, tanquàm tuber in cæteris eſt. Sed illud pulcherrimum, multoq́; excellentius etiamnum moluſcum. Sed bruſcum intortius, criſpum. Moluſcum etenim ſimplicius ac ſparſum. Quod ſi menſarum magnitudinem caperet, haud dubiè cedro præferretur. Intra pugillares, lectorumq́; ſilicios, aut laminas, olim raro vſu ſpectatum. E bruſco enim nigreſcentes menſæ fiunt. Larix fœmina habet, quod Græci ægida vocant. Mellei coloris. Hoc lignum proximum medullæ eſt, ſpiſſum, pulchrum. Gignitur autem in vetuſtioribus arboribus. Quod enim frugi eſt, rarum inuentu, contrà quod vile, copioſum. Inuentum pictorum tabellis eſt, nullis ferè rimis. Codicillos etiam ex hoc faciunt, & ad lautiora opera vtuntur. In abiete etiam reperitur, quod leuſon vocant, ægidi reſpondens: ſed hoc albius. Arcades autem ambo tam laricis quàm abietis, autore Theophraſto, ægidem vocant. In abiete autem copioſior. In larice rarior, verùm pretioſior.

De vitijs materiei. CAP. XII.

SVPRA de carie, & tineis, præcipuis, ac infeſtiſſimis materierum morbis, dictum. Cætera illarum vitia vt proſequamur, operæpretium ducimus. Nam quemadmodum arbor adhuc ſtans, & viuens, ſua vitia habet: ita demortua, & illius materies: quibus magis vnum, quàm alterum, genus, vt in animalibus, laborat: vt latifolia, & abies, quod plus caloris habeat, vt propterea termitem procreet, alatq́;, à quo tandem vitietur. Publicum autem omnium vitium ſpiram vocant, vbi ſeſe conuoluunt venæ. Quod loci natura quandoq; efficit, vt potè vi ventorum, quum à latere, aut in orbem perflantur. Tunc enim vertuntur, contorquenturq́;, vt neq; nodum dicere poſſis, cùm ferè per totam arborem æqualiter amplietur: vt etiam arborum medulla contorta, non in rectum porrecta ſit: vt deniq; cæſa, pro-

pter ſui breuitatem , contra proprij generis naturam , operibus inualida, ineptaq; fit. Hoc etiam vitium hyemis vi , aut improbi alimenti educatione,vt in animalibus, contingit. Lignum etiam vitium eſt. Ita vocatur materies quædam ſurda,& indigeſta ſimplicitas,foliorum platani figura, compacta. Venatum etiam colorum , vel totius materiei immutatio : vt cùm rimæ,aut capillamenta rimas imitata,vel murena,nigro tranſcurrens limite,vel in totum atro propior color, maculæ've diſcolores, quibus vitijs obnoxias fecere æſtus,ventiq́;.In quibuſdam etiam nodi inueniuntur ſicut centra in marmore , id eſt , durities clauo perſimilis, ferris inimica. Alijs fortè accidit , vt lapidem compræhendant , aut alterius arboris ramum. Quod vitium non minimum quandoq; eſſe ſolet,vbi trabis facies integra non eſt,neq; idem vbiq; color.Sed & eius longitudo non parum detrimenti accipit: cuius plerunq; ad opera,præſtantia eſt. Aliud vitium, quod negligentia comparatur,vbi dolata emaduerit. Quod & ſi parum, tamen natiuus color,quarundam præcipua dos,labefactatur. Hoc modo nigreſcit quercus,robut,fraxinus.

De tractanda , & dolanda, vel medicanda materie. Et quid arborum adeps,& quid alburnum. CAP. XIII.

MARCI Catonis , quem ego non ſatis amplè laudatum exiſtimo,ſi bonum agricolam, bonumq́; colonum, ſolùm dixerim , propter alias in Rempublicam præclarè geſtas functiones(quod tamen ipſe arbitrabatur)verba hæc ſunt: omnino caueto nigram materiem ne doles,ne cædas,néve tangas,niſi ſiccam, néve gelidam, néve rorulentam. Ne etiam per rorem trahamus præcipit,aut dolemus, & tractemus,vento auſtro, niſi neceſſario, atq; niſi in trimeſtri luna atq; dimidiata, tangamus. Tunc enim neq; effodiendum,aut præcidendum abs terra. Plura verò paucis in tractanda materie, vir ille bonus, & virtutum omnium induſtrius architectus, Romanæq́; ciuitatis digniſſimus heros,docuit.Quæ alij pluribus commentationibus , coagmentarunt , vt tantùm illius interpretes fuerint. Quod æquè erit,vti eodem officio fungar. In primis enim non niſi ſiccam tangendam cenſet:vt mirum fuerit apud antiquos,primo punico bello,claſſem Imperatoris Duellij,ab exciſa arbore,ſexageſimo die nauigaſſe:contrà autem Hieronem Regem, ducentas naues, diebus quadraginta effectas, tradit L.Piſo. Secundo quoq; Punico bello Scipionis claſſis, quadrageſimo die à ſecuri nauigauit. Tantum enim tempeſtiuitas in rapida celeritate pollet, vt tunc in neceſſitate tractari poſſit : ſicut vento auſtro flante conceſſit Cato. Sed ad rem progrediamur. Terebratu enim difficiliora ſunt , quæ viridia. Tunc verò ſi nimis , vt potè ponderoſa , admodum coëunt.Segmenta quoq; magis ferrarum dentes implent,expuiq́;,quamq́; haud celeriter poſſunt. Quæ de cauſa dentes alterna inclinatione fabri permutant,vt ſponte educi poſſint. In totum enim latiùs arida, quàm viridia,ferris cedunt,præter robur,& buxum,quæ pertinaciùs reſiſtunt.Duras autem in terebratu,vt molliores reddantur, anteà madefaciunt,vt roboris,

boris, ariæ, carpini. Sicca etiam faciliùs ſerrantur. Aër enim ferueſactus, ſtatim ſcobem eijcit. Aduerſus autem viriditatem, medicamina addunt artifices. Terra enim condunt, & cera illinunt: aut frumenti aceruis imponunt, diebus ſeptenis, totidem inuerſis. Mirum quantum ponderis ita operi detrahatur. At contrà ſecuri, torno, ſculpturæ, faciliora ſunt viridiora. Cùm ferrum magis inſidat hæreatq́;, nec quicquam reſiliat. Materies alia fiſſilis magis, cùm per medium diuidunt. Facilius etiam humidiora, quàm ſicciora, ſecantur, finduntur q́;. Aliquæ verò ſpontè cùm ſiccatæ, vel cùm ſiccantur, finduntur. Quare ne id eueniat, materiarij eas fimo illinunt, ne afflatus noceat, ac ſiccari permittunt. Rectam enim oportere eſſe ſectionem conuenit, nec vllo pacto obliquam. Exempli gratia, atque ex Theophraſto, Si medulla per A, lineam conſtet, nequaquam per B, C, ſecandum, verùm per B, D. Hoc modo medullam perire, illo viuere, arbitrantur. Materies enim tam ſecta, quàm fiſſa, peruertit ſeſe, ſi aptè, vt oportet, ad deſiccandum non locetur. Etenim ſub dio, atq; loco ſicco reponi debet: non vt ſtet, ſed vt iaceat, loco vtiq; plano, altera ſuper alteram, interpoſitis aliquot æqualibus bacillis, vt perfletur. Néve tactu inuicem tangant ſeſe, & humiditate alterius corrumpantur alia. Fiſſa autem materies, non ita faciliter rimam patitur: contrà dolata, & potiſſimùm rotunda. Enudata enim medulla citius deſiccatur. Suberis autem materies, & cùm ſecatur, & cùm dolatur, facillimè ſicceſcit. Ferrò autem vitiatam, ac præduram materiem, liberiùs, quàm mollem, cedere aiunt. Etenim in molli obtunditur. Quamobrem tiliam molliſſimam arbitrantur, eo videlicet argumento, quòd citiſsimè aſcias retundat. In dura enim acuuntur. Illud autem vnum omnes materiarij præcipiunt, vt ad medullam vſq; circundoletur. Futurum etenim, vt id, quod præter illud relinquitur, putreſcat. Pleriſq; adeps vocitatur, ſiue à colore alburnum. Totius enim ligni mollis ac peſsima pars eſt, vt ſæpe in arbore ipſa facilè computreſcat, teredini potiſsimum obnoxia, vt optimè auferenda præcipiatur. Illud vnum vltimo addendum ad materiei dignitatem erit, vt neq; nimis recens, neq; nimis vetuſta, operi vtiliſsima ſit. Nam illa nondum viribus adultæ ætatis pollebit: hæc autem nimio ſenio deficiet. Sed & materies medela adiuuatur: vt quæ ſua natura improba erat, arte proba fiat. Sunt & aliquæ regiones, apud quas tantùm odorifera materies naſcitur, veluti apud Cretam, & Melitam inſulas cupreſſus: vt alterius inopia, illa neceſſariò ædificent, vt graui materiei odore incolæ afficiantur. Sed huic medentur, trabibus & poſtibus oleo inunctis. Terebinthus etiam melior fit oleo peruncta. Color autem pyro, fraxino, quercui, iuglandi, ceraſo, mirè adulteratur, ſi oleo inungantur, vel ſi lacinijs ceratis, vel pinguibus, ſæpiùs abſtergantur: tunc enim nitidiores, ac relucentes fiunt. Prohibet etiam hoc tineas adnaſci. Quarum autem ad cardines vſus eſt, ne findantur, fimo bubulo etiam illinunt, & vt ſenſim ſiccetur, & ſuffletur medullæ humor, patiuntur.

De glutinanda materie. CAP. XIIII.

MAXIMA

Plin. lib. 16. cap. 41.

MAXIMA & glutini ratio eſt, propter ea, quæ laminis ſectilibus, alterius generis operiuntur. Hæc autem, vt Plinius ait, prima luxuriæ origo, vti arbor alia integeretur: & quæ ligno vilior eſſet, alieno cortice pretioſior fieret: vt propterea vna & eadem arbor pluries veniret. Excogitatæ inſuper lignorum bracteæ. Nec ſatis fuerat, cœpere tingi animalium cornua, ſecari dentes, eboreq́; lignum diſtingui, mox etiam operiri. Placuit deinde materiem & in mari quæri. Teſtudo ad hoc ſecta. Neronis principatu, portentoſis ingenijs inuentum, vt pigmentis perderet ſeſe, pluriſq́; veniret lignum imitata. Sic tectis pretia quæruntur. Hoc modo terebinthum vinci iubent, ſic cedrum pretioſius fieri, ſic acer decipi. Non contenta fuit ligno ſolo luxuries, ni iam lignum teſtudinem, teſtudo materiem, emi faceret. Hi Plinij tempore in adornandis lignis ſumptus fuere. Qui iam nunc forſitan maiores ſunt, ſi quis artificium operum tornatilium, vel alia opera, altero ligno intecta, conſyderare velit. Etiam nunc ebore, & animalium oſſibus, & textis, materies integitur longè apud Indos quæſita. Ad quod nuper noua lignorum genera referantur, & coniunguntur etiam ſimul diuerſa lignorum genera, vt hominum veſtimenta, faciemq́; omnem, & cuiuſque generis animalis formam, aut vnam quamuis aliam rem, vna tabella, colorum varietate effigiaret. Sed iam orationem eò reuocemus vnde deflexit. Itaq; in conglutinanda materie, quædam ratio habenda eſt. Non enim glutinum inuicem omnes recipiunt. Nam affectus ſimiles eſſe eis oportet quę ſociari, conflariq́; debeant, non contrarij. Quædam enim naturæ inimicitia inter ſe ita ſunt diſſociabiles, vt quoddam etiam inter eas demortuas, ſicut inter viuas, odium ſit: cuiuſmodi maximè robur eſt, quæ nec pino, nec abieti, conglutinari valet. Cornum maximè odit ſorbus, dein carpinus, & buxus, poſteà tilia, contraria inter ſe natura. Adeò enim quædam inuicem diſſentiunt, vt nullo modo co[illegible]e poſſint: non alias, quàm ſi lapidem & lignum coniungere velis. Vtilius enim eiuſdem generis, & ſimilis naturæ materies ſimul conglutinatur, vt hominum vnius regionis firma ſocietas eſt, & animalium quoq; eiuſdem ſortis. Quædam tamen faciliùs, vt quæ flexibilia ſunt, & lenta omnia, præterquam cornus & caprificus. Abies glutino ſociabilis, vt anteà findatur quàm diſſocietur. Tamen omnia aqua calida ſeparantur.

De diuturnitate nonnullarum materierum, & quæ terræ, quǽve aquis magis, quæq́; etiam vtrobiq; perdurent.

CAP. XV.

SVPRA de arborum ætate viſum eſt: nunc verò de illarum materiei ſenecta. Quæ non eadem omnibus, ſicut nec vita eſt: vt diutiùs quædam incorrupta permaneant, alijs citiùs euaneſcentibus, ac putreſcentibus. Nec enim ſingulis generibus par vita, & materiei ſenium. Nonnullis vita breuior, materiei ſenecta & econtra longior. Hoc poſtremum in ædificijs, operibuſq́; alijs maximè attendendum, præſertim verò in publicis. Ne

tantæ operæ, ac impenſæ, & artificij, nos confeſtim pœniteat. Ad quod etiam negotium plurimum refert, cædendæ aptè materiei tempus, cuius ratio ſatis ſufficienter,vt arbitror,ſuprà explicata eſt.Reliquum nunc erit, vt oſtendamus quæ illatum,inſita natura, & quonam modo longinquitatem, aut æternitatem, in opere præſtent. Quod faciunt generaliter omnes,quæ odore præcellunt,veluti cedrus,cupreſſus,& cæteræ,de quibus ſupra. Plato autem leges publicas,atq; inſtituta in tabulis cupreſſinis fore ſcribendas cenſebat, hoc modo futurum ſpetans vt æterniores eſſent, quàm ſi in æreis tabulis inſculptæ forent. Aut, quod magis arbitror,vt ea prudentia,eoq; conſilio ferri deberent, vti diuturniores eſſent, ſicuti cupreſſi materies.Cedrino etiam vnguento,aut oleo inunctas chartas, perpetuò durare affirmant.Vnde poëtarum doctiſſima carmina,cedro digna dicebantur,id eſt,perpetuitate. Perſius:

- *Et cedro digna locutus Linquere.* Horatius in Arte:

- *Linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo.*

Longiſſima autem ſunt, quæ modicè humida ſunt, ac ſectilia. Quædam obrutæ magis durant,vt eſculus. Pinus verò,& picea,terra obrutæ, pluribus annis permanent,miro modo fortiores,ſi humor quoq; ſuprà innatet. Eadem, ſi non integantur, citò ſeneſcunt. Aliæ ſubdialibus operis aptiſſimè ſtatuuntur,vt cetrus,iuniperus.Hæc tamen etiam obruta: Nam à putredine immunis. Eiuſdem naturæ eſt iuglans,vtriq; operi vtiliſſima. Aquis etiam diuturnior fagus. Quæ madefacta,melior redditur, & quercus etiam. Supra terram enim rimoſa facit opera, torquendo ſeſe. Larix in humore præcipua,& nigra alnus, emori contumaces. Eſt & aquarum in his differentia. Nam robur aqua marina corrumpitur. Sambucus ſiccata,valida, & inoffenſa aquis, etiam deſquamata ſi ſit. Quod ſpontè fit, cùm exaruerit. Sunt quibus Naturæ quodam beneficio, ſiue terra, ſiue aquis obruantur, vel ſi in ſubdialibus operibus collocentur, ſenium minimè nocere poteſt: vt fago,oleæ've. Terebintho materies ad vetuſtatem fidelis. Suber verò,caſtanea,iuglans, buxus, lotos, aria, æternæ ſunt. Morum æternam potiſſimùm poſt cedrum arbitrantur.Perſea verò materiei bonitate, firmitate, & nigritia, nihil à loto differt, magna ex parte contorta. Spiſſiſsima ex omni materie hebenus iudicatur, natura gracilis, in aquis non fluitans, ac æterna. Quidam pro hebeno, ſpinæ Indicæ, aut mori materiem (fallente ſimilitudine) vendunt. Sed coarguitur, quòd illarum materies fungoſa ſit, & inanis. Quæ ſi in exigua fragmenta ſcindatur, colore purpureo ſunt. Nihil inſuper in guſtu mordacitatis, nihil redolentiæ in ſuffitu præſe ferens. Thiæ materies, omnino incorrupta perdurat. Nux Euboica nunquam putreſcit. Fici Ægyptiæ, quam Græci ſycomorum appellant, materies aliquid peculiare, & à cæteris materiebus differens habet. Porrò humore deſiccatur. Cæſa enim ſtagnis, & aquis demergitur. Hoc eſt eius ſiccari. Primò autem ſubſidit. Deîn cùm diu in liquore deſederit, leuior facta ſuſtollitur, fluitareq; incipit. Eius enim humorem alienus fugit, qui aluum omnem rigat. Et cùm natare incipit,tempeſtiuè ſignum habet.

D *De*

De his, quæ teredinem, & cariem, non ſentiunt, & de teredinum generibus. CAP. XVI.

NVNC de his, quæ carie vlla minimè vitiantur, quæ've tineis non infeſtantur: cuiuſmodi ſunt omnes, quæ ſucco amaro præditæ ſunt. Hac ratione teredines neq; nutriunt neq; progenerant, ſucci amarulentia prohibente. Quare Theophraſtus citiùs pinum à teredine corrodi, quòd pinus nonnihil dulcedinis habeat. Olea autem, oleaſter, hebenus, lotos, buxus, taxus, iuniperus, & ex reliquis tardiſſimè larix, carie non infeſtantur. Aduerſus autem & cariem, & tineas, cupreſſus firmiſſima: ſicut & omnis reliqua materies, quæ cedria inuncta fuerit. Quatuor genera teredinum annumerant. Quorum primum, grauiſſimo, præter reliquam corporis menſuram, capite eſt. Rodit dentibus. In mari tantùm ſentitur, vti hoc propriè, non alia teredo dici poſſit. Tineæ vocantur, quæ terreſtres ſunt. Thripæ culicibus ſunt ſimiles, lignum rodentes. Quartum eſt vermiculorum, quorum alij in putreſcente materie generantur, alij è partu naſcuntur, ſicut in arboribus ex ijs, qui ceraſtes. Sed de his vermiculis in morbis arborum dictum eſt.

De æternitate materierum quarundam arborum in quibuſdam publicis ædificijs. CAP. XVII.

SED iam locus, vt nonnullarum materierum aliquot vetuſtiſſima opera, è Theophraſto Græco, & Plinio ac Vitruuio, Latinis autoribus in medium adducamus, vt fides lectori eorum, quæ ſuprà retulimus, remaneat. Et primùm cedrina opera memorabimus. Nam ex ea materie fabrefacta, alterius generis antiquitate, cedunt minime. Vt anteà de templo Dianæ Epheſinæ, ſic nuncupatæ, quod illud in Epheſo Lydiæ vrbe, tota Aſia extruente, annis quadringentis peractum fuerit: cuius tectum, vel, ſi cum Vitruuio mauis, lacunaria, è cedrinis trabibus fuiſſe, apud omnes conuenit. Templi autem valuæ, è cupreſſo fuerunt. Quæ iam annis quadringentis permanſere. Id quoque notandum, in glutinis compage quadriennio fuiſſe. Materies omnis nouæ perſimilis, in eas electa: quoniam præter cætera, genere in vno, materiei nitore, maximè quædam valeat. De ſimulacro verò ipſius Deæ, apud autores ambigitur. Nonnulli ex hebeno fuiſſe tradunt. Mutianus ter Conſul, ex his, quæ ſcriptis (viſo eo) reliquit, vitigineum, nunquàm mutatum, ſepties etiam reſtituto templo, eamq; materiem elegiſſe Canetiam (artificis nomen eſt.) Quod demiratur Plinius, cùm antiquiorem Minerua quoque, non modò Libero Patre vetuſtatem ei tribuat. Memorabile Vticæ Apollinis templum, vbi Numidicarum cedrorum trabes durauere ita, vt poſitæ fuerint, prima eius vrbis origine, annis mille centum octoginta. In Hiſpania Sagunti templum Dianæ fuit, cuius trabes à Zacyntho aduectæ, annis ducentis ante Troiæ excidium, vt Bochus prodidit. Intra oppidum id ipſum fuit,

cui

cui Hannibal religione inductus pepercit,trabibus è iunipero etiamnum illo tempore durantibus. Super omnia memorant, ædes eiuſdem Dei in Aulide aliquot ſeculis ante Troianum bellum ædificatas vt genus materiei ſcientia obliteratum ſit. Vergilius Maro in ſeptimo ſuæ Æneidos, in Laurenti regia, atque in eius veſtibulo effigies auorum Latini regis, è cedro fuiſſe ſcribit:

Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, Italusq́, paterq́ Sabinus,
Vitiſator curuam ſeruans ſub imagine falcem
Saturnusq́ ſenex, Ianiq́ bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant.-

Ex cedrinis etiam lignis, domus Dauidis regis in Hieroſolymitana ciuitate, quæ illi Iromus Tyri Rex miſerat. Templum etiam, quod ibi Salomon Rex, Dauidis filius erexerat, dirutum, iterum trabibus cedrinis reædificatum, permittente Cyro Perſarum Rege. Anteà etiam lacunaria, contignationes, cælaturæ, ex cedro, & alia etiam lignea opera in ædibus ab eo ſtructis: & in his etiam,quæ filiæ Pharaonis vxori ſuæ erexerat. Arca, quæ fœderis dicta eſt, quam Moſi iuſsit Deus exædificari, ex materie Sittim compacta, & etiam menſa, & altaria duo. Et alia multa,quæ poſteà Beſeleelis confecit. Eſt autem Sittim, vt interpretes voluerunt, genus cedri electiſsimum. Nouæ autem arcis Væiouis ſimulacrum è cupreſſo factum Romæ Plinij tempeſtate durabat, ab vrbe condita quingenteſimoprimo anno dicatum. E larice trabs fuit, pedes centumuiginti longa, bipedali craſsitudine. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo, faſtigium æſtimantibus. Quam Tiberius Cæſar in ponte Naumachio expoſuerat. Quæ permanſit ad Neronis principis amphitheatrum. Alia & eadem tempeſtate eius generis fuit in porticis Septorum à M.Agrippa relicta, æquè mirabili cauſa, quæ Diribitorio ſuperfuerat, ſeſquipedali craſsitudine,viginti pedibus breuior altera. Ex olea autem Salomon Rex cherubinos duos,decem cubitorum altitudinis, in tēpli oraculo fabrefecit, & oraculi duo oſtia.

Præfatio libri decimioctaui.

POST *arborum ad ædificia materiei vtilitatem, ſequitur eadem ad naues, quas omnium aquarum propriè domicilia dicere poſſumus. Neſcio an in his, quàm in illis, maior commoditas in genus humanum propter ædificiorum neceſsitatem obſtaret. Quandoquidem naues, ſola arborum materie conſtent. Jn quibus verò ſi ingenium atq; artificium contempleris, nihil eſt, quod prope magis demirari poſsis. Primùm maris profunditatem, illius vortigines, vaſtos dein anfractus, ſcopulos ſub aquas ſæpiùs latentes, vndarum arduos fluctus. In quibus, neſcio an maior audacia, an artificium maius fuerit, quando per longa itinera vnquam eadem, nobis ſemper incerta, nauigandum ſit. Per quæ vitam noſtram cum infinitis periculis committimus. Sed eò nos bonorum cupiditas protraxit, vt nihil inauſum, ipſa nobis reliquerit. Ut primùm naues ad tantos conatus, excogitare mirum fuerit. Ex quibus dein maximum nauigationis (ſi aliud memorabilius) commodum, vt hac ratione tot nobis anteà ignotas regiones, tot orbis inſulas & tractus peruelociitinere, volatum potius dixeris, parua etiam impenſa, ſi ad itinera terreſtria contuleris, peruaderemus atq; luſtraremus. Siquidem verò nauigatione, vltima Tyle, magna Taprobane, omnes Æthiopiæ, Ægyptus, Africæ exuſtæ prouinciæ, nobis notæ. Et quicquid Jndia, antiquis ignota, habuerit. Quid fœlix Arabia, & quicquid deniq; totus orbis abſconſum & reconditum haberet, nobis patefecit. Vt inſuper vniuerſus orbis, vnum emporium, vnum commercium, omnibus eſſet, & vna ciuitas vna prouincia haberetur, & eſſet, vt cæteris largiatur, quod illis deforet. Neq; vlla cauſa adeò fertilis eſt, vt ſola ſibiipſi ad omnia ſufficiens ſit. Prætereo quàm leuius, & quàm mollius per amnes, per ſtagna & lacus, etiam ad bonam corporis valetudinem, vehamur, geſtemus.*

HORTORVM LIBER DECIMVSOCTAVVS.

Naues è pinu & abiete, ſalice, alno, fago, vt plurimum exædificari. CAPVT I.

NAves è lignis conſtrui omnibus notum,& omnia earum inſtrumenta,& quicquid in eis conſtat.Vnde prouerbium apud antiquos, Cadentem in naui lignum non attingere: cuius meminit Lucianus. De his dicitur,quæ paſſim, & vbique occurrunt. Quæ autem extruendis nauibus apta ſit materies,antiqui ſcire non parùm laborarunt,quòd res ingentis commodi atque periculi foret. Eas autem potiſſimùm ſelegerunt, quæ aquis amiciſſimæ eſſent:vt pinum,& abietem,& alnum,ſalicemq́;.De hac enim Diuus Ambroſius in Hexamero, Abies quoq; non contenta terrenis radicibus,atq; verò vertice,etiam caſus marinos tuto ſubitura remigio,nec ſolùm ventis, ſed etiam fluctibus certatura proceſſit. Teſtimonium ex Poëtis etiam deſumere libet. Claudianus: *Apta fretis abies.*-
Ex abiete Idæa, Paridem naues præparaſſe, quibus ad raptum Helenæ profectus, Euripides autor. Ad Scipionis etiam claſſem, qua Carthaginem nauigauit,Peruſini,Cluſini,Ruſellani,abietes dedere,cæſas equidē è publicis ſyluis.Sequitur pinus,nauigijs,vt abies,frequentiſſima.Verg.

Dant alios aliæ fœtus, dant vtile lignum Georg.2.
Nauigijs pinus.- Et Ouidius in ſecundo ſuæ Artis amatoriæ:
Quid properas, iuuenis? medijs tua pinus in vndis
Nauigat.- Silius:
- Et amantem littora pinus. Lucanus:
Prima fretum ſcindens pegaſæo littore pinus,
Tyrrhenum ignotas hominem proiecit in vndas. Catullus:
Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur.- De alno Vergilius:
Tunc alnos primùm fluuij ſenſere cauatas. Et alibi: Georg.1.
Necnon & torrentem vndam leuis innatat alnus, Georg.2.
Miſſa Pado.- Lucanus: *- Et fluctibus aptior alnus.* Statius:
Alnus amica fretis.- Armenios autem pecuarios, qui ſuprà Aſſyriam ſunt,naues è cæſis ſalicibus fabricare,quas pellibus extrinſecus cooperiunt, Herodotus autor eſt. Quibus vſos Venetos, & Britannos Lucanus

Lucret. lib. 5. nus ſcribit: *Primùm cana ſalix madefacto vimine paruam*
Texitur in puppim, cæſoq; induta iuuenco,
Vectoris patiens tumidum ſuperenatat amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoq; Britannus
Nauigat Oceano, ſic cùm tenet omnia Nilus.

De fago etiam & alno ſic Claudianus:

De raptu Proſ. lib. 3. *Sic qui vecturus longinqua per æquora merces*
Molitur tellure ratem, vitamq; procellis
Obiectare parat, fagos metitur, & alnos,
Et varium rudibus ſyluis accommodat vſum.

De argo naui. CAP. II.

CVIVS materiei fuerit argo nauis, neq; omnes, qui de ea ſcripſerunt, in vnum conſentiunt, & ſi inter primas, quæ viſæ fuerint, vna fuerit, vt anteà in diuerſis materiebus, circa eas, non plurimum immoratum. Ea enim Iaſon cum Græciæ heroibus in Colchum inſulam vectus eſt. Nonnulli ex abiete ſtructam fuiſſe aſſerunt, vt apud Latinos Ennius, his carminibus:

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes.
Neve inde nauis inchoandæ exordium
Cepiſſet, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua Argiui vecti, delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis imperio Regis Peliæ per dolum.
Nam nunquam hera errans mea domo efferret pedem
Medea animo ægro, amore ſæuè ſaucia.

Euripides verò in Medea è picea fuiſſe ſcribit,

εἴθ' ὤφελ' ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
κόλχων ἐς αἶαν, κυανέας συμπληγάδας,
μήδ' ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτε
τμηθεῖσα πεύκη, μήδ' ἐρετμῶσαι χέρας
ἀνδρῶν ἀρίστων, οἳ τὸ πάγχρυσον δέρας
πελίᾳ μετῆλθον. οὐ γαρ ἂν δέσποιν' ἐμὴ
μήδεια, πύργους γῆς ἔπλευσ' ἰωλκίας,
ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' ἰάσονος.

Orpheus autem, qui argonautica ſcripſit, è fago factam ſcribit: Si liber eius ſit, qui per manus literatorum circunfertur, *καί ει φηγινέης πρῶτον τεκτήνατο νῆα.* Vergilius autem è pino. Sic enim in culice ſcribit:

Hic magnum Argoæ naui decus edita pinus.

Alexander Cornelius, vt autor eſt Plinius, arborem, ex qua facta eſſet Argo, eonem appellauit, robori, viſcum ferenti ſimilem, quæ nec aqua, nec igni poſſet corrumpi, ſicuti nec viſcum. Hanc verò nulli alij cog[illegible] Plinius (quod ſciat) ait.

De nonnullis alijs arboribus, ex quibus naues fabricatæ.

CAP. III.

SVPRA naues, ex pinu, abiete, & nonnullis alijs, vt plurimum exædificari, ſed apud eas tantùm gentes, apud quas huiuſmodi materiei aut origine, aut vicinitate alterius regionis, aliáve facultate, copia eſſe poteſt: vt neceſſitas nonnullos compulerit, ex alia non adeò vtiliter, neq; ita diuturniùs, naues conſtruere. Ex robore, & tilia vt tamen extra aquam ponantur. Laricem in maritimis nauibus teredini obnoxiam tradunt, & omnia præter oleam, & oleaſtrum. Neceſſitate etiam ex moro, vlmo, ſtibula, fraxino, platano, ſciſſima, naues compingunt. Ex platano autem celeriter putreſcunt. Humidior enim propter flexum, vt deſumatur, neceſſe eſt. Sic enim compacta, extra terram fidelior eſt, & in mare protracta, imbibito humore vndiq; ſeſe protinùs, rimis omnibus coadunatis comprimit. Cauendum itaq; ne exareſcat. Tunc enim gluten aſpernatur, aut non æquè recipit. In Ægypto, & Syria Reges inopia abietis, cedro ad claſſes firmiter vſi. Eſt autem in ea circa Amexiam vrbem, cedri ferax regio, ex qua materies ad ædificandas naues ſcindatur: & ob eam cauſam Antonius eam Cleopatræ dedit. Ex cypreſſo, Vegetio autore, & Ariſtotele, Ariſtobolo, atq; Arriano, in Syria fieri naues, vulgatum, alterius materiei inopia. Alexandri Magni comites in Tylo, maris rubri inſula, arbores eſſe retulerunt, ex quibus naues componerent, quæ pluſquam ducentis annis, tametſi mergerentur, ab omni offenſa incorruptæ durarent. Extra verò aquam diuturnæ ſunt, ſed non tantundem: ocyus enim putteſcunt. Germaniæ prædones, ſingulis cauatis arboribus, antiquitus nauigabant. Quarum quædam triginta homines ferebant. Quas F. Pompeius, nauia vocat. Scribit etiam Strabo Baſtenatos, qui & Baſtuli, Italiæ populos vſq; ad Bruti aduentum, lintribus vſos fuiſſe, vno ligno cauatis, quas monoxyla vocarent. At nunc Indi talibus nauibus vtuntur, quas canoas vocant.

Naues ex virgultis & alijs. Et quòd in genere nauigiorum ſit materiei delectus. Et quòd una eademq́; nauis, ex pluribus lignis fiat, & de nauium membris.

CAP. IIII.

NAVIVM autem neceſſitas eò homines deduxit, vt deficiente alia materie, è virgultis & alijs rebus, miro ĩngenio naues & ſcaphulas compingere coëgerit, vnde protractum adagium, ἐπὶ ῥιπὸς τὸν αἰγαῖον διαπλεῦσαι. Virgultea ſcaphula Ægeum tranſmittere. De eo dicitur, qui leui opera, arduum opus peragere tentat. De quo Lucianus in ſectis philoſophorum: è ſcyrpo, & papyro Ægyptij naues conſtruunt. Lucanus:

Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro. *Lucan. lib. 4.*

Ijdem naues onerarias è ſpina conficiunt, quæ ſimilis loto ex Cyrenea,

quæ

quæ gummi fluit. Ligna verò concidunt magnitudine cubitali, ad inſtar operis lateritij compingentes. Introrſum compages, iunco innectunt. Indi ſingula nauigia, ſingulis arundinis internodijs, faciunt. Qui verò noſtra tempeſtate apud eos nauigarunt, è palmarum folijs, abſq; vllo ferramento, eos contexere naues affirmarunt. Quarum vela rotunda ſunt, è palmarum viminibus compactæ. Quod genus nauigij iuncas appellant. Eſt & materierum in genere nauigiorum delectus. Triremes enim, atq; longas naues, leuitatis gratia ex abiete faciunt. Sed ex pino etiam, alterius inopes, rotunda tamen. Melius quod non putreſcat, è pino, & picea. Nauibus onerarijs Cyprij pineam atque querneam ſubiungunt, cùm extrahendas ædificant. Pleriq; enim diuturnitati ac firmitati conſulentes, illas ex pluribus generibus concidunt, vt materiei ratio habeatur. Aliam enim proximè terram locant, quæ putredini minùs obnoxia ſit, veluti quercus. Aliam paulò ſuperiùs. Aliam ampliore altitudine. Omninò verò validiorem his locis, quæ magis laborant, vt ruinæ fortiùs reſiſtant, locare conuenit. Carinam quidam ex quercu, vlmo, fraxino, moro, ſtatuunt: vt cum in terram attrahatur, reſiſtere poſſit. Ex his etiam teſtudinem, auriculasq; fabrefaciunt. Porrò hæc valida eſſe oportet. Ex abiete autem ac larice, quòd excelſiores, rectiſſimæq; ſint: antemnas, & malos faciunt. Malum enim ex abiete Homerus in naui, qua Telemachus Pylum nauigauit, ſtatuit ἱςὸν δ' εἰλάτινον κοίλης ἔντοσθε μεσόδμης ςῆσαν ἀείραντες. Hercules apud Apollonium Rhodium, libro primo ad remum abietem euulſit. Quæ tunicas ad inſtar cepæ multiplices habent, ad remos, vt validi ſint, auferre oportet. Aliàs infirmi erunt. Secta ſtatim materies, non mittatur in naues. Diuiſæ enim in tabulas arbores, ad maiorem ſiccitatem mereri debent inducias. Nam quæ virides compinguntur, cùm natiuum humorem exudauerint, contrahuntur, ac rimas faciunt latiores: quò nauigantibus nihil periculoſius. Strabo Veneros puppes celſas, proras item, & omnia tabulata, è querna materie fabricare dicit. Vltimum addendum arbitror, vt & ſi naualia propriè loca ſint, vbi naues reſideant, Vergilius tamen pro materie, ex qua naues conſtruerentur, poſuit, è Græco transferens. Nam Homerus νηὸν, nauale lignum dicit. Ille autem ſic in vndecimo ſuæ Æneidos ait:

- Iacet omnis ad vndam
Materies: ipſi numerumq;, modumq; carinis
Præcipiant: nos æra, manus, naualia demus.

Materies menſarum, & de iuglandis materie, & trapezophoro. CAP. V.

SI cuiuſquàm materiei ad vnumquodq; opus, ſelectus tam apud antiquos, quàm nunc apud nos quoq; vnquàm habitus fuerit, diligentiſſimus verò erga menſas ipſas. Non abſq; ratione, vt potè quibus magis, præter cætera inſtrumenta neceſſariò vtamur. In his enim cœnamus, incumbimus, ſuper his ſcribimus, confabulamur, diſputatiónesq; noſtras habemus,

mus, & ſtudia noſtra ferè omnia ſtatuimus, & ſæpe de rebus diuinis, ac humanis conferimus, rationemq; cùm priuati, tum publici acceptorum latorumq; habemus. Nec aliud neceſſarium magis inſtrumentum. Sine quarum vſu tanquàm beſtiæ ſupra terram indecorè eſitaremus, biberemus. Eminentiori prætereà, ac nobiliori domus totius loco locantur: vt illas frequentiùs inſpiciamus. Nec mirum, ſi apud antiquos, & nunc apud nos, illarum exquiſita lauticies ſit. E iuglande enim in Gallia ornatiſſimæ fiunt: quò verò nigriore materie, & crebrioribus venis intercurſantibus cernuntur, eò pretioſiores habentur. Quas etiam oleo ex eius nuce madefaciunt, vt nitidiores, lucidioresq́; ſint. Et vt de eius materiei præſtantia vno in loco dicam, nulla alia (cedrum, cupreſſum, citrum, hebenum, & alias raras, ſemper excipio) ſiue operum elegantia, ac facilitate, magis laudata, nec quæ ad tot opera vtiliter requiſita ſit: vt quæ nullum ſiue torno, ſiue tonſura, artificium recuſet. Nec quæ item magis ſubtiliora opera exprimat. Siquidem in picturas, & omnes rerum imagines, molli, & abſq; rimis materie, ductili opere, & breui filo patefacit. Glutinis verò patientiſsima. Ex acere autē eximiæ habitæ, quæ ob id acernæ dictæ ſunt. Horat.

His vbi ſublatis puer altè cinctus acernam — *Lib. Serm. 2.*
Cauſape purpureo menſam pertersit.

Ægyptij autem menſas, & huiuſcemodi ſelectiſsima opera, è perſea ſibipſis faciunt. Apud quos quidem arbor hæc ſatis honorata, & materie robuſta, atro colore, & viſu decora. Ex trogete etiam fiebant: ob materiei raritatem, & firmitatem laudatiſsimæ. Iulius Pollux, principibus, è myrto apponi ſolere ſcribit. Nunc etiam apud nos, exteraſq; gentes è cupreſſu fiunt, tum ob odoris, tum diuturnitatis præſtantiam. Laconibus è robore fuerunt. Sciſsima ad menſas idonea. Aduehuntur è Germania apud nos è fraxineis radicibus: quæ ob varias, atq; incurſantes venas, quas vulgus madratas paſsim appellat, ſpectabiles, cum alterius circum materiei prætextura. Menſis verò, vt generaliùs de his, atq; earum materie loquar, præcipua dos in vena eſt, criſpis, vel in vertice varijs, oblongo illud venit diſcurſu: quæ ideò à tigride animali, tigrinæ appellatæ. Quo in torto, à panthera, pantherinæ. Sunt & vndatim criſpæ, gratia tamen maiori, ſi pauonum caudæ oculos imitentur. Magna verò poſt has gratia, extra prædicta criſpis, veluti grani denſa congerie. Quas ob id à ſimilitudine, apiatas vocant. Summa omnium in colore. Hic autem placet maximè mulſi, ſuis venis refulgens. Poſt hoc amplitudo, tum totius caudicis, vt eò pretioſiores ſint, quò ampliores. In vna quoq; menſa plura vitia iuuant. Antiquitus fiſsis arboribus, menſarum genera circinabantur, cùm alioqui, vena in orbem cæſa, fragilis foret. Poſtquàm enim in toris cœnare ceſſatum eſt, menſæ fabricatæ, quadratæ primùm, poſteà orbiculatæ. Menſa autem olim, autore Athenæo, trium pedum, vnde & τρίποδα dictum. Græcæ menſæ δευτέραι τράπεζαι, μεταδόρπια. dicitur τράπεζα propriè menſa nummulariorum. hinc τραπεζίτης, qui monetæ permutandæ præeſt. Trapezophorum de quo Florentinus Iuriſconſultus in Digeſtis, ac titulo de ſupellectili legata, menſarum pretioſarum repoſitorium, τραπεζοκόμος

Latinis ſtructor. De quo Martialis:

Et quæ non egeant ferro ſtructoris Ofellæ.

ἐπιτραπεζώματα Græci vocant obſonia menſis impoſita.

De citrinis menſis, & pretio illarum. CAP. VI.

ROMANORVM circa menſas citrinas inſania fuit, inde pretium, vt fœminæ viris, contra margaritarum luxum regeſſerint. De pretio nonnulla ex Plinio. Extant (inquit) hodie M. Ciceronis in illa paupertate, &, quod magis mirum eſt, illo æuo, empta ſeſtertijs decem. Memorantur & Galli Aſinij, vndecim ſeſtertijs venundatæ. Sunt & duæ à Iuba Rege pendentes, quarum alteri pretium fuit ſeſtertijs XII. alteri paulò minùs. Interijt nuper incendio attegijs deſcendens ſeſtertijs XIIII. permutata latifundij taxatione, ſi quis prædia tanti mercari malit. Magnitudo ampliſſima adhuc fuit vnius commiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus, à Rege Mauritaniæ Ptolemæo, quatuor pedum & ſemipedis per medium ambitum, craſſitudine quadrantali. Maiusq; miraculum in ea eſt artis, latente iunctura, quàm potuiſſet eſſe natura ſolidæ. Item à Nomio Tiberij Cæſaris liberto cognomen trahentis, tribus ſicilicis infra quatuor pedes, totidemq; infra ſemipedem craſſitudinis. Qua in re non omittendum videtur, Tiberio principi menſam quatuor pedes ſextante & ſicilico excedentem, tota verò craſſitudine ſeſcunciali, operimento laminæ veſtitam fuiſſe, cùm tam opima Nomio liberto eius eſſet, cuius materia erat tuber. Cicero ſexta in Verrem: tu maximam, & pulcherrimam menſam citream à Q. Lutadio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio à L. Sylla ciuis Romanus eſt, omnibus ſcientibus Lilybæi abſtuliſti. Idem alibi: Quingentis millibus orbem ſibi emit. Hæc Cicero. Plinius ad verbum, vtriq; hic apertè ille recriminatione primo exemplo, vt nullis autoribus, quos ipſe legerim meminerim, illarum pretium augere valuerim. Verùm quare id auctus Romanis? præter illorum diuitias, quæ illis totius orbis ex manubijs fuere nunc videndum. Primùm materiei raritas, ac ſenium: poſteà verò regionis diſtantia: apud Atlantem enim Mauritaniæ montem perquirebantur. Quod teſtatur Valerius Martialis, his verbis,

Lib. 14. *Accipe fœlices Atlantica munera ſyluas:*
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Ibidem de dentibus eboreis loquens:

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris
An Libycas poſſint ſuſtinuiſſe trabes?

Illæ rotundæ fuerũt, vt ab eodem poëta periphraſticos orbes appellentur:

Vt Mauri Libycis centum ſtent dentibus orbes. Lucanus:

- Sectosq́ Atlantide ſylua
Impoſuere orbes, qualis ad Cæſaris ora,
Nec capto veniere Iuba.- Non defuere etiam poëtæ, qui tam grandem luxum ſuis verſibus deteſtarentur, maximè Satyrici: quorum profeſſio fuit, crimina inſectari. Inter quos vnus Iuuenalis:

Illa

Illa domi natas, noſtraq́ ex arbore menſas *Satyra 11.*
Tempora viderunt: hos lignum ſtabat in vſus,
Annoſam ſi fortè nucem deiecerat Eurus. Lucanus:
Sed penitus terra eſt: tantùm Mauruſia genti *Lucan.lib.9.*
Robora diuitiæ, quarum non nouerat vſum:
Sed citri contenta comis viuebat, & vmbra.
In nemus ignotum noſtræ venere ſecures,
Extremoq́ epulas, menſasq́ petiuimus orbe. Et idem libro primo:
- Menſasq́ priores Aſpernata fames.- *Lucan.lib.1.*

Seneca etiam dum ſui temporis luxuriam deteſtatus eſt, quòd citri radices inſanis licitarentur pretijs ad menſarum, & lectorum ornamenra. Multi eas è citro fuiſſe arbitrantur. Quidam tamen contrà, quòd citri materies menſarum amplitudinis minimè capax ſit. Verior opinio, vt non è citro, quæ citrea fert, verùm ex alia eiuſdem generis, quæ in Anchoracio monte citerioris Mauritaniæ, & Atlante naſcitur. De citrinis menſis meminit etiam Iuriſconſultus Paulus libro vigeſimo Digeſtorum. Fuere etiam ex aliena materie, ſi non tantum, multum tamen pretioſæ, vt vnuſquiſq; iuxta eius poteſtatem ſibi ditiores comparauerit. E bruſco etiam fabrefactæ cum citrinis de pretioſitate certarunt: non tam raritate, quàm materiei vel ſoliditate, vel diuturnitate, nigreſcente colore. Quingentos tripodas Nero habuit è cedro (vt Dion in eius vita ſcribit) pedibus eburneis, inter ſe pares, ac ſimiles, in quibus cœnitabat.

De materie portarum, ſubſelliorum, & poculorum.

CAP. VII.

MENSAS ſequuntur alia inſtrumenta domeſtica. Primò portæ, quibus pretium menſarum, à furum inſidijs & vigilijs nobis reſeruamus. Vlmo vtuntur ad latiores fores. Rigorē enim fortiſſimè ſeruat. Ob id etiam cardinibus, aſſamentisq; portarum vtiliſſima: quoniam torquetur minime. Permutanda tamen: vt cacumen ab inferiore parte ſit, radix verò ſuperior. Laudantur nunc portæ, quæ è iuglande fiunt: Arcium verò è populo, quòd hæ ictūs firmiſſimè ſuſtineant, nec ſe in fiſſuras laxant: vt minùs facilè effringi poſſint, præſertim ab his minutioribus orbiculis, è tormentis vulcanalibus eiaculatis, vt quæ veſtigium foraminis paulò amplius quàm orbis capacitatem ſua lentitia relinquat. Quod ſecus in cætera materie, ſua firmitate eſt, ea per fruſtra diſſipata. Cardines etiam ex immatura olea in foribus diutiùs inuenti. M. Cato vectes aquifolios, laureos, vlmeosq;, & iligneos, fieri iubet. Fagus valuarum repagulis, & ad quæcunq; libeat inteſtina opera, aptiſſima, ſiue, vt Plinius ait, Græco, ſiue Campano, ſiue Siculo, artis genere, ſpectabilis, ramentorumq; crinibus pampinato, ſemper orbe ſe voluens, ad imitandos roncinarum captus. Sciſſima ad multa perutilis: ad ſubſellia, & lectos: ad illa etiam taxus aptiſsima. Apud Pollucem ſcabellum iligneum legitur, & lectica. Pallas apud Vergilium Æneam ſolio inuitat acerno. Lectos verò Homerus Helenæ & Calypſus

ex thya deſcripſit. E ſalice etiam facti, ſed qui non eſſent pretioſi. Ouidius in ſua Metamorphoſi:

Metam.lib.8. *- Lecto non indignanda ſaligno.*

Mitio apud Terentium in Adelphis, lectulos quibus ineſſent pedes ilignei, faciendos dedit. Apud Theocritum autorem Græcum, lectos e cupreſſu fabrefactos inuenio. Pocula autem olim, ſicut & hodie, è fago facta. Ouidius vbi ſuprà:

- Fabricataq́ fago Pocula. Et Vergilianus paſtor ait:

Ecloga 3. *(Inſanire libet quoniam tibi) pocula ponam*
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Gutti etiam ex ea materie. Quo genere vaſorum antiqui ad ſacrificia vſi. Vnde M. Curius ille iurauit, è præda ſe nil aliud attigiſſe, præter faginum guttum, quo litaret. Euripides autem in Alceſte, & in Cyclope crateris hederacei & cyathi meminit. Quod maximè conuenit, ad comprobandum, autore M. Catone, an vinum aqua ſit permiſtum. Nunc è buxo, verùm non ita capaces atq; è cupreſſo, & alia materie, cui ineſt ſoliditas. Vas autem, in quo ſal terebatur, è buxo antiquitus fuit, inquiente Polluce Babylonij ex arundinibus varia genera vaſorum contexuere, quæ etiam liquida continerent.

De materie reliquorum inſtrumentorum domeſticorum & tornatili. CAP. VII.

RELIQVA inſtrumenta proſequamur: vt arcas, capſas, & ſcrinia: quibus vtilis materies taxi, fagi, & tiliæ. Quare Columella arculas tiliaceas laudauit. Romæ in foro Boario, iuxta Fortunæ proſperæ ædes, olea fuit, ex qua mel fluxiſſe perhibent. Quod in bonam partem aruſpices duxerunt. Quorum etiam iuſſu arca fabricata, in qua conditæ poſteà ſortes fuerunt, quæ Fortunæ monitu, pueri manu miſcerentur, atq; ducerentur. E buxo [illegible] veluti & hodie, pectines fiebant. Iuuenalis:

Satyra 14. *Sed caput intactum buxo.-* Martialis:

Mart.lib.14. *Multifido buxus quæ tibi dente datur.*

E ſambuco baculos tenues faciunt, quoniam ſiccata leuis ſit. Ad quos etiam & celaſtri vſus. Quidam etiam laurum addunt. Seniles ex hac pulchros, ac tenues facientes. E pini etiam. Ouid. in Metamorphoſi:

Metam.13. *Cui poſtquàm pinus, baculi quæ præbuit vſum.*

De Cyclope loquitur. Eo etiam autore, Iouis gregem Admeti Regis paſcentis baculus ex oleaſtro fuit.

Metam.2. *Illud erat tempus, quo te paſtoria pellis*
Texit, onus dextræ baculus ſylueſtris oliuæ.

Sunt inſuper & parui vſus, vt ad fabrilium inſtrumentorum manubria, quædam inſignes. Ideò proditum terebris, ac cotibus quædam aptiores, vt pyrus, ſorbus, iuglans, prunus. Vaginas etiam e buxo, oleaſtro, ilice, vlmo, fraxino vtiliſsimas fieri, malleosq; ſed maiores ex pinu & ilice firmitatis cauſa. Cerdones è pyro ſylueſtri. Laniones è populo ſi [illegible] ſuas tabulas

bulas præparant. Caſtanea vinciendis corbibus apta. Tilias læues Vergilius in ſecundo Georgicorum dicit, ideò ad menſuras fabriles apta. Ad multos vſus apud priſcos tornatilis materies fuit, ſed nunc quoq; magis: quando nulla domeſtica opera, præſertim quæ elegantiora deſideramus, ſine torno confici conſtet. Nec enim lecti, nec menſæ, ſubſellia quoq;, & abaci, ſcrinia, & ferè omnia eo carent. Voluptatis etiam plurima tenuiſsima fiunt. Torno autem materies probatur: cui non omnis apta eſt, verùm ea tantùm, quæ prædura, atq; ſolida, & minimè criſpa, cuiuſmodi buxi eſt, vt nulla alia torno vtilior, præſtantiórve. Quare Vergilius,

- Aut torno raſile buxum.

Antiquitus veteres in buxo elementa formabant, ad pueros literis imbuendos. Et hæc tabula pyxion dicebatur, Herodoto deltion. Pictores etiam artem in buxo docebant. Liquidis medicamentis è buxo etiam pyxides fiunt. Quod maxime Dioſcorides probat. Quæ quia frequentiùs in ea materie fieri ſolitæ ſint, ſic vocantur. Celebratur apud antiquos Tericles, calices torno è terebintho ſolitus facere, qui ex autoris nomine Tericlei appellarentur, autore Polluce. Quemadmodum Antigonides, Seleucides, quibus Antigonus & Seleucus nomina dederunt. Plutarchus autor in Æmilio. Et vt ad iuuenilia, & puerilia opera deſcendamus, Turbo in oui ſimilitudinem tornatus, è buxo apud antiquos fuit. Perſius:

Neu quis callidior buxum torquere flagello. Satyra 3.

Et Tibullus non vt materiam exprimat:

Nanq; agor, vt per plana citus ſola verbere turbo, Tibullus lib. 1. eleg. 5.
Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

Materies etiam artium proprijs redditur, vt abietis ad tabulás pictorias, portulaca mulieribus, ad opus textrinum.

De fiſtularum apud antiquos ratione. CAP. IX.

NVNC de fiſtulis, quæ maximè opere tornatili, fiunt, è buxo ſcilicet, & pruno, pyro, ac lauro, & nonnullis alijs. Ex buxo autem primò Thuſcorum ſacrificæ fuerunt, quod inuenerunt Phryges. Ludicræ verò ex loto arbore apud Libycos. Ex arundine tamen primùm omnis generis fabricatæ, minori arte, Natura fere omne id præbente, ac ſine torno. Præſertim vero ex his arundinibus, quæ ex Orchomeno lacu (vt ait Plutarchus) naſcerentur. Quarum certe ratio non minima a Theophraſto habita, neque item negligenter, vt tempus has cædendi, ſecundum varias ætates tractauerit: & præparationem deſcripſerit, fabricamq; docuerit, ac ſociandi artem tetigerit. Quod ſi integram per talia monimenta licuiſſet, vt ex eius ſcriptis manifeſtò appareat quam celebratiſsimus illarum apud priſcos, maximè Græcos, vſus fuerit. Sed iam eum audire non pigebit. Tametſi huiuſce materiei erga illas vſus deſitus ſit, verùm vt priſcorum erga eas, ſicut & cæteras res, mos dignoſcatur. Fuit autem cædendi vſque ad Antigenidem tempeſtiuius tempus. Cùm adhuc ſimpliciùs tibia vterentur, ſub Arcturo, menſe Septembri. Sic enim cæſæ pluribus pòſt annis

vtiles erant. Multaq; interim ſonandi exercitatione indigebant. Tunc ora comprimi, ac linguam neceſſe foret. Quòd ad theatrorum mores, illis vtilius erat. At poſtquàm varietas & fictio acceſſit, cæſura immutata eſt: vt tempore Theophraſti, Maio & Iunio menſe, quaſi paulò ante ſolſtitium, vel in ipſo ſolſtitio, cæſæ ſunt: vt hac ratione poſt trimatum vtiles fierent, atq; breuiori exercitatione egerent, vt & linguas diſiectu deflecterent. Quod neceſſarium foret his, qui ſonos effingerent. Hoc enim modo præparabantur. Collectas enim hyeme ſub diuo ſuis veſtitam tunicis, reponebant: quibus ſequenti Vere expoliatis, atq; attritu expurgatis, ſolo expandunt. Æſtate poſthac, per internodia conciſam rurſus ſub diuo ad aliquod tempus exponunt, relicto internodiorum ſuperiori geniculo. His longitudo palmo nunquam minor. Optima ex internodijs media totius arundinis molliſſima paria gerunt, quæ aduerſum germina exeunt: duriſſima, quæ proxima radici habentur. Linguas autem eodem internodio exemptas habere congruit. Cæteris eſſe diſcordes. Proximam à radice læuam manum poni. Dextra germina verſus pateat, diuiſo in duas partes internodio. Os linguæ vtriuſque ſecundum calami inciſuram faciunt. Et ſi quo alio modo linguæ conficiantur, non ſatis ea congruere. Hæc Theophraſtus. Ad verbum, propiùs, vt potui, tranſlatus. Qui quia illarum vſus nobis minimè cognitus, non niſi difficilis eſſe nobis poteſt, imò ferè impoſſibilis, & minimè neceſſarius. Quidam tamen primùm ex gruum tibijs factas autumant. Vnde tibialis calamus dictus, quem auleticon appellant. Qui tibias conficit, Græcè (inquiente Polluce) ἀυλοποιὸς dicitur. Et tibiarum theca, συβήνη. Tornatores, qui tornarent etiam diatretarij dicti, quoniam διατϱέω laborare torno ſignificat. Vnde apud Vlpianum Iuriſconſultum calix diatretus, id eſt, tornatus. Rhizotomi radicum ſectores ſunt.

Quæ materies inſtrumentis ruſticis apta ſit. CAP. X.

HABET enim vnumquodq; artificij genus ſua inſtrumenta ſibi perneceſſaria, & peculiaria: ſine quibus illud vtiliter, & aptè perfici minimè poteſt, vt de nonnullis iam ſupra oſtenſum. Sed inter omnes agricolatio, quæ ſine ſuis inſtrumentis rectè, ac proſperè perfici poteſt nequaquam. Vt conſequens ſit, poſt ædificia, poſt naues, poſt domeſtica inſtrumenta, de ipſis diſſerere. Ad quæ etiam, ſicuti ad cætera ſupradicta, quædam vtilis, ac perneceſſaria materies eſt. Verùm non vt vnum quodque inſtrumentum, ſuum arboris genus ſibijpſi affectet. Nam quædam, imo etiam plura adeò nobili natura reperiũtur, quæ pluribus operibus inſeruiãt, & famulentur, pluribus item rebus accõmodentur: veluti ſunt abies, fraxinus, robur, tilia, iuglans. At quædã tantùm vni, aut alteri, ſed vſqueadeò vtiliter, vt cæteris ad id omnino ſint præſtantiores, vt hoc ſolo aliarum multifariam vſus vincant: ne Natura eas abſq; aliquo beneficio procreaſſe videatur. Et vti rem iam aggrediamur, M. Cato hominum in omni vſu ſummus, prælum è ſapino atra potiſſimum faciendum præcipit. Ad quod, & ad torcularia

etiam

etiam vtilis vlmus. Trapetum verò ex materie vel fraxinea, vel vlmea. Hæc antem, & quercus ad dolia vtiliſſimæ: picea verò ad cupas, & pauca alia ſecamenta. Caprificum viridem rotarum radijs vtilem fore, teſtis eſt in Iliade Homerus. Cornus lignum non alio penè, quàm ad rotarum radios, vſu, aut ſi quid cuneandum ſit, clauiſq; figẽdum, ceu ferreis. Ilex, & fagus, fida his, quæ teruntur, vt rotarum axibus, quibus & fagus. Vergilius:

Pòſt valido nitens ſub pondere faginus axis. Georg. 3.

Ad rotas etiam lentore, fraxinus vtilis, ſicut duritie ilex, & vtraque legitur vlmus. Axibus buxus. Vlmus ad carpentarium opus, verùm mediocriter, quadrigarum operis firmiſſima. Sciſſima, ad plauſtrorum, vectabulorumq; vilem fabricam. Ilici honos ad bigarum iuga, & iumentorum, acer & carpinus. Illa in totum operum ſimplicioribus cæditur. Buxus ad burim aratris. De aratro ſic Vergilius:

Continuò in ſyluis magna vi flexa domatur Georg. 1.
In burim, & curui formam accipit vlmus aratri. Et paulò pòſt:
Cæditur & tilia antè, iugo leuis, altaq; fagus,
Stiuaq;, quæ currus à tergo torqueat imos.

Ex ilice canalia fiunt, in quibus greges in ſtabulis adaquentur. Vergilius:

- Aut alta greges ad ſtagna ſubeto Georg. 3.
Currentem ilignis potare canalibus vndam.

De quibus Columella in ſeptimo. Manubria, puta bipaliorum, ſarculorum, & cæterorum huiuſmodi inſtrumentorum, optimè ex ilice, carpino, poſt hæc ex fraxino. Hyginus cerrum addit. Securis verò manubrium quam Vlyſſi Calypſo dedit (ſcribente Homero) oleaginnm fuit. Cupreſſi vtrunq; genus, mittitur in aſſeres, perticáſve, annua ramorum putatione: qui tredecim denarijs ſinguli, autore Plinio, venirent, vt iam ſuprà diximus. Ficulnea F. Pompeio palus ficulnus. Vacerræ clatrorum genus, ex robore, quercu, vel ſubere. Furcas fœnarias, & raſtros è corylo conficiunt: Raſtri verò anteriorem partem, & dentes, è fraxino, expoſcentes duriorem materiem. Ficus enim, ſalix, tilia, ſambucus, vtraq; populus, omnes ad ciſtas. Quæq; facili cratere conſtant, habentq; in candore & rigorem. Moro autem, & caprifico, primatus in dubio datur. Quamobrem circos, forculas, deniq; quæcunq; ornamento fieri ſolent, hiſce conficiunt. Salix, vimen, & eiuſdem generis omnia, ad caniſtra, quallos, corbes, & vaſa: qualia Ceres aliquando demonſtraſſe fertur. Ad legendum enim oleam, vimina matura, & ſalices per tempus legi debent: vti ſint vnde corbulæ nouæ fiant, & veteres ſarciantur. Ex alno vaſcula ad cotes fœnarias continendas, & adaquandas cauantur. Vnum ciſtæ genus è cannis fiebat, vt mulier, quæ illud portaret, cannephora diceretur, autore Feſto: cuius meminit Cicero ſexta in Verrem actione. Ruſtica autem inſtrumenta ἐργαλεῖα, γεωργικὰ Græcè dicuntur.

De militaribus inſtrumentis, de Demetrio Rege Macedoniæ, & Achillis haſta. CAP. XL

Bene

BENE erit vt inter lignea inſtrumenta de militaribus vltimò dicámus:vt ſedem ſibi minùs dignam optima ratione vendicent,tanquàm non neceſſaria,ſed generi humano pernicioſa: vt hac ratione natura generi humano nouerca eſſe perhibeatur:quæ ea genuerit,quibus homines,& vnum genus inuicem noceant,& exitium ſibi præparent.Nec ipſe Demetrius Antigoni Regis filius,atq; Macedoniæ Rex,ac Imperator egregius,Poliorcetes ab vrbium ruinis cognomen malo euentu meruiſſet, ſi ab his abſtinuiſſet. Is enim ad bella,ac cædes natus,& rei militaris ſtudio incenſus,in præparandis machinis,& claſſicis,ac caſtrenſibus,& cæteris omnibus militaribus inſtrumentis, adeò diligens fuit, vt hac re omnes, qui ante eum fuerunt, longè antecelluerit. Ad quam verò rem incredibili arte, curaq; peruigili vſus eſt, cæſa ingenti, quotiens in expeditiones neceſſum fuit, materiei copia,vt non impenſa modò,verùm etiam manu regis opera viderentur,& iudicarétur, vt Plutarchus in illius vita & Ammianus dicunt, eius opera magnitudine ſua etiam amicis ſtuporem, pulchritudine verò etiam hoſtibus & delectationem afferrent. Quod Lyſimacho eueniſſe tradunt: qui tametſi ſupra alios reges inimicus eſſet Demetrio, Solos in Cilicia obſidenti petijt, vt ſibi liceret machinas, eiuſq; naues inſpicere, quod benignè conceſſit,omniaq; opera inſpexit.Quo ſpectaculo & magnitudine & pulchritudine adeò ſtupefactus, vt ei viſa ſint, non humano,ſed diuino ingenio condita. Ad ea verò Tellenone,& Heliopoli vſus. Nunc de fraxino,quæ ad militaria inſtrumenta præcipua eſt,ſui firmitate, & pectinum rectitudine, haſtis maximè accommodata. Quod & poëtæ ipſi teſtantur. Statius in Thebaide:

- En infandos belli potura cruores: Fraxinus.- Ouidius etiam:
- Et fraxinus vtilis haſtis. Ex fraxino autem Achillis haſta fuit, præcone Homero memorabilis, πηλιὰς dicta, de qua ſic Iliados, π

ἀλλά μιν οἶος ἐπίςατο πῆλαι ἀχιλλεύς.
πηλιάδα μελίλω τὴν πατρὶ φίλῳ πόρε χείρων
πηλίου ἐκ κορυφῆς, φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν.

Philoſtratus in heroidibus, ex fraxino etiam eam fuiſſe autumat, ſcilicet longitudine,quæ nulli aliæ haſtæ. Cuius lignum adeò rectum erat,adeoq; validum, vt minimè frangi poſſet. Fingunt poëtæ Pelei & Thetidis nuptias in Pelio monte Theſſaliæ celebratas fuiſſe:ad quas Dij Deæq; omnes inuitati,ſinguli Peleo dona dedere. Chiron enim florentem fraxinum in eo monte deſectã,ex qua haſta fabricata quæ πηλιὰς μελίη dicta.Hanc autem Minerua expoliuit: Vulcanus abſoluit. Peleus Rex hanc portauit, & poſt eum eius filius Achilles. Cuſpidis autem acies ex adamante quæ omnia penetraret, omniaq; deſpiceret, obductaq; etiam vtrinq;, ex orichalco,vti tota fulgens conſpiceretur.Fuit poſtmodum Pharſalide,in Mineruæ templo ſuſpenſa. In Laconicis Pauſanias.

De materie ad cætera militaria inſtrumenta.

CAP. XII.

CORNVS

CORNVS etiam haſtis accommoda. Vergilius:
- Et denſis haſtilibus horrida cornus. Alibi:
At myrtus validis haſtilibus: & bona bello Georg. 2.
Cornus.- Et idem:
Cornea bina ferunt præfixa haſtilia ferro. Idem: Aen. 5.
- Et aduerſos telum contorſit in hoſtes
Procurrens, ſonitum dat ſtridula cornus.- Claudianus: Aen. 12.
- Bellis accommoda cornus. De myrto etiam ille:
Et paſtoralem præfixa cuſpide myrtum Gerit.-
Colurna F. Pompeio haſtilia dicuntur, quæ ex cor[illegible]o facta ſunt. Ea potiùs dicito, quæ ex corylo: quum autores eam haſtis vtilem ſcribant. Et ſi liceat ad bella, quæ cum animalibus fiunt, deſcendere, cornus venabulis nitet inciſuris notata, propter decorem. Præferunt tamen quæ ex ſambuco fiunt. Nam interiora mirè firma traduntur. Ex abiete etiam haſta olim fabricata fuit. Vergilius: *- Cuius apertum* Aen. 12.
Aduerſi longa tranſuerberat abiete pectus.
Hodie cataphracti Galli milites ex hac gerunt. Nam materiei leuitate in hoſtem illam rectiùs dirigunt, non aberrante ictu. Meloas, Feſto, haſta eſt, ex mali materie. Autore enim Vergilio,
- Ithyreos taxi torquentur in arcus. Georg. 2.
Bactrij autem, Indi, & Caſpij, qui in expeditione Græca ſub Xerxe meruerunt, arcubus arundineis vſi ſunt. Æthiopes etiam, in eodem bello, arcubus ex palmarum ſpatis confectis, & ſagittis arundineis: quod vltimum Vergilius apud Italos fuiſſe ſcribit:
- Perq; ilia venit arundo. Horatius in Odis: Aen. 7.
- Et calami ſpicula Gnoſij Vitabis.-
Herculis claua ex oleaſtro fuit, quam apud Saronidem ex oleaſtro deſecuiſſe Pauſanias tradit, poſteà in Trœzene, apud Mercurij ſtatuam repoſuit: dicta eſt πολύγιος. Aquaticis autem arboribus lentiſſima materies, ideoq; ſcutis faciundis aptiſſima: quorum plaga protinus ſe contrahit, vulnusq; ſuum claudit, vt ferrum contumaciùs retineat, nec facilè reuelli poſſit, non ſine quandoq; iaculantis periculo. In quo etiam genere erunt ficus, populus, betula, ſambucus. Apud Thucydidem ſcuta fuerunt viminea. Autor eſt etiam Salluſtius, referente Seruio, Lucanos Italiæ populos ex vimine ſcuta fabricare ſolitos, quæ poſteà corijs integerent. Vnde Vergilius, Vmbrorum crates, Sudes præuſta. Ex qua enim Vlyſſes Polyphemo transfixit oculum, ex olea fuit, ſcribentibus Homero, & Euripide. Arietem optimum ex abiete fieri, Ammianus ſcribit.

De Tinctura ex arboribus, & de corticum vſu.

CAP. XIII.

EX materie pannorum, & cæterarum rerum tincturæ vſus, & corticum famulatus. Tingendis etenim veſtibus geniſtæ naſcuntur, Vacinium quoq;, & nunc nouum ligni genus, breſilum. Apud Allobrogas, atq; in locis arduis & aſperis, & prope

oppidum Creccum nuncupatum, arboris quoddam genus naſcitur, quod incolæ fuſtellum vocant: humile quidem, ac retorridum,ſicuti ex eius materie deprehenditur: intus croceum, & ad hunc colorem, ad exteros magna copia, magnoq́; pretio longè, nauigijs etiam integris tranſportatum, & terreſtribus itineribus tranſuectum. Arboris autem integram figuram nunquam videre mihi licuit,ſed tantum lignum,etiam excorticatum,vt intrinſecus ſolum colorem nouerim, nec florem, nec fructum vidi,vt cognoſcere aut ſaltem ratiocinari quænam arbos,apud antiquos fuerit, ánne aliud arboris genus priſcis ignotum. Eſt & arborum cortex in multis rebus,& plurimis artificum operibus multifario vſui: vt quercinus ad coria ſiue bouina, ſiue vaccina componenda, perneceſſarius. Quem anteà in puluerem redigi oportet: quod molendinis ad hoc fabrefactis faciunt. Ad quem etiam vſum quantò tenuior,tantò præſtantior. Infantium cunæ ex tiliæ cortice fabrefiunt. Funibus etiam is percommodus. Scribit (inquit Plinius) in recenti ad duces explorator,incidens literas ſucco. Alni verò cortice tinctores neceſſariò vtuntur. Fagi autem,abietis, pini agreſtium varius vſus. Nempe ex his corbes,vaſa, patentiora etiam,conuehendis mercibus,vindemijsq́; conuenientiſſima, & tuguriorum prætextis.Sporta vas,quod inter repoſitoria vaſa connumeratur,quaſi fiſcellæ, in quibus cibi in vſum quotidianum dati, ferri conſueuerunt. Cuius diminutiuum ſportella. E folijs palmæ contexi conſueuerunt. Hæc etiam ad funes, vitiliorumq́; nexus conuenientiſſima, & ad capitum leuia vmbracula.Ichthyophagi, quòd piſcibus veſcantur,ſic vocati,è palmarum corticibus retia componũt,quibus piſcentur. Eſt etiamnum & alius foliorum, quàm ad animalium pabulum,vt retulimus, vſus. Lentiſci etiamnum folia coriarijs pellibus conficiendis inſeruiunt.

Quod lignum ad ignem idoneius ſit. CAP. XIIII.

ARBORVM vſus non minimus circa ignem cæteris omnibus longè magis neceſſarius: vt in illarum extremo exitio maximum generis humani beneficium remanſerit, vt anteà illo, quàm ad ædificia, quàm ad nauigia cæteraſq́; omnes res mortales vſi ſint,vt eò finierit commoditas, quò incœperit, vt propter eius vtilitatem, Perſæ (Tyrio Maximo ſcribente) ipſum ignem adorauerint, Diuinitatis hunc tanquam diarium ſignum habere exiſtimantes. Cui verò, cùm ſacrificarent, præbito alimento, [illegible]s verbis vtebantur: EDE IGNIS DOMINE. Quòd vorax inſatiabiliſq́; ſit. Græci (docente Vitruuio) δρυὸς vocabulo omne lignum ſignificant: vnde γεράνδρυον, pro quacunque veteri,& ambuſta arbore accipiunt. Ligna etiam pluratiuo numero Latinè dicimus, quæ comburendi gratia habemus. Martialis:

Lib.13. *Ad villam moneo, ruſtice, ligna feras.* Horatius:

In ſyluam ne ligna feras.

Pro eodem tamen notatu, ſingulari numero Vlpianus Iuriſconſultus in Digeſtis: titulo de legatis tertio, vſus eſt. A legendo autem dictum [illegible]eſte

V[illegible]ne,

Varrone, quòd ea caduca in agro legerentur. Ad ignem omnes arbores idoneæ, aptiores tamen quædam, vt quæ in aridis, & apricis, atq; aquilonijs enatæ ſunt, quàm quæ in humidis, tectis, & auſtrinis: & quæ in montibus quàm quæ in vallibus: & quæ neq; annoſæ, neq; iuueniles ſunt. Et magis quæ natura ipſa calidæ, ac ſicciores ſunt, quàm quæ humidæ. Cuiuſmodi ſunt laurus, & hedera, ac quercus, vt propterea ignis in querno ſtipite accenſus ampliùs caleſcit, quàm ſi in populneo, aut ſaligno. Item oleoſæ. Nam olei natura calida eſt. Quod his verſibus exprimit Vergilius:

Nam ſæpe incautis paſtoribus excidit ignis, Georg. 2.
Qui furtim pingui primùm ſub cortice tectus
Robora comprendit, frondesq; elapſus in altas
Ingentem cælo ſonitum dedit: inde ſecutus
Per ramos victor, perq; alta cacumina regnat
Et totum inuoluit flammis nemus: & ruit atram
Ad cælum picea craſſus caligine nubem.
Præſertim ſi tempeſtas à vertice ſyluis
Incubuit, glomeratq; ferens incendia ventus.

Abies autem, & pinus, pinaſter, ſtibula, picea, teda, & quæ in totum reſinam habent, ad ignem etiam idoneæ, apharca etiam, & corylus. E palmis prunæ viuaces, ignisq; lætus. Nempe reſineæ celeriter accenduntur, & vehementem ex ſe mittunt flammam, non tamen abſq; modica fuligine. Non enim ligna omnia vna vaporatione ignem emittunt. Quædam certè copioſiore obnubiloſioreq; fumo ſunt: contrà alia minore, atque clariùs exhalant iuxta humorum differentias, vt quædam craſſo ſunt, & caliginoſo: vt omnes etiam fumi calore, non tamen magno diſcrimine (quod atri ſint omnes) differant. Et ſi omnium ignis eiuſdem naturæ ſit, calidiùs tamen harum arborum, quas aptiores ad ignem ſuprà diximus: maximeq; in vite, propter vini calidam naturam. Carbonem, quædam repentè expuunt, & longè cum eruptionis crepitu eiaculantur: vt omnes ferè, quæ reſinam ferunt.

De ignarijs, & facibus, & calonibus. CAP. XV.

NVNC de ignarijs, vt lignum ligno ad ignem excipiendum teratur. (Non enim ſemper lapidis occaſio eſt.) Exploratum hoc: vſus in paſtorum caſtris, reperit, vt ignaria ex lignis facerent. Nam omnium rerum colliſio ignem creat. Quod in lapidibus cernere eſt, vel in rotarum attritu, vel in ſyluis arborum. Quod vltimum teſtimonio Cari Lucretij clarum. Sic enim in primo:

At ſæpe in magnis fit montibus (inquit) vt altis Lucret. lib. 1.
Arboribus vicina cacumina ſumma terantur.
Inter ſe, validis facere id cogentibus auſtris,
Donec fulſerunt flammæ fulgore coorto. Idem in quinto:
Multa videmus enim cæleſtibus inſita flammis Lucret. lib. 5.

Fulgere, cùm cœli donauit plaga vapores:
Et ramoſa tamen cùm ventis pulſa vacillans
Aeſtuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammaï feruidus ardor,
Mutua dum inter ſe rami ſtirpesq; teruntur.

Et vt ad ignaria, vnde fluxit ſermo, reuertamur: Teritur lignum ligno, ignemq; concipit attritu, aridi fomitis officio fungens, vel foliorum excipiente materia facillimè conceptum. Sed ad hanc rem hedera nihil præſtantius, quæ lauro teratur, vt Plinius ait, & ante eum Seneca, à quo ille acceperat. Sed generaliùs in omnibus lignis Vitruuius ſcribit. Probatur & vitis ſylueſtris, quæ & lauro teratur. Calidiſſima & tilia, indicium quidem afferens, quòd ferri aciem maximè hebetet. Mneſtor apud Theophraſtum morum addit. Ad excipiendum autem ignem aptiſſima ficus, quia lenta, & corpore rara. Fit enim exinde vt facilè attrahat, nec quicquam dimittat. Olea, quamuis ſpiſſa, pinguisq; ſit, ignarijs tamen inutilis, propter modicum humorem. Cuius calor tametſi corporibus ſalutaris ſit, balneis tamen pernicioſus. Porrò ad diſſoluendas marmorum iuncturas, efficaciter nociuus. Fomites optimi, ex his, quæ celerrimè, largiſſimeq; reſpirant. Optimi enim è nuce. Terebrum verò è lauro faciundum cenſent. Idem pro ſua acrimonia valentiùs reſiſtit, opusq; commodiùs expedit. Alij ex rhamno. Omnino enim ex duriori arbore eſſe oportet, atq; ex his arboribus, quæ ſuprà faciliores ad ignem diximus. Quidam hoc conceptaculum ex diuerſis conſtare oportere volunt: vt alterum efficiendi, alterum patiendi vim habeat. Cæterùm nihil referre, alij arbitrantur, ſi ex eodem vtrunq; conficiatur. Ars ignaria Græcè πυρίον alias ἔγκαυμα, vel ἐμπύρευμα nominatur. Facibus olim familiariſſimæ fuerunt carpinus, & corylus. Nunc vſitatiſsimæ habentur, pini, pinaſtri. Deſiccari multo tempore oportet. Pòſt inferiorem partem fingunt, piceq; illinunt. Antiquitus antequàm candelarum vſus inuentus fuiſſet, ad ignem ligna reſinata vrebant. Quod adhuc faciunt pauperes villatici, apud quos huiuſmodi copia eſt. Apud Homerum, Calypſo ad nocturna lumina cedrum ſiccam odoratam vrit. Quod Vergilius accommodauit:

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Nonnulli de teda intelligunt. κάλον Græce lignum dicitur, vnde καλοπόδια, calcei lignei, & claſsis ἀπὸ τῶν κάλων, id eſt, à lignis dicta. Id eſt, fuſtis, ſiue claua lignea. Lucilius:

Scinde calam, puer, vt caleas.

Calones etiam dicebantur, autore Seruio, qui lignum militibus portarent. Apud Horatium nonnulli à calendo dictos volunt, vel à Calendis, quòd ea die cibaria accipiant. Porphyrius dici putat, quòd frequenter aduocetur.

De larice, et Larigno oppido à Iulio Cæſare obſeſſo: de carpino, & buxo, & fumoſis lignis. CAP. XVI.

SVPRA de arboribus igni vtilibus, & inutilibus: nunc de larice, quæ omnium igni minùs apta. Nec enim ardet, nec carbonem facit, neq; flammã recipit, nec alio modo ignis vi conſumitur, quàm lapis in fornace, ad calcem. Quamobrem Palladius, contra incendia vtiliſſimam ſcribit, ſi ex illa tegulæ in fronte, & rectorum extremitatibus locentur. Quod diuus Cæſar, memorabili rei euentu, expertus eſt, referenre Vitruuio. Nam quum is circa alpes exercitum haberet, imperaretq; municipijs vt commeatus præſtarent. Erat autem ibi arx natura, & arte munitiſſima, Larignum à larice vocata, quòd ex eius materie, porta, & prope eam turris, tranſuerſis, alternis, inter ſe, veluti pyra, trabibus, ſtructa, vt poſſent ex alto accedentes lapidibus ac ſudibus repellere: vt qui tum ibi erant, his confiſi, mandatis audaciter, & pertinaciter, parere recuſarint. Quod Cæſar ægrè ferens copias iuſſit admoueri. Qui cùm animaduertiſſet eos, non alia tela, quàm ſudes habere, atq; eas propter pondus, non longiùs poſſe eiaculari, conligatos è virgis faſciculos, & ardentes faces, ad illam portam, & turrim iniji ci ſtatim imperauit. Quod celeriter factum eſt. At vbi in cœlum ſublata foret flamma, totam illam molem iam excidiſſe exiſtimatum eſt. Quæ cùm omnis reſtincta fuiſſet, intacta, illæſaq; tota turris apparuit. Quod admiratus Cæſar eſt, iuſſitq; tamen eos vallari. Qua re perterriti oppidani, ſeſe dediderunt. Quæſitum autem ab eis poſteà, vnde eſſent ligna hæc, quæ ab igne minimè læderentur: hi monſtrarunt larices, quarum copia ibi erat. Cerri autem materies, ad cremandum improba. Buxi verò in igne duritia, quæ ferro, nec flamma, nec carbone vtilis. Fumoſa autem, in genere vniuerſo, quæq; viridia, quæ've humida omnia, vt paluſtria, ſicuti platanus, ſalix, populus, alnus. Palma enim ſuapte natura, fumoſa eſt: vnde illud Cheremonis carmen: Palmæq; vlnas vtq; fumoſiſſimæ radice natas. Fici verò, caprificiq; materies, omnium aliarum acerrimum fumum ex ſe mittit. Quod teſtatur Ariſtophanes in Veſpis. Cùm enim ſeruus fumum in coquina domino eſſe reſponderet: cuius ligni eſſet ab hero percunctatus, reſpondit, ficulni, qui fumorum eſt acutiſsimus, inquiente eriam cum iureiurando domino. Huius enim naturæ ſunt omnes, quæ copioſiore lacte, & acri, abundant. Fumus verò, qui ex olea exurgit, caput grauat, & caliginem ob oculos obducit. Plutarchus in Sympoſijs. Arbores autem omnes decorticatæ, & aqua ſuperfuſa madefactæ, dein ſiccatæ, à fumo immunes perhibenrur, mollemq; flammam emittunt. Hoc enim modo innatus humor eximitur.

De carbonibus, & eorum ad artifices vſu. Et quid carbonum appellatione contineatur, & de dendrophoris.

CAP. XVII.

NON certè paruus carbonum, præſertim ad ignem, vſus: vt potè qui ad hoc diutiùs, incorruptibiliùs, ac penè æterni reſeruentur, & è longinquo faciliùs, minoriq; impenſa deferantur. Maximè autem aurificum, & fabrorum ferrariorum fornacibus neceſſarij, atq; his

locis,qui lignorum ſtruis minimè capaces ſunt: vt illorum etiam vſu,fumi moleſtias fugiamus. Quod Anacharſis, apud Plutarchum in Sympoſijs, maximè apud Græcos commendauit, quòd ignem domi tuerentur, relicto foris fumo. Ad artificum tamen opera cuiuſdam arboris generis carbones deſiderantur. Contignationibus etiã & pauimentis, moliumq; fundamentis ſubſternuntur, propter locorum deſiccationem. Quæ res non parum corporum ſanitati confert. Infinitæ autem ſunt carbonum vtilitates,quas omnes referre, non eſt præſentis inſtituti. Carbonum autem appellatione materiem non contineri, Vlpianus Iuriſconſultus, de verborum ſignificatione, memoriæ mandauit. Sed nec lignorum deſignatione, ipſi venient. Verùm num titiones, & cætera ligna, ne fumum faciant,decocta,ligno connumerabimus,an carboni,ánne ſuo generi? Et magis vt proprium genus habeant.De ligno quoq; ſulphurata,æquè eandem habebunt diffinitionem. Ad faces quoque comparata non erant lignorum appellatione compræhenſa,niſi hæc fuerit voluntas.Idem etiam de nucleis oliuarum, ſed & de balanis, id eſt, vel ſi qui nuclei ſunt. De pinu autem integri ſtrobuli,ligni appellatione continentur. Ligna autem carbonum cauſa, ad ignem ita comparari oportet, vt ſimilis ratio, quæ de combuſtilibus lignis habeatur: præſertim verò ne annoſa ad id deſumantur. Summa enim ſiccitate hæc conſtant. Enimuero cùm ardent ſi deſiliunt, humoris aliquid habeant, oportet. Humilis prætereà materies nullos carbones relinquit, propter exiguum corpus. Cæterùm optimi erunt, quos neq; nouella, neque ſeneſcens materies fecerit. Huiuſmodi enim ſpiſſa erit, tetrenaq;, atque naturæ humidæ. Quorum flamma eò lentior, quò craſſior. Alterius enim naturæ celerior. Optimos autem faciunt prædictæ naturæ, aria, robur, arbutus, corylus. Ex his enim ſolidiſſimi ſunt: ita & diuturniores, atque efficaciores. E iunipero optimi ſunt: ita vt Albertus monachus, cinere coopertos, ignem per annum fouere, neſcio an verè, affirmet. Deterrimi, roboris, quòd naturæ ſitterreſtrioris. Omnium peſſima haliphleos dicta. Latifolia ad carbonem faciendum improba: quoniam tranſiliat, ſcintilletq;, omninoq; inutilis, præterquam in ærarijs officinis. Nam his ſuo carbone dotata, quo compendio,vtuntur: quoniam deſinente flatu, protinus emoriens,ſæpius recoquitur. Nam & artes, carbones ſuos deſyderant. Quamobrem in argentifodinis, ad primam decocturam, carbonibus è robore,aria,arbuto, vtuntur. At eidem metallo,ex picea. Ferro autem ex iuglande. Excuſores potiùs pineum quærunt, quàm querneum, quanquam infirmiores ſint. Ad flatum enim reſpondent. Commodiùs autem,quoniam minùs marceſcant, & extinguantur. Eſt autem in agro Lugdunenſi oppidum, non valde amplum,quod à diuo Bonito nuncupatur,loco ſatis arduo,atque inter monticulos ſitum. In eo enim forfices prægrandes, vt nullæ aliæ his maiores ſint, excuduntur, ad pannos laneos tondendos: quibus omnis Gallia, item & vicinæ regiones vtuntur. Ad quod artificium carbone è pinaſtro, vtuntur, cuius generis ſylvæ ibi plures ac permaximæ ſunt, vt ibi alia ſylueſtris arbor non agnaſcatur. Huiuſmodi forfices Germani

mani cudere cœperunt,lucrum illo nouo artificio, apud eos captare cupientes & alienis regionibus auſerre, & ſuffurari. Quibus primùm plures vſi ſunt,ſed inefficaces inuentæ,vt ab his cudendis ceſſare coacti ſint. Qui nitro ſoluendo firmando curam adhibent, de arbore, cui myrice nomen eſt, vt prodit Macrobius, igni ſuo eſcam miniſtrant. Plutarcho in Sympoſijs hæc etiam prodente. Apud Babylonem fabri ferrarij, palmarum nucleis pro carbonibus vtuntur,Strabone ſcribente. Qui autem carbones conficiunt, recentes confertiſsimè exaggerant. Denſiſsimè enim ad cremandum componi oportet. Acerui poſteà luto caminantur. Accenſa deinde ſtrue, contis pungunt, flammamq; omnibus corripiendis excitant,vt ita ſudorem emittat. Dendrophori ſunt, & qui arbores cædunt,atq; torrent. Cancanon,Græci lignum aridum vocant.

De pœna excidentium furtim alienas arbores.

CAP. XVIII.

ADVERSVS autem eos, qui furtim alienas arbores cæderent, pluriſariam, pluribusq; actionibus, à priſcis illis Iuriſconſultis, vindicatum eſt. Non enim delictum hoc parui fecerunt, vt contrà eos actio, tam ex lege Aquilia, quàm ex lege duodecim Tabularum, daretur: vt iudex in poſteriorem deducat id, quod ex prima conſecutus ſit, ex reliquo condemnet eum, referente Paulo. Caius etiam eos, qui arbores maximè viles cæderent, tanquàm latrones puniri. Fuit, inquit, & arborum cura legibus priſcis. Cautumq; eſt duodecim Tabulis, vt qui iniuria cecidiſſet alienas, lueret æris vigintiquinque. Cædere Paulo eſt, non ſolum ſuccidere, ſed etiam ferire cædendi cauſa. Cingere eſt deglabrare. Subterſecare eſt,ſubſecuiſſe: non enim poterat cæcidiſſe intelligi, qui ſerra ſecuiſſet. Si autem arbor in vicini fundum radices porrexerit, eas vicino ſuccidere non licebit. Agere autem licebit, non eſſe ei ius, ſicuti tignum,aut protectum, immiſſum habere. Si radicibus, vicini arbor alatur, tamen eius eſt, in cuius fundo origo eius fuerit. Qui per vim cædit, ſciente domino, non incidit in hanc actionem. Si quis radicitus arborem euulſerit, vel extirpauerit, hac actione non tenetur: neq; enim vel cedit, vel ſuccidit, vel ſubſecuit. Aquilia tamen tenetur,quaſi ruperit. Et ſi non tota arbor cæſa ſit, rectè tamen agetur, quaſi cæſa. Furtim arbores cædit,qui clàm cædit, & quæ ignorante domino celandiq; eius cauſa,cæduntur. Hæc autem ex noſtris Iuriſconſultis.Capitale autem ſupplicium fuerat,ſcribente Seruio, alienas arbores incidere. Quod intelligere in Bucolicis Vergilius voluit, cùm ait:

Tum credo cùm me arbuſtum videre Myconis,
Atq; mala vites incidere falce nouellas.

Præfatio

Præfatio libri deciminoni.

SATIS *vt arbitror, in vniuerſum de re arboraria diſputatum, vt nunc de vna quaq; per ſe ſpecialius deſcribere, ſuperſit. Jn qua verò re hunc ordinem ſeruare decreuerim, vti pòſt nomenclationem ipſius arboris à caudice, à folijs floreq; fructúve cęteriſq; illarum partibus effigiem deliniamus, dein genera. Ultimum harum naturam ac vires medicas oſtendemus. Jn quibus autem deſcribendis, non omnes cum cęteris rebus facultates recenſere deliberatum eſt, ſed tantùm quę per ſe ſolùm, aut cum altero ad ſanandos morbos efficaces. Hoc enim molliri, omnem fermè medicam materiam edocere eſſet. Nullum autem compoſitionis pharmacum, vix reperiri poterit, in qua aliqua cuiuſdam arboris pars, non commiſceatur. Maximè verò ſi de oleo, ſi de myrrha atque thure, & pluribus alijs, agere velimus. Et vt nonnihil de illarum generaliter primùm dicamus, Inter arbores atque in vno & eodem genere quędam differentię, vt calidiores vel frigidiores, ex loci natura vel ſitu ſint. Cuius primę qualitatis erunt, quę in algentioribus locis, vt quę in Arabia, Ægypto, quàm quę in Italia, & Gallia proueniunt, & quę in his duabus regionibus, quàm quę in Germania & Britannia. Quòd itidem in genere humano eſt vt mulier, quę ſui natura mare frigidior eſt, in Africa tamen calidior ſit, quam vir in Germania.*

HORTORVM LIBER DECIMVSNONVS.

De myrrha. CAPVT I.

MYRRHA Græcè σμύρνα, quo etiam nomine vrbs Græciæ, in qua ſecundùm ſcribentium maiorem partem natus Homerus, quodam nominis præſagio, propter myrrhæ arboris vim eximiam, vt ſimilem in Homero doctrinã prænuntiarit. Paucæ enim arbores numerantur, quæ vi multiplici & admiranda, eam ſuperent. Vti Homerus, diuino ingenio vir & omnium doctrinarum facilè princeps, non ſolùm omnes, qui eum præceſſerunt, ſed & qui ſecuti ſunt, longè ſuperauerit, Monſtrum quidem naturæ. Smyrnæ autem vocabulo pro myrrha Latini etiam vſi ſunt, veluti Lucretius: *Et contentus odor ſmyrnæ.*
Et Martianus Iuriſconſultus libro trigeſimonono Digeſtorum, titulo de Publicanis. Myrrha autem Ægyptiorum voce bal dicitur, quæ diſiectionem deſignat. Eſt autem arboris genus, cuius voce etiam ſuccus, qui ex ea exſudat, comprehenditur. Arboris autem altitudo ad quinque cubita extollitur. Enimuero qui eam arborem (vt inquit Theophraſtus) viderunt, in eandem magnitudinem fermè conſentiunt, vt ne prægrandem referant, fruticoſam quoque. Caudice verò duro atq; contorto, vt à radicis imo etiam, nec à reliqua ſui parte, hominis ſura craſſior ſit. Sine ſpina, cortice læui, ſimiliq; vnedoni. Alij verò ſcabrum, abſq; ſpinis hiſpidum, & in vertigine flexum dixere. Folium licet criſpius, oliuæ tamen ſimile: verùm extremo ſpina horridum, ilignei modo. Iuba verò oluſatri. Diodorus autem Siculus, myrrham arborem lentiſco æqualem ſcribit, ſed cui folium & frequentius, & tenuius dependeat. Dioſcorides verò ſpinæ Ægyptiæ non diſſimilem. Theophraſtus autem terebintho perſimilem, verùm ſcabroſiore crebrioreq; folio, & paulò rotundiore, eodemq; guſtu. Plinius autem iunipero non diſſimilem: vt hic cum Theophraſto, voce tantum differat, cætera verò omnia ab eo ad verbum interpretatus. Hæc autem ſunt quæ de myrrhæ arboris figura, apud autores referũtur. Quæ parum inter ſe cohærere videntur, vt certa, & vera eius effigies, ex tot inuicem diſſentientibus opinionibus, nobis adhuc incognita ſit. Nec ego alium ex recentioribus legi, qui ſe dicat eam conſpexiſſe. Sudat autem vel ſpontè, priuſquam incidatur, vel nudata corticis vulnere. Inciditur autem à caudice vſque ad ramos, qui valent. Fluit etiam (inquiente

Diodoro) ab ima caudicis parte, effoſſo circum radices trunco, in ſolo vberiore. Tegetes autem, quas Theophraſtus ex palmis fieri dicit, in quas defluat, ſubijciunt. Alibi ſolum circum arbores pauimento ſtratum eſt. Qui verò, eodem autore, è ſinu heroum profeſſi ſunt, collectionem hoc modo notarunt: vt aliquæ, caudices ſimul & ramos inciſos haberent, ſed alios veluti ſecuri percuſſos, alios tenuiores inciſuras, & lacrymam aliam decidere, aliam arbori adhærere. Inciduntur autem bis, & ipſæ iiſdem temporibus. Bis autem anno fructum reddere, Vere ſcilicet, atque æſtate, Diodorus ſcribit. Verùm æſtate album, Vere autem, propter rorem, rubeum. Theophraſtus verò ſub Cane, feruentiſſimis diebus. Complura autem eius genera Plinius connumerat. Prima omnium Troglodytica appellatur. Cognomine accepto, ab eo tractu, in quo prouenit. Colore enim ſubuiridis, mordax, perlucida. Probatur pinguedine, & quòd aridior ſit, ſordida, atq; barbara, ſed acrior cæteris. Sequens Erythræa, & Minæa, quam alij Aminæam dicunt. Improbatur, ſicut & Atramitica & Auſaritis, Gebanitarum regionum eſt, & Dianitis, & Collatitia. Sembracena, à ciuitate regni Sabæorum, mari proxima. Hæc quidem Troglodyticæ vitijs caret. Ante enim alias hæc hilaris eſt, cæterùm viribus pertenuis. Eſt & Dauſiritis, & candida, vno tantùm loco, atq; vnum tantum in locum, ſcilicet in Meſſalum oppidum confertur. Dioſcorides autem alijs à Plinio nominibus, myrrhæ genera diſtinguit. Quæ potiùs à loci ſitu, & eius natura denominauit: ille à regionibus. Naſcuntur enim (inquit Theophraſtus) myrrhæ arbores, aliæ in monte, aliæ ad montis radices. Aliæ autem in priuatis agris, quæ ideò coluntur. Vna verò pedianiſmos, id eſt, campeſtris, quòd in planitie, quæ Græcè πεδίον dicitur, naſcitur Præpinguis eſt. Qua expreſſa, ſtacte emittitur. Alia gabirea. Pinguiſſima hæc, læto & pingui ſolo proueniens. Hæc autē copioſam ſtactem ſudat. Quædam legitur tenuis, quæ Troglodyticæ ſecunda eſt, Bdellij modo mollis, ſed odore grauiuſcula. Apricis naſcitur. Alia caucalis cognominatur. Præter modum ſcabra, nigra, ergaſime nuncupatur. Pingui carens obducta cano ſitu, acris, ad gummi vergens, viribusq; eius proxima. Naſcitur, inquit, Strabo, & gedroſia. Lacryma autem, quæ ſpontè manat, ſtacte dicitur, à verbo Græco στάζω, quod eſt fluo, ſtillo, cui nulla præfertur. Eſt autem carmen Plautinum: *Tu mihi ſtacte, tu petalium, tu cinnamomum.*

Actuarius verò ſtacten, pinguedinem recētis myrrhæ, cum aqua modica contuſæ, aut per machinas expreſſæ, interpretatur. Alij lacrymam myrrhæ in duo genera diuidunt. Primum purum intelligentes. Secundum plaſten, id eſt, fictitium. Cæterò paſſim coempta, vulgus in folles confarcit: ipſiq; vnguentarij digerunt, haud difficulter odoris, ac pinguedinis argumentis. Fuere qui è thuris arbore vtrumq; naſci mentirentur. Adulteratur gummi macerato aqua, in qua myrrha maduerit, & lentiſci glebis: item cucumeris ſucco, amaritudinis cauſa, ſicut ponderis argenti ſpuma. Galeni tempeſtate, ſicuti ipſe prodit, opocalpaſi lacryma venenoſa, adulterabatur, qua mori eos contingebat, qui talem inſcij deſumpſiſſent. Sunt qui arborem, quam Plinius opocarpathum vocat exiſtiment. Fallaciſſimè

mè autem Indica myrrha adulteratur, quæ ibidem ex quadam ſpina colligitur. Hoc enim ſolum peius India affert, facili quidem diſtinctione, tantò deterior eſt. Reliqua vitia depræhenduntur, gummi ſapore, dente lenteſcentis. In plenum autem probatio, cùm ſquallore obſita eſt, & leuis. In qua vndiq; concolor, vt quæ confracta, vngues internatos, candidos, & leues habeat, minutulis glebis, guſtu leniter amara, odorata, calfaciens. Eligenda eſt recens. Secunda bonitas quæ intus varia, Peſſima, intus nigra: peior, ſi etiam foris. Superuacua, & inutilis eſt, grauis, coloris picei. Ex his verò fiunt paſtilli: verùm è pinguioribus, pingues, odorati. E ſiccioribus verò haudquaquam pingues, atq; inodorati. Minùs autem viribus pollet, quæ oleum non admiſit, cùm in paſtillos non digeretur. Cæterùm commendatiſſima (inquiente Actuario) quæ olei expers eſt. Per ſe enim ſine oleo vnguentum facit ſtacte duntaxat, alioquin nimiam amaritudinem affert. Hæc Plinius. Stacteæ verò à V I. ad L. Satiuæ ſummum ad X X I I. Erythrææ ad X V I. Hanc volunt Arabicam intelligi. Troglodyticæ nucleo ad X I I I. Eius verò, quam odorariam vocant, ad X I I I I. Apud Arabas autem, non alia ligni genera quàm odorata, ad ignis vſum. Nàm & Sabæi, thuris ligno, cibos etiam in furnis coquunt: alij myrrhæ, oppidorum, & vicorum apud exteros. Idq; etiam perraro ex deorum aris, & fumus, & nidor. Adeò enim, vt Plinius ſcitè ait, nulla eſt voluptas, quæ non aſſiduitate, ſui faſtidium pariat. Fumus tamen noxius eſt, quo plures inſanabiles morbi contrahuntur, maximè etiam ſanis, autore Galeno. Capitis dolorem inducit, vt multò magis eos non leuiter offendat, qui iam eo grauantur. Ad hunc ergo ſanandum vrunt ſtyracem in pellibus hircinis, ſuffiuntq; tecta. Vrunt etiam in ſyluis, ad ſerpentes abigendos, ibi frequentiſſimos. Chalcis piſcis maximè myrrhæ odore capitur, ſicut Oppianus prodit, vt propterea illo facilè, in naſſam alliciatur, & deducatur. Vis eius in medicina eſt excalfacere, & deſiccare etiam extra morſum in ſecundo ordine, eiq; adſtringendi vis eſt. E pulmone educit, glutinat: idcirco capitis vulnera illitu celeriter contrahit. Concoquit etiam humores vitioſos, & præter naturam ſoporem gignit. Ineſt & amaritudo non pauca, qua & fœtus, ac lumbricos enecat, & eijcit. Ad hæc abſtergit, eoq; ocularibus medicinis miſcetur. Albugines tollit, caliginem diſcutit, ſcabiem læuigat, & oculorum vlcera complet. Eadem de cauſa medicamentis, quæ ad tuſſim veterem, & ad anhelationem exhibentur, inditur. Plinius fabæ magnitudine deuorari ſcribit, & in orthopnœa, ac in laterum, pectoriſq; doloribus, atq; in alui profluuio, & dyſenteria. Non tamen fauces, ſicut adſtringentium nonnulla, exaſperat. Verùm moderatam vſqueadeò abſterſionem obtinet, vt multi eam arteriacis, quæ vocant, medicamentis, commiſceant, tanquàm ſufficienter excalfaciens, deſiccans medicamen, obſterſionem ſcilicet ab amaritudine proficiſcentem nihil verentes. Vuluas, quæ præcluſæ ſunt, laxat. Menſes trahit, ſi vino diluta ſit, autore Paulo, ſi ad os vteri adhibita ſit. Subdita verò linguæ, liquataq;, arteriæ ſcabritiem expolit, denſamq; vocem expedit. Contra oris graueolentiam manditur. Concoquit, & pus mouet, autore Celſo, & rodit. Addunt &

 Arabes,

Arabes, ſumptam tum ventri emplaſtri modo impoſitam aquis ſubuenientibus mederi. Obolus autem ex ea naribus inditus, cerebrum purgat, à craſſisq; flatibus liberat. Gingiuas roborat, ac dentes firmat. Colicis cruciatibus mirè illita opitulatur. Pretia eius ex occaſione ementiuntur. Fit è myrrha vinum, quod myrrhinum, & myrrhatū, veteres dixere, ſicut & myrrhata potio. Laudatiſſimum verò apud antiquos fuit. Fabius, Mittebat vinum pulchrum, myrrhinum. Et alibi: Panem, & polentam, & vinum myrrhinum. Plautus: Ecquid habeant: toga, myrrhinum, paſſum, defrutum, mella. Eius autem confectionem Dioſcorides in quinto docet.

De myrrha Bœotica, & de Myrrhæ fabula. CAP. II.

BOEOTICA myrrha, diſſecta, radix eſt arboris cuiuſdam in Bœotica naſcentis. Sed ex radice melior. Nam propiùs myrrhæ odorem repræſentat. Vis ei calfactoria ineſt. Emollit, diſcutit. Suffimentis commodiſſimè inſeritur. Prætereundum inſuper minimè cenſeo, quæ poëtæ ſuis fabulis, de Myrrha commenti ſunt. Cyniræ autem Cypriorum Regis, & Cenchreidos Myrrham fuiſſe filiam dicunt, atq; hanc ob Veneris iram, patrem adamaſſe. Nutrici autem ſuam ardoris neceſſitatem apeтuit: quæ dolo, & inſidijs dominum decepit. Huic enim quandam virginem eius amore incenſam denuntiat, quæ ad eum verecundia quadam palàm accedere non auderet: vt propterea Cyniras cum filia noctu impiè congreſſus, & pòſt multos concubitus, amoris vi quadam impatiens, amaſiam dignoſcere deſydetat. Quæſito itaq; lumine, filiam deprændit, & ſcelus reſciuit, illàmq; ſtricto gladio, in Arabiam vſq; Sabæos, & Catanem fugientem perſecutus. Veneris tandem, & deorum miſeratione, in arborem ſui nominis verſa eſt. Quæ, vt ait Ouidius,

Metam. 10. *Quæ quanquam amiſit veteres cum corpore ſenſus,*
Flet tamen & tepidæ manant ex arbore guttæ.
Eſt honor & lacrymis: ſtillataq; cortice myrrha
Nomen herile tenet, nulloq; tacebitur æuo. Et alibi hic:
De Arte lib. 1. *Myrrha patrem, ſed non vt filia debet, amauit:*
Et nunc obducto cortice preſſa latet.
Illius lacrymis, quas arbore fundit odora,
Vngimur: & dominæ nomina gutta tenet. Propertius:
Lib. 3. *Crimen & illa fuit, patria ſuccenſa ſenecta*
Arboris in frondes condita myrrha nouæ.

Hæc ex patre Adonim peperit. De quo ſic Auſonius:
- Reſcindit adultum Myrrha vterum.-

Huius verò fabulæ mythologi rationem adferunt. Parentem enim myrrham arſiſſe perhibent, hoc eſt ſolem, qui omnium rerum pater eſt, cuius etiam opitulatu, cunctorum germinum adoleſcit natiuitas. Cumq; hæc arbos grandiuſcula facta ſit, Solis ardoribus, rhagades crepant, & ſciſſuris hiantibus, odoris ſuauiſſimi defluit lacryma. Quare Adonim peperiſſe dicitur: qui Græcè ſuauitas. Hic Venerem adamaſſe dicitur: quòd myrrha

ſeruida ſit. Vnde Petronius Arbiter, ſe ad libidinis concitamentum myrrhinum poculum bibiſſe refert. Et Sutrius, comœdiarum ſcriptor, Glyceram meretricem introducit dicentem: Myrrhinum mihi adfers, quo viribus, armis occurſem fortiuſcule. Hæc Fulgentius.

De thure & iuuene eius nominis. CAP. III.

THVS Græcè: λίβανος, & λιβανωτὸς. Sunt tamen qui arborem, δενδρολίβανον vocitent, lacrymam verò λιβανωτόν. Euripides autem, λιβανωτὸν arborem, lacrymam verò λίβανον. Contrà Heſychius λίβανον arborem, λιβανωτὸν fructum, ſiue ipſum thus. A iuuene autem eiuſdem nominis ſic dicta. Fuit autem adoleſcens Aſſyrius, Deorum cultui omnino deditus, quapropter impij homines æmulatione inducti, eum neci dedere: verùm Deorum miſeratione, in arborem ſui cognominis verſus, Qui & ſi naturam demutauerit, Deorum tamen amicitia minimè priuatus, vt mutuò amore, quem ille viuus erga hos habuiſſet, in eum demortuum commutarint. Plus eius planta, & eius lacryma, ad illarum ſacrificia geſtientes, ac magis placabiles, quàm cæterarum arborum coronis, & auro. Antiqui autem, vt voluit Seruius in primum Georgicorum, atque in illo carmine, Molles ſua thura Sabæi. Thus ἀπὸ τῶν θεῶν deduxerunt, Quod diſplicuit. Alij παρὰ τὸ θύω, quod eſt ſacrifico, vnde thyaſia, ſacrificium. Modeſtus, apud Soſipatrem Chariſium, παρὰ τὸ θύειν. Cæteri abſque aſpiratione ſcripſere, à tundendo deriuantes: à glebis ſcilicet tuſis, cum quibus fluens de arboribus dicitur coaleſcere. Diminutiuum eius, (inquiente Priſciano) tuſculum. Quæ autem ſit ipſius arboris facies, non ſatis bene (autore Plinio) conſtat, nec etiam à Latino aliquo autore, quod hic ſciuerit, tradita, etſi res in Arabia Romani geſſerint, & ante eum Ælius Gallus, ex equeſtri ordine, Romana arma in eam terram intulerit, oppidaq; eius Egram, Anneſtum, Eſcam, Maguſum, Tammacum, Labeciam, Mariabam, Caripata diruerit, cæteraq; explorata retulerit. C. etiam Cæſar, Auguſti filius, inde gloriam petijt. At inter Græcos de imagine eius, adhuc quoq; variatum eſt. Hæc autem, ſcribente & Theophraſto, & Diodoro Siculo, non adeò magna eſt, ſed quæ ſolùm ad quinos ferè cubitos, atque id per multos ramos attollatur. Pyri quidem folio, verùm multo minore, planè herbido, rutæ modo. Alij lentiſco, eiuſdemq; fructus ſimilem prodidere, folio ſubrutilo. Quidam verò mage terebintho. Fidem deſumentes ex eo, quòd cùm Arabes thus Antigono Regi aduexiſſent, ſimul & lignum eius., quod nil à terebintho differret. Diodorus aſpectu ſpinæ Ægyptiæ, & albedine, folio ſalicis arboris, ac crocei coloris flore. Alij lauri fronde, cortice ex omni parte leui, vt laurus ipſa. Nam & thuris arbos, quæ ſupra Sardes, apud quoddam delubrum enata conſimilis formæ (vt ſcribit Theophraſtus) viſa eſt. Siquidem eam fore thuris arborem dixere, argumentum quòd eius lacryma non tam quæ ex caudice, quàm quæ è ramis exciperetur, & viſu, atque, cùm crematur, odoratu, ei, quæ ex Arabia aduehitur, proxima ſit. At Rex Iuba, in ijs libris, quos ad C. Cæſarem Au-

guſti filium, Arabiæ fama ardentem, conſcripſit, aliam figuram præſcripſit, vt intorto caudice. Solinus verò viminis ramis ad aceris, maximè Pontici, qualitatem, & amygdalæ ſuccum modo effundere. Plinius legatos,qui ſua ætate ex Arabia venerunt,omnia incertiora reddidiſſe ſcribit. Ex virgis enim, quæ ad nos aſportantur, quibus credi par eſt, vt ille ait, matrem quoq; teretem, atq; enodi trunco fruticare oſtenditur. Cortex, qua maximè prægnans,tenuiſſimus diſtenditur,vt futuræ inciſuræ locum demonſtret. Laxatur enim ibi, plaga non adimitur. Inde proſilit pinguis ſpuma, quæ denſatur. Vbi autem loci natura depoſcit, tegete excipitur palmeo,aliubi areola circum pauimento ſtrata. Purius illud, atque magis perlucidum,hoc verò ponderoſius. Quod verò arboribus inhæret, ferro depectitur:quod corticoſum eſſe ſolet. Nouellæ enim arboris candidius, veteris verò flauius,ſed odoratius. Meti ſemel anno ſolebat,minore ſcilicet vendendi occaſione: verùm iam quæſtus aliam effecit vindemiam. Prior enim naturalis. Hæc autem eſt, circa Canis ortum. Flagrantiſſimo enim æſtu arbor inciditur: ex cuius æſtiuo partu, ſequenti Autumno legitur. Secunda verò vindemia,Vere eſt,corticibus hyeme ad eam inciſis. Primæ autem puriſſimum atq; candidum eſt:Secundæ verò rufum, neq; id priori minimè comparandum. Primum carpheotum,id eſt,torridum: ſecundum dathiathum vocant. Siquidem pro inciſura facta,thuris figura ſequatur (autore Theophraſto) neceſſe eſt. Quod autem cum gutta rotunditate pendet,non quidem ſectum,ſed integrum, maſculum vocatur,etſi aliàs non vocetur mas,vbi non ſit fœmina.Quod aliqui à teſtium ſimilitudine dici volunt. Græcè verò ἄτομον, & chalcolibanos. Calceon enim etiam pro maſculo accipiunt, & ſæpe apud Orpheum in hymnis, lemma eſt, Chalcolibanos in Apollinem, Latonem,& cæteros deos,quibus maſculi thuris ſacrificium,hoc indice,denotare voluit. Et apud Vergilium in Bucolicis dicitur:

Ecloga 8. *Verbenasq́ adole pingues, & maſcula thura.*

Præcipua autem gratia mammoſo, quòd ſuapte natura rotundum eſſe ſoleat,vt cum hærente priore lacryma alia ſe immiſcet, in mammæ ſimilitudinem,à qua & nomen accepit. Græci enim ſtagoniam,quaſi ſtillicidiare dixere. σταγόνας enim Græci aquarum ſtillicidia vocant. Primaq; eius laus, quòd rupto arboris cortice fluxit. Hæc autem ſingula manum implere ſolita,inuentum eſt, cùm minori diripiendi auiditate lentiùs naſci liceret. Mammoſum verò indiuiduum eſt, candidum, & cùm intus frangitur, pingue, ac in ſuffitu ſtatim ardens. Indicum verò fulueſcit, & colore liuet. Sed illud rotundum ex induſtria factitant. Nam in formas quadrangulares diſſectum,dolijs verſant,donec rotunditatem contrahat. Hoc entomon,aut ſyagrium vocant,à Syagra Arabiæ promontorio. Secundæ bonitatis eſt Arabicum, & in Smylo natum. Quod nonnulli copiſcum vocitant,minus,multoq; fuluius.Hoc autem alij orobiam,& meliotum vocant. A quantitate enim nomen inuenit,quòd minoribus guttis concreſcat, erui ſemen non excedens. ὄροβον enim Græci eruum vocant. Meliotum autem à luteo colore dictum. Eſt & genus aliud, cui

amymitæ cognomen eſt:quod dum mollitur,maſtiches more digitis cedit.Quoddam verò vſqueadeò glebis magnum,vt mole ſua manum impleat, quodq́; pondere etiam pluſquàm minæ tertiam partem æquare poſſit.Etiamnum inueniuntur guttæ,quæ tertiam minæ,hoc eſt,XXXIX. denariorum,vt Plinius ait,pondus æquent.Probatur autem candore,amplitudine, fragilitate, carbone, vt ſtatim ardeat: item ne dentem recipiat potius,quàm in micas frãgatur. Minei,vt Plinius ait,vel,vt Diodorus,Genæi,thuris commercium faciunt,maximeq́; exercent.A quibus minæum dictum eſt. Illi enim Sabæos attingunt. Pagus alius, per quos euehitur, tramite anguſto. Collectum autem Sabotam camelis conuehitur, porta ad id ſolùm vna patente. Digredi via,leges capitale fecere. Ibi verò ad Solis delubrum, quod ſanctiſſimum Arabes habent, reponitur. Quod armati homines cuſtodiunt: qui ſingulis aceruis certi conſtituuntur. Quibus idem tabella literis, & menſurarum, numerum, & menſuræ pretium ſignificat. Quam cùm mercatores aduerterunt, acta menſura, quantum voluerint,accipiunt. Sacerdotes deinde tertiam pretij partem deſumunt. Quod autem ſupereſt,tutiſſimè vſq; dum dominus acceperit, aſſeruatur. Euehi verò non poteſt,niſi per Gebanitas.Caput enim eorum Thomna. Abeſt à Gaza,Iudææ oppido Romani litoris LXXXXXVII.M.paſſus:quod in camelorum manſiones LXII. diuiditur. Sunt autem portiones, quæ Regum Scribis dentur, ſed præter hos & cuſtodes, ſatellitesq́;, & oſtiarij, & etiam miniſtri populantur. Iam quacunq; iter eſt,aliubi pro aqua,aliubi pro pabulo,aut pro manſionibus,varijsq́; portorijs pendunt: vti ſumptus in ſingulos camelos, denariũm DCLXXXVIII. ad noſtrũ litus colligat,iterumq́; publicanis alijs penditur.Itaq; optimi thuris libra XVI.pretium habet, ſecunda XV. tertia XIIII. & ſi thus omne iners aduehatur. In lucis enim,in quibus thus prouenit,nemo furatur,nec ſaucias arbores cuſtodit. At herculè Alexandriæ, vbi thura interpolantur, nulla ſatis diligentia cuſtodit officinas. Subligaria ſignantur opifici, perſona adijcitur capiti,denſúsve reticulus,nudi etiam emittuntur.Tanto minus enim fidei apud nos pœna, quàm apud Arabes ſyluæ habent. Hæc Plinius ferè ad verbum.Nunc verò è regione Indiæ Seit nominata,apud Luſitanos portatur,vt ipſi perhibent. Vicus autem Romæ, nomine thurarius olim fuit, vbi thus, & aromata omnia, venundarentur. In quo Vertumni fuiſſe ſacellum,ſcribit Porphyrius.

De arbore thurifera, in Carmania, & Ægypto naſcente, & thuris facultatibus, & fabula Leucothoes.

CAP. IIII.

THEOPHRASTVS autem in Carmania, & ſupra Ægyptum arbores eſſe ſcribit. Primùm verò Ptolemæorum ſtudio ſatas, aut, vt alijs placuit, ſpontè prouenientes, folio & cortice lauri. Ex quibus thus, vt gummi, inciſo cortice, caprinis pellibus excipiatur. Strabo etiam in inſulis ante Euphratem,arbores adnaſci thus redolentes, quarũ effractæ radices ſuccum emittunt.

emittunt. Thus autem pini, reſina, & gummi adulteratur. Quod facilè depræhendi poteſt. Siquidem gummi ſuffitum flammam non eiaculatur, & reſina in fumum euaneſcit. Sed vt iam de eius vi medica diſſeramus, locus ſeſe offert, cuius vſus in priſca medicina quadrifariàm diuidi ſolebat: in lacrymam ſcilicet, fuliginem, & corticem, ac mannam. Eſt autem thuris lacryma, calidæ temperaturæ. Calfacit enim, autore Galeno, ſecundo ordine, vt in humida corporis parte carnem producere valeat, in ſicca verò minime. Habet etiam concoctorium quoddam, quod dolorem ſedet. Deſiccat in primo. A liene & iecore per vrinam ducit. Eſt & in ea vis medica leniter adſtringendi. Verùm manifeſta candido eſt. Caua vlcera complet, & ad cicatricem perducit. Cruenta glutinat, infrænatq; ſanguinis excreationes potum. Quod Celſus vocat, ſanguinem exprimere. In ſecunda verò valetudine hauſtum, inſaniam mouet. Oculorum caliginem diſcutit. Incenſum verò, & ſuffitum, tuſſim, & rheumatiſmos, id eſt, diſtillationes ſanat, & mulierum menſes potum, & ſubtus impoſitū agit. Habet & peculiarem vim contra peſtem, ſi eius tempore ædes ſuffiantur. Sic enim corrupta aëris qualitas immutatur. Contra boum ſatietatem, vt autor eſt Columella, quidam thuris grana cum mero diluunt, & bobus propinant. Contra item cicutam thus auxiliatur, autore Theophraſto. Arabes addūt thuris drachmam in aqua maceratam, ſingulis diebus ebibitam, pituitæ auxiliari, ac memoriæ. Nam eam amiſſam reparat. Sanguinem tamen perurit, ac cephalalgiam, & capitis dolorem excitat. Ebrietati ſuccurrit, & flatus diſcutit. Triſtibus, & animi deliquio, à corde proficiſcenti, ſubuenit. Pluribus verò diebus læuigatum ad alopecias bene facit, autore Alexandro Tralliano. Thuris autem cortex Dioſcoridi præfertur, qui craſſus ſit, pinguis, odoratus, recens, læuis, minimè ſcaber, & ſine membranis. Adulteratur admiſto pini, aut eius nucis cortice. Sed horum, ignis vindex. Siquidem ſuffiti reliqui cortices nequaquàm incenduntur, ſed ſine odore fumum eructant. Thuris autem cortex ardet, & fragrantem odorem eiaculatur. Vis eadem quæ thuris, valentior tamen. Etenim intensè in ſecundo abſceſſu deſiccat, adſtrictiorq; eſt. Nam manifeſtè adſtringit. Ineſt & illi craſſa ſubſtantia, minùs acris. Hinc medici, ſanguinem expuentibus, ad ſtomaticos, dyſentericos, cœliacos, vtuntur, exteriùs applicando, nonnunquàm tamen exhibendo. Celſo purgat, rodit, adurit. Dioſcorides verò ad cicatrices, ſordesq;, & oculorum caua efficacem ſcribit. Toſtus enim lippitudinibus auxiliatur. Surculus eius tum ſiccioris, tum calidioris eſt facultatis quàm ipſum thus, adeò vt ad tertium vſq; exceſſum perueniat. Nonnihil etiam abſtergit. Itaq; eo nomine & expurgare, ac implere, quæ in oculis conſiſtunt, vlcera videtur. Solem autem Leucothoën Orchami, & Eurynomes filiam adamaſſe fingunt poëtæ, quam in matris faciem conuerſus vitiat. Clytiæ inuidens patri, adulterium patefecit. Pater verò viuam terra deſodit, & ex arena tumulum exaggerauit. Sol autem radios, vt poſſit deſoſſos vultus promere, & gelidis artubus viuum calorem dare, immittit. Quod minimè propter terræ pondus valuit. Vltimùm, corpus odorato nectare ſparſit, atq; ſuo cœleſti odore terram madefe

madeſecit, vt deniq; virga, actis radicibus, ruptoq; terræ tumulo, per glebas in thuris arborem ſurrexit.

De manna thuris. CAP. V.

MANNA, autoribus Dioſcoride, Galeno, ac Plinio, thuris mica concuſſa eſt, quæ glebarum attritu in acerris ſubſidere ſolet. A concuſſu etiam Græci, ὑπόσεισμα dicunt. Propriè enim appellatur id, quod excuſſum eſt à thure circa magna opera confracto. Et hoc nomine etiam ipſo thure vtilior, quaſi quoddam thuris ipſius purgamentum, vt aliquibus nihil à thure læuigato differre videatur. Auferuntur enim ſimul ab ipſo thure fragmenta quædam parua thuris corticis, vnde ſcilicet adſtringendi vim leuem habeat. Probatur autem candore, micarum frequentia, & puritate. Adulteratur thuris cortice tuſo, polline, ac cribrata pini reſina. Hæc autem facilè depræhenduntur. Nam ſuffitu aërium vaporem fuliginoſum, & impurum expuit, ac permiſtum ſuaueolentiæ odoris virus habet. Similes cum thure vires habet, verùm in pleriſq; inualidiuſculas. Arabes addunt, vt ventriculo auxilietur imbecillo. Aluum adſtringit, aquis cutem ſubeuntibus confert pota, & emplaſtri modo ventri impoſita. Medicamentis contra phlegmonas admiſcetur. Errhinis drachma adhibetur. Diſtillationes excitant, ac cerebrum mundant: Flatus craſſos diſſipat, œdemata ſanat.

De thuris fuligine. CAP. VI.

THVRIS autem fuliginem ſic faciendam præcipiunt autores. Accenſas enim thuris in lucernis ſingulas glebulas forcipicula appræhendunt, & in nouam fictilem ollam concauam aptè collocant, quam alio vaſe æneo diligenter ab omni ſorde expurgato & in medio perforato obtegunt, ſuppoſitis circa operculi labia quatuor digitorum altitudine lapillis, quatenus facilè perſpici queat, vbi copia fuerit, alias glebulas imponendi, & antequàm prior reſtinguatur, vt aliam adijcias, donec ſufficientem fuliginem, aggregaſſe videaris. Continuò tamen externas operculi partes, ſpongia aqua frigida madefacta abſtergito. Ita enim temperato aëris feruore, fuligo omnis æneo vaſi inhærebit: quæ alioquin per leuitatem decidua thuris cineribus admiſcetur. Quam deinceps pēna derades. Idemq; opus quoad tibi ſatisfactum videbitur, obeundum. Fuligine itaq; ſic deraſa, cremati thuris cinis ſeorſum ſubtrahendus, ad eoſdem etiam vſus. Tertio ordine calfacit, autore Galeno. Hæc enim oculorum inflammationes mitigat, fluxiones ſuſpendit, vlcera purgat, caua explet, carcinomata ſiſtit. Celſo purgat, & corpus exedit. Simili modo è myrrha, ſtyrace, reſina, cæteriſq; lacrymis, fuligo excipitur, ad eadem conueniens.

De cancamo. CAP. VII.

CANCAMVM κάγκαμον, ἢ λάκκα Actuario Græcorum recentiori, nonnullis maximè Arabibus lacca: quibus etiam chermes, diſſentientibus alijs, hiſtoria ſatis confuſa. Dioſcoridi verò, Paulo atq; Aëtio, arboris Arabicæ, myrrhæ ſimillimæ, lacryma. Petrus Briſſotus medicus Gallus, cuius præmaturum interitum tota medicina deflet, cum Luſitanis ad Indos nauigauit, cancamum lacrymam flui in Guinæa, Minæa, & cæteris vicinis inſulis, è maximis arboribus, ſolia myrti habentibus depræhendit. Luſitani anijmum, pro aminæum, à Minæa inſula vocant. Hæc autem ex confinio Caſiæ, & Cinnami per Nabathæos, & Troglodytas, qui conſcendere ex Nabathæis aduehitur. Myrrhæ ſimilitudinem præ ſe fert, odore grato, vt ad ſuffitus incendant, & vſurpent. Hac autem ratione veſtes illa, myrrha, & ſtyrace additis, ſuffiunt, guſtu viroſo. Eius autem potu, ternum obolorum pondere, ad aliquot dies ex aqua, aut mulſo aceto, ad extenuandos nimia obeſitate præpingues, & illos ad maciem perducere proditum. Abſtergit, & obſtructa aperit. Menſes autem commoratos extrahit: hebetibus oculis medetur, ac illorum cicatrices, celerrimè emendat. Comitialibus, ſuſpirioſis, lienoſis, datur. Aduerſus gingiuas diſtillatione eroſas, & prægnantes dentium dolores, nihil æquè aliud magis efficacius. Vim autem ex Mauritanis referre ſuperuacaneum, cùm aliud eſſe exiſtiment cancamum Græcorum, quàm Arabum, quod laccam vocant.

De narcaptho. CAP. VIII.

NARCAPTHVM, quam dictionem Latini à Græcis commodarunt. Nam illi etiam νάρκαφθον vocant, naſcalpthum, etiam Paulus Lacapthon nominat, lachaten inter Arabes Scrapion. Lignum corticoſum (inquit Dioſcorides) ſycomori ſimile, &, vt nonnullis placet, quaſi putidum, & antiquitatem nimiam redolens. Nec Theophraſtum, nec Plinium meminiſſe quidam autumant. Cæteri tamen Plinium & ſcrichatum vocaſſe, & deſcriptionem, tanquam ſibi incognitam, reliquiſſe. Odoriferum eſt, vnde à Paulo Indicum aroma: quare iucundi odoris gratia ſuffitur, miſceturq; thymiamatis: vt ex frequentiori in ſuffimentis vſu, thymiamatis nomen, apud ſeplaſiarios vendicarit. Miſcebatur enim thymiamatis, & ſcypho magno, qui heliacus cognominabatur, qua compoſitione ad propitiandos deos vſa eſt antiquitas, vnam Soli, alteram Lunæ conſecrantes. Raro enim ſuffimentorum compoſitiones fiunt, in quibus non commiſceatur: vt propterea thymiamatis aſcititiam nomenclaturam, relicta ſuæ arboris, vſurpauerit. Vuluæ conſtrictionibus, inquit Dioſcorides, prodeſt.

De arboribus in Tylo inſula prouenientibus, & in inſulis Araxis fluuij. CAP. IX.

EST autem Tylos, inſula ſinus Arabici in eadem parte ſita, quæ Orientem proſpicit: quaq; etiam ipſa maris æſtu perfunditur. Repleta quidem ſyluis, & arboribus diuerſi generis, vt ſcribit Theophraſtus,

phraſtus,quæ etiam alibi non viſantur,vni aurem generi magnitudo,quę ficis. Flos odore excellens. Fructus lupino perſimilis, verùm propter eius aſperitatem omnium animantium generi intactus. Sunt in eadem alterius generis alia, quibus flos violæ matronali ſimilis, vel, vt Plin.ait, albæ, verùm magnitudine quadruplici, qui ſine odore eſt: quod miremur. Eſt & alia in eodem,folio,floreq; roſæ,qui noctu comprimitur,ad Solis verò exortum aperitur,Meridie autem in plenum expanditur,iterum cùm adueſperaſcit,occluditur. Tunc incolæ obdormire eam dicunt. Herodotus autem in inſulis Araxis fluuij,arbores naſci memoriæ mandauit,quarum fructus, ſi in ignem proijciatur, ad focum ſedentes, ſuo odore veluti vinum inebriat,vt quò plus iniectus fuerit,eò feſtinantiùs ad cantum,& ſaltum aſſurgant. Diodorus Siculus in ea parte maris rubri,quam Ichthyophagi inhabitant,arbores naſci ſcribit,folijs frequentioribus,fructu caſtaneæ,nuci non abſimili.

De Perſidis,& Ombrij inſulæ arboribus. CAP. X.

IN Perſide, atque in ea parte, quæ Carmaniam attingit, in qua etiam maris æſtus longè in terra agit, ingentes quidem arbores (autore Theophraſto) adnaſcuntur, quarum figura vnedoni adſimilis, fructus amygdalæ, contortis nucleis, mira arborum natura. Nam crebro fluctu abluitur, ſale, & arena inuectis, ibiq; derelictis in ſicco litore aluntur, arenas ſteriles nudis radicibus, polyporum modo complexæ. Fluctibus enim pulſatæ, adueniente mari, immobiles eædem ſemper permanent. Quin imò & pleno æſtu totæ operiuntur. Qui cùm receſſerit, integræ, illæſæq; omnino conſpiciuntur. Nulla ibi prorſus aqua dulcis, vt appareant rerum argumentis, loci, & aquarum aſperitate, foueri. Ombrios vna ex Fortunatis inſulis eſt: In illa enim arbores ferulæ ſimiles reperiuntur, duplici genere. Nam & nigræ quædam ſunt, albæ item quædam. Ex illis verò amara exprimitur aqua, ex his dulcis,potui etiam iucunda.

De ſarcocolla. CAP. XI.

SARCOCOLLA, Latinis & Græcis σαρκοκόλλα, Arboris nomen, in Perſide, vt ait Dioſcorides, naſcentis, cuius lacryma eadem appellatione nominatur, quæ illi ex vi atq; poteſtate indita eſt, quòd glutinare vlcera mirum in modum valeat. σὰρξ enim caro eſt, κολλάω, id eſt,glutino,ac ſi carnis colla fuerit,vt carnes exulceratas glutinaret quemadmodum glutinum lignum.Nullus autem Græcorum figuram arboris effigiauit,quod ſciam. Poſt hos Arabes arborem fruticoſam ac ſpinoſam dixere, ramis nodoſis arbori compreſſis, Lacryma, thuris pollini ſimilis, ideoq; meliorem candidam Plinius dicit, quàm quæ rufa ſit. Dioſcorides colorem vnum illi,ſcilicet ſubrufum,adijcit,quidam pallidum.Guſtu amara:& quò amatior,eò valentior. Plinius verò cum quadam acrimonia dulcem: Ga-

lenus paululum amaram. Vetuſtate maximè nigreſcit. Medicis ac pictoribus vtiliſſima. Vim habet ex quadam emplaſtica ſubſtantia. Itaq; citra eroſionem deſiccat, vt proinde glutinare vulnera poſſit: ſuo enim munere, illa à ſordibus mundat, carne implet, cicatrice obducit. Oculorum fluxiones ſiſtit, vt ait Dioſcorides: cui Plinius addidit, ſi vino tuſa illinantur. Hæ fuerunt ſarcocollæ Græcis facultates, longè tamen plures è Mauritanis. Et, vt generaliùs de illis ſecundùm illorum ſententiam agam, vim purgatoriam habet, quod fuit horum inuentum, inquiente Meſuë. Aluum tamen tardè educit, exaſperatq; eos, quorum ventriculus bile exuberat. Inteſtina excoriat, tenaſmumq; inducit: quare eius vires alio medicamine compeſcendæ, vt gimgibere, & cardamomo. Alij ex nucum oleo conterunt. Pituitoſas cruditates, craſſos, & glutinoſos humores, ſolutione educit, maximè verò qui iuncturis, & coxendicum cauitatibus commorantur. Cerebrum verò, pulmonemq;, ac neruos mundat, & tuſſi, & ſuſpirioſis confert. Eſt etiamnum de his rebus, quæ ſenes iuuant, præſertim verò pituitoſos, Dioſcorides autem oculorum fluxiones ſiſtere ſcribit. Ij enim ad oculorum nubeculas, albugines, lippitudines, cicatrices, & huiuſinodi oculorum infirmitates, mirũ in modum valere produnt cum lacte, quod nonnulli aſininum ſeligunt, aut oui albumine admiſcent, exſiccata & cribrata, & in pollinis modum redacta oculis admouent. Alij ſic, in cratere vitreo cum lacte per dies quinq; macerant, vt tamen quotidie lac nouũ, priore effuſo, adfundatur: penicilla verò vulneraria priùs hydromelite humectant, & poſteà puluerem inijciunt. Auribus enim vlceratis etiam vtiliter imponitur: fluxiones illorum cùm amylo, & albo ſaccharo inhibet. Parata enim cum ricinino oleo ſenibus, & decrepitis conuenit, iuuenibus minime, quòd ricini calor iuuenum caliditatem ægrè ferat. Sola enim per ſe, aut ex alijs medicamentis, exhibita caluitium facit, & alopeciam: iuuenibus quidem non ſine mora, ſenibus citiſſime. Recentiores nonnulli narium ſanguinem cohibere aiunt, cum albumine oui miſtam, & temporibus illitam. Suffitus eius per inferna exceptus tenaſmo medetur. Cum aqua verò roſacea commiſta, & in ſole deſiccata, & iterum aqua roſacea macerata illita, faciei maculas delet.

De balſamo, opobalſamo, & xylobalſamo. CAP. XII.

BALSAMVM Latini Græci βάλσαμον: Pauſanias tamen in Bœotijs, palſamum, P, litera non B, proferendum ſcribit. Arboris magnitudo Theophraſto, quæ malo punicæ magnæ, Dioſcoridi verò, quæ albæ violæ, lycio, aut pyxachantæ, id eſt, buxeæ ſpinæ, Pauſaniæ quæ myrto. Plinius autem illius proceritatem ad bina cubita extendi ſcribit. Tacitus modicam arborem ait, vt non tam ex aliorum erga cæteras arbores comparatione, quàm diffinitè, ex hoc paruam arborem eſſe oporteat. Strabo arborem fruticoſam, cytiſo vel terebintho ſimilem effigiauit. Iuſtinus piceis arboribus ſimilem, humiliorem tamen, & quæ vineariũ more excludatur. Stirps vitibus magis, quàm myrto ſimilior. Folium rutæ proximum, vel ſampſuco, vt

co, vt voluit Pauſanias, longè tamen candidius. Rami multò craſſiores quàm myrto. Arboris tria genera, ſcabritia videlicet, proceritate, atq; gracilitate differentia. Quod enim tenui, ac capillacea coma eſt, eutheriſton vocant, quaſi demeſſile, fortaſſis quoniam, vt ait Dioſcorides, ob gracilitatem facilè demetitur. Alterum trachy appellant, quod ſcabro aſpectu ſit, & incuruum, atq; fruticoſum. Hoc autem odoratius. Tertium eumeces, quòd cæteris proceriùs ſit. ἐυμήκης enim Græcè procerus dicitur. Læui cortice. Huic enim ſecunda bonitas, nouiſſima eutheriſto. Fructus verò ſiue ſemen eius, inquiente Theophraſto, tam magnitudine, quàm colore terebintho ſimile, admodum odoratum, atq; eò magis quàm lacryma, guſtu vino proximum, nec ſine pingui. Fructum verò quidam καρποβάλσαμον Græcè vocant, alij caſſamum. Æſtiuis autem ſub Canis ortu ardoribus, alij per autumni tempus diffiniunt. Arboris caudex ſuperna parte inciditur vnguibus ferreis, vt & Theophraſtus, & Dioſcorides voluerunt. Plinius tamen, & poſt eum Solinus, ferro attrectatum protinus emori ait, vt etiam Tacitus dicat, nouas paueſcere, ſi vis ferri adhibeatur. Ea propter aut vitro, aut cultellis oſſeis, vel, vt Ioſephus ſcribit, lapidibus peracutis, teſtáve, vt Tacitus, finditur. Solus cortex artifici plaga vulneratur. Nam incidentis manus libratur, temperamento artifici, ne quid vltra corticem violet. Manat enim è plaga ſuccus, oleo viſu perſimilis, propterea recentiores Græci βαλσαμέλαιον vocant, priſci ὀποβάλσαμον. ὀπὸς enim ſuccus eſt, vel etiam ab ὀπῆ, id eſt, cauerna illa, ex qua liquor ille defluit. Exudat autem tam exiguo ploratu, vt annis ſingulis, ne plures quidem, quàm ſeni, ſepteníve congij cogantur, atque hoc ſolùm olim à maiore horto, de quo ſuprà, maiori etiam fœcunditate. Alexandro enim Magno res ibi gerente, toto die æſtiuo concham vnam impleri iuſtum erat. Sed pòſt lucri auiditate, & auaritia, ſingularum arborum largior vena ter omnibus æſtatibus percuſſa. Colligitur in paruo cornu: dein ex ijs nouo fictili conditur. Quamprimùm deijcitur, lactis modo albeſcit, poſteà verò rubeſcit, ſimulq; dureſcit, & tranſlucidus fit. Optimus color, qui modicè rufus, ſecundus in bonitate candidus, peior viridis, craſſusq;, peſſimus verò omnium niger: quippe qui velut oleum ſeneſcit. Alij autem candidũ dixere, quod ſupernataret, & magis pretioſum. Quod verò in medio loco ſit, ſubrubrum, atq; ipſum deterius. Fæx autem tertio loco remanet, ſubfuſca. Hac ſiquidem ad mundandas manus, aliaſq; nonnullas curationes vtuntur, cum reliquis careant. Lacrymæ autem probatio, vt ſit recens, pinguis, & in fricando, odoris validi, ſyncera, non ad acorem vergens, pellucida, leuis, adſtringens, ac modicè guſtu mordens. Maximè probatur, quod ante ſemen fluxit, vt plurimùm ob eius raritatem, & vim. Nam ob eius ingens pretium, ſæpiſſimè adulteratur, nec alibi manifeſtior fraus. Nullum prætereà ſyncerum aſportari, teſtatus eſt Theophraſtus, & vitiatum omne, quod in Græcia venundaretur. Quippe etiam referente Secundo millibus denariorum ſextarij empti, vendente fiſco, trecentis denarijs veneunt. Quò enim naſcitur, duplo ad eius pondus argento rependitur. Intantum enim expedit mortalium cupiditate liquo-

rem adaugere. Adulteratur enim ſuo ſemine: vixq; vitium hoc, propter rerum affinitatem depræhenditur. Idq; ſolum guſtu amariore. Vitiatur & oleo roſæ, terebinthi, cyperi, myrti, lentiſci, balani, vnguento: item ſuſino, melle, cera, cypria, reſina, galbano. Nequiſſimè verò gummi, quoniam ipſam quoq; inhæreſcit manu inuerſa, atq; etiam in aqua ſidit. Eius autem probatio talis à ſcriptoribus perhibetur: Seneſcens craſſeſcit, deteriorq; redditur. Debet enim verum inhæreſcere, quod & gummi ſuprà euenire diximus, addita fragili cruſta. Si contra ſolem (autore Seruio) feratur, tum legitimum erit, ſi ferentis manū non exurat. In laneam verò veſtem effuſum, neq; maculam, neq; ſi eluatur, notam relinquit. In aqua enim aut lacte, celerrimè liquatur, lenteſcitq;. Allucinantur (inquit Dioſcorides) qui in aqua concretum, peſſum ire, & ad ima ſidere, arbitrantur, & poſteà diſſipatum ſupernare. Vitiatum autem olei modo innatat, ſeſe conuoluens, aut in ſtellæ radiantis modum ſeſe diffundens. Quod verò cera, vnguentis, vel, vt Plinius ait, reſinis adulteratum erit, carbone coarguitur, nigriore hinc exhalante flamma. Alij ferrum eo inungunt, & igni admouent: tunc ſi candeat, adulteratum. Melle autem immutatum, ſtatim muſcas contrahit: metopio verò, circulo cādido cingitur. Mirè ſuauitatis eſt, vti omnibus odoribus præferatur: vt quamuis tenue defluat, longè tamen copioſum immittat odorem. Secundo ordine, vt ait Galenus, calefacit, ac deſiccat, tenuiumq; partium eſt, nō propterea vt tantum calfaciat, ſicut quidam exiſtimant. Celſo concoquit, & emollit. His enim, qui venenum ſumpſerint, aut ſerpentis ictu, maximè ſcorpionum, læſi fuerint, cum lacte muliebri ſumendum datur. Prodeſt etſi ictus eo inungatur. Tremulis, ruptiſq;, aurium, & capitis doloribus perquàm vtilis. Quod de duobus vltimis teſtatur Quintus Serenus:

Balſama ſi geminis inſtillans auribus addas,
Tum poteris alacrem capitis reparare vigorem.

Calculum etiam frangit. Ad conceptionem facere quidam exiſtimarunt, vel potum, vel appoſitum. Vuluæ enim imponunt, & arte quapiam ſubtus fumigant. Ad comitiales valet, & ſanguinis fluxum. Abſtergit oculorum tenebras, pupillis ſuffuſum. Febres cum rigore venientes illitu diſcutit. Sanguinem denſari prohibet. Menſes, ſecundas quoq;, & partus extrahit. Sordida vlcera expurgar, & cruda concoquit. Ægrè ſpirantibus prodeſt potum, vrinam cit. Dyſpnoidas, collectiones omnes, duritiaſq; lenit. Præter has autē, tam crebras balſamo ab antiquis attributas facultates neoterici medici alias addiderunt. Vulnera enim velociùs curat, & ea ſine cicatrice relinquit. Stillata enim in aurem gutta, ſibilum, & obtuſum auditum ſanat. Mulierum faciem mundam, ac pulcherrimam reddit, & lentigines in ea delet. Veſicæ, renumq; calculos celeriter frangit, ac minuit. Miſcetur malagmatibus, acopis, & antidotis. Fit ex eo oleum, ſucco in oleo expreſſo, maceratoq;, quo longè omnium pretioſiſſimum eſt. Semen autem lacryma minùs tenuius, ita & virtute inferior: cæterùm etiam eius vſus neceſſarius, quamobrem deligendum flauum, plenum, maximum, ponderoſum, & guſtu mordens, feruenſq; in ore, modicè ipſum opobalſamum olens,

olens. Vitiatur autem hiperico, ſemine, quod è Petra Palæſtinæ oppido adſertur: verùm inanitate, magnitudine, longitudine, depræhenditur, viriúmve ignauia, atq; piperis ſapore. Commodè autem in pleuritide potui datur: Tuſſi, comitialibus, vertiginoſis, pulmonum vitijs, iſchiadicis, orthopnoicis, ſerpentum morſibus, torminibus, ac vrinæ difficultati. Ad muliebres ſuffitus perquàm vtile. Corticis etiam ad medicamenta pretium eſt: Nam & vnguentis concoquitur. Lignum autem ξυλοβάλσαμον Græcè dictum. ξύλον enim Græcè lignum eſt. Patiens ſuperna amputari. Quotannis enim amputabatur, partim, vt ait Theophraſtus, vt cætera valentiora adſeruarentur, ad meliorem verò eiuſmodi cultus, rationem referentes partim vt emolumenti plus comparetur. Nam & virgæ odorem ſuauiſſimum præſtant. Et ſarmenta quoq; in merce ſunt: & pro lacryma lignum ſubſtituêre officinæ. Amputatio verò ipſa, ſurculusq; Plinij tempeſtate DCCC. intra quintum demum annum venibat: xylobalſamiq; pretium in libras VI. erat. Probatur autem recens, tenue, ſuluum, odoratum, buxoſum, quod odoratiſſimum eſſe ſolet, & quadantenus opobalſamum ſpirans. Eaſdem cum opobalſamo vires habet, aliquanto tamen mitiores. Vrinam cit, oſſium ſquammas extrahit, ad vnguentorum ſpiſſamenta additur. In ſumma autem, præcipua liquori gratia, ſecunda ſemini, tertia cortici, minima ligno. Mirum eſt prodentibus multis medica profeſſione viris claris, quod etiam ex ipſius balſami deſcriptione liquido depræhendere eſt, apud nos neq; lacrymam, neq; ſemen, neque lignum, neq; corticem, niſi omnia adulterina importari, vt etiam Galeni tempore horum copia minimè habita fuerit. Quod manifeſtè conijciendum eſt ex eo, quod ſcribat, vice balſami, myrrhæ ſtacten, aut oleum irinum, & xylobalſami loco, leucoij radicem ſupponendam arbitretur. Alij loco balſami oleum terebinthinum, vel laurinum, vel gummi hederæ, alij oleum nucis myriſticæ, vel ſtyracinum. Pro xylobalſamo hederæ lignum, alij agallochum. Pro carpobalſamo hederæ corymbum, cæteri cucubas, vulgare ſubijci volunt. At nunc è Perucis Indiæ inſulis adferri perhibent. A balſamo adagium, cuius meminit Ariſtophanes in Equitibus, balſami dignum factum. Cùm quid memorabile perpetratum ſit.

De ſtyrace. CAP. XIII.

IVDÆÆ proxima Syria eſt, ſupra Phœnicem, circa Gabala, & Marathunta, & Caſium. Seleuciæ montem, ſtyracem arborem gignit, cuius lacryma eodem nomine appellatur. Naſcitur etiam in Piſidia, in qua prope Sergum Lacedæmoniorum, ſylua huius ligni fertilis quondam fuit, autore poſt Strabonem Heliano. Ex qua miſſilia corneis ſimilia conficiebantur: vnde ortum, vt tonſillæ propilatæ, quas Græci alio nomine vroſcos vocitabant ſtyraces appellari conſueſcerent. Naſcitur arbor in Cilicia & Pamphylia, in Calamis, vt ait Galenus: quod genus cæteris ſtyracis præſtare ait, quantum vinum Falernum alijs bonitate præcellit: & etiam, autore Strabone, in Sidone, Cypro, Creta, & nunc Venetijs viſitur. Arbor quidem

per ſe,

per ſe recta,non admodum magna,inquit Strabo,cotoneo ſimilis, ſu cco prægnans,intus arundinis ſimilitudine, fructu minore quàm auellana, & pruni candidi ſpecie. Et vt nonnihil ex Arabibus , ad ampliorem arboris deſcriptionem addam , Iſaacus (ſolus inter eos hanc deſcribit) fructum album eſſe dicit,& veſtiri duplici cortice, quorum interior pinguis exterior amarior,vt tamen mandi poſſit. In trunco autem (vt hic ait) edaciſſimi vermis genus innaſcitur,quod lignum vſq; ad corticem ſurſum erodit.Scobs ſimilis huic,quæ è ſerra cadit: cuius aceruus ad radicem adaggeritur. Poſteà humor quidam, qui facilè coagulatus , ſuccino perſimilis perfluit. Qui in ſummo collectus , purus , integerq; permanet, qui verò cùm defluit,in trunco congelatur. Alius verò in terram defluit, ac ſcobe commiſcetur. Ij autem vltimi ligni terræq; commiſtione , priori odoratiores redduntur:huic tamen viribus impares,quæ res multos fallit. Quæ enim è Gabala,& Marathunta, & Caſio eſt, præfertur. Poſteà verò quæ è Piſidia, Sidone, Cypro, Ciliciáve deterior. Quæ autem è Creta, aridior. Quæ item è Pamphylia minùs ſuccoſa: cuius bonitatis teſtimonium ſuprà è Galeno eſt. Ex Amano medicis , ſed vnguentarijs magis expetitur. Color è quacunq; natione præfertur rufus,& pinguiter lentus, reſinoſus, grumis,ſiue,vt Plinius ait,fragmentis albicantibus, quæq; odoris gratiam diutiùs adſeruat,melleumq; liquorem,cùm ſubigitur,reddens. Talis enim è Gabala, Piſidiaq;,& Cilicia aduehitur. Deterior niger,furfuroſus,friabilis.Cæterùm inuenitur,præter hanc,gummi ſimilitudine,myrrhæ æmula, & perlucida,verùm eiuſmodi perpauca effluit. Adulteratur autem ſuæ arboris ligni ſcobe , quam vermiculi pennati circa Canis ortum in hanc aduolantes, eroſione fecerunt : Melle item , ac iridis craſſamento,cedriq; reſina , & amaris amygdalis , necnon quibuſdam alijs. Sunt qui adipem cerámve , odoribus imbutam, flagrantiſſimis Solibus, cum ſtyrace ſubigunt,atq; per laxa cribri foramina,vermiculos in aqua frigida exprimant, venundentq;. Qui quia in vermiculorum ſpeciem contrahitur , ſcolecitem,cognominant. Quam tanquàm ſyncerum imperiti approbant, eius ex odore probationem negligentes. Siquidem quæ adulterata non fuerit,acris admodum eſt. Pretium optimæ, Plinij temporibus, XIX. Styrax verò emollit,calfacit, concoquit, vt Dioſcorides, Galenus, & Paulus voluerunt. Quare tuſſientibus,diſtillationibus, grauedinibus,raucedinibus, ceu retuſæ,& amiſſæ voci,at ſi malis dicere,raucedinibus,quas Græci κόρυζαν, καὶ βράγχον vocant. Pectoris vitijs medetur,menſes pota,vel admota cit. Vuluæ præcluſæ,duritiáve laborantibus,conuenit. Aluum leniter lenit. Celſo autem mouet pus, purgat,rodit,adurit, diſcutitq; ea, quæ in aliqua corporis parte , cohæſerunt. Scribit autem Plinius, ſe inueniſſe modico potu,animi triſtitiam reſolui, longiore contrahi. Infuſu, aurium ſonitus emendat. Aduerſatur venenis,quæ frigore nocent,idcirco cicutæ. Serpentes etiam odore abigit. Præter has vires, alias ſubiecerunt Arabes, Aluum ſtringit , Ventriculum roborat , pulmoni auxiliatur. Craſſos flatus excutit. Luxatis membris potu,aut illitu medetur. Fluxionibus ſuffitu prodeſt. Vlceribus ſupercutaneis medetur. Miſcetur vtiliter malagmatis,

quæ diſcutiendo ſunt, & acopis. Crematur, vt fiat ex ea veluti ex thure fuligo, ad eadem, quæ thuris, efficax. Fit & in Syria oleum hoc modo, vt Aëtius oſtendit: Olei enim dulcis, optimi, ſextarium vnum deſumito, ſtyracis verò pinguis vncias duas, ſimul in duplici vaſe decoquito. Quod anethino callidius, emollit, calfacit. Quapropter indurata corpora egregiè ſoluit: dolores tamen capitis facit, aggrauatq́;, & ſoporem adfert.

De myxis. CAP. XIIII.

SYRIÆ ac Ægypti illarum vicinitate quædam peculiaria ſunt, inter quæ erunt, myxa, autore Paulo Ægineta, quæ & myxaria Actuario etiam dicuntur, ἀπὸ τῦ μύξης, id eſt, à muco lento è naribus fluente. Nam & fructus ſimili muco abundant. Sebeſten officinæ vocant, Arabicam appellationem magis quàm Latinam retinere malentes. Quod nonnulli in Cæſaris honorem factum arbitrantur, qui σεβαςὸς, id eſt, honorabilis dictus. Arbor pruno popularis, magnitudine tamen excedens, ac ramis virore nitentibus. Cortex ligno albus, folium rotundum, ac firmum, & amplum. Fructus dulcis, pruno ſimilis, ſed minor, racematim dependens. Dum autem matureſcit, in atrum vireſcit, habens intus quaſi oliuæ nucleum, triangulari forma. Arbor nunc familiaris Italiæ. Plinij memoria ſorbis inſita, Ægyptiæ perſico perſimilis, niſi quòd illi poma rubeſcunt. Eſt & in Calabria ſpina ſylueſtris, quæ myxas optimè recipit. Græcorum enim antiqui huius non meminerunt, ſed poſteriores tantùm, veluti Paulus, Aëtius, Pſellus, Actuarius. In Ægypto ex myxis vina fieri, Plinius autor eſt. Fructus maturus legitur, inſolatur, & in rugas contractus conditur. Humidus primo exceſſu, mediam tenet in calore ac frigore ſedem ventrem ſoluit, ſitim reprimit, ac bilem, & tantum priſcis medicis, faſtidientibus pueris, & malacia laborantibus mulieribus, expeditus. Recentioribus verò ad multos vſus. Valet enim aduerſus linguæ ſcabritiem, ore retenta, & linguæ circundatus. Eroſiones veſicæ ſedat, ventrem comprimit, & deſtillationes. Ventris animalia expellit, exq́; dulcedine pruni adliciente enutrita cohærent. Febricitantibus ventrem ciere perhibetur, & tuſſi, quam æſtus, aut ſquallor excitauit, opitulari. Ardores etiam febricitantium ore compreſſus mitigat. Pectoris aſperitates lenit. Ad quos quidem vſus, noſtræ tempeſtatis medici commendant Damaſcenum, quod vocant. Ex eo viſcum paratur, aucupijs commendatiſſimum propter aquatiles volucres.

De Zizyphis. CAP. XV.

ZIZYPHA, Græcè ζίζυφα, ζυζυφα, καὶ ζιτζυφα, ſic enim vocata reperitur. Sericæ etiam Græcis dicuntur. Arbor retorrida, caudice tamen ſatis recto, ramis ſpinoſis, quamobrem in caſtrorum aggeribus ſerebatur, vt Plinius ait. Flore oleæ, odorato tamen, baccis his ſimilibus, quæ cornus fert. Duplex genus, rutilum, & candidum hic retulit. Inter Græcos recentiores duo genera etiam Si-

meon Sethius poſuit,& inter Arabes Auicenna. Galenus ingenuè fatetur ſe nil de zizyphis habere,quod ad tuendam ſanitatem, morboſq; profligandos valeat, ſed tantùm inſolentium, ac effrænatorum puerorum, & muliercularum eſſe cibum,quòd ſaporis nonnullam gratiam lenocinentur. Etenim imbecilliter nutriunt,& ægrè concoquuntur,ſtomacho inutilia.Sitim accendunt,nec ventris beneficium præſtant.Adde etiam quòd & ipſa exiguum dant corporibus alimentum. Hæc de zizyphis Claudij Galeni ſententia. Alia tamen fuit eius ſectæ ſequacium,etiam in curandis morbis,vt contra tuſſim exhibeant. Comeſa verò,cum quadam caliditate humiditatem habent. Sanguinis ſedandi acumen habent. Enimuero ſucci boni ſunt, & euacuant quod ſeroſum in ſanguine eſt. Ad ſpirandi difficultates,eorum decoctum facit, ad renes item,& veſicam : lapillos & frangere, & à renibus expellere dicitur. Arabibus fructus calidus primo abſceſſu,& humidus:verùm caliditas excedit. Auicennæ, pectoris & pulmonis vitijs confert. Meliora, quò maiora, qualia ſunt ediſſena. Sedant enim acres humores : verùm difficilis concoctionis, & lieni officiunt, vt ſatiùs ſit eorum decocto vti. Reliquum eſt, vti de eius vi, Palladæ Græci poëtæ iudicium audiamus. Fatetur autem is ſe vim egregiam in zizyphis inueniſſe. Cùm enim is febri quartana laboraret, & zizypha inſpexiſſet, ſubitò ſe conualuiſſe aſſerit,& ſanum vt Croto factum:cuius rei teſtimonium hoc epigrammate, præbuit.

ὐκ ἀλόγως ἐν ζιζύφοις δύναμίν τινα θείαν
εἶναι ἔφην. χθὲς γοῦν ζίζυφον ἐν χρονίῳ
ἢ πιάλῳ, κάμνοντι τεταρταίῳ περίηρα
καὶ γέγονεν ταχέως δι κρότων ὑγιής.

Non prætereundum tamen in aliquibus exemplis legi διζύφοις.

De ſiliquis. CAP. XVI.

GRÆCIS Latiniſq; eadem in arbore ſiliqua, fructuſq; ratio eſt. Nam illi κεράτιον, ἢ κερατωνίαν, longam ſiliquam vocant, qua leguminum grana, & ſi quid illis ſimile eſt, contineatur à corniculi ſimilitudine. Latini verò à communi cum alijs ſiliquis ſignificatu, hanc arborem diſcernentes aliquid addidere, ſiliquam dulcem, aut cerauniam, vt Plinius, vel Græcam, vt Columella vocantes. Forſitan hic vt à fœno Græco ſeiungeret, quod ruſtici per ſe ſolùm ſiliquam dicunt. Siliquaſtrū quidam etiam dixerunt, recentiores aliquot Græcorum Συλοκέρατα vocant. Galenus, & poſt eum Paulus arborem ceratoniam, fructum verò ceratiam appellauit. Eſt & ſiliqua certum pondus. Nam grana quatuor, ſiliquam hoc eſt,vt Græci vocant κεράτιον, & adhuc aurifices,corrupto vocabulo, caractum vocant. Arbor ſatis procera, ramis in latitudinem magis, quàm longitudinem,expanſis:radice ſublimi,omninò imis partibus plantigera: ideoq; ſuperiùs flaueſcens, ac ſubareſcens, auferente ſuccum ſobole, cortice cinericio ad cærulum inclinante, folio fraxini, latiore tamen, ac duriore,atq; rariore,atq; iterum magis circinnato.Flos candidus,cum odoris veh

ris vehementia. Fructus digitorum hominis longitudine & interim falcata, pollicari latitudine, coloris atri, vuæ modo indiſcretus. Semen intus quod neq; caro eſt, neq; lignum, ſiue cartilago. Florem circa Arcturum & æquinoctium emittit, hyeme enutriente fructum. Quidam, Theophraſtus ait, hanc arborem ficum Ægyptiam exiſtimarunt: ſed manifeſto errore. Manditur & eius cortex. De ea ſic Horatius:

- Viuit ſiliquis, & pane ſecundo.

Siliquæ autem exſiccandi, atq; adſtringendi vi pollent, ſicut & ceration, quòd & nonnihil dulcedinis habeant: & hoc ceraſis quidpiam ſimile. Mali ſunt ſucci, & concoctioni renitentes, & ventrem adſtringunt: ſi tamen humida ſumas, magis ſubducunt. ſi ſicca, magis ſiſtunt. Propterea Galenus ea ad nos ex Orientalibus non importari, ſatius exiſtimauit. Recentes ab arbore decerptæ, ſapore ingrato ſunt: in cratibus verò exſiccatæ dulceſcunt, & eſu gratæ ſunt. Aliæ ſtomacho vtiliores, ſi poſt cibum ſumptæ fuerint. Antè autem valentet ſiſtere ventris fluxiones. Raſes Arabs verrucas recentibus ſiliquis illitas extirpari experimento cognouit. Vinum fit è ſiliquis, vt Plinius memoriæ mandauit. Syriacas enim, vt Plinius ait, ternas in aquæ ſextarijs decoquunt, quidam ad dimidium, eumq; ſuccum bibunt.

De piſtacijs. CAP. XVII.

PISTACIA Latinis & Græcis. Nam ij πιςάκια. Nicander Colophonius pſittatia, alius Nicander phiſtacia, Poſſidonius liſtacia vocauerunt. Niſi in his mendum ex nominum vicinitate ſuſpicari velis. Athenæus quoſdam ait terebinthum credere, fallente foliorum ſimilitudine. In Syria vbertim naſcitur, maximè apud Berrhœam illius regionis vrbem, vt ait Galenus, & in India, apud Coaſpum amnem, vt ait Nicander in Theriacis. Folia eius maiora quàm lentiſci, in ordinem vbicunque diſpoſita ac diſtantia, frondium interuallis, colore ex viridi inclinante in luteum. Fructus racematim ſuis pediculis pendent: pineis nucleis, quorum corium, quod ſuperius eſt, tenellum, ac viride eſt, Nuclei operimentum, quid ſubamarum & odoratum habet. Calefaciunt ſecundo ordine, ac deſiccant, ex Arabum ſententia. Calidiora magis, quàm iuglandes, aut Ponticæ nuces. Tenuis ſubſtantiæ ſunt. Parùm nutriunt. Stomacho mediocriter conducunt. Sunt tamen qui dicant huic, neq; præſidio, neq; nocumento eſſe. Obſtructiones liberant, maximè iecoris, thoracis, ac pulmonis, præcipuè verò ſummum eorum operimentum ex vino decoctum. Sanguinem tenuem gignere arbitrantur, & craſſos, ac præcluſos humores extenuare. Auicenna ex omnibus fructibus præſtantiores eſſe contendit. Aduerſatur ſerpentum morſibus, ſiue edantur, ſiue bibantur, & hanc in ſummo illarum operimento eſſe Nicander ſcribit. Maximus harum in venere vſus. Ex his oleum fit, quod piſtacelæum vocant, pectori, renibus, & pulmoni confert, & ex Mauritanorum ſententia, mirificè aduerſus ſerpentium ictus.

De tuberibus. CAP. XVIII.

PARVM eſt, quod ego de tuberibus dicam cùm nil ipſe habeam, quàm quod à ſolo Plinio relicta ſunt, & vſqueadeò pauca, vt neque deſcriptionem, igitur nec cognitionem, ille tantùm inter mala poſuit, atque duo genera eorum annumerauit, ea à coloribus diſterminans, in candidum ſcilicet & ſericum diſſecans.

De Strobo. CAP. XIX.

ARBOR ſtrobus eſt apud Carmanos naſcens. Qualis verò eius fuerit figura, penes neminem comperi. Solùm enim ad ſuffitus vtilem inueni. Vino enim palmeo perfuſa accenditur, odore periucundo, qui à cameris ad ſolum reciprocè redditur. Caput tamen aggrauat, verùm id citra dolorem. Hoc autem ſuffitu ſomnus ægris conciliatur.

De bruta. CAP. XX.

CLAVDII Cæſaris hiſtorijs, mirùm in modum prædicatur arbor bruta vocata, vt Plinius memoriæ mandauit. Apud Elimæos autem petitur, Aſſyriæ gentem, Suſianæ Perſiæ conterminam: naſciturq; vltra Paſitigrim, finibus oppidi Sittanæ, monte Zagro. Cupreſſo fuſæ ſimilis eſt. *Sunt qui* dicant modò apud nos naſci: exiſtimantq; alterum eſſe ſabinæ genus, argumentum ſumentes à nomine, immutatis aliquot literis. Nam ſabina Græcè brathys. Ex albidis ramis, accenſa, iucundi odoris eſt. Parthi in ſuis potionibus eius folijs vtuntur.

De malobathro. CAP. XXI.

DAT & Syria, vt Plinius ait, malobathrũ arborem, ſic Græcè, Latineq; vocatã & φύλλον & ἰνδικὸν φύλλον, de primo Plutarchus teſtatus, & vnguentum ex eo foliatum folio conuoluto, albido colore, ex quo exprimitur ad vnguenta oleum. Fertilius in Ægypto, Valetio autem Martiali, & cæteris tum Græcis: tum Latinis ſcriptoribus celebre. Meminit etiam malobathri Martianus Iuriſconſultus libro trigeſimo Digeſtorum. Scribit autem Dioſcorides in India, atq; in paludibus lentis paluſtris modo, malobathrũ folium, ſui generis naſci: ſine radice, aquis fluitans. Quod colligentes incolæ, funiculo ſtatim traijciunt, atq; deſiccatum ſeruant. Ferunt inſuper exſiccatis æſtiuo feruore lacubus, aridis fruticibus humum accendi: quod vbi id non euenerit, non amplius quidem renaſci. Quæ ſi vera ſunt, quæ ij meminerunt, gemina malobathri conditio erit. Vnum quidem paluſtre, alterum ex arbore. At nunc etiam recentiores medici aliud addidere, cuius ſurculi & folium lauro, vel arbuto ſimillimum, cum baccis etiam lauri ad nos deferuntur. Et hoc genus nunc cognitũ. Quod autem folium nunc pharmacopolæ appellant, quidam cinnamomi, alij

garyoph

garyophylli, exiſtimant. Laudatur recens. Nam celerrimè ſitum in vetuſtate ſentit cùm nigredine quadam albicans, integrum, & frangendi contumax, & quòd ſuo odore caput tentet, & odoris ſuauitate diu permanens, nullo ſalis guſtu & vt nardi ſaporem redoleat. A cuius odoris cognatione, nonnulli nardi Indicæ folium, ſed id falsò arbitrati. Improbabitur quod infirmum erit, & minutim contuſum, maximè verò ſi carioſo halitu ſit. Deſiccare primo Arabes, inter quos Auicenna, vel, vt alijs placuit, ſecundo ordine: Calefacere enim tertio arbitrantur. Eaſdem veluti nardus, vt Galeno placuit, ſortitur vires: ſed efficaciùs, vt quidam voluerunt. Vehementiùs enim vrinam cit, Stomacho accommodatius. Inflammationibus & lippitudinibus oculorum, vino expreſſum, vtiliſſimè imponitur, item frontibus dormire nequeuntibus. Ad hoc efficacius, ſi nares illinantur, aut ſi ex aqua bibatur. Oris halitum, & ſuauitatem, linguæ ſubditum folium commendat. Quin etiam veſtibus interponitur, quas & irroſas ſeruat, atq; odoris fragrantia, commendat. Subferuefactum in vino, odore illud omnia vina antecedet. Vbi opus eſt malobathro, & illud abfuerit, Galenus caſſiam odoratam, vel nardum Indicam ſupponendam vult. Vnguento eius Romæ locupletes mulieres vngebantur, Galeno prodente. Quod ex Horatio patet:

Coronatus nitentes malobathro Syrio capillos.

A quo malobathratus eo vnguento delibutus. Quo vſus eſt Sidonius Apollinaris. In pretio quidem prodigio ſimile fuit (ſcribente Secundo) à ſingulis denarijs ad trecentas peruenire libras, oleum autem ipſum in libras ſexaginta. Ex ſupradictis autem ſatis apparet, quàm varia, quamq; incerta ſit malobathri hiſtoria: vt multi antiquum malabathrum apud nos non extare exiſtiment. At nunc Luſitani, qui apud Indos ad explorandas nouas regiones nauigarunt, retulerunt poſteà regionem quandam nomine Malabar apud Indos inueniſſe, cuius ciuitates ſunt, Calicutum, Batecala, & plures aliæ, vbi planta quædam viticoſa, alias plantas, lupi ſalictarij modo ſcandens, folio amplo, perpetuò virenti, nucis perſimili lineis tribus multum amplis, & vndantibus. Incolæ bathrum vocant, vti ex regionis nomine ac plantæ, paucis immutatis malobathrum vocabulum componere valeas. Res apud eos pretioſa, cuius etiam ſolius cibo nonnulli contententur, alij cum cæteris pretioſis edulijs commiſcentes. Stomachum roborat, cor exhilarat, ac cerebrum confortat, & venerem incitat.

De perſea. CAP. XXII.

AEGYPTI, ſicut & Syriæ, quædam peculiaria ſunt: veluti perſea, quam ſolam apud Alexandriam, nec in alia quidam regione, quæ Romanis ſubdita fuerit, ſe vidiſſe tradit Galenus. Conſtituit autem Imperator Arcadius, ſicuti in Codice Iuſtinianeo, atque titulo, de cupreſſis ex luco Daphnes, vel Perſidos, & cætera, cautum eſt, Ne quis arborem perſeam per Ægyptum exſcindat, pœna etiam contra peragentes quinque librarum auri indicta.

Primùm enim in Æthiopia nata, vt Diodorus Siculus ſcribit. A Perſis enim deuicta Æthiopia, ad ſe delata, apud quos venenata, & cum cruciatu primùm genita. Poſteà verò pœnarum cauſa à regibus in Ægyptum tranſlata, verùm terra hoſpitali mitigata. Ferunt autem Perſas hanc arborem apud ſe lethalem habentes, in Ægyptum tranſmiſiſſe, plurimos ab ea perituros credentes. Quæ contrario euentu ab his vtiliter in cibos recepta. Quod expreſſit Columella in ſuo carmine:

Colum. lib. 10.

Stipantur calathi, & pomis, quæ barbara Perſis
Miſerat (vt fama eſt) patrijs armata venenis.
At nunc expoſiti paruo diſcrimine lethi
Ambroſios præbent ſuccos, oblita nocendi.

Negarunt tamen eruditiores ex Perſide propter ſupplicium tranſlatam, verùm à Perſeo apud Memphim ſatam. Arbor, inquiente Theophraſto, magna, radice tum craſſitudine, tum latitudine exuberante. Folio, floreq́, ac ramis, tota pulchra, facie pyro potiſſimùm vicina. Pomum pyro ſimile, longius tamen, amygdalæ figura, colore herbidum, nucem intus excludens, pruni ſimilem, longè tamen minorem, molliorem'q;. Caro vehementer dulcis ac ſuauis, concoctu facilis. Eius maturitas Eteſiarum flatu conficitur. Eſus ſtomacho accommodatus, cuius etſi blandiatur illius ſuauitas, innocuum tamen etiam his, qui abundè, nimiumq́; comederint. Fertilitas aſſidua, ſubnaſcente craſtino maturiùs fructu. Crudum verò auferunt, & condunt. Nicander, & eius interpres, eandem cum malo Perſico exiſtimauit, & nonnulli è recentioribus. Quod falsè Plinius nonnullos feciſſe ait. Cuius rei liberum iudicium cuiq; ſit ex his quæ hîc, & quæ infrà de Perſico malo, ex Theophraſto, Dioſcoride, & Plinio ſcripſimus. Eadē enim appellatione tam apud Græcos quàm Latinos vocatur. Quidam tamen perſion appellant. Paruus in medicina eius vſus commemoratur. Galenus autem foliorum eius ſolùm, quod ſciam, meminit, quæ adſtringendi vim modicè habeāt, vt poſſint etiam ſanguinis quaſlibet eruptiones reprimere, ſi læſi membri partibus applicentur. Siccata verò, & fricata, ſcabiem exterunt. In pomo autem phalangia inueniuntur, vt ait Nicander. Dioſcorides enim nomen indicat, cranocolapta vocans. Nicandri verò ſcholiaſtes κεφαλοκρύστην, præſertim autem in Thebaide, Ægypti parte. Animal hoc papilioni ſimile.

De ficu Ægyptia, quam Sycomorum appellant.

CAP. XXIII.

FICVS Ægyptia Græcè συκυμοραία συκὴν αἰγυπτίαν etiā vocant, alij ſycaminon. Celſus etiam Latinè ſycomorum, mutuata à Græcis appellatione, & moroſcon, vt Græcè Dioſcorides μῶρον σῦκον. Quippe arbor fico noſtrati, vel, vt Dioſcorides voluit, moro comparatur, vt proptereà Theophraſtus morum dixerit. Nam folij magnitudine, vel figura illi proxima eſt. Quidam autem ſycomoron non à mori ſimilitudine dici voluerunt, ſed quòd eius pomum ignaui, & inertis ſaporis exiſtat, quaſi fatua

ficus

ficus ſit. In quam quidem ſententiam referendum erit, quod Plutarchus de Sylla ait: Qui cùm Athenas obſediſſet, qui intra muros eſſent clauſi, hoc ſcommate, hominis ignauiam irridebat, συκάμινον ἔσθιε σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον. Fructum tamen ſuauem Plinius dicit. Quem quidem non tantum ramis, ſed caudice geſtitat, vſqueadeò fœcunditate ſua augusta. Fructus enim huius, viſu, magnitudineq́;, necnon ſucco, ac ſapore caprifici ſimilis, longè tamen prædulcis eſt, ac ſine intus granis, moris humidior, frigidiorq́;, ancipiti inter morum & ficum natura. Mатureſcere nequit, niſi ante ſcalptum fuerit, quod vnguibus ferreis faciunt. Quod cùm factum fuerit, intra triduum, quartóve die, maximè Zephyris agitata demetitur: & alterum ſine mora protuberat. Subnaſcitur tamen, & ſi non ſcalpatur, fœtus alius. Hæc autem arbos multo lacte abundat. Fit autem è ſycomoris vinum, quod ſycomoriren vocant, ſimiliter ac de ficis, verùm in acerrimum degenerat acetum, cùm non poſſit dulcedinem, cùm illorum vis defluxerit, retinere. Manifeſtè autem ſycomora refrigerant, humectantq́;, nullius quidem nutrimenti. Stomacho noxia. Succus autem è tenera arbore, atq; etiam antequàm fructum ferat, eximitur, lapilli ictu ſummo cortice cõtuſo, idq́; leniter. Nam altiore plaga, deſquamatus cortex nihil effundit, mirabili natura. Spongia, aut lana excipitur: & exſiccatus, ac in paſtillos coactus, in picato vaſe reconditur. Vis enim eius eſt emollire, vulnera conglutinare. Dyſentericis prodeſt. Diſcutit panos, omneſq́; collectiones. Contra verò ſerpentum morſus aut bibitur, aut illinitur. Multa alia eius remedia Plin. deſcripſit, vt ad induratos lienes, ſtomachi dolores, & febrium horrores. Capitis dolores ſedat, item aurium. Illinitur & contra perfrictiones: ſpleneticis bibitur. Aconito, araneis, in vino potus. Aluũ ſoluit: pituitas, ac tineas, & cætera ventris animalia extrahit. Hoc idem præſtat tritus cortex. Folia tingunt capillum, cum fici nigræ & vitis corticibus, ſimul in aqua cœleſti coctis. Aluum pomi ſuccus protinus ſoluit: ipſa poma ad præſens ſtomacho vtilia. Refrigerant, ſitimq́; faciunt. Si non ſuperueniat alius cibus, intumeſcunt. Succus ſiſtit aluum, veluti alicuius animalis. Fit è pomo panchreſtos ſtomatice, eademq́; arteriace vocata, hoc modo: Sextarij tres è pomo ſucci. E pomo enim leui vapore ad craſſitudinem mellis rediguntur. Pòſt additur omphacij acidi pondus x. duorum, aut myrrhæ vnius. croci x. vnius. Hæc ſimul tota miſcentur decocto. Nec eſt alius oris, arteriæ, vuæ, ſtomachi iucundius remedium. Fit & alio modo: ſucci ſextarij duo, mellis Attici ſextarius. Decoquitur vt ſuprà diximus. Mira ſunt prætereà, quæ produntur. Cautum enim eſt, autore Vlpiano Iuriſconſulto, cùm de extraordinarijs criminibus diſſerit, Ne quis ſycomorum per Ægyptum excidat. Hæc autem maximè in Nili aggeribus plantata hos ſuis radicibus colligat, per quos Nili incrementa diſpenſantur, & coarctantur, & aquæ diminutiones.

De pruno Ægyptia, & alia illius regionis arbore.

CAP. XXIIII.

PRVNVS Ægyptia, Theophraſto autore, ſpinæ Ægyptiæ ſimillima, cui ſpinarum aculeus in folijs eſt. Pomum meſpilis proximum, ſi non nucleum rotundiorem ac grandiorem includeret. Menſe autem Iulio floret. Fructus vero copia incolis inſtar meſſium eſt. Nam purgatum tundunt, ſeruantq́; eius offas. Scribit idem autor, ſylueſtrem circa Memphim regionem fuiſſe, in qua tam vaſtæ arbores proueniant, vt terni, quaterníve homines caudicem circumplecti nequeant: imò quidem peculiari miraculo, vt nec pomum, nec aliud præter materiam, ad hominum vſum ferat. Materies eius plurimum operibus accommoda. Spiſſa quidem, & loti colore pulcherrima. Facies enim ſpinæ Ægyptiacæ, Folia habet ſicut filices: quæ contactis ab homine ramis, ſtatim quaſi hebetata, decidunt, rurſus renaſcentibus alijs.

De ficu Cypria. CAP. XXV.

FICO Ægyptiæ quadantenus ſimilis eſt, vt ait Plinius, quæ vocatur Cypria. Quæ ſic dicta eſt, vt Dioſcoridi videtur, quòd in Cypro naſcatur. Theophraſtus, quem ſecutus ille, in Creta, atq; prope Idam naſci. Fruticoſa, vel, vt quibuſdam placet, ramoſa, arbòr eſt. Non excelſa, licet quidam aliter ſentiant, vt caudice magno profiteantur, & albæ populo proximo. Ligno contorto, craſſa verò ambitu cubitali, cortice viridi. Dioſcorides eam videri vlmum ſcribit, & ſolijs ſycomori. Theophraſtus autem, & Plinius eius interpres, tiliæ, ſed latioribus, atque mollioribus. Radices agit, vt ficus vrbana, craſſas, & lentas. Molli medulla caret. Cor autem eius ſolidum, minimè putreſcens: quare materie prævalida, ac ſine lacte. Germina mittit, ſine vllis folijs: radici perſimilia. Cum meſpilo floret, cui ſimilis eius flos. Fructus verò oliuæ magnitudine, vt Theophraſtus, rotundior tantùm. Dioſcorides pruni, Plinius ſorbi. Rubet, alijs ruſus eſt: Guſtu meſpilaceus, dulcior tamen, & Ægyptiæ fici, aut cæterorum omnium generum ſuauior. Quaternos enim in anno effundit fructus, totieſq́; germinat. Fructum fert non ſolum ramis, ſed & caudice. Groſſos autem non excoquit, niſi lacte inciſura emiſſo. Ex ea verò acetum præcellens, Alexandrino quoq; melius, vt Plinius autor eſt. Nihil eſt, quod de eius vi medica legerim, cùm nil etiam de ea nouerim, præter hæc, quæ ex autoribus prædictis ſcripſi.

De Oſtria. CAP. XXVI.

GIGNIT & Græcia oſtrym, quam & oſtriam vocant. Solitaria hæc arbos, circa ſaxa aquoſa naſcens. Fraxino ſimilis, cortice verò, ramis, & folio, paulò tamen longioribus, craſſioribusq́;, ac rugoſis, inciſutis per totàm arborem diſcurrentibus. Semen hordeo ſimile, & etiam colore. Materies firma, atq; dura, ſed infauſta. Nam in domum aduecta, difficiles partus fieri perhibent, morteſq́; miſeras. Hæc autem, ex ſolo Plinio.

De euonymo. CAP. XXVII.

NON minori infœlicitate quàm oſtria, arbor euonymos, peſtem ſtatim denuntians, vt memoriæ mandauit Plinius. Sunt etenim qui frondē eius ſub tectis habitam alui inanitatem, peſtemq́; inferre tradant. Nonnulli anonymũ, quòd careat nomine, vocauerunt, quædam regiones fuſoriam. In Leſbo inſula, atq; in monte Orcynio naſci ſolùm arbitrantur, verùm alibi quoque, Punicæ non abſimilis inter hanc & laurum folij magnitudine, candidiore flore. Fert ſiliquas ſeſami ſimiles: intus granum ſpiſſum, quadrangulum, omnibus animalibus lethale, capris præſertim, ni præcipiti alui deiectione ſuccurratur.

Præfatio libri vigeſimi.

QVAS ſola Arabia produceret arbores, ſuprà deſcripſimus, vt ob quas tantùm fœlicis cognomen meruerit, tametſi plurimis locis, ac ferè maiori parte, vt produnt geographi, aſpera, algens denique inculta deſertaq́, ſit, vt multis item careat, quæ ad vſum humanum perneceſſaria ſunt. Sed quicquid in ea naſcitur adeò rarum, pretioſum tamen ob loci naturam, vt propterea Dioſcorides, eam claro elogio aromatum progenitricem dixerit. At Pompeio etiam adagium eſt, Arabicè olere. In eos qui benè olent, vel in eos etiam qui ipſi odoribus Arabicis illibuti ſuaue olent. His etenim arboribus multas inſuper alias ſuperaddidi quæ in Ægypto Syriaq́, huic proximis regionibus agnaſcuntur. His fermè peculiares, vel ſaltem paucarum prouinciarum accolæ. In quibus verò deſcribendis nihil habui, quàm quòd à priſcis autoribus exarata fuerant, vt lectori praberem. Quorum fidem, & autoritatem, ſequi neceſſe habui. Quòd fecerunt qui poſt hos hæc eadem tractarint, qui & infiniti fuerunt, vt non minùs illis adhærere quàm hij debuerim, & ſi varia plurimum atq, inuicem diſcrepantia ſæpe retulerint. Theophraſtum autem Dioſcoridem, Plinium, Claudium Galenum, & ſequaces intelligo, poſt quos Luſitani & alij ex ſuis Indicis nauigationibus, & multarum regionum luſtrationibus diuerſa ab his, ſuper nonnullis plantis nobis renunciarunt. Quibus autem an magis credendum ſit: quod oculati teſtes, quodq́, etiam doctiſſimi viri etiam

medici, ad quos magis pertinet, veritatem ipſam de his habere & cognoſcere illuc profecti, non dubitarim, ſperoq́; aliquando hæc manifeſtius fieri. Nunc de aliquot India, Africæ, regionum & nonnullarum aliarum, arboribus. In quibus verò multa tantum nota. In his enim duabus prioribus, plures noſtra tempeſtate inuentæ, quarum nec figura nec nomen, nec aliqua harum vis ſiue medica, ſiue quæuis alia priſcis cognita fuit, vt nondum nobis, de his certa ſcientia habita vt Indiam Arabia longè fœliciorem, tot arboribus, & longè vberiorem, & omnibus quæ hæc fert, exceptis paucis progeneratricem.

HORTORVM LIBER VIGESIMVS.

De ebeno. CAPVT I.

REGES Indos ex ebeno ſceptra geſtare, Solinus autor eſt. Vt itaq; nil mirum ſit, ſi peregrè in pretio ſit, quum etiam his, apud quos naſcatur & familiaris ſit, etiam principibus in honore plurimum ſit. Refert enim Plutarchus in vita M. Antonij Cleopatram Ægypti Reginã Alexandrię, apud Iſidis ædem, & in præclariſſimis ſepulcris, aurum, argentum, pretioſosq; lapides, ebenum quoq;, & quicquid deniq; rarum, ac pretioſum haberet, condidiſſe, & occultaſſe, propter bellum, quod Octauius Cæſar contra eam, & M. Antonium gerebat. Herodotus etiam Perſidis regibus centenas phalangas è materie ebeni tertio quoq; anno Æthiopas cum auro, & ebore, vice tributi, penſitaſſe ſcribit, vti in tributorum autotitate tertio loco fuerit ebenus. Vt mirum ſit aliquos, credere pectines, & orbiculos deprecatorios, aliaq; hæc torno minima & leuia opera, ex ebeno fieri, præſertim verò cùm tot, & tam varia, venundanda exhibeantur. Arbor vt plurimùm tenuis eſt, vimine raro, & in craſſitudinem caudicis extuberato, cortice hiulco, & admodum reticulato, adeò venis dehiſcentibus, vt per ſinus ipſos intima pars tenui libro contegatur. Lignum omne, medium quoq; ipſum, ferè & facie, & nitore, qui eſt in gagate lapide, buxo aſpectu ſimile, quod decorticatum nigerrimum redditur: Theophraſtus autem folijs, ramisq́;, ac reliquis deniq; omnibus terebintho ſimilem dicit, fructu tamen diuerſo, & amygdalis conformi. Duo eius genera referuntur, vnum arboreum, trunco enodi materie, nigri coloris

loris pulcherrimum, & ſine arte periucundum. Alterum vile, cytiſi modo fruticoſum, totaq; India diſperſum. At primum præſtantius. Æthiopicam præfert Dioſcorides, quæ nigra eſt, multos habens venarum diſcurſus, cornu læuigato perſimilis, & cùm frangitur, dura apparet, guſtu mordens, & leniter adſtringens. Supra carbones verò impoſita, odore iucundo, & ſine fumo ſuffitur. Recens verò ad ignem poſita, ob pinguedinem accenditur. Fabianus tamen apud Plinium negabat accendi. In cute attrita flaueſcit. Indicam enim candidis, & modicè fuluis internatis ligneis, crebriſq; maculis, ille ſcribit. Pauſanias autem in Atticis, ſe Cyprium quendam medicum audiuiſſe ſcribit, qui herbarum genera omnia ad medicandos homines peritè noſceret, & diceret ebenum, neq; folia, neq; fructum ferre, nec etiam à ſole conſpici, ſed eſſe radices ſubterraneas, quas Æthiopes fodiant, eſſeq; in ea gente, qui ebenum reperire ſciant: longè quidem aliena, quæ à ſupradictis, memorantur. Eſt autem ebeno vis excalfactoria, & abſterſoria, & ſubtilis. Quapropter pupillarum obſcuritates exterere creditur: & alijs ocularijs medicamentis miſcetur. Ad veteres diſtillationes, & puſtulas, mirum in modum pellens. Si quis autem, vt Galenus ait, lignum ebeni aqua infuſa terat, in ſuccum reſoluitur. In fictili vritur, donec in carbones redigatur. Lauatur etiam, crematur plumbi modo, & ita contra oculorum lippitudines conducit. Inter erodentia, medicos ebenum aſſumere, Plinius autor eſt. Celſo enim corpus exedit, euocat, & educit, leuatq; exaſperatũ. Adalligatam verò infantium cunis, tumultuoſa in ſomnia prohibere ſcribit Albertus. Eius autem materiem liquorem noxium non continere ferunt: & quicquid maleficum extiterit, eius tactu auerti, & hac gratia, ex ea fieri pocula. Indos autem frictionem apprimè probare, quæ ex ebeni ſtrigilibus fit, vt Strabo ſcribit: corpora enim expolit. Aiunt inſuper, ebeni fragmenta in domo exiſtentia, omnem liuorem abigere. Ferunt itaque ebenum in mari rubro naſci, folijs, fructuq; oliuæ proximo.

De ficu Indica. CAP. II.

FICVM Indicam mirata eſt Alexandri victoria, eo orbe patefacto, digna quidem, quam non ſolùm ipſe Alexander, ingenij ſui nobilitate, & dexteritate, atq; omnis eius ingens exercitus demiraretur, ſed cæteri quoq;, quotquot mortales ſunt, Naturæ ſcilicet in ea prodenda miraculo, ſiue eius craſſitiem, & amplitudinem, aut formoſitatem, aut pomi ſuauitatem, cæteraq; particulatim omnia contẽplari liceat, de qua ſic Q. Curtius diſſeruit, & ſi fici nomenclaturæ non meminerit. Syluæ (inquit) erant propè in immenſum ſpatium diffuſæ, proceræq;, & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbroſæ, pleriq; rami, inſtar ingentium ſtirpium flexi, in humum rurſus, quà ſe curuauerant, cogebantur, adeò vt ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ. Hæc ille, quæ tanquam lemma aliquod huius arboris propoſitum volui. Caudex autem in orbem paſſuum ſexaginta ſpatio enormis craſſeſcit. Ramorum

vmbtæ bina ſtadia operiuntur. Latitudo foliorum, & forma peltæ Amazonicæ comparatur, quæ fuit, autore Xenophonte, hederæ folio conſimilis, vt ſub ea equitum turmæ condantur. Pulcherrimum Naturæ tabernaculum. Ipſa ſeſe ſemper ferens. Vaſtis enim diffuſa ramis, & cùm, vt ait Strabo, in duodenos creuerit cubitos, in terram poſteà deflectuntur, & curuantur, ſuo pondere rami, quoad illam attigerint, in quam infiguntur & radices, veluti propagines, annuo ſpatio agunt. Mox rurſus alium ſtipitem producunt, qui, poſtquàm euectus fuerit, iterum flectitur, & aliam propaginem efficit, deinde aliam, vt ſic deinceps ab vna arbore vmbraculum fiat, multicolonio ſimile. Demittit autem ramos, non ſolùm ex anniculis, verùm etiam è vetuſtioribus: qui circum caudicem demiſſi vt minimè tamen eum contingant, inhærefcentes, ceu ſepem opere topiario, in orbem faciunt, ita vt inſtar tabernaculi condantur. Superiores eiuſdem rami in excelſum, ſyluoſa multitudine, micant, vt etiam extra aſpicientibus mirùm afficiant. Decora verò non ſolùm ſubter, procúlve, fornicato ambitu intuentibus, vt eius vmbra, & concamerationes pluris æſtate, contra Solis ardores ac moleſtias, quàm regiarum auteæ, & depictæ porticus, & deambulacra. Quibus etiam paſtores æſtiuare ſolent, vmbra quidem, & arboris vallo muniti. Radices autem è ramis prodeuntes euidentiſſimè à cæteris diſcernuntur. Albiores etenim ſunt, hirtæ, tortuoſæ. Pomum fert, fabæ magnitudinem non excedens. Hoc autem foliorum amplitudo & vmbra creſcete non finit, eundemq́; paucum, Solibus tamen decoctum, prædulci ſapore, fici ſimile. Quamobrem arborem Græci ficum appellant. Hæc autem circa Aceſinem fluuium maximè gignitur.

De pala, & alia huic perſimili. CAP. III.

PALA, ſiue, vt alij volunt, tala, licet Theophraſtus eius nominis non meminerit, Arbor Indiæ eſt, fico Indicæ maior, pomi ſuauitate præcellentior. Folium eius longitudine trium cubitorum, latitudine duum, quod auium alas imitatur: vel, vt Theophraſtus, ſtruthiorum, quæ ſuper galeis imponuntur. Fructum ſucci dulcedine, & magnitudine admirabilem fert, vt vno quaternos ſatiet, cui arienæ nomen, quo Indorum ſapientes viuerent. Plutima enim hæc in Syndracis. Alexandri Magni expeditionum termino, prouenit. Eſt & alia huic perſimilis, ſed fructu oblongiori, contorto, dulciori tamen quàm palæ, qui morſus inteſtinorum difficultates faceret. Quare Alexander edixit, ne quis ſui agminis huiuſcemodi pomum deguſtaret. Indos palæ folijs veſci Arrianus refert, in quorum faſtigio quoddam pingue, palmarum inſtar, gignunt.

De pipere. CAP. IIII.

NON fuit ſatis (vt bene, appoſiteq́; Secundus ſcribit) in appetenda auiditate, huic eſurite, qui primus in cibis piper experiri voluit, vt huius

huius cauſa ad Indos vſq; proficiſceretur, vt inde pondere, veluti aurum & argentum, piper emeretur: cuius etiam arbor ſui generis ſylueſtris apud nos eſſet: cuius item nec pomi, nec baccæ, vlla apud omnes commendatio eſſet, vt ſola amaritudine placeat. Adeò enim mirum eſt, vſum eius placuiſſe. Quippe in alijs aut ſuauitas perplacuit, aut ſpecies inuitauit. Piperi quidam indeclinabile, vt gummi, ac barbarum vocabulum dixere, vt Herodianus: ſed noſtri declinauerunt, vt Iuuenalis:

- *Piperiſq; coemptor.* Nicander Colophonius piperion appellat. Hippocrates verò medicum pharmacum. Piperis arborem Dioſcorides paruam eſſe ſcribit. Plinius & Solinus noſtris iuniperis ſimilem, verùm diuerſos à iunipero fructus edere, qui in ſiliquis, quales in faſeolis, ceu coryli nucamento, videre eſt, contineantur. Quæ priuſquàm dehiſcant, decerptæ ac ſole toſtæ, piper faciunt, quod longum vocatur. Græcis πέπερι μακρόν. Solinus autem primum fructum erumpere, velut corymborum fibras. Hæ autem ſiliquæ intra ſe aliquid tenue, milij ſeminibus ſimile, claudunt. Suis autem temporibus per maturitatem adultæ dehiſcunt, & racemos ex ſe granis onuſtos proferunt. Primum hoc piper candidum vocatur: Græcis πέπερι λευκόν. Quod deinde ſolibus toſtum, & colore rugis immutatum, nigri piperis vocamen ſortitur, Græcè πέπερι μέλαν. Vti ex vna & eadem arbore, idem piper & album & nigrum naſcatur. Sed aliud nigri piperis genus, de quo ſuprà de abortu arborum dictum. Theophraſtus autem piperis tantùm duo genera poſuit: Vnum rotundum, carne, putamineq; erui modo ceu laurina bacca ſubrutilum. Alterum verò longum, nigrum, ſemina continens papaueracea. Arboris radix coſto ſimilis eſt, calefaciens guſtum, cui hygre cognomentum eſt. Hæc enim eſt priſcis, piperis arboris, fructuſq; eius deſcriptio, vſq; ad noſtram ætatem omnibus huiuſcemodi credita. Quæ tamen alia ab ea effigie, quam nunc Luſitani, qui in Indiam, longo maris tractu, nouoq; itinere nauigarunt, nobis retulerunt, & oſtenderunt. Fruticem illi, non arborem, aſſeruerunt, viti albæ, quæ bryonia dicitur, ſimilem, vt caulis eius, ſicuti huic, abſq; adminiculo minimè conſiſtere poſſit, vt ſerpat vt illa, vel vt hedera, neceſſe ſit, atq; proximiorem arborem complexu vincire, & ſcandere. Effunditur enim, & peragrat per ramos compluſculos. Fructus autem inſtar racemi eſt, non aliter, quàm in liguſtro viridi coaceruato, ea quidem magnitudine, qua apud nos, ſingulis malleolis ſeni dependentes, palmo haud ampliores. Ante quàm autem maturitate nigreſcat, colligunt, ac in palmeis tegeribus expandunt. Calore enim Solis & æſtu nigreſcit. Sunt qui dicant ſe folium allatum vidiſſe, palmi longitudine, magè pallidum quàm herbaceum, plantaginis figura, cui fibræ à tergo per longitudinem ſeptem ſint, mediam vtrinq; trinis claudentibus. Arbores ibi etiam eſſe Luſitani renunciarunt, quæ aliquid piperis ſapore producant, quibus nullæ apud nos ſint vt figura poſſint conferri. Hæ autem oblongũ villum inter folia Ponticæ nuci producunt. Incolæ malaga vocant, quæ vox illorum idiomate, longum deſignat. Multò enim longius eſt, quod apud nos defertur, ſed inane, & mordax, minuſq; ponderoſum.

Sed è Luſitanis quidam fuerunt, qui piperis arborem in India ſe vidiſſe affirment, ſimilem huic, quam in Italia fuiſſe Plinius ſcribit. Meminit prætereà Philoſtratus in vita Apollonij in Caucaſi montis, hac ſcilicet parte, quæ ad Rubrum mare porrigitur, piperis, & aliarum ſpecierum arbores naſci vitici ſimiles, ac fructu racemoſo. Ad quas Indi proficiſcentes, primùm ſub paruis arboribus areas faciunt, in quas piper, vtpote rem caſu neglectam, & nihili ab hominibus exiſtimatam, conijciunt. Quod opus in auijs abditæ, ſimiæ vbi ſtudioſiùs conſpexerint, contemplatæq; fuerint, noctu Indorum operam (vt eſt illarum, in his, quæ peragi viderint, ingenium) exequuntur, & arborum ramuſculos in areas, quas diximus, congerunt, vt poſteà Indi, cùm dies illuxerit, piperis aceruos aſportent, vt lucrum non minimum ſibiipſis paruo impendio, abſque labore, ſola induſtria, & ſolius animalis cura, & opera, atque ipſis dormientibus, conquiſierint. Piper longum facillimè adulteratur Alexandrino ſinapi, & iuniperi baccis, mirè vim trahentibus. In pondere quidem multis modis. Galeno autem adulteratum duplex eſt. Vnum, quod in Alexandria maximè conficitur. Alterum, quod herbæ cuiuſdam germen eſt. Syncerum autem deprehenditur, ſi maceratum non reſoluatur, nec ſit foraminibus pertuſum. Piper id longum, idoneum iudicabis. Nigrum verò, nec exile, nec craſſi corticis eſto. In vtroq; verò genere eligitur, tum maximum, tum pleniſſimum, ponderoſum, nigrum, recens. Album velut omphacinum piper, Galeno & Aëtio, nigro quidem acrius, quòd impendio magis aſſatum & exſiccatum. Multis contrà nigrum gratius, ſuauius, atque odoratius, vtpote quod tempeſtiua maturitate collectum ſit, acrius, necnon ad condimenta vtilius. Candidum verò adhuc in acerbum vergens, longo nigro ignauius: verùm vtrunq; valenter excalfacit, & deſiccat, in tertio ordine, vel, vt quidam voluerunt, in quarto. Longum tamen maturo humidius eſt. Nam humiditatis indicium eſt: quòd repoſitum facilè perforetur, ac non protinus mordicet, ſed paulò pòſt incipiat: verùm pluſculum durat: concoctioni eorum, quæ quis ſumpturus eſt, auxiliatur pro piperum ratione iuxta generum differentiam. Vrinam mouet, craſſos & glutinoſos humores incidit, ventoſitates, ac ſpiritus, & humiditates pectoris, ac pulmonis, atq; ventris diſſipat, & quæ in præcordijs pigrè reſident, ad ventrem depellit: quod de longo pipere Galenus dicit. Quæ claritati oculorum officiunt, abſtergit. Febrium rigoribus, ſiue potu, ſiue illitu ſubuenit. Venenatorum morſibus auxiliatur, Partus extrahit. Vuluæ muliebri poſt coitum, ſubditum, & appoſitum ſterilitatem facere creditur. Tuſſi ſiue potu, vel eclegmate ſuccurrit. Candidum autem piper, aptum quidem ocularibus remedijs, & antidotis, ac medicaminibus, quæ contra venena parantur. Nigrum vehementiùs mordet, idemq; antidotis, & theriacis medicamentis expetitum. Piperis radix vires coſto ſimiles potiſſimùm obtinet. Oris pituitoſos humores, & ſaliuam prouocat. Vulnera aperit. Renibus obeſt. Fit autem, autore Paulo Æginetа, è triplici pipere medicamentum, quod vocatur diatrion pipereon, quod in febri quartana triduo ſumitur. In qua ſolum piper quotidie ex aqua ſumitur.

Quærit

Quærit Alexander Aphrodiſeus, & apud Macrobium Cecinna Diſarium percunctatur, cur piper cuti ſuperpoſitum vlcerare poſſit, deuoratum autem ventrem non vlceret? Quòd ſpecies acres & calidæ ſuperficiem, cui apponuntur, exulcerent. Nam ſua vi integra abſq; alterius rei admiſtione id poſſunt. Quæ ſi in ventrem recipiantur, priùs concoquuntur, quàm agere incipiant. Hebeſcit enim eius vis, ventris nimio humore, cutis verò ſua denſitate ad agendum, ſpatium præbet, vt facilè ſentiat. Problema quoq; Ariſtotelicum eſt, quare piper largè ſumptum, veſicam ſoluat, parciùs verò aluum? Quia copioſius deuoratum, ad veſicam defertur, nec ſe in aluum diffundit. Exiguum verò deſumptum, in aluo reſidet, & eam ſoluit, atq; ita medicamentum eius exiſtit. Quærit etiam Alexander, cur qui piper comederint ſingultiant, quod qui aluum mundam ſentientem & calidam habent, ij ocyſſimè piperis acrimonia, mordicantur, quo morſu, ſtomachus excitatur, ad repellendum id, quod officit: verùm id difficulter euenit his, qui ventriculo pituitoſo ac frigidiori ſunt. Percontatur idem ille, cur piper ſolidè prædeuoratum, ventrem calfacere nequeat, tritum verò excalfaciat? Quòd contuſum meatus corporis altiùs ſubeat, & à natiuo calore mouetur, meritoq; ſuam potentiam exercere valet. Fit è pipere vinum, melle addito, quod alij conditum, alij piperatum vocant: neſcio an id medicamentum, de quo ſupra. Plinij autem temporibus in libras x. xv. Album x. vii. nigrum x. iiii. Eodem autore piperis arbor in Italia fuit, myrto ſimilis, ſed maior, cuius grano eadem amaritudo, quæ piperi muſteo credita eſt. Deeſt tamen tota illa maturitas, ideoq; rugatum, cæterùm coloris ſimilitudo.

De caryophyllo. CAP. V.

CARYOPHYLLON Paulo Æginetæ, Sethioq; quaſi nucifolium, tametſi illius naturæ aut effigiei nihil habeat. In India Plinius, piperis grani quid ſimile naſci tradit, ſed grandius, fragiliuſq; in Indico luco. Flos arboris cuiuſdam, vel, vt alijs placuit, fruticis, fuſtaceus, niger, odoratus, acris, longitudine pollicari, ſubamarus. Aduehebatur primùm odoris tantùm gratia, nunc quoq;, excreſcente ad ingluuiem auiditate, & cibi, veluti piper, vt ſine caryophyllo dapes deſpiciantur. Ab illius autem odore flos vbiq; naſcens, & omnibus notus, caryophyllon vocant. Lignum verò eius xylocaryophyllon vocitant. Hæc antiquorum de caryophyllo deſcriptio. At qui nunc in Indiam, & ad inſulas Molucas nauigauere, illic & in inſula, Monoche nomine, vltra Taprobanam ad multa milliaria ſita, copioſè naſci aſſerunt, non niſi tamen in abruptis rupibus, vſqueadeò denſe, vt ſyluam faciant. Cernitur arbos tum altitudine, tum craſſitudine, folijs etiam, verùm maioribus, atq; rotundioribus, lauro ſimillima, affatim in congeriem folioſa, vt buxus, cui eius caudicem compararunt. Naſcitur autem fructus, quem à ſimilitudine, clauum vocitant. Ex ſummis, ſingulis ramuſculis, corolla primùm, tum in ea flos haud alius, quàm mali aurei acies, ceu cuſpis ipſa caryophylli. Summo ſtipiti inſidet, donec

paulatim

paulatim in longum exurgens, mucronem faciat. Primo enim rubeſcit, mox verò totum ſole nigreſcit caryophyllon. Legulei autem fructum arundinibus decutiunt, ſolo ſecundum arborem tegeribus priùs ſtrato. Locorum verò indagatores caryophylli odorem per longum ſpatium in mari præſentiunt. Secundas partes tam in calefaciendo, quàm exſiccando obtinet. Tertias illi quidam aſſignarunt. Cordi, hepati, ſtomacho auxiliatur. Nauſeam leuat, quæ ab humiditate prouenit, ſed viſcera lædit. Concoctiones iuuat, tollitq; oculorum caligines, atq; viſum exacuit. Obſtruentes iocineris infarctus aperit, panos diſcutit. Halitus grauitatem emendat, ad quam rem mandi ſolet, & ore contineri ab his, quibus anima fœtet. Venerem ſtimulat: Faciei medicamentis imponitur. Vſus autem huius ad obſonia permultus.

De bdellio. CAP. VI.

BDELLIVM arborem eſſe Plinius ſcribit, in Bactriana nominatiſſimam, in Arabia etiam, Indiaq;, ac Babylone naſcentē. Dioſcorides verò Scythicæ arboris lacrymam. Erit itaq; ex ſuperioribus bdelliū, & arbor, & lacryma, & etiam lapis pretioſus, cuius mentio in ſacris Bibliorum libris, capite Geneſeos ſecundo. Super quo ferè multi diſſentiunt, ex quorum contrarijs opinionibus, quæ ſit ea arbor, nondum ſtatutum. Eſt igitur bdellij arbor, nigra, oleæ magnitudine, folio roboris, fructu *caprifici*, naturaq;. Gummi eius alij blochon malacham appellant, alij maldacon. Quod verum, nigrum eſt, ſordidum eſt, ac in offas conuolutum, aſpalathi odore. Hadrobolum, id eſt, craſſioris glebæ, ex India aduehi Dioſcorides aſſerit. Quod autem è Media aſportatum eſt, paraticum vocant. Probatur tranſlucidum, guſtu amarum, intus pingue in morem taurini glutinis, cùm friarur lenteſcens, ceræ ſimile, ligni autem ac ſordis omnino expers: cùm incenditur, odoratum, atq; humano vngui colore ſimile. Quod verò è Media defertur, facilius & cruſtoſius. Indicum autem humidius, & gummoſum. Aduehitur etiam è Petra Arabiæ dilucidius, & liueſcens, reſinoſum, verùm facultatibus ſecundum. Bactriano autem nidor ſiccus, multiq; candidi vngues. Galenus enim, & poſt eum Ægineta, Scythicum & Arabicum extulerunt. Adulteratur Indicum amygdala nuce, aiente Plinio, cætera verò genera, gummi, quod hic è ſcordaſti arbore dicit: ſed guſtu ac odore depræhenditur. Ita enim vitiatum, non perinde guſtui amaritudinem repræſentat, nec vſqueadeò cùm incenditur, odoratum. Colore item, ac pondere, quod neq; grauius, neque leuius eſſe debeat. Pretium in ſyncero, Plinij tempeſtate, in libras decem terni. Eſt autem bdellio vis & natura emollire, calfacere, & euocare. Arabico ad gutturoſorum (autore Galeno) tumores, quos bronchocelas vocant, & hydrocelas, id eſt, aquoſos ramices, vel, vt alij interpretantur, hernias humidas, vtuntur. Saliua matutina, ieiunaq; ſubigunt, vt emplaſtri formam accipiat: Et hoc iſtud bibitum renum calculos frangere peculiariter creditur. Vrinam cit, & vuluæ ſpiracula appoſitu, & ſuffitu aperir, & crudorum

rum flatuum diſcurſus,laterum etiam dolores,& rupturas perſanat. Tuſſientibus inſuper,& à venenatis percuſſis vtiliſſimè datur. Celſo vulnera purgat. Suffitu culices & ſerpentes fugat. Addunt Mauritani hæmorrhoidibus opitulari. Ad aſſiduam,inanemq; egerendi appetentiam,quam Græci τανεσμὸν vocant,mitè valet,concretum in grumos ſanguinem abſumit. Galenus loco bdellij muſcum arboreum ſubdit.

De nuce Indica. CAP. VII.

NVcis Indicæ,quam recentiores caryon Indicum vocant, alij Dioſcoridem perſelatem Indicam nucem intellexiſſe affirmare auſi ſunt. Arbor palmæ Indicæ ſimilis. Fructus permagnus, vti in nucum genere, non alius eo maior reperiatur: inuolucris rotundis intectus, cortice primùm herbaceo,calloſoq;,intus verò villoſo,tenui,exteriùs tunica veſtiente,quà verò extritus & ſolutus, in capillamenta fatiſcit: orbe ſubtus capaci, & duro,triquetra forma,& triplici foramine concauo, multis loculamentis interſtructo: pingui, & dulci, cùm recens eſt, liquore, nucleo candido, carnoſo, molli. Cùm autem inueterauerit, cartilaginoſo. Sanies interim eſtur, verùm in cibis ſtomacho grauis, tametſi ſuccum noxium minimè pariat. Nam citæ corruptioni opportuna. Cùm enim vel pubet,vel adoleuit,detractis exterioribus tunicis, comeditur. Nux autem recens oleoſum liquorē diſtillat,butyro ſiue ouillo,ſiue bubulo longè melior: quod ſcilicet ſtomachum butyri modo non emolliat, nec laceſſat. Ex huius putaminibus, pocula auro,argentóve adornant, quibus diuites vtuntur. Humida in prima claſſe, & calida in ſecunda perhibetur. Ventris tineas expellit,ſemen auget,& venerem excitat:corpus reficit,& ſtrigoſum corpus impinguat. Oleum vetus per ſe lumborum flatus mulcet. Veſicæ quoq; malis opitulari tradunt,& aluum ſiſtere. Hæmorrhoidibus inungitur,oleo præſertim admiſto,quod è perſicorum nucleis comprimitur.

De glande vnguentaria. CAP. VIII.

GLans vnguentaria Latinis, Græcis verò βάλανος μυρεψική, alijs glans Ægyptiaca. Plinio & Aëtio,altero Latino, altero Græco autoribus,myrobalanos,id eſt,glans vnguentaria. Ad myrobalanum autem diſticho alluſit Martialis:

Quod nec Vergilius,nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex vnguento conſtat, & ex balano.

Qualis autem fuerit arbos, quæ huiuſmodi glandem ferat, apud autores non bene conuenit. Dioſcorides enim dicit eam eſſe myricæ ſimilem. Liquorem modo amygdalæ amaræ effundit,quo ad vnguenta pretioſiora olei vice vtuntur:vt myrobalani nomen etiam indicat. Theophraſtus enim magnam arborem, contortam, aſpectu incorruptam, myrti folio, ſed oblongiori,fructu,& magnitudine cappari proximo,inutili quidem, verùm ſuauis odoris: cuius contuſo putamine vtuntur vnguentarij. Plinius autem folio heliotropij. Naſcitur in Æthiopia, Ægypto, Arabia,ad

Petram Iudææ oppidum, in Thebaide, & apud Troglodytas. Ex ijs autem, quæ in Arabia naſcuntur, quædam Syriaca appellatur, quæ eſt candida, contrà verò, quæ in Thebaide, nigra. Præfertur autem illa olei bonitate, verùm Thebaidis copia. Inter has enim Troglodytica vtiliſſima. Sunt prætereà qui Æthiopicam ijs anteponant, nigram quidem, minimè pinguem, gracili nucleo: ſed liquore, qui exprimitur, odoratiore. Ægyptiam etenim, cuius & ipſe meminit Hippocrates, pinguiorem, ac craſſiori cortice rubentem. Et quamuis in campeſtribus, paluſtribusq; naſcatur, breuiorem tamen, & ſicciorem eſſe. E diuerſo Arabicam viridem, tenuioremq;, &, quoniam ſit montoſa, ſpiſſiorem. Longè autem Petream meliorem, ex eo, quod diximus, oppido, cortice nigro, ac candido nucleo. Arabes, inter quos Meſues, duorum generum meminerunt, maioris videlicet, ac minoris. Maius autem triquetrum, auellanæ nucis amplitudine. Minus verò ciceri ſimile. Vtriq; verò oleoſa medulla ineſt, lenis, & alba. In maiori enim nucleo fragili, leui, tenui, putamine albo. In minori autem, putamine pariter fragili, pingui, & colore in cinereo albicanti. Dioſcorides autem maioris tantùm meminit. In quo præfertur, quæ recens quæve candida ſit, ac plena, & quæ facilè ſuum corticem exuat. Medici nucleos tundunt, affuſa eis paulatim calida aqua. Cæterùm ſunt, qui dicant oleum inodorum, ſed ad ſuſcipiendos aduentitios odores aptiſſimum, & hoſpitale: quod vt olim celebre fuit, ita nunc quoque notiſſimum. Oleum autem è putaminibus fieri Theophraſtus ſcribit, quod creditu ſatis difficile fuit, etſi operoſè comprimantur. Sunt etenim putamina hæc arida, à quibus liquor aliquis exprimi poſſit minime. Licet Plinius vnguentarios è putaminibus, medicos verò è medulla elicere ſcribat. Nunc certè è ſolis nucleis. Carnis ſiquidem ſucco vti vnguentarios Galenus ſcribit, qui medicis etiam ad plurima vtilis ſit. Facultate enim calidus, & ſiccus claſſe ſecunda, vt Græcis recentioribus placuit. Reliquæ autem partes, vnde expreſſus ſuccus, terreſtres ſunt, dur e, atq; amaræ. Adſtringendi enim, & incidendi vi pollent, cum quadam abſterſione: proinde abſtergentem ſimul, atq; incidentem, contrahentemq;, ac ſtipantem virtutem habent: obq; eam cauſam, denarij vnius pondere, cum mulſa aqua, vomitiones cit. Sæpe etiam inferiùs per aluum copioſè ſubducit. Cum poſca verò, extis laxandis accommoda. Varos, lentigines, cutis vitia, vt cùm diſcolorata, ſole æſtiuo fuerit, & vultus eruptiones omnes, cum aceto, alijs lotio, emendat. Nigras verò cicatrices, vitiligines, addito nitro, ad pruritum deinde facit, & pſoram, ac lepram comminuit. Manantia vlcera, & puſtulas vlceroſas, carniſq; omninò excreſcentias reprimit, præſertim cum aceto decocta. Iocineri indurato confert. Lienem ſoluere autor eſt Aëtius, præcipuè verò addita farinarum exſiccantium aliqua, veluti loliacea, aut orobina. Alij verò in hunc vſum in poſca tritam drachmæ pondere deſumendam præbent, & ad hanc rem eidem parti, emplaſtri modo, cum loliacea farina imponitur. Contra lienis dolores Celſus hoc remedio vtitur. Sic enim quinto libro ait: At ſi lien torquet, glandis, quam balanum Græci vocant, cortex & nitrum paribus portion

portionibus contunduntur, reſperguntur〈q́〉; aceto acerrimo, vbi cerati craſſitudinem habent, linteo anteà in aqua frigida madefacto illinuntur, & ſic imponitur, ſupraq́; farina hordeacea inijcitur, ſed manere ibi non ampliùs ſex horis debent, ne lienem abſumant, ſatiusq́; eſt id bis aut ter fieri. Cum erui verò farina, & aqua mulſa, padagris illinitur. Cùm autem hepar, aut ſplenem hoc medicamento purgare decreueris, cum aceto exhibebis, ne ſtomacho noceat. Nam illo tã extra, illita quàm intus aſſumpta, gaudet. Venerem moratur. Ventriculi humores purgat, aurium doloribus, ac tinnitibus, ex anſerino adipe infuſum. Vbi autem maiori adſtrictione indigebimus, cortex omnino efficacior. Arabum verò præcipuè Meſuis, de fructus nucis vnguentariæ, quam ben vocant, vi, hæc fuit ſententia. Maioris verò generis (duo enim, vt ſuprà dixi, poſuit) fructus incidit, abſtergit, aperit, minuit, & purgat, viſcera tamen commouet, & ventriculum ſubuertit, ob illius vim acris humiditatis, & excrementitiæ: At minoris, virtus aſperior, longeq́; periculoſior. Nam vſqueadeò humores deturbat, commouetq́;, vt animæ ſæpe deliquium faciat. Ideoq́; in alios vſus, quàm in vnguenta & cataplaſmata non recipiendus. Maioris autem noxam minui hi dicunt, ſi igne torreatur. Nam ignis calore, exuberans humiditas hebeſcit, quæ vomitionem mouebat, vt propterea medicamentum tantùm vomitorium conficeretur. Nonnulli cum aniſi & fœniculi ſemine decoquunt: vt hac ratione ingenita nocens vis deprimatur. Potu enim pituitam craſſam, vomitu, & deiectione exterit. Ideò coli cruciatibus non tam hauſtu, quàm etiam infuſus clyſteribus, maximè verò vbi morbus à pituita, & flatibus originem traxerit. Gingiuas adſtringere & è naribus ſanguinis fluxionem comprimere, nonnulli è Mauritanis aſſerunt.

De myrobalanis. CAP. IX.

EST & vnum myrobalanorum genus, & illud quidem à veterum myrobalanis differens, & priſcis incognitum, potiùs in prunorum, aut pomorũ genere ponendum, quum antiqui oſſibus careant. Mauritanorum inuentum eſt: à quibus recentiores Græci accepiſſe par eſt dicere. De arboris autem effigie nil apud autores reperi, niſi tantùm quod arbor hæc bifera, vt primi partus citrini vocitentur, ſecundi verò cepuli. Ex Ægypto, Syria (autore Actuario) deportantur, corporis callo compactili. Quorum alij maiores, alij verò minores viſuntur. Ceterùm poſteritas hos myrobalanos in quinq́;, vel, vt alijs placet in ſex genera diſcreuit. Sed alios al js gigni arboribus obſeruauit. Quòd fructus eorum variæ & diuerſæ naturæ ſint, licet ſimili forma. Citrini, lutei, & flaui in herbaceum inclinante colore. Magni, denſa, & multa carne præditi. Qui ſi frangantur, gummoſa eſſe depræhenditur. Oſſe intus perexiguo, ideo graues, huiuſmodi eligendi. Cepuli, ſubnigri, in rubrum colorem vergentes. Carnoſi, vti etiam ob illud graues, vti in aqua ſubmergantur, cortice ſpiſſo, eò autem meliores, quò ampliores. Belerici, in Actuario beletgici, Eli-

gendi ſunt maiores,& craſſiores,ac cortice denſi,atq; ponderoſi.Emblici, Actuario empelitici. Seligendi verò ſunt, cute oſſibus inhærente, lapillorum penè figura,ampliore carne,oſſibus minutulis, graues,ac denſi. Eiuſmodi enim formæ conſpiciuntur.Indi Actuario nigri:à colore enim cæruleo vulgus Indos vocat, & Græcorum neoterici Damaſonios. Eligendi verò ſunt,oliuæ figura,ſolidi,ponderoſi,ſine nucleis.Frigidi omnes primo ordine,ſicci ſecundo.Etenim excrementa putrida exſiccando abſumunt:Molles,ac laxas indurant,& denſant partes: & multa adſtrictione cogunt. Cor,ſtomachum,reliquum quoq; totum ventriculum,& hepar roborant,vt propterea cutis colorem exhilarant:oris,ac ſudoris odorem commendant, corpus deniq; totum diu floridum, & iuuenile conſeruant. Cordis tremori conferunt,& hæmorrhoidibus proſunt,& ventriculum à bile purgant: & ab ea tertianam & cæteras febres orientes, vt illarum ardorem extinguant,præſertim autem citrini. Nam & his ſecundum genera ineſt vis medendi diuerſa. Nempe citrinorum tenuiſſimus puluis, per ſe ſolum oculorum delacrymationes ſtringit, & ab humore abundanti liberat.Cum maſtiche verò exſiccando vulnera ſanat.Cæpuli ac nigri,atram bilem & vſtam purgant. Quartanæ, lepræ, tremori, triſtitiei,& cæteris melancholicis affectibus auxilio ſunt: celeriùs enim atque valentiùs obſtruunt, quàm maceratorum expreſſum. Aſſi verò minùs purgant, verùm potentiùs adſtringunt, eoq; magis deuſtorum puluis. Emblici autem parum frigent.Prima claſſe deſiccant. Neruos,cerebrum, edendi appetitum iuuant,pituitam,& putrem ventriculum purgant: vomitum ſiſtunt: maniam reprimunt,& animæ vim,rationemq; adaugent. Viſcerum inſigniorem, & inde progredientem ſitim extinguunt. Præſtantiores maximè bellerici. Frigidi primo, ſicci ſecundo ordinibus, viribus cæteris æquales.

De nuce myriſtica. CAP. X.

NVx myriſtica, Græcis μοχοκάρυον vel κάρυον ἀρωματικὸν, vel μοχοκαρύδιον, vulgò nux odorata,vel muſcata,veteribus Græcis incognita. Apud Indos legitur, & affatim prouenire apud eos, atq; in inſula, quam Badam vocant. Qui apud eos nauigarunt, renuntiarunt. Arbore enim procera legitur, vulgari noſtræ perſici perſimili, folijs tamen anguſtioribus,flore roſeo,alij tamen iuglandi,vti nec alio modo,quàm nux iuglans prodeat. Nux candida,quæ gemino tegitur operimento,nucis iuglandis craſſamento, calyce primùm foliato, foſſili, & per extrema fimbriato, ac flaueſcente,mox lignoſo & fragili. Sub hoc verò membranula, quæ nucem reticulatim amplectitur.Hæc autem apud nos muſcatæ flos dicitur, à Mauritanis macis. Poſt enim foliorum germinationem florem ſtatim emittit. Roſarum ſylueſtrium inſtar panditur,ex medio nux erumpit, & tempore matureſcit,nuclei vice,leuibus quaſi ſtrijs, extrorſum ab vmbilico virgatus, fungoſo, nec minimè cauernoſo corpore, reliquarum nucum more,verùm coalitu intus rariore,rubris venis intercurſantibus,intermedis

termedijs verò candicantibus. Cùm enim recens eſt, oleoſo, & pingui ſucco madet. Sic vt in vnguentum exteri poſſit, vt ſi aculeo pungatur, nonnihil humoris remittat. Iucundiſſimum odorem ſpirat. Probatur recens, & quæ nullam ſenſerit cariem, ponderoſa, pinguis, colore in rubrũ inclinante: Contrà leuis, exuta, & nigricans improbatur. Excalfacientis, & exſiccantis naturæ eſt in ſecundo, vel etiam, vt quibuſdam Mauritanis placuit, in tertio abſceſſu. Aluum ſtringit, oris ſuauitatem commendat, & animæ fœtentis virus hebetat. Stomachum diſtendentes ſpiritus diſcutit, & illud ac iecur roborat: lentigines faciei (Græcis φάκοι dicuntur) & impetigines emendat. Lienem incremento laborantem reprimit: vrinam cit. Virtus illarum caryophylla æmulatur, vt Arabes profitentur. Recentes autem tunduntur, quibus in cacabo calefactis, prælo exprimitur liquor, qui ceræ inſtar concreſcit: fragrantiſſimum expirat odorem. Articulorum & neruorum continuis cruciatibus, ex frigore natis, perutilis.

De macere, & maci. CAP. XI.

MACER, ſiue, vt Plinius ait, macir Græcè μάκερ & ξυλομάκερ, Cortex eſt, qui ex India importatur. Alij etiam arborem illo veſtitam hoc nomine vocarunt, & tamen qualis fuerit, Plinius incompertum habuit. Nec ego alium legi, cui hæc nota fuerit. Arborem autem magnam eſſe oportet, vti ex eius cortice ſuſpicandum. Dioſcorides à Barbaris vehi ſcribit flaueſcens, craſſusq́; eſt, guſtu acerbus, cùm leui acrimonia adſtringens. Igitur exſiccat: iucundè odoratus, vt pleroſq; Indiæ odores ſua præſtantia vincat, vt etiam tenuis ſubſtantiæ coarguatur. In tertio exſiccantium ordine eſt. In caloris verò, & frigoris differentia, neutrum inſigniter efficiens. Contra cruentas excreationes, & alui fluxiones bibitur. Cœliacis & dyſentericis medicamentis vtiliter admiſcetur. Macis autem aliud à macere. Nucis muſcatæ cortex medius eſt, inter externum corticem craſſum quidem ac viridem, & alium nigrum ac ligneũ. Vtriq; enim noſtrarum nucum corticibus perſimiles, ſub quibus & ipſa nux myriſtica, vel, ſi mauis, muſcata latet. Plures enim, atq; etiam medicorum pars maior: aliud eſſe macim, aliud macerem, pluribus rationibus innitentes. Hæc enim Arabum, maximè Auicennæ, opinio, qui de iiſdem tanquàm differentibus ſeparatim ſcripſit. Serapion etiam ex Iſaaci autoritate, qui dicit macim nucis myriſticæ corticem, & alium eſſe macerem. Cæterùm Arabum macer craſſum eſt, ex calido & frigido temperatum, nucis verò myriſticæ tenuiſſimus, admodum calidus, nil, vel parum adſtringens. At nunc ex recentioribus aliqui ſunt, qui idem eſſe aſſeuerent, ſiue potiùs id vel nimia philautia, quam in improbandis aliorum opinionibus venari exiſtimant, vel ſtudio & auiditate repræhendendi, vt eſt illorum ingenium, quàm veritatis amore. Quod malum maximè inter medicos pullulat.

De caphura. CAP. XII.

CAPHVRA Græcis recentioribus καφυρα, Videlicet Aëtio, Actuario, Pſello, Sethio, poſt Dioſcoridis, Plinij, & Galeni ſeculum inuenta. Arbor Indica, inibi in maritimis montibus naſcens. Luſitani verò peragratores, ibi in inſula, Butnea dicta, prouenire, retulerunt, & etiam ex regno Fanſuro. Tanta vero magnitudine aſſurgit, vti ſub eius vmbra hominum centuriæ, contra Solis ardores poſſint deliteſcere. Materie ferulacea, ac leui, quæ lacrymam, aut gummi progenerat, nominis eius arboris: cuius largioris prouentus augurium eſt, cùm terra motu concutitur, vel ſi cœlum frequentioribus fulgerris coruſcauerit, aut crebrò tonitru conſtrepuerit. Huius verò genera permulta traduntur. Vnum in interuenijs ligni, lamellarum modo impacta figitur. Aliud autem exit foras, hæretq; arboris corticibus, rubentibus inter initia maculis, quæ poſtmodum vel Solis calore excocta, vel ignium vi, candeſcit: hanc autem Riachinam indigenæ appellant, ex nomine regis huius loci, qui primus rationem dealbandæ caphuræ adinuenit, vel, vt alijs placet, à primo huius loci rege. Hæc verò ex tenuitate, atq; bonitate cæteris alijs præſtat, temporis etiam diuturnitate. Aliud atro colore eſt, non pellucens, craſſius, duratione tantùm cedens, non etiam pretio. Aliud vilius, quod fuſco colore conſpicitur. Cui ſuccedit impurius, quod aſſulis & fragminibus implicitum, gummi more agglutinatum, lenteſcit nucis amaræ tuberculo, aut fabæ, vel ciceris. Hæc autem pontificum & ſacrificulorum ſuffimentis, veluti myrrha, aut thus, & coſtum cedit. At hæc omnia in duo genera rediguntur. Siquidem aut rudi caphura dicitur, quæ elaborata vocatur, quæ nullam ignis vim, aut eius ardorem, neq; experta ſit, neq; ſenſerit, vt in laminas pellucentes digeſta, album contraxerit colorem. Alterum, illius eſt, quæ ignem, aut calorem perſenſerit. Legitima eius probatio eſt, Si calido pani ſuperpoſita humore madeſcat, ſynceræ eſt argumentum: ſin minus, factitiæ & adulterinæ. Tertio ordine frigida eſt, atq; ſicca, quæ maximis, & præcipitibus morbis auxiliatur. Renes, & ſeminaria vaſcula refrigerat, & ſemen ipſum compingit, ſanguinemq; cogit. Capitis dolores, quos calor creauerit, mulcet. Inflammationes incandeſcentes reſtinguit, maximè quæ iecur malè habeant. Sanguinem naribus profluentem, cum vuæ acerbæ ſucco impoſitam ſiſtere dicunt. Canitiem crebro vſu accelerare, ventrem ſupponere, ægrotationes frigidas parere, regionibus præſertim gelidis exiſtimant: & nonnulli ſomnum conciliare. Verùm cauendus eius nimius vſus: quandoquidem vigilias tandem afferat, vt cùm ſomnũ conciliare vis, in maiores vigilias incidas. Aluum ſiſtit, eryſipelas extinguit. Contra verò gonorrhœam, & vuluæ albas fluxiones, cum ſuccino, & nympheę aqua bibita. A putredine corpora conſeruat. Fit ex ea oleum, quod caphuroleum vocitant, quo verum balſamum mentiri audent.

De ſantalo. CAP. XIII.

SANTALVS, ſiue ſandalus, vtraque enim vox apud recentiores Græcos legitur. Nam priſci Græci eam ignorarunt, vt Mauritanorum

rum inuentum ſit. Arbor Indica, cuius ingentes ſyluæ apud Calecutum, veluti retulere, qui illuc profecti ſunt: etſi nonnulli ex Arabibus è Syria afferri, ſcripſerint. Ingens quidem arbor, ſed cuius figuræ, nondum ſcriptum inueni. Tria eius genera poſuerunt, ex tribus arborum generibus, vt nonnullis placuit, prouenientia. Quorum primum rubrum, inodorum quidem, alterum luteum, tertium album, & à triplici illo genere pharmaculorum vulgus conditum, diatriſantalum nominat. Hoc tertium in abſceſſu frigiditatis gradum ſibi vindicat. Rubrum verò aliquantò cæteris frigidius exiſtimatur. Sicca tamen in ſecundo receſſu. Omnibus præfertur luteum, ſi pingui quodam ſcateat: & quia odorum quod rubrum eſt, ſecundas partes obtinet. Album tertiam ſibi claſſem arrogat, quòd inodorum ſit, duobus prioribus ſuauiter ſpirantibus. Quod autem ad medicam rationem attinet, cardiacos affectus, quos irrumpens bilis concitauerit, leuat. Stomachi imbecillitatem reſarcit, auxilioq; excalfacit. Rubrum autem, propter maiorem refrigerandi, adſtringendiq; virtutem, priuatim humores, qui aliò defluentes, aliàs implere ſolent, ſiſtit. Gingiuas cohibet, firmatq; ſtomachum. Album enim, & luteum ex roſacea aqua fronti impoſita, delirantibus proſunt: bibita verò æſtuanti ventriculo mirùm proſunt. Rubrum, ex ſucco ſolani, portulacæ, vel ſedi aut lenticulæ paluſtris, podagris vtiliter illinitur. Cor autem non modò roborant, ſed exhilarant ſantali omnes: vt Mauritani aliqui prodiderunt. Quare medicamentis, quæ cordi, & huius palpitationi conueniunt, miſcentur. Eam poſtremùm gratiam, ob ſui odoris iucunditatem cum medicis iniuit, vt omnes eo potiones imbuantur, vt minùs à moroſis ægrotantium palatis reſpuantur, & reijciantur.

De breſilo. CAP. XIIII.

EX India apud nos lignum vulgo breſilum dictum defertur, non multò ante tempeſtatem noſtram viſum: vt tamen integram, ac veram arboris imaginem adhuc ignoremus: quod mirum, vbi tanta copia ad nos tam longo tempore aſportata fuerit. Lignum teres & enode cernitur, libro tenui veſtitum, materie ſubtus rubra, vt nulla alia rubrior vt ob hunc ipſum colorem in pretio habita, & à nobis tantum deſiderata, infectoribus maximè, imbuendis lanis, & veſtibus expetita. Ex ea etiam atramentum ſcriptorium rubrum. Quod propterea vulgus apud Gallos roſetam vocat. Quo librarij, ductis concinniter lineis, librorum margines exornant. Hac etiam fabri lignarij, ad tenues teſſulas, ad operum pretioſorum lautitiam, & elegantiam vtuntur. Ea etiam gladiorum manubria muniuntur, & leuia tornatilia opera fabricantur. Erga verò vim medicam ſi aliquam habeat, nullus adhuc vſus. Quod autem de ea arbore dicam, nil vltrà aliud habeo.

De Gaiaco. CAP. XV.

LIGNVM Gaiacum,priſcis ignotum, parum ante noſtram ætatem ab Hiſpanis ex India ad nos aduectum. Ibi enim magna copia,ſyluæ etiam integræ, maximè verò in inſula Corterato, ſic ab inuentore denominata: & apud Hiſpaniolam in Occidentem propè Americam verſam. In alijs etiam tribus interioris Oceani inſulis,quarum vni à diuo Dominico, alteri à ſancta cruce, tertiæ verò à diuo Ioanne, nomina indita ſunt. Præſtantius ex hac. Omnes ad Meridiem ſitæ. E Taprobana & Iana inſulis etiam aſportatur:ex Æthiopia etiam. Gentile nomen eſt, verùm ob miram eius in ſanada lue Hiſpanica virtutem, alia nomina ſortitū eſt. Nam nonnulli ἁγιοξύλον appellant. Alij palmam ſanctam,aut lignum Indicū. Arboris figura,ac proceritas,omnino fraxinea, & tota ramis exuberat,vt vndiq; frondes germinet,cortice coloris cinericij, folio neruoſo, plantaginis inſtar,verùm minore,atq; rotundiore,ac validiore,admodum viridi, flore luteo, fructu caſtaneæ proximo; vel, vt cæteri voluerunt, oliuæ. Plures nucem parere dicunt,trigona ſpecie,ſed vna ſui parte ſeſſili, acuto dorſo, nucleo intùs albo, ſapore caſtaneæ grato, vti ad manducandum ſeſe inuitet. Tria autem eius ligni genera eſſe dixerunt. Primum quod eſt denſius, ac craſſius, medulla nigrante, dura, vt aſciam retundat. Hæc enim pars vtilior exiſtimatur. Foris pallidum, & lineis quibuſdam ad fuſcum inclinantibus. Alterum album,magis in exteriori parte, neque tam manifeſtis lineis diſtinctum: intrinſecus etiam nigrum, verùm minore orbe. Tertium autem interiùs, & exteriùs album. Hanc verò generum differentiam, quidam improbarunt, vnam ſolam arborem perhibentes: ſed hæc trium generum diſcrimina ex arboris vel ſenio, vel iuuentute, prouениſſe, nigricante, & albeſcente, & colorem mutante materie. Eximius exiſtimatur,in quo nigri quamplurimum ineſt, & cùm pingueſcit, vt eius ſenecta in leuitate & amaritudine opinetur, ſuaui guſtu aliquantùm amareſcente, in potione verò ſubacidum. Eius vis medica eſt, vt ſanguinem purget. Aluum vomitione copioſiſſimè cit, aquas potiſſimùm eliciens. Calidum in gradu ſecundo,& tertium attingere nonnulli arbitrantur. Vis eius præcipua in ſananda ſcabie Hiſpanica. In commemoratis enim illis inſulis,morbus ille primùm natiuus, præter contagionem, per ſe illic naſcitur: ſed ſolius fructus illius eſu ſanatur, vt facile remedium: vt quod loci natura in morbo procreando habet,idem remedium repente præbeat, arborum illarum ingenita tantùm illic agnatio. Cuius curatio ex hoc ligno per vomitum, & ventrem, euacuando eſt. Hæc autem lues prædictarum inſularum, & aliarum regionum inueſtigatoribus, & repertoribus, primùm ad nos deportata, maiori quidem damno, quàm vtilitate horum, quæ illi ex his inſulis ad nos detulerunt. Nam hac morborum fæce totus ferè orbis poſteà labefactatus, vt longè vtilius fuerit, has regiones non indagaſſe, neq; inueniſſe. Hæc autem in Europa apud Neapolim atq; in exercitu Caroli Octaui, Francorum Regis inuictiſſimi primùm patefacta, qua Galli milites Hiſpanorum militum ſub Alphonſo Rege merentium contagione, laborarunt, vt primò

hæc lues apud nos Neapolitana paſſim vocitaretur:ſed Itali in Gallorum ignominiam, poſteà Gallicam nominarunt. Sed vtut ſit, omnes nationes totius orbis ea ſcabie afficiuntur, vt nulla regio ab ea immunis ſit: vt tandem morbus ille denominationem ſumere debeat ab eo, qui illo cruciatur, vt à Germano Germanicus, ab Italo Italicus, à Sarmata Sarmaticus, & ſic de cæteris, nuncupandus ſit. Ad nos tantùm lignum adfertur, cùm fructus propter & temporis, & loci longitudinem, ad nos anteà, quàm putreſcat, deferri minimè poſſit. Ligni ſcobe ſolum ad certum pondus decocto, vtuntur, præſcripta quadam victus & eſculenti, & poculenti ratione, in qua deſcribenda immorandum non cenſeo, cùm ſuper hac re ſpeciatim plurima, & varia plurimorum medicorum extent commentaria, maxime verò Nicolai Copi medici Pariſienſis doctiſſimi & eloquentiſſimi, cuius morte in iuuene adhuc corpore ipſa medicina plurimùm detrimenti paſſa eſt, maximè verò in ſuo Seplaſiario, quod morte præuentus in publicum emittere non valuit.

De nonnullis Indiæ alijs arboribus. CAP. XVI.

SED nunc de alijs Indiæ arboribus ex Theophraſto, & alijs, dicendum. Etenim in ea arbor quædam eſt, cuius fructus ſimilis cornis eſt. Eſt & in Bactris alia terebintho ſimilis, cæterùm pomum amygdalis vel magnitudine tantùm minus his noſtratibus, ſuauitate præſtantius: quamobrem incolæ his potius vtuntur. Hanc quidam exiſtimauere ebenum, vt Theophraſtus ait. Alij, vt Plinius, terebinthum eſſe proprij generis, potiùs quàm huic ſimilem. Eſt & alia, vnde veſtes ſiunt, quæ mori folio, totoq; corpore perſimilis, roſis cynorhodi proximè, vt ait Theophraſtus, cernitur, Plinius calyce pomi cynorhodo. Dum enim eam ſerunt, per ordines decuſſant, quare intuentibus vites apparent, vt gratior illarum ſit aſpectus. Genera arborum plura, qui Alexandri iuſſu in Indiam nauigauere milites, inuenere. Maiore parte ſine vlla appellatione, naſciq; aliquas in inſulis, platanis, populisq; altiores, quarum nonnullæ (ait Arriano) ad triginta cubita altitudine ſeſe extollunt. Harum autem minores, & in concauis locis exiſtentes, æſtus maris omnino integit, maximarum autem cacumina ſemper conſpiciuntur, ad quas naues religantur, & vbi diſceſſerit æſtus, ad radices æquo modo annecti poſſunt. Folium autem lauri, flos violæ, odorq; eiuſdem, qui ſit ſuauiſſimus. Baccæ, vt oleis, & ipſæ odoris iucundiſſimi. Fructificant autem, & florent, circa Autumni principium, Vere autem colligitur fructus. Folia nunquam decidunt. Alias etiam marinas, tradidere, quarum frons colore algæ minutæ, in aquâ viridis, exempta verò ad ſolem protinus in ſalem exareſcit: &, quod magis mirandum, arbuſculas quaſdam in alto naſci, colore cornu bubuli, ramis aſperas, & cacuminibus rubentes, quæ cùm tractantur compreſſiùs, vitri modo frangi, in igne enim iniectæ, vt ferrum candeſcere, reſtinctas verò ſuum colorem reaſſumere. Alias autem in eodem mari adnaſci, quarum fructus lupino ſimilis ſit, folia retinentes.

De nonnullis alijs Indiæ arboribus priſcis incognitis.

CAP. XVII.

SVNT & aliæ Indiæ arbores, antiquioribus minimè notæ, vt nullam appellationem apud nos adeptæ adhuc ſint, Quod verò nomen apud ſuos ſortitæ ſint,neq; ab his,qui tam Latino,quàm vulgari ſermone, maximè Hiſpanico de illis ſcripſerunt, nondum proditum. Tantùm fructuum quorundam apud eos nomenclaturam legimus, futurum aliquando vt de his, earum appellatione, naturaq; & figura, quis diligentiùs exaret,vt nobis ampliorem cognitionem adferat. Quid autem ab his nouerim, par eſt vt referam,vt nihil in mea arborum hiſtoria, quod legere potuerim, deſit. Prima autem illarum occurrit relatu ſatis digna, maximè verò quòd ſemel ſolùm in vita pariat, verùm huic moleſtiæ auxilio ſunt eius ſoboles, quæ vt ne parentis repentinam mortem diu domino damnoſam patiantur, properè aſſurgunt,ſpe futuri,ſuo incremento, prouentus, vt intra annum fructum ferant,& ob hanc rem agricultores aliò transferunt. A ſolo enim tantùm nonnihil ſupra hominis altitudinem attollitur. Folia producit quaterna,vel quina,ſurculis connexa,vſqueadeò lata, longaq;, veluti ſingula hominem,vmbra ſua,à Solis, imbriúmve iniurijs defendere poſſint.In medio autem folij aſſurgit malleolus:flores fabæ nō abſimiles: fructus autem palmi vnius, nonnunquàm ſeſquipalmi longitudine: craſſitudo verò quatuor digitorum,confertus quidem in nucis pineæ modum,ita eſt eius vbertas. Nam ſurculus ducentos pluréſve fert fructus. Triplex fructuum genus. Primum fructum nauchapalon vocant,guſtu admodum ſuauem,cordiq; plurimum conducentem. Color illi ſubfuluus,atq; tenuiſſimæ ſiliquæ,ficis noſtris ſimiles. Alter cadelapatos dicitur, eſu ſuperiori iucundior. Tertius inſuauis eſt, nec vſu aliquo comprobabilis. Toto anno vbertim leguntur,immaturi etiam,cùm domi vtiliter matureſcant. Quòd ſi eorum acerbitatem vereantur, ablaqueata planta, vt ocyus matureſcat, calcis nonnihil inijciunt. Eſt & alia arbos,quam pretioſiorem cæteris omnibus, quæ totus orbis fert, exiſtimant,tum ob eius multiplicem prouentum,tum etiam quòd vbiq; apud eos naſcatur. Quæ ſi vera ſunt,quæ ab eis,qui illam viderunt, proferuntur, certè pretioſiſſima, non ab re omnibus cenſenda erit, vt tanti propterea incolæ faciant, vt ſi ab hiſce nonnullis læſa fuerit, nunquàm cum his poſteà pacem ineat. Quod in natis ac parentibus ſolùm ſeſe ſperare ſatagunt. Sabulum maximè hæc diligit: Pangitur,& continuò producit. In arbore enim fructus & maturos,& virides,& aridos videre eſt. Nuces autem fert, caryotarum inſtar, vt in palma. Singulæ autem arbores ducentas,aut circa,ferunt. His primùm corticem abſtrahunt,ad ignis vſum reſeruantes, qui flagrantiſſimus ex his eſt. Ex floribus verò ſericum depectunt,cuius ſtupa item ad nauium funes vtiliſſima.Sequens verò cortex,carbonum vſum præbet. Tertius autem,qui nucleum occulit, craſſitudine vnius digiti eſt. Nucleus cibatu gratiſſimus: quo adoleſcente inter hunc

ter hunc & extremum corticem aquæ ſubnaſcuntur,quæ dum diſſoluitur nux, tanta copia diffunditur,vt calices ternos, ſæpe quaternos adimpleat. Hæq; limpidiſſimæ, atque ſuauiſſimæ ſunt. Ex nucleo item quàm pinguiſsimum oleum fit. Sterilem enim ramũ circiter medium ſauciant, manè & veſperè, ad quod vulnus, tanquàm ad partem læſam, veluti in homine accidit,humor defluit, qui in appoſitum vas proſilit. Quem liquorem ſemel, atq; iterum ad ignem decoquunt, & ad vſum reponunt. Odor mirus, potum tamen cerebrum offendit: qui ſi pluſquàm ſat ſit, deſumptus fuerit,in furorem,qualis in temulentis,& lymphaticis eſt,agit. Illo, vt nos vino, vtuntur. Ex ea etiam arbore ſaccharum legitur, & eius materie ad domuum contignationes vtuntur. Viſitur & apud eos alia, caudicis arboris craſsitudo, ad pyri noſtratis inſtar. In arboris autem trunco, ſubtus frondes, fructus fert: plerunque in medio caudice,cuius craſsitudo trium palmorum, aut vnius & ſeſquipalmi, qui nuci pineæ non eſt diſsimilis. Color viridis, cùm verò matureſcit, nigreſcit, ac macreſcere videtur. Intus membranulas, inſtar mali punici,habet,in quibus incluſus fructus deliteſcit,caſtaneis perſimilis. Sapor parum abeſt,à malo cydonio, aut perſico, verùm mitior: varium tamen cùm eſtur præbet, modò mellis, modò punici. Si verò torreatur, caſtaneæ ſaporem repræſentat. Nullus alius pretioſior fructus habetur: quem incolæ ciacerum vocitant. Legitur menſe Decembri. Alia ibi eſt,folijs & caudice cydonij mali,cuius fructum carocapallium vocant, peponis figura. Qui inciſus, vinacea intus terna quaternàve,vuæ inſtar oſtendit. Reperitur & alia,cuius ſtirps magnus,fructus verò amba dicitur,nuci iuglandi ſimilis. Cum autem matureſcit,fuluo colore,itidem ac ſplendido, qui intra lignum,vt amygdalæ, includitur. Conditur autem in cadis, quo modo apud nos oliuæ. In itinere verò Indico inſula eſt Oceani Atlantici, cui Partus Sanctus,ab repertoribus nomen inditum eſt. Hæc enim arbores habet, quæ fructum ferunt ceraſo perſimilem, guſtu perſuauem, atque id in menſe Martio. Has autem ſtato anni tempore incidunt,& ſauciant:quo vulnere in ſequentem annum gummi illacrymat: quod ahenis decoctum, & deſpumatum inſtar ſanguinis efficitur,vt propterea ſanguinem draconis illi vocitent. Hæc ſunt, quæ ex peregrinationibus Indiæ circa nouas arbores, antiquis, tam Latinis, quàm Græcis, ac Arabibus & cæteris incognitas, & quas ego ex illorum, teſtimonijs, qui eas ſcriptis mandarunt, didici. Alias plures diuerſi generis illîc eſſe audiui, quarum nulla mentio in itinerarijs Indiæ adhuc habita eſt: futurum vt aliquando cuiuſdam viri doctiſsimi diligentia apud nos innoteſcant,& ſemper aliquid noui ad nos de India feratur, vt de ea erga arbores, quod de Africa circa animalia dici poſsit,Semper aliquid noui fert India.

De anacardio. CAP. XVIII.

ANACARDIVM Actuario ἀναχάρδιον, vt hæc arbos Græcis recentioribus, ex Arabibus nota fructus arboris in India, & Siciliæ montibus,qui ignis flammas eructant,& Apulia proueniẽs.

Adfertur etiam è Syria. Fructus auiculæ corculo non diſſimilis, vnde nomen ſumpſiſſe exiſtimatur. Rubente intus cruore, quo ſcatet, veluti ſanguine. Reſiccantium autem, atq; excalfacientiũ claſſem huic tertiam aſſignant. Quamobrem iuuenibus ac bilioſis, ob caloris vim interdicitur. Cerebri morbis, quos vel humida, vel frigida cauſa attulerit, opitulatur, neruorumq; reſolutionibus auxilio eſt. Mentem quoq; exacuit, latenteſq; ſenſus refricat, memoriæ iacturam reſarcit, ac obliuionem diſcutit. Sanies verò, quæ in fructu condita manet, verrucas delet. Cutem admodum exulcerat.

De metopio, & galbano. CAP. XIX.

NVNC de aliquot, poſt Indicas, Africæ arboribus, atque de metopio arbore, quæ galbanum, & ammoniacum lacrymas ſtillat. Quidam metopion, ſiue metopon, vt Solinus. Ferulacea arbos in Syria, & in Amano monte naſcitur, & in Africa circa Cyrenen, apud Ammonis Iouis oraculum. Fert autem hæc arbos galbanum lacrymam, quam Græci χαλβάνον vocant, χ in γ verſa. Nonnulli verò à colore candido dictum exiſtimant, à quo veſtis nomine. Iuuenalis:

Iuuen. ſat. 2. *Cærulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa.*

Martiali galbanatus dicebatur, qui galbano indutus eſſet. Quidam, vt Suetonius inquit, Sergio principi Galbæ nomen inditum putant, quod Hiſpaniæ oppidum, fruſtrà diu oppugnatum cùm eſſet, illitis demum galbano facibus ſuccenderet. Laudatur maximè cartilaginoſum, purum, minimè lignoſum, & quod thuris effigiem præbeat, vt ait Dioſcorides, vel, vt Plinius ſentit, ammoniaci, & quod etiam ferulæ, ſeminiſq; aliquid miſtum habeat, non humidum, neq; contrà aridum, odore graui. In tertio exceſſu excalfacientium incipiente, aut ſecundo complente: in deſiccando verò ex ſecundo incipiente ſecundum Galenum. Emollit, diſcutit, concoquit, & pus mouet, vulnera aperit. Rodit, inquiente Celſo, Menſes, partus non exeuntes appoſitu, vel ſuffitu attrahit. Per ſe autem bibitur ad tuſſim veterem, difficultatemq; ſpirandi. Ad conuulſa, ſuſpiria, rupta quoq;. Imponitur lateris doloribus, iſchiadicis, panis, furunculis, carni ab oſſibus recedenti, ſtrumis, articulorum nodis. Dentium quoq; dolores illitu, aut cauernis impoſitum mitigat. Comitiales, ac vuluæ ſtrangulatus, vertigineſq; olfactu ſuſcitat. Contra vrinæ anguſtias prodeſt, vt vult Dioſcorides. contrà, Plinius nocere ſcribit. Cuius diuerſæ opinionis iudicium, in ea re expertis medicis, relinquo. Suffitu autem ſerpentes fugat, & eo perunctis, ab illorum noxa tutos conſeruat, & aduerſus ſcorpionis, muriſq; aranei, ac viperæ ictum, emplaſtri modo, loco impoſitum, auxilio eſt. Cum melle (autore Ægineta) præbetur his, quibus data eſt ſalamandra. Adulteratur autem fabæ lomento, & ammoniaco, & ſagapeno, vt voluit Secundus. Purgatur enim hoc modo: Galbanum in feruentem aquam demittito. Nam cùm aquæ calore liquefactum fuerit, ſordes tunc fluitabunt, quas hac ratione facilè ſeparare poteris. Eſt &

modus purgandi alius: Linteolo mundo colligatum,in ænea pyxide,aut fictili,ne tamen vaſis imum tangat,ſuſpendito, coopertumq́; vas in aquã feruidam demittito: ſic enim quoad ſincerum erit, quaſi per colum eliquabitur. Quod verò in eo lignoſum fuerit,linteo hærebit. Permutabatur enim Plinij temporibus,in libras quinq; medicinales,hoc tantum. In Ægypto autem fit vnguentum,quod metopium proprio nomine, propter arborem quæ galbanum fert, quod illi miſcetur, appellant. Ex amaris enim amygdalis,omphacino oleo,calamo,iunco odorato, cardamomo,melle,vino,myrrha ſemine balſami, reſina, & galbano conſtat. Probatur odore graui,pingue, & quod magis myrrham, & cardamomum, quàm galbanum redoleat. Vehementer calfacit,aduritq́;, & extrahit. Ora venarum aperit. Ad præciſos neruos,& lacertos,hernias putridas,humore contractas, efficax: rigoribus, conuulſis, præſertim quibus ceruix in ſcapulas deiecta eſt, & retrorſum contracta vtiliter datur. Sudores cit, vuluæ ſpiracula laxat,eiuſdemq́; duritias emollit. Malagmatis idem,& ceratis miſcetur. In ſumma molliendi vim habet.

De ammoniaco,& Iouis Ammonis oraculo. CAP. XX.

ARBOREM vnam ac eandem ferre & galbanum, & ammoniacum, ſuperiori capite oſtendimus, maximè verò hæc,quæ in Aphrica,& circa Cyrenen naſcitur, ab arena, quæ Græcè ἄμμος dicitur, & ab Ammonis oraculo denominatum. Nam autore Mauro Seruio, cùm Liber Pater in Indiam exercitum duceret,& ſiti,ac æſtu fatigaretur,patris ſui Iouis auxilium implorauit: cui aries apparuit,quem ſecutus eſt,donec ad fontem in arenis ſcaturientem, perueniſſet: vbi poſteà patris ſimulacrum, cum capite arietino factum locauit. Quod ideò ibi fingitur, illo autore, quòd fatis eius ſint inuoluta reſponſa. Frequens enim apud Græcos adagium ἄμμον μετρεῖν, id eſt,arenam menſurare. Quòd de his dicitur,qui in re perdifficili fruſtrà laborant. Quidam etiam ammoniacum gentili nomine, ab Ioue Ammone chriotleum appellant, cæteri agaſyllim, ſiue agaſyllum. Quod alij ad arborem cum eius radice attribuunt:alij herniſtrum. Duo eius genera. Primum thrauſma, id eſt, friaturam, ſiue fragmentum vocitant. Thuris id ſimilitudine:quod maximè probatur. Alterum phyrama, quæ vox commiſtionem ſignificat. Terram, & calculos intra ſe colligit. Pingue, & reſinoſum eſt. Probatur colore nitens, & caſtoreum odore imitans,non lignoſum,nec calculoſum, denſum, ſyncerum,nullâve ſorde ſpurcatum, guſtuq́; amarum. Vis eius præcipua eſt,vt emolliat,etiam tanta virtute,vt tophos,ſiue articulorum callos,quos poros vocant,& induratos lienes,ſtrumas,ac ſcyrrhos, panos,& generaliter ea omnia,quæ in aliqua corporis parte cohæſerint, diſcutiat. Viſus claritati in collyrijs conuenit, atque oculorum albugines abſtergit. Lienoſis, idq́; cum poſca Ægineta exhibet. Alij lienem drachmæ pondere hauſtum conſumere aiunt. Denarij verò pondere,cum mulſa potum,aquam educit. Suſpirioſis, & orthopnoicis non niſi recta ceruice ſpirantibus,

comitialibúsve prodeſt. Dentium dolores lenit, efficaciùs accenſum. Cruentam vrinam deducit, genarum ſcabritiam minuit. Addunt & Mauritani, vlceribus cum myrrha impoſitum auxiliari. Carnem enim putridam exedit, & nouam generat. Oedemata ad ſuppurationem ducit. Purgantia medicamenta emendat. Lumbricos,qui Græcis ἀσκαρίδες dicuntur, pellit: menſes trahit. Pretium Plinij tempeſtate in libras aſſes quadraginta.

De malua arbore. CAP. XXI.

MAVRITANIÆ peculiaris hæc arbos,in Lixi oppidi æſtuario naſcens,vbi Heſperidum horti fuiſſe memorantur,ducentis paſſibus prope Herculis delubrum Gaditano antiquius. Altitudinis autem pedum viginti hæc proditur, craſſitudinis verò tantæ,quam nemo circumplecti valeat. Nil autem de ea amplius habeo,quod diſſeram, nec de ea apud aliquem, quàm apud Plinium quicquam legiſſe (quod ſciam) fateor.

De euphorbio. CAP. XXII.

LYCA arbor euphorbiũ eſt,Iubæ Regis,in monte Atlante,iuxta Mauritaniam, tempore inuenta: quam à nomine medici ſui,& fratris Antonij Muſæ,diui Auguſti etiam medici,denominauit. Ille autem Ptolemæi pater fuit, qui primus vtriq; Mauritaniæ imperauit,ſtudiorum claritate magis, quàm duobus ſuis regnis inſignis. Cuius rei teſtimonium aliquod ipſe præbuit in vno de ea re edito volumine.Clarum quidem de eo præter cætera eius monimenta,præconium.Hæc enim arbos,ferulæ ſpeciem habet, ſi Pedario credamus. Plinius verò folijs acanthinis ſpectari ait. Illa enim acerrimo ſucco turget: cuius verò vis tanta,vt incolæ eam,cùm legunt, pertimeſcentes,excipulas ex ventriculo hœdino factas, arbori circumligent,& ſupra illas caudicem eminus contis percutiunt.Tunc enim ex plaga perinde,atque è vaſe rupto, in excipulas copioſus lactis humor proſilit. Qui tantus nonnunquam eſt, vt in terram eius vulnus eiaculetur.A cuius verò violentia quidam euphorbium vocatum autumant.Ab εὖ ſcilicet & φοβερὸν, quaſi valde metuendum. Duo ſunt ſucci genera. Vnum,erui magnitudine,ſarcocollæ modo micat. Alterum,quod in excipulis concreſcit,vitreo colore eſt,vel, vt Plinius vult, thuris effigie cernitur. Eligendum autem perſpicuum, ſiue tranſlucens, & acre, & quod ſemel linguæ admotum,diu eius feruore,os accenſum detineat, vt quicquid inde ori obiectum ſit,euphorbium planè recenſeat. Ibi, Getuli,qui legunt,hœdino lacte adulterant:ſed igni diſcernitur. Quod enim ſyncerum non erit,faſtidientem odorem emittit. Vitiatur etiam ſarcocollæ, & glutini miſtione.Vis eſt excalfacere,etiam in quarto exceſſu,vt nonnullis placuit, multò calidius recens eſt, neq; prius vtendum eo, quàm per annum anteà conſenuerit. Durat enim annis quatuor vltrà hebeſcit, autore Galeno. Fabis enim & milio ſepultum vtiliſſimè conſeruatur. Eidem

deiectoria

deiectoria facultas eſt, autoribus Aëtio & Actuario. Aquam intercutem, duorum obolorum pondere hauſtum, valenter extrahit, Auicenna, & Serapione autoribus. Diſcutit etiam, & attrahit ſanguinem in locum ab eo calefactum. Potum verò feruore ſuo tota die exurit: quamobrem melli collyrijsq́;, habita acrimoniæ ſuæ ratione, miſcetur. Liquor contra oculorum ſuffuſiones inungitur, deijcitq́; eas. Coxendicis doloribus prodeſt, potione odorata hauſtus. Reſolutis, ſtupidis, tremulis, conuulſis, orisq́; diſtentionibus, & cæteris neruorum morbis, ex frigiditate obortis, prodeſt, autore Meſuë. Squammas oſſium eximit, eadem die impoſitum. Verùm eo vtentes, linamentis, aut ceratis circa oſſa, omnem carnem communire oportebit. Aluum ſoluit, drachmis duabus, cum modico ſale ex aqua, aut mulſo, obolis tribus. Colicis datur, & ventrem frigidiorem habentibus. Sternutamenta excitat. Muliebrium locorum orificia (vt inquiunt Mauritani) adeò adſtringit, vt fœtum exire omnino prohibeat. Manardus medicus Ferrarienſis euphorbium cum maſtiche, & tragacantho in pane coctum, ſcabie Neapolitana affectis dabat. Memoriæ aliqui prodiderunt, à ſerpente percuſſos, nihil moleſtum paſſuros, ſi quacunq; parte inciſa oſſe tenus, capitis cute, dilutum euphorbij ſuccum inſuderit, vt vulnus poſteà conſuatur.

De thya, ſiue trogete. CAP. XXIII.

THYON, ſiue thya, vtrunq; enim à Theophraſto dicitur, Plinio etiam trogete, Cupreſſo ſimilis, magis, magisq́; ſylueſtri accedens, tum ramis, tum folijs, caudice, fructuq́;. Radice verò eius nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera. Naſcitur autem circa Ammonis delubrum, & in interiore Cytenaicæ parte. Nota enim Hometo, qui illam inter odores vri tradit, in delicijs Calypſus. Magno illorum errore, qui in ea voce, omnia odoramenta conciperent, cum & ille vno ac eodem verſu, & cedrum, & laricem nominauerit, vt ſolùm de arboribus meminiſſe exiſtimandum ſit. Inducit enim libro Odyſſeæ quinto, Mercurium Iouis mandato, Calypſus antrum petijſſe, & thyæ, cedriq́; combuſtarum arborum odorem longè perſenſiſſe. Ait enim,

— τηλόσε δ' ὀδμὴ,
κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

Theophraſtus autem, qui primus à Magni Alexandri ætate ſcripſit, quæ circa vrbis Romæ quadringenteſimum quadrageſimum annum geſta ſunt, huic arbori maximum honorem tribuit, memoratis veterum templorum contignationibus, ex thyæ materie longo æuo incorruptis: vt hæc contra vitia immortalitatem comparet. Alia eſt arbos eodem nomine, ſcribente Plinio, quæ adeò tardè germinet, vt nulla alia ſeriùs, ferens malum odore, & amaritudine execratum. In fructu verò, nucleos grano hordei perſimiles, longiores duntaxat, ac exiliores habet. His enim præſumptis, ebrietatem arcent, alijs pomum expetitum domos decorans.

De

De loto, & fabula nymphæ in arborem lotum commutatæ.

CAP. XXIIII.

EADEM Africa, qua parte Italiam vergit, loton arborē gignit, quam celtim, ac fabam Græcam vocant, Seruius verò fabam Syriacam, & nunc etiam Padi accolæ. Aëtius vulgo apud Græcos anacabeam dici, & eius fructum anacabon: Itali amarenum, & pongerucum viſciulum, quidam acrifolium: Galli alyſam & abyſerum. Præcipua circa Syrtes atque Naſamonas, & ipſa etiam familiaris Italiæ, verùm cœli, terræq́;, mutata natura, ſuccos oblita eſt priores. Magnitudo quæ pyro, quamquàm Cornelius Nepos, & Polybius breuem tradant. In folio inciſuræ crebriores, alioquin ilicis videretur. Ligno colos niger, quo nil amarius: quod mirum, vbi fructu nil dulcius, contraria in eadem arbore natura. Plures enim eius differentiæ, & eæ maximè in fructu, cui fabæ magnitudo. Dioſcorides verò pipere maiorem, & baccam eſſe, croci colore, ſed ante maturitatem alius, ſicut vuis, & alijs fructibus permultis, & poſt maturitatem alius. Naſcitur enim myrti modo, in ramis denſis, graui odore eſt. Spinis verò horridā Polybius ſe vidiſſe teſtatur. Nam Arabes duo genera poſuerunt, quorum alterum ſpinoſum ſit, folio vt in rhamno virenti, verùm latiore, profundioreq́;: fructu oliuæ magnitudine, rotundo, per initia candido, ſed proceſſu puniceo, fici & phœnicobalani ſapore. Sunt etiam qui fructum eius poſt putamen eſſe dicunt, foris minimè carnoſum, ſed cutilaceum, nec tam cibo, quàm guſtu dulcem. Diſtat autem Heſperidum lotos ab ea, quæ apud Lotophagos prouenit, qua lignorum vice ad vrendum vtuntur. Tam enim dulcis in Africa cibus, vti & terræ & genti nomen indiderit, nimis hoſpitalis aduenarum obliuione patriæ. Scribit enim Homerus libro Odyſſeæ nono, Vlyſſem procellarum impetu per nouem continuos dies exagitatum, & vix decimo ad Lotophagos, hoc eſt, Camarineos appulſum, & tres ex ſocijs ad explorandam regionem præmiſiſſe, qui loti ſuauitate pellecti, non ſunt reuerſi. Quare veritus Vlyſſes, ne quid mali à Lotophagis acciperet, noctu in paruam inſulam ac deſertam cum ſocijs ſoluit: quod teſtatur Ouidius,

Triſt. lib. 4. *Sic noua Dulichio lotos guſtata palato,*
Illo, quo nocuit, grata ſapore fuit.
Sentit amans ſua damna ferè, tamen hæret in illis,
Materiam culpæ proſequiturq́; ſuæ. Silius in tertio,
Spectati caſtris, quo ſucco nobilis arbor,
Et dulci paſcit lotos nimis hoſpita bacca. Vergilius in Culice:
Inter quas impia lotos, Impia, quæ ſocios Ithaci mœrentis abegit,
Hoſpita dum nimia tenuit dulcedine captos.

Deq́; hac etiam hæc Quintilianus: neq; aliter amœnioribus locis deſident, quàm ij, qui traduntur à poëtis, guſtu cuiuſdam apud Lotophagos graminis, & Sirenum cantu deliniti, voluptatem ſaluti prætuliſſe. Scribit prætereà Dionyſius Afer, inter Syrtem vrbem Neapolim ſitam fuiſſe, & à

Lotohpa

Lotophagis inhabitatam,qui benignè & clementer hoſpites exciperent, & errantem maximè Vlyſſem perhumanè, & comiter. Fingunt inſuper poëtæ nympham fugientem,in ſui nominis arborem conuerſam,quum Priapus eam comprimere vellet, atteſtante Seruio in ſecundo Georgicorum,& Ouidio in nono Metamorphoſeos:

Lotis in hanc Nymphe fugiens obſcœna Priapi
Contulerat verſos ſeruato nomine vultus.

Et vti à poëtarum fabulis ad vim medicam diuertamus, Lotos arbor exſiccat,attenuatq;,& mediocriter adſtringit:quare eius ligni ramenta vino aut aqua decocta,prout vſus popoſcerit,& pota,aut etiam clyſteribus infuſa,menſtruis,dyſentericis cœliacis, & vertigini, & comitialibus auxilio eſt.Pilos defluentes retinet,& rufat. Fructus recēs frigidus primo abſceſſu,ſiccatus verò frigidior & ſiccior:manducatus enim oris halitum commendat,ſtomacho non inutilis.Aluum adſtringit,bilem reſtinguit.Ante cibum etiam deſumptus appetentiam facit.Fit è ſcobe eius medicamentum,ex aqua myrti decocta,& ſubacta,ac in paſtillos diuiſa, dyſentericis vtiliſſimu,pondere Victoriati cum aquæ cyathis tribus.Baccas verò cum alica contuſas,ad cibos in dolijs condiunt. Vinum quoq; & acetum exprimitur muſſo ſimile,quod vltra denos dies durare Nepos, & Polybius negant.Sunt qui biduo vel triduo id aceſcere ſcribant.Eſt & herba huius nominis,maximè in Nilo naſcens,cuius itē plures differentiæ. Qui verò loton tantùm arborem exiſtimant,vel hi,autore Homero,argui poſſunt, qui inter herbas deorū voluptati ſubnaſcentes, loton primā adnumerat.

De arboribus atlanticis, & nonnullis alijs Africæ nuper repertis. CAP. XXV.

ATLAS Mauritaniæ mons non ſolùm geographia ipſa,ſed & poëtarum fabulis clarus, qua parte Africam contra verſus eſt,arboribus opimus,atque proceris opaciſſimus, quarum comæ cupreſſis ſimillimæ, & alia deniq; tota, præter odoris grauitatem. Forma enodi nitere,tenui obducuntur lanugine,ex qua addita arte,veſtes,quales bombycinæ,conficiunt. Senega regio,& regnum, in vlteriori Mauritaniæ plaga, arborem fert, verùm neq; ibi minimè frequentem, quæ continuè ſuccum deſudat, quem incolæ mignolum appellitant,& vti vberiùs effundat, arborē ſauciant, qui ſtatim effluit perinde, ac ſi aliquod viuum animal gladio percuſſum ſit. Vaſe hunc excipiunt. Color autem ſubcinericius, vt lactis ſerum referat, Huius incredibilis ſuauitas,vt æquè tamen atq; vinum inebriet:ſed veluti hoc,aqua temperatur.Qui autem recēns ex arbore effluxerit,omni vino dulcior, ſed hanc dulcedinem diutiùs aſſeruatus amittit: vt quantò longiùs,eò magis magiſq; aceſcat.Tertio quartóve die poſtquam detractus fuerit,humano generi magis idoneus,ac ſalubris. Multas alias arbores Mauritania habet, priſcis incognitas, & adhuc nobis, nondum ab his, qui eam regionem luſtrarint, deſcriptas, tametſi viſas, verùm per tranſennam,vt ipſi retulerunt.

Præfatio libri vigeſimiprimi.

NVNC *de arboribus, quę propiùs ad orbem noſtrum accedunt, vt quid certiùs de his viſu, atque experientia, vſuq́; illarum nobis cognita, & multa familiaritate magis quàm de cęteris promere differereq́; valeamus. In quarum vi ac natura, vt in ſuperioribus, qualitatum ordinem, maximè annotare oportuit. Quo plurimum omnes inuicem differunt. Vix difficile erit, vt eadem atque ſimilis facultas in pluribus inueniatur. Et vt rem iam attingamus, qualitatum, vti caliditatis, frigiditatis, & ſic de reliquis, ordines ex ſaporibus potiſſimùm dignoſcere eſt. Cęterum omnes arborum partes, fructus quoque ipſi, aut calidę vel ſiccę arideq́; ac humidę ſunt qualitatis. Quę quidem omnes in vna quaq́; planta non accedunt, neque in omnibus vnius generis partibus. Nam quędam efficacioris, alię imbecillioris virtutis exiſtunt. Neq́; enim vnum ac eundem limitem in omnium arborum ſingulis partibus aſſignare eſt, vt longo tramite, longa via, ſeiungantur. Vt hac ratione earum facultas per ſingula in vno & altero arborum genere per aſſeſſus digeratur. Pręſtat enim in vno quoque aſſeſſu, quantùm ad vſum rei medicę ſpectat, ordines quatuor ſtatuiſſe, vt non vltrà ampliùs. Aliarum plures gradus, aliarum verò pauciores ſortiuntur. In multis autem nullus. Neque in multis rei medicę autores diffinitum aſſignarunt: vt ſępenumerò in his contrarij ſint. Nec enim res perfacilis, vti ſępe differentias ſitus, regio ipſa, ętas quoque in vno & eodem genere faciat, vt plerunque ordinem addendo aut diminuendo, demutet. Calefacientium apertior qualitas. Quod autem ſic nos calefacit, non ita tamen efficaciter, vt rationali quadam demonſtratione atque ſenſu percipi poſſit, primo ordini aſſignabimus. At quod manifeſtè iam & deſiccare & refrigerare ac calefacere, vt ſic de cęteris exiſtimandum ſit, ſecundę claſſi attribuemus. Iam enim hęc ſenſu percipiuntur. Quę autem vehementer, ſed non idem ſummè, vt incendat, tertio aſſeſſu conferemus. Quartus verò iam planè exurit, veluti cùm cruſtas indurant. Similiter quę ita refrigerant, vt ſi mortis habitum concilient, hoc quoque quarto aſſignatur. Siccitatis enim quartus minimè datur. In refrigerantibus*

autem

autem difficilior claſsium aſſertio, vti nec primi ac ſecundi facilis cognitio ſit. Nam eius qualitas, ſenſui imbecillior. Tertius extra extentionem refrigerat. Eademq́ prorſus humectantium atque exſiccantium ratio. Has etenim vires atque illarum ordines experiens medicus per ſingulas partes experiri ac metiri, ſuo ingenio ac experientia debebit. A coloribus aliquam qualitatem non eſt coniecturari. Siquidem verò in ſingulis quid calidum aut humidum, frigidum vel ſiccum inuenire eſt. Fieri tamen poteſt, vt nonnullis placet, vt in vnoquoque genere quippiam à colore dijudicetur, vt in fuluis, ruffiſ've aut rubeis, vt alijs magis calefaciant. Quod nonnullis minimè placet.

HORTORVM LIBER
VIGESIMVSPRIMVS.

De palma. CAPVT I.

PALMAM Græci φοίνικα vocant, à colore tum pomi, tum arboris: Palladius etiam cephalonem vocat. Arbor pulcherrima, vt Homerus Phœniciæ puellæ venuſtatem palmæ ramo aſſimilet. Tereti ſtipite, coma deinde variè, & circumextensè ſeſe effundente. Quamobrem à palmæ ſimilitudine dici volunt. Ramos paucos habet, ſcabro cortice, præſertim verò cùm ſeneſcit. Folia duplicia, quæ thali Polluci dicuntur, & huic ramus σπάδιξ. Sola enim arborū fructum in ſpica habet. Quod ei ſiccitatis cauſa eſt. Sola etiam inter omnes arbores vnicum in quolibet lunæ exortu frondem germinat, vt duodecim baijs (ſic enim folia vel palmarum ramulos vocat) annum expleat. Quare Ægyptij annum exprimere volentes, vt autor eſt Horus in ſuis hieroglyphicis deſcriptionibus, palmam arborem appingebant. In palmarum autem cacumine medulla dulcis eſt, quæ cerebrum dicitur, verùm κεφαλαλγὴν, id eſt, inducens capitis dolorem. Pendent enim fructus inter folia, ab inuolucro verticoſoq; operimento: elaten, ſiue ſpathen id vocant: ſed hoc vltimum Pollux tantùm ad balanum refert. Eſt enim palmæ cortex & florentium adhuc palmularum tegumentum, & inuolucrum, in cuius complexu

fouetur fructus, boraſſum nonnulli vocant. Sunt tamen qui elaten vel ſpathen ſpeciatim genus palmæ faciant,cuius fœtus inuolucrum ſit.Sunt item inter Græcos autores, qui primam palmæ germinationem ſpathen vel elaten,vocitent,vnde ſpathalion ramus,cui dactyli dependent.Palmæ autem fructus nunc priore ſignificatu palmulas, nunc dactylos generalius vocitant.Sunt qui caryotas,ſiue caryotidas,vel caryotum neutro genere apellitent. Statius: - *Latente palma*

Lib.1.ſylu. *Prægnantes caryotides cadebant.* Martialis:

Et notas caryotidas theatris.

Nonnulli ſpecialiùs ſecnndum palmarum genus, duplex diſtinguunt. Nam Polluci maſculæ ψῆν dicitur, femellæ βάλανος, & ſpatha, vnde βάλανοι dependent. Dorici ſpadica auulſum cum fructibus termitem vocant. In Cypro Syriáve in trimatu, in Ægypto quadrimæ aliæ, aliæ quinquennes,hominis altitudine. Quandiu enim palma nouella eſt,fructum nullo intus ligno fert. Primùm pomi caro, poſteà lignum intus naſcitur. Hoc eſt ſemen eius: Argumentum quòd paruæ ſine hoc repeꝛiuntur in eodem palmite. Eſt autem prælongum, non vt aliud, orbiculatum,ſed cæſum à dorſo puluinata fiſſura, & in alio media, pleriſq; vmbilicatum, vnde primùm ſpargitur radix. Lignum hoc multis candidiſq; à carnibus diſcinditur tunicis, alijs verò corpori cohærentibus, laxeq; diſtans tantùm cacumini filo adhæret. Caro anno matureſcit, quibuſdam tamen in locis,vt in Cypro,etſi ad maturitatē non proueniat,dulcis tamen eſt, ac grato ſapore, non vt deuoretur corpus, verùm ſucco expreſſo,vt expuatur: Odor eidem qui & malis cydonijs.

De palmarum generibus. CAP. II.

MVLTA palmarum genera,vt nec plura,in quoq; arborum genere reperiri valeant, vt Plinius vndequinquaginta prodiderit,ſi quis omnium perſequi nomina velit, etiam barbara, vinorumq; differentias, & hæc omnia tam ex arborum, fructuumq; diſſimili forma & colore, quàm naturæ, priſci diſcreuerunt. Primum quidem genus maiori diſcrimine manifeſtum,vt aliud fructiferum,aliud ſterile ſit: & item inter fructiferarum genera multæ proceres,multæ foliorum circa totas pecticulatim fruticante aculeo, incerta tamen libidine ſeſe mitioribus miſcent. Magnitudine etiam ac figura plurimùm inter ſe differunt. Nam quædam perbreues, fruticem non excedentes. Sterile hoc. Aliubi breues, verùm cæteris fœcundiores:quippe quæ in trimatu fructificant.Humilium item aliud genus, & aliud, quod excepto cerebro viuit, & à radice iterum repullulat. Aliud pumilium,quod Theophraſtus chamæriphen, hoc eſt, abiectum, & humi repentem,folio latiore,& molli,ad vitilia vtiliſſimo,& huiuſmodi plures in Cypro, Cretaq;, multò etiam plures in Sicilia. Eſt & aliud genus humilium,quod in Ægypto prouenit, Græci chamæzelon vocāt. Quoddam genus ramorum orbe folioſum, tectorij vicem pleriſque in locis parietibus contra aſpergines præſtat. Reliquæ teretes atq; proceræ, denſis,

denſis, gradatiſq; corticum, vt orbibus pollicibus: faciles enim ſeſe ad ſcandendum Orientis populis præbent, vtilem ſibi arboris induuijs circulum, mira pernicitate tum homine ſubeunte, Omnis coma in cacumine, & pomum inter ramos racemoſum, vuæ atq; ſuis pomis vtraque natura præditum. Pelagiſcum autem à cæteris differre Theophraſtus ſcribit. Quippe quod radice perbreui conſtat, & virgis rectis, non in ambitum ramorum modo, verùm in latitudinem ſeſe prodentibus. Folia acanthi, qualia ſonchus habet, recta, nec recurua. Colos plantæ vniuerſæ puniceus. Gades inſula in finibus Beticæ. In ea naſcitur arbor palmæ ſimilis, cuius gummi vitrum infectum, gemmam cerauniam reddit. Alterum genus Ægyptiæ palmæ, quæ ἄδιψος, quaſi ſine ſiti dicitur, quòd deguſtantium ſitim arceat: poculum alij pomatim vertunt. Hæc plurimo humore abundat. Arbor quidem magna, minimè recta, ſed contorta, myrti folio, fructu capparis, nullo intus ligno ad mandendum inutili, ſed odore grato, vti cotoneo eſt, & eiuſdem coloris. Aliud genus palmæ, priſcis incognitum, oxyphœnicem à ſaporis acore vocant. Palmæ ſylueſtris in India naſcentis arbor eſt, ſalicis fronde virens, pruni fructu, exili, nucleo intus duro, vt hac ratione à myrobalanis differat, quòd hi nucleo careant, carne foris copioſa, ex nigro in luteum langueſcente, oxyphœnicum appellant. Pharmacopolæ verò tamarindum, ac ſi palmulam Indicam velint dicere. Nam tamar Barbaris, dactylus eſt. Sunt nonnulli qui fructum palmulam Thebaicam dicant.

De palmularum differentia. CAP. III.

PALMVLARVM quoq; plura genera, quorum primum à figura vel rotunditatis, vel proceritatis, vt etiam dactylos in vnum genus palmularum diſcreuerint, quòd humanis digitis, quos Græci δακτύλυς vocant, oblonga gracilitate curuati ſimiles ſint. Multæ enim cubitum efficere, quæ gignuntur in frutice, ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, verùm maiore quàm mali amplitudine (cycas vocant) triennio matureſcunt. Quædam ſunt non ampliores faba. At in meridiano orbe ſemper frutici pomum ineſt. Præcipuam obtinent nobilitatem ſyagrorum genus, ipſum pomum grande, durum, horridum, & à cæteris generibus, ſapore ferino, qui fermè in apris eſt: euidentiſſimaq; cauſa eſt nominis. Nam Græcis σύαγρος, Latinis aper eſt. Proximam nobilitatem margarides habent. Sunt etenim hæ breues, candidæ, rotundæ, acinis, quàm balanis, ſimiliores: vnde à margaritis nomen accepere. Vna earum arbos in Chora fuiſſe traditur. Mirumq; eſt, quod de his Plinius ſcribit, atque de eius cum phœnice aue ſimilitudine, vt cum illa moriatur iterum ex ſeipſa renaſcatur. Eratq; dum hæc proderet (illo aſſerente) fertilis. Sequens autoritas ſandalidum: à ſimilitudine ſandalij calceamenti generis, cuius figuram dactylus refert, vnde nomen ſumeret. Iam in Æthiopiæ finibus quinq; earum, nec plures arbores fuiſſe Secundus ſcripſit, non raritate magis, quàm ſuauitate mirabiles. Ex hìs caryotæ maximæ, & cibo cele-

bres,atque vberrimæ. Aliud diſcrimen eſt à regionibus, vti ex vna plura diſtinguantur. Nam ex Iudæa ſicciores Nicolai,ſic dicti à Nicolao Peripatetico, patria Damaſceno, corpore procero,necnon indecoro, facie paulò pleniore,interlucente grato decore. Quo mirùm in modum oblectatus Octauius Auguſtus, vt propterea huiuſmodi balanos, Nicolaos appellarit, quòd ille huic eiuſmodi palmulas mittere ſolitus erat. Autor Athenæus. Palmulas deguſtare ille conſueuerat, vt ipſe epiſtola apud Tranquillum teſtatus eſt: & vt ad Nicolai præcipuæ amplitudinis, quaterni enim cubiti longitudinem efficiunt. Nam quos ex his deorum honori dedit antiquitas, chydeas vocarunt. Quæ autem ſapore caryotarum ſunt, adelphides, quaſi ſorores, Iudæi vocauerunt. Ab his enim proximam ſuauitatem, nec tamen eandem habent. Minus ſpecioſæ ſunt. Tertium genus pateton. Nimio liquore abundant, rumpuntq; ſeſe, etiam in ſua matre, ac ſi calcatæ viderentur pomi ipſius ebrietate. Ex reliquo genere plebeiæ videntur. Syri & Iuba tragemata appellant. In totum arentes Thebaicæ, quemadmodum Arabicæ, exiles, macro corpore, torridæ aſſiduo vapore, cruſtam veriùs, quàm cutem, obducunt. Iudaicis, inquit Strabo, ſuauiores, & ſi duriores, nec alio tractu tota Ægypto nobiles. Has enim Statius in ſyluis laudauit, de quibus eſt intelligendum illud M. Varronis. Nam hic, autore Aulo Gellio, comœdiam ſcripſit, quam *περὶ ἐδεσμάτων*, id eſt, de edulijs nominauit. In qua fructus exquiſitiores, & qui cæteris in ſuo genere eſſent præſtantiores, & illorum domicilia compræhendit: inter quos palmulam Ægyptiam poſuit. In ipſa etiam Ægypto apud Tentyram naſcitur non ignobilis, de qua Iuuenalis:

Iuuen. Sat. 15. *Qui vicina colunt vmbroſæ Tentyra palmæ.*

In ipſa quidem Æthiopia friatur, tanta huius ſiccitas, vt farinæ modo ſpiſſetur in panem. Babylonica Theophraſto laudabilior, quàm Epirotica. Aliæ nanq; intus ligno, aliæ ſine ligno: rurſus & aliæ, quibus lignum durum: ſunt quibus molle, nonnullis oſſeum: alijs lunatum, dente contra faſcinantes politum: alijs breuius, longius alijs, aliquæ pluribus vel paucioribus veſtiuntur tunicis. Quædam craſſioribus, tenuioribúsve. Colore etiam plurimùm inter ſe differunt. Quidam verò balani candidi, alij nigri, cæteri flaui. In ſumma non pauciores in his quàm in ficis colores, maximè candidi deſiderantur. Aulus Gellius in ſuis vigilantiſſimis ac lucentiſſimis Atticis noctibus rutilum, ſpadicem, phœniceum colores, *συνώνυμα* eſſe ait: & exuberantiam, ac ruboris ſplendorem, qualis eſt in palmula non admodum ſole decocta ſignificare, vnde ſpadicis & phœnicei nomen. Probus Leucopyrum vocari dicit, qui eſt albus & rufus.

De palmæ natura, & vi. CAP. IIII.

AVLVS Gellius ex Ariſtotelis problematum octauo, & Plutarchi Sympoſiorum etiam libro octauo, hanc palmæ miram naturam eſſe ſcribit, vt ſi ſupra eius lignum magna impoſueris pondera, & tam grauiter vrgeas, vt præter hoc ligni genus ſuſtineri nequeant, deorſum tamen hoc non cedat, nec intra flectatur,

recuru

recuruceturq́;, vel pandatur: vt ab hoc natura pro victoria accipiatur, vt cùm palmam ferre, tribuere, præripere dicimus. Et hanc ob cauſam, Suſiani eius generis trabibus vtebantur, & quòd non vetereſcant. Et vt ad rem medicam progrediamur, Palmæ partes omnes adſtringunt: quamobrem ſtomachicis & hepaticis medicinis, ſiue intus, ſiue foris, vel ſumantur, vel admoueantur accommodæ. Ramorum verò ſuccus auſterus eſt, ex aquea & tepida, ac frigida conſtans natura. Eiuſdem facultatis eſt cerebrum eſui aptum, quare multis populis cibus. Galenus encephalon vocat. Elate eaſdem cum cerebro vires habet: eius tamen decoctum pluſquàm alia deſiccat, & minimum habet humiditatis, vt propterea eo medicamentis ad putreſcentia vlcera vtuntur, & ad articulos plus iuſtò contrahentes. Ea vtuntur vnguentarij ad ſpiſſamenta. Siſtit vlcera quæ ſerpunt, artus luxatos confirmat. Conciſa malagmatis, & cataplaſmatis imponitur: ſuffitu partus extrahit. Eius decoctum capillos denigrat: potum verò veſicæ, renum & vuluæ maximè fluxionibus, & viſcerum ventris vitijs medetur. Radicis verò vis, ſed citra morſum, deſiccatoria eſt, quippiam adſtrictionis habet. Alba verò trunci medulla vel recens in cibo, vel decocta, eadem omnia, quæ elate præſtat.

De palmularum vi medica. CAP. V.

INTER Saturnalia dona palmulæ mittebantur, vt teſtatur Ouidius:

Quid vult palma ſibi, rugoſaq́ carica dixi. Et Martialis:

Aurea porrigitur Iani caryota Calendis.

Nam decoctæ, quales aut Thebaicæ aut Syriacæ, aſpectus iucunditate, & guſtus ſuauitate præcellunt, vt omnia tragemata & bellaria antecedant. Nempe Proculus Iuriſconſultus trigeſimo tertio Digeſtorum libro, palmulas in dulcium legatorum appellatione cõtineri ſcribit. Eſt enim tanta muſteis ſuauitas, vt mandendi finis non niſi cum periculo ſit: vt etiam Alexandri milites in Gedroſis palmis viridibus ſtrangulati. Quod factum alij pomi aliquo genere ſcribunt. Palmularum autem vis non eadem atque omnibus eſt. Varia etenim tam ex generibus, quàm ex pomi, vel maturitate, & cruditate eſt, vt non paruum ſit palmularum diſcrimen. Recentes verò, ſeu virides, multò impenſiùs lædunt: & hæ inflatione aluum complent: crudum quoq; humorem inducunt, & cum horrore rigorem difficulter incalentem adferunt, morboſq; & obſtructiones. Eiuſmodi autem naturæ ſunt omnes, quæ in regionibus frigidis naſcuntur, quoniam non matureſcunt. Quæ autem iam ematuruerint, mediocriter calidæ, quod alij ad ſecundum ordinem referunt, humidas verò ad primum. Capiti dolores faciunt, ſi pluſquàm ſatis edantur. Stomacho & viſceribus roborandis proſunt, tum intus ſumptæ, tum foris applicatæ. Quædam mordicationem ſenſuum ori ventriculi inferunt. Qui enim ex pinguibus ſuccus corpori infertur, craſſus non omnino eſt, nec ſine tenacitate. Craſſus enim & glutinoſus fit, cùm dulci miſcetur. Ijs etenim alimentis iecur & lien obſepitur, & obſtruitur.

Sicciores

Sicciores verò,ſanguinem excreantibus, ſtomachicis atque dyſentericis, vtiles, & faucium aſperitati, eſu medentur. Ad hoc enim remedium addunt,ſi cum nucleis pineis aſſumantur,bonumq́; corporis halitum conferunt,maximè verò ſi frigidum ſit temperamentum: Thebaicarum autem decoctum,ſitim in febre,quam cauſum vocant,gargarizatum ſedat. Magnopere adſtringit, & cohibet. Antiqui enim ægris pro hydromeli dabant.Vires enim à valetudine in cibo recreant.Proderunt etiam in cibo vel tritæ,& cum lacte,vel mulſo potæ, vbi quis bupreſtim deuorauerit,& iam ad periculum declinauerit.Ægyptia palma,quæ aliquid myrobalano Arabico ſimile fert,hoc adſtringit, ſitim ſedat, menſes, & aluum in vino auſtero ſiſtit,hæmorrhoidas etiam, & vulnera illitu conglutinat. Phœnicobalanus ſenſum intercipit, greſſum præpedit,linguam retardat, obſeſſis,& mentis, & corporis omnibus officijs, vt ebrietatis vitium vndequaq; imitetur. Palmulæ omnes gingiuis, dentibusq́; noxiæ. Caryotarum nuclei cæterorum more,in fictili nouo cremati,& vino reſtincti,loco cinere ſpodij vicem efficiunt,miſcenturq́; collyrijs,& calliblephara faciunt, addita nardo. Quòd ſi non iuſtam vſtionem acceperint, denuò cremandi. Vim autem adſtringendi habent. Spiracula cutis obſtruunt, faciunt ad oculorum puſtulas,& vuam, & ad palpebrarum defluuia, addita nardo. Vlcera ad cicatricem perducunt, & carnium excreſcentias reprimunt. Palmulæ autem extemplò in cados condiuntur, ni ita fiat, marceſcunt. Nam vt retortæ furnis ſint, curant Aſſyrij, more ficorum. Maſculæ in fructu culices ferunt,quemadmodum caprifici,quas alligant his, quæ ferunt, vt illinc progrediens culex, palmulas penetrans cogat matureſcere,alioquin occaſuras.

De oxyphœnico. CAP. VI.

OXYPHOENICVM nouum genus palmarum, vt ſuprà dixi,inuentum Mauritanorum, à ſeplaſiarijs vulgò tamarindum vocari ſuperius dixi. Probatur recens, ſapore dulci non exutum, ſed pingue, quod marcorem, aut tabem vetuſtate non ſentiat,nigrum,non tamen exactè lucidum,ſiue ſplendidum, cum villis ſeu radicibus miſtum, tenerum, ſyncerum. Adulteratur admiſtione carnium pomorum, verùm obſcura nigredo dolum detegit,& humor luxurians, prunorũ ſapor,& odor. Quidam ſiccos vino puro humectant, vt recentes videantur, ne frigidum ventriculum lædant. Optimè in vaſe vitreo, exactè obturato annos tres conſeruantur,ac in loco ſicciore,puro,vel perflato ſuppoſito, niſi vel exteriùs calor, vel humor putredinis initium ipſis attulerit. Exſiccant, in tertio ordine, refrigerant, & humectant in ſecundo. Ob id humorum acrimoniam reprimunt. Diſtillationes, quas bilis feruor incitauerit, refrænat,eiusq́; ſanguinis feruorem,furoremq́; compeſcit, & febres acutas, quæ lenitione indigent:arquatis auxiliatur.Sitim ſedat.humores noxios, qui in ſuperiore ventriculo coierint, deijcit. Capitis doloribus remedio eſt:cibi faſtidium abigit:appetentiam inuitat.Sedare autem vomitiones,

nauſeas,

nauſeas,ſyderationem mulcere, triſtitiam diſcutere, noxas à calore conceptas mitigare, Oribaſius autor eſt. Aluum deijcit.

De vino palmeo,& elatino,ac oleo eleatino. CAP. VII.

BABYLONIOS carmen decantare, quo tercentum & ſexaginta palmæ vtilitates docerentur, Strabo autor eſt. Inter quas verò vna eſt, vt nihil abijciat, vt ἀάφυλλος cognominari poſſit. Vinum prӕtereà ex ea multӕ nationes faciunt, veluti Indi, qui per Auguſtum, quomodo nos vites, ſuo tempore palmam putant. Quod verò delacrymat, vaſis excipiunt: quo pro vino à triduo poſt vulneratam arborem,vtuntur. Quod enim poſt illud tempus effluit, aceſcit, acetumq́; fit. Quod verò per triduum illud defluxerit, ahenis ad tertias decoquunt, efficiturq́; mel ſuauiſſimum,quod ſi volunt,aquis diluunt. Ad vigeſimam autem diem defӕcant,& deinde pro vino vtuntur,quod ſuauiſſimum eſt. Arabes etiam atq; Parthi, ac Orientis populi, vino palmeo vtuntur. Alia huius ratio, quod Grӕci phœniciten,& quod ex elate,ſiue ſpata,elatiten, vel ſpatiten vocant:idq́; è palmis chydeis,id eſt,vulgaribus,& à copia vilibus, & maturis. In dolium in imo perforatum, & obſtructum, palmulas arundine picatas demittunt. Lino foramen ſit obturatum, & quadragenis ſextarijs, ternos deinde aquӕ congios infundunt. Quòd ſi ipſum ita dulce non libeat,aquæ congios infundito quinque. Detracto poſt decem dies ab arundine linteo,vinum excipies,craſſum,dulceq́;:reponito. Suaue quidem illud erit,ſed capiti noxium. Fluxionibus,propter vim adſtrictoriam vtile. Cœliacis,ſtomachicis,& cruenta expuentibus conuenit. Nonnulli eandem aquæ menſuram infundunt,ac exprimũt,& tertiò,quartò,quintò, ſextóve id faciunt. Quod tandem acore vitiatur. Ex caryotarum nucleis exprimitur oleum. Eleatinum verò oleum hoc modo fit: Fracta enim elate,in labrum deijcitur,& omphacinum oleum infunditur, atq; ibi triduo demittitur, mox in ſportulam omnia coniecta exprimuntur. Pares enim olei ac corticis eſſe debent. Poſteà vaſe mundo, reponendum. Similes habet cum roſaceo vires,propter quod aluum non molliat.

De platano. CAP. VIII.

PLATANUS Latinè, Grӕcè πλάτανος, affinitate o in u, vt ait Priſcianus,à πλάτος, quod latum eſt. Vnde quidam Platoni diuino philoſopho, nomen inditum fuiſſe ſcribunt,quòd is latis humeris prӕditus eſſet. Plataniſtos etiā Grӕci ſpacioſa loca vocant longè lateq́; patentia,à platani foliorum amplitudine. Hac tamen voce Homerus, pro arbore vſus eſt. Arbor ampliſſima,folia latiſſima,& diuiſa,ricini modo habet,longo, rubroq́; pediculo. Peloponneſum verò folij platani figura eſſe,propter eius receſſus & prominentias, Geographi prodiderunt. Floſculo pallido eſt. Fructus eius,pilulӕ,ſcabrӕ,lanuginoſӕ,minutӕ. Nicandri verò interpres eius fructum eſſe ſphæria quædam trachæa,id eſt,orbiculos aſperos,pro-

pptereà Nicandro ſphæreа dicitur. Nunc de eius vi, quæ longè præſtantior, quàm pithya platanus. Hoc enim hominis liberalitas, humanum artificium, alterum verò præclarum naturæ munus, longè ſuperiori præcellentius, quod non vllis regum diuitijs, quod nulla mortalium ingenioſa manus condonare poſſit. Eſt itaq; platanus in humidiore, ac frigidiore eſſentia. Proinde folia viridia trita, & illita, non obſcurè phlegmonas naſcentes adimunt: manſa quoq; ieiunis, impetigini auxilio ſunt, vt etiam teſtis eſt hoc carmine Serenus:

Seu folio platani, quod manſum manè vorabis.

De remedijs aduerſus hunc morbum illo loco agit. Decocta verò & illita, oculorum fluxiones compeſcunt, ac illorum inflationes, & tumores leniunt. Veſpertiliones, ſcribente Æliano, ciconiarum ouis ingenita natura adeò infeſtæ ſunt, vt ea ſolo tactu ſterilia reddant. Verùm ad illarum maleficium, hac naturali etiam ingenita ſcientia remedio edocuit. Platani enim ſolia ſuis nidis ingerunt, vt aduolantes veſpertiliones, ſua natura, torpore compræhenſas, perniciem adferre nequeant. Scribunt & alij hoc genus animalis à ſtabulis abigi, ſi in eis folia appendantur. Decoctum verò earum, collectionibus & ſuppurationibus illinitur, & ipſa per ſe folia. Vitanda magnoperè lanugo, vel, vt alij volunt, puluis, qui in folijs inſederit. Nam ſi ſpiritu attrahatur, vtpotè valenter deſiccans & exaſperans, arteriam offendit, vocemq; lædit, ſanè etiam viſum, & auditum, ſi in aures aut oculos inciderit. Cortex magis deſiccat. Ex vino autem ſcorpionum ictus reſtringit. In aceto verò decoctus, ad dentium dolores collutione adhibetur. Crematus verò vehementiùs & deſiccat & abſtergit: eoq; ex aqua conſperſo lepras exterunt, cineremq; ſeorſum applicantes, vlcera ſordida, & humoris nimietate perdurantia, compeſcunt. Pilulæ & cortex maiorem vim exſiccandi habent. Cum aceto verò decoctæ ad dentium dolores faciunt. Tuſæ enim & cum aceto acri, magiſq; ſcillite ſanguinis expuitiones ſiſtunt. Lentigines, carcinomata, melanias quoque veteres, melle addito emendant. Virides enim cum vino potæ, denariorum quatuor pondere, omnibus ſcorpionum & ſerpentũ venenis, auxiliantur. Cinis verò harum igne vel frigore, ad ambuſta prodeſt. Fit ex his aqua & ſale maceratis, oleum, luminum cauſa.

Platani commendatio, & de aliquot eius arboris memorabilibus. CAP. IX.

PLATANVS arbor, antiquis plurimùm amabilis, atque in delicijs habita, tum maximè ob eius vmbram commendabilis, & expetita. Nam, vt inquit Paulinus,

Nam platanus ramos expandit in vmbras.

Hæc & iucundiſſima eſt, quamuis craſſa. Æſtate enim ſolem arcet, hyeme verò admittit, ob id Ouidio genialis, quaſi voluptuoſa dicta, vtpote ad delicias natas: vnde Genius deus eius folijs coronabatur. Eſt & aliud eius elogium, cùm dixit,

Metam. 13. *Nobilior pomis, Platano conſpectior alta.* Horatius in Odis:

Cur

Cur non ſub alta, vel platano? Huius verò vmbra in terra Lydia delectatus Xerxes, diem integram ſub ea conſumpſit, nulla poſtulante neceſſitate, caſtraq́; ſua circa platanum in ſolitudine poſuit. Eamq́; monili aureo, tanquàm pellicē donauit, & Maledonium quendam, ne illius munus ab ea auferretur, delegauit. Lyciæ regionis altera, multis quippe rebus percelebris, tùm fontis peramœni ſocietate, ac viæ militaris vicinitate, magnitudine etiam. Nempe domicilij modo caua ſpecu, LXXX. atq; vnius pedum numeroſo vertice, & vaſtis ſeſe protegens ramis, atq; vmbris obtinens agros. At ne quid imagini ſpeluncæ deſit, ſaxea intus crepidis corona, muſcoſos amplectebatur pumices: adeò digna miraculo, vt Licinius Mutianus ter Cos. & prouinciæ eius legatus, prodendum etiam poſteris exiſtimauerit, ſe intra eam cum duodeuiceſimo comite epulatum, fronde ipſa affatim præbente toros, cubuitq́; in illa ſecurus quidem ab omni afflatu, ac etiam peroptans imbrium per folia crepitus. Longè itaq; lætior hæc illi fuit, quàm marmorum nitor, quàm deaurata laquearia, quàm deniq; picturæ omnis varietas. Aliud ſimile fuit exemplum Caij principis. Hæc enim fuit in rure Veliterno, in qua cum eo, cùm eſſet vmbræ pars, epulati quindecim conuiuæ. Illa laxis ramorum trabibus, largè præbente ſcamna, & tabulata, & etiam miniſterij capace triclinio. Quam cœnam ille nidum appellauit. Iuxta Amymonæ fontem, & prope Lernam paludem, alia enata, Græcorum fabulis etiam memorabilis, quòd ſub ea hydram ſerpentem educatam ferant: autor Pauſanias: quo etiam ſcribente apud Meſſenios, à fluuio Biante longiùs ſtadijs viginti Plataniſtonis fons, ſic dictus quòd ex patula platano intrinſecùs caua, aqua fluat quæ potui ſit. Ab eo loco Coronam vrbem præterfluit. Et vti à naturali artificio ad humanum, & humanas diuitias deueniamus, memorabilis etiam fuit magis diuitijs quàm naturæ miraculo aurea illa platanus à Pithio Atys filio & Bithynio Cælenarumq́; inhabitatore, vt ſcribit Herodotus, Dario donata: quam Cyrus deuicta Aſia, vt autor eſt Plinius, inuenit. Themiſtocles autem dicere ſolitus fuerat, ſe apud Athenienſes nulla admiratione fore, neq; aliquot honoribus ab his affici, verùm aliquo imminente periculo, ad ſe tanquam ad platanum, veluti à procella & tempeſtate vexati, aufugere, quam poſteà deijcerent, & vellicarent, vt inde adagium deductum, Platano aſſimilis. In eos, qui cùm alicuius neceſſaria opera vſi fuerint, eum poſteà deriſui, & vilipendio habent. Socrates verò non ob aliam rem à Mileto reprehenſus, autore Maximo Tyrio, quàm quòd per platanum iuraret, ac ſi nephas per arborē nobilem iurare eſſet. *Lib. Carm. 2. ode 11.*

De malo Aſſyria, ſiue Medica vel citro. CAP. X.

MALVS Aſſyria ſiue Medica, è regionibus, vbi primùm nata, ſic dicta: Theophraſtus à Perſide etiam Perſicā vocitat, & Diphilus Perſica pruna. Ariſtophanes verò grammaticus oxymela, à ſapore, vt arbitror, acidò, alij cedromela. Probus autem in Media rhododaphnem vocari ſcribit, propter Lauri ſimilitudinem, vt ſuſpicor, & naſci in Italia, non tamen

eiuſdem facultatis. Iuba Mauritaniæ Rex, in commentarijs quos de Libya ſcripſit, vt refert Athenæus, apud Libes μῆλον ἑσπερικὸν, & ab Hercule in Italiam tranſlatam vbi χρύσεα μῆλα διὰ τὴν ἰδέαν. Idem Athenæus libro tertio, Phaniam Ereſſium. Libro verò quinto φυτῶν dixiſſe κεδρὸν, καὶ ἀπὸ τοῦ κέδρου κέδριον. Ille verò ſua tempeſtate vocari malum citrium, & ſi apud vetuſtiſſimos autores citri nomen inueniri non ſit. Galenus etiam malum Medicum amplius vocari negat, ſed citrium. Probat etiam Macrobius. Idq; ex Oppio in libro de ſylueſtribus arboribus, his verbis: Citrea item malus, & Perſica altera generantur in Italia, & in Media. Et paulò pòſt de citro loquens ait: Eſt autem odoratiſſimum, ex quo interiectum veſte, tineas necat. Fertur autem venenis contrarium, quod tritum cum vino purgatione virium ſuarum bibentes ſeruat. Vides hîc (vt ille ait) & citreum vocari, & omnia ſigna poni, quæ de eo Vergilius dixit, licet nomen citri ille non dixerit. Seruius tamen Apuleium in libris, quos de arboribus ſcripſit, citans, aliud arboris genus citrum eſſe ait. Malum quidem apprimè laudatum Græcis, ac Latinis, vti Athenæo, Plinio, Solino, tum maximè Vergilio. Mirum eſt, eundem in tanto vniuerſæ agriculturæ opere ſolùm huic vni arbori incubuiſſe, ac expreſſiſſe, vbi, qualíſve ſit, cuius item poteſtatis. Quod minimè prætermiſſum ab his, qui de plantis ſcripſere, quin in omnibus generibus hæc omnia executi ſint. Satis enim illi viſum fuit, hanc ſolam ſuis munijs, propter eius vim mirandam celebraſſe, de qua ipſe ſic fatur:

Georg. lib. 2. *Media fert triſtes ſuccos, tardumq́ ſaporem*
Fœlicis mali: quo non præſentius vllum
(Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcueruntq́ herbas, & non innoxia verba.)
Auxilium venit: ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemq́ ſimillima lauro:
Et, ſi non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis:
Flos apprimè tenax animas, & olentia Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Arbor quidem parua, folio lauro, vel vnedoni perſimili, verùm latiori, intercurrentibus, ſed leniter, ſpinis, minimè infeſtis. Flos albus, odoriferus duobus modis progeneratus: alius, cui velut colus in medio erectus eſt. Fœcundus hic. Alter, qui colo caret, atq; infœcundus. Fructus varij, differentes tum figura, tum colore, vt propterea diuerſas appellationes accommodarint. Quod autem minimum, ac rotundum, quidam hoc aurentia ab auri colore, de quibus Vergilium intellexiſſe aiunt, cùm dicit:

Ecloga 3. *Aurea mala decem miſi: cras altera mittam.*

Alij ab æris colore rantia, quaſi randia, id eſt, fulua, vt Hermolao placet. Nonnulli arania, quaſi ariana, à gente. Eſt enim Arania Perſiæ regio. Multi Arantia ab Arantio Achaiæ oppido, quod pomis fertile fuit, ideò poſteri phliuta appellarunt, vt Stephanus voluit. Lacedæmonij autem menſem, in quo terra fructibus abundat, phliaſion appellarunt. Cæteri Neratia, à

tia,à Neratio fortaſſis inuentore. Vulgus noſtrum aurengia,à colore aureo. Omnibus verò generibus color ad aurum inclinatus. Quæ verò magnitudine præſtant, vt inſtar melonum grandia ſint, orbiculata facie, poncira dicuntur. Pomum rugoſum, guſtu inſipidum, minùs placens. Seplaſiarijs propter condituram expetuntur. Melle enim & ſaccharo aſſeruant. Quæ autem colore herbaceo virent,limones appellant. Quæ verò ouata facie turbinantur,& mediocria, & cereo colore nitent, citrangula quidam dicũt, priuatim verò citrea. Quæ autem ex viridi in luteum deficiunt, citrula, & citreola vocitant. Et vt genera abſoluam,quod mediocris amplitudinis eſt, & in quibus dentium veſtigia quædam apparent,cortice rugoſum,ſapore gratum,pomum Adami vocant,non vbiq; vt cætera genera,obuium. Omnium ſemen vt pyris eſt. Pomum Homerus ἔυον appellat, qua enim voce oſtendit odoratũ ἔιν ἀπὸ κάλον ὀδώδει, & veſtiarijs impoſitum, ab eroſionis vitio, commodè vendicare veſtes, ex Oppio ſuprà demonſtrauimus. Quod ſignificat Homerus, cùm dixit ἕματα. Fingunt prætereà poëtæ hoc pomum à Tellure deo primùm editum,quando Iouis & Eunonis connubium reſciuit, in nuptiarum illorum diuinitatem & gratiam,cuius odore reconciliaret inter eos amicitiam,& ob hanc rem,pomum nuptiale poſteris dictum.

Natura & vis mali citrij. CAP. XI.

SVPRADICTORVM citrij omnium generum varia natura, præſertim in ſaporum differentia, vnde & varia in medendo vis. Limonia omnibus guſtu acidiora. Aurantiorum tria obſeruantur genera, dulcia, acida, vinolenta, ſiue miſta. Acidum non editur. Paulus tamen, & Aëtius antiquos ſuccum tantùm deglutire, & corticem ore ſolùm detinere, & carne veſci ſcribunt. Succo modò quod ad delicias attinet vtimur, cortice verò ad obſonia. Parthorum etiam proceres grana eſculentis incoquunt. Et quod ad materiam medicam ſpectat, non eadem in omnibus partibus vis,neq; de ordine aut ex calfacientium vel infrigidantium:illorum nondum apud medicos conuenit,propter ſaporum differentias.Limonia cæteris frigidiora,& ſicciora,Aurentia cortice calidiora omnibus alijs generibus. Dulcia verò in omnibus partibus calefaciunt, aliorum ſuccus refrigerat. Caro primo ordine refrigerat, humectat ſecundo : alij verò alterutrum tertio exceſſu aſſignant,quod de acidis vltimum hoc arbitrantur. Craſſi ſucci eſt,pituitæ generandæ apta, difficulter concoquitur, quare cum melle commodiùs eſtur. Citro nulla efficacior facultas, quàm ad pellenda venena,quod ad futura,nõ etiam iam ſumpta,quidam arbitrantur : alij contrà,vt perſpicuum ſit amuletum, & præſentiſſimum contra iam ebibita.Hoc autem celebri exemplo Athenæus firmat.Scribit enim quendam Ægypti præfectũ ciuem ſuum hominem ſanè grauem,& inter paucos ſibi familiarem,narrare ſolitum,ſe aliquando nequam duos ſicarios,manifeſti ſceleris conuictos,neci deſtinaſſe, & ſecundum Ægyptiorum leges, vt beſtijs venenatis, atque in theatro, ſpectante vniuerſo

 populo,

populo, obijcerentur. Cæterùm dum ad ſupplicium ij deducerentur, & ante, quàm in theatrum deſcenderent, caupona quædam citri pomum manibus retinens, & comedens ab illis rogata eſt, vt illud pomum concederet:quæ eorum vicem condolens,& ſortis miſerta,liberaliter elargita eſt. Bipartitò itaq; pomo,vtriq; æquam portionem dedit,quod auide ab his fuit deuoratum. Cumq; igitur ad deſignatum locum perueniſſent,& inter ſerpentum globos, & aſpidum venena coniecti fuiſſent, ſatis fortiter conſtiterunt, & nihil mali ab his acceperunt, vt præter omnium expectationem incolumes,ac illæſi educti ſint. Cumq; autem ea res,vt erat omnibus admirabilis, & vltra fidem humanam viſa eſſet, multis multa ſuper hac re fabulantibus,præfectus diligenti cura à militibus,qui cuſtodiæ præfuiſſent, quid homines illi egiſſent, aut quid in cibarijs ſumpſiſſent, perquiſiuit. Qui illi non niſi conſueta deguſtaſſe affirmarunt. Qui vbi de citro inter eundum comeſto reſciuit,tenui inde ſuſpicione enata, nondum ſatis firma, poſtridie alteri citria tantummodò edenda tribuit, alteri denegat.Deductis itaq; ſecundò in theatrum facinoroſis,expertum eſt,illum,qui citrum non ederat,ad primum ſtatim ſerpentis ictum concidiſſe,alterum verò illæſum remanſiſſe,tametſi quoſdam in corpore excepiſſet morſus. Scribit etiam Theopompus Clearchum Heracleotam Ponti tyrannum infinitos veneno ſuſtuliſſe,ſed longè plures,ſi populum præſtantis citrij vis latuiſſet. Igitur cum vino contra venena bibitur, vel ſemen ipſum, præſertim verò contra ſcorpionum ictus,& etiam appoſitu:per ſe menſes educit, ſed embryonem in matrice enecat. Contra ſtomachi infirmitatem non niſi ex aceto facillimè manduntur. Malum autem ipſum in iure,aut aliquo humore concoctum,ac expreſſum,ſuauem oris halitum reddit. In aqua verò decoctum, pedibus in tumore vtiliter additur.Si verò in melle decoquatur,ſua natura tabeſcentia,reſoluuntur. Ex quo iure ſi quis binos,ternóſve digitos ſumpſerit,nullum nociturum venenum. Quod cum melle conditur, διακίτριον vocatur.Ventriculum calefacit, & huius humiditatem eijcit, & cibos concoquit. Semen acidi tertiæ,alijs ſecundæ refrigerantium & exſiccantium claſſis eſt. Alij tertio calefacere aiunt.Quod de dulcibus intellexiſſe eos arbitror.Digerit ægrè ob eius amaritudinem. Cortex Aëtio in tertio abſceſſu excalfacit, deſiccat in ſecundo. Ad cibariorum concoctionem facit, & ad melancholicum humorem, & quæ ex eo fiunt triſtitias. Stomacho quoq; vtilis, ſi quis eo modicè vtatur. Cùm autem præter modum deſumitur, difficulter concoquitur. Folia verò ſiccandi, diſcutiendiq; vim repræſentant. Quod verò intus continetur,ſiue acidum,ſiue aqueum fuerit,vehementiùs refrigerat, flauam bilem reſtinguit, arcetq; peſtilentia contagia. Mirum eſt quod proditur,citria pani calido ſuperimpoſita,celeriùs putrilaginem contrahere,& in corruptionem velociùs agi:verùm illud admirabilius quod ferunt, vt ſi ſucco eius per noctem integram oculus illitus ſit,in obliquum torqueatur. Contra cimices folia ex oleo decoquuntur, & eo lectorum poſtes, & commiſſuræ inunguntur. Mala citria diutiùs illæſa adſeruantur, ſi milij aut hordei aceruis ſepeliantur. Illud vltimum

præter

prætereundum non erit, veſtem citroſam à Næuio dictam, quæ ſit (autore Feſto) à citri ſimilitudine appellata.

De malo Punico, & eius in ſacris vſu, & nonnullis eius hiſtorijs. CAP. XII.

FVIT olim malum Punicum in ſacris Hebræorum ceremonijs, lege etiam plurimùm laudatum. Nam ſacerdos ſacrum tabernaculum ingreſſurus, veſtem geſtabat, in cuius imo margine, atq; per ambitum alternatim mala Punica, & tintinnabula pendebant, non ſine myſtica ratione, vti nos docuerunt ſacri interpretes, & quo tantùm ad malum punicum ſiue granatum attinet. Quemadmodum enim eius exterius cortex, interius plura grana continet: ſic fides vna innumeros ſanctæ eccleſiæ populos conſeruat: quos tamen meritorum diuerſitas retinet. Alij quòd hoc malum concordiam denotat. Fuit etiam apud Ethnicos, in illorum diuinis percelebre. Nam prodentibus multis Græcis autoribus Hæreum templum in imo inſulæ Eubœæ memorabile fuit, præſertim verò Iunonis ſimulacro, ex auro & ebore factum, verùm memorabilius artificio, materiam longè ſuperante, Polycleti opus, cuius manuum altera, malum punicum, altera ſceptrum geſtaret. Quod autem ad mali punici geſtationem pertinet, Pauſanias ſecretiora eſſe dicit, quàm vt vllius ſermone explicari debeant, ideò prætermittenda. Et vt à ceremonijs ad hiſtorias diuertamus. Darius Xerxis pater, cùm ingens malum punicum geſtaret, à quodam interrogatus cuius nam rei granorum illius numerum deſyderaret? reſpondit tot Zopyros. Fuit enim hic vir probus Darij amiciſſimus. Ad quam rem alludit apud Lucianum Iupiter Tragœdus, cùm magis Zopyrum ſibijpſi auxiliarem amicum peroptat, quàm infinitos Babylonios. Herodotus enim aliter hanc hiſtoriam narrat, ſed nõ longè, præterquàm in nomine à ſuperiore diuerſam. Eſurus itaq; Darius mala punica, ſimul ac primum malum aperuit, à fratre Artabano percunctatus, nunquid tantundem hominum ſibi optaret, quantum illic acinorum eſſet? reſpondit ſe malle tot ſibi fore Megabylos, quàm Græciam ſubditam. Is enim illius exercitus dux fuit. Ferunt inſuper Milonem Crotoniatem inter ea, quæ fortitudinis egregia peregit facinora, malum punicum manu ita continuiſſe, vt nec conantibus eripere permiſerit, nec pomum ipſum premendo colliſum ſit. Quod amaſiam cum eo colludentem abſque vllo negocio feciſſe perhibent. Quid enim eſt, quod amor non emolliat?

Fabula Proſerpinæ à Plutone rapta, & Agdeſtis.
CAP. XIII.

RELIQVVM eſt, vt de ſacris, & hiſtoria, ad fabulas tranſeamus. Fingunt poëtæ Plutonem, Proſerpinam adamaſſe, ac rapuiſſe. Quod cùm ignoraret mater Ceres, diu perquiſiuit: non tamen inuenit. Tandem à ſole, cui omnia diurna, ſua claritate

nota ſunt, reſciuit. Ioui autem raptæ etiam parenti detulit querelam, vt Plutoni præciperet, quatenus communẽ filiam ſibijpſi reſtitueret. Quod annuit pater: hac tamen lege, vt ſi nihil apud inferos illa deguſtaſſet, ſed huiuſmodi conditionis minimè reperta eſt. Soluerat enim apud inferos atque in Elyſio tribus mali punici granis ieiunium, vt teſtis Ouidius in quarto Faſtorum:

Rapta tribus, dixit, ſoluit ieiunia granis,
Punica quæ lento cortice poma legunt.

Hic tamen in quinto Metamorphoſeon ſeptem grana ſumpſiſſe ſcribit,

- At Cereri certum eſt educere natam.
Non ita fata ſinunt: quoniam ieiunia virgo
Soluerat, & cultis dum ſimplex errat in hortis,
Puniceum curua decerpſerat arbore pomum,
Sumptaq́ pallenti ſeptem de cortice grana
Preſſerat ore ſuo.-

Hoc autem detexit Aſcalaphus Orphnes & Acherontis, vel, vt alij volunt, Stygis filius, quare in auem bubonem mutatus. Ad multas autem matris querelas, illi poſtremùm indultum eſt, vt ſex menſes cum illa eſſet, totidem cum viro Plutone. Sed id non ſine quadam mythologica ratione fictum. Proſerpina enim ipſa, Luna eſt, quæ toto anno ſex menſibus creſcit, ſex etiam deficit: Videlicet vt per ſingulos menſes quindecim diebus creſcens apud ſuperos, apud inferos autem deficiens eſſe videatur. De ea enim Lucanus intellexit, dum ait:

Quæ te detineat ætnea dapes.

Alia fabula eſt ſuper mali punici arbore ex Arnobio autore, quam hîc inſerere operæpretium duxi, vt nihil dignitatis, nihil triſtitiæ, nihil fabuloſitatis, ex antiquis autoribus huic arbori ſuperſit. In finibus autem Phrygiæ, immenſæ magnitudinis petra fuit, ab indigenis Agdus vocata. Deucalion autem & Pyrrha, ex Themidis præcepto ad renouandum & hominibus & animalibus poſt diluuium orbem, ex hac lapides deſumpſerunt, ex quorum iactu Deûm mater diuinitus formata, & animata. Hæc autem in vertice Agdi obdormiuit. Iupiter enim hanc inceſtis cupiditatibus appetijt: ſed diu obluctatus, quod cupiebat obtinere nequiuit, victus verò ſperma in lapidem fudit. Qui ex lapide concepit, & poſt decimum menſem, editis priùs multis gemitibus peperit: & quod ex eo naſcitur, materno nomine Agdeſtis vocatum. Huic autem robur inuictum, intractabilis ferocitas, & inſana vtriuſq; ſexus libidine, crudelis immanitas, vt nec Deos, neq; homines, neq; cœlum ipſum, neq; terram, neq; deniq; ſydera ipſa curaret verereturq́; ſed & contemneret: totusq́; ex matris natura ſaxeus, vt ſe nihil fore potentius crederet. Cùm verò de comprimenda, atq; imminuenda eius temeritate, atq; audacia, ſæpenumerò inter Deos deliberatum fuiſſet, tandem hoc negotium Liber Pater ſuſcepit. Erat autem fons illi perfamiliaris, ad quem poſt labores, poſt venationes, poſt denique ardores, omnemq́; defatigationem, diuertere ſuetus fuerat, ſitis maximè leuandæ gratia. Ibi merum à Libero Patre expoſitum

poſitum immoderatius potat, vt ſtatim altiſſimo ſomno oppreſſus obdormierit. Adeſt ad inſidias Liber Pater & ſetis ſcientiſſimè complicatis, laqueum nectit quem plantæ iniecit: ex parte verò altera teſtes cum pene vinxit. Vi autem meri exolutus, cum impetu ſeſe corripit, & ſe virili membro priuat, effluente multo ſanguine, quem terra ebibit: inde naſcitur arbor mali punicæ cum pomis, quæ cùm Nana legiſſet ac in ſinu repoſuiſſet Atym concepit, vt alibi dicetur.

Mali punici deſcriptio. CAP. XIIII.

A Sacris ceremonijs, ab hiſtorijs, à poëtarum deniq; fabulis, quæ omnia tanquam plantæ quædam præconia ſunt, vt ad ipſius arboris imaginem deueniamus, locus deinde ſeſe offert, vt primùm de eius appellatione diſſeramus æquũ eſt. Malum autem hoc à Carthagine, vbi laudatiſſimum prouenire ſolet, nomen accepit: à granis verò, quæ intus pomum includit, granatum dictum, & vna pars Bethicæ in Hiſpania regionis, ab eius copia, quæ ibi prouenit, Granata nuncupata Græcis ῥοιά. Arbos caudice breui & contorto. Sunt qui primum germen erumpens rhicinum vocitent. Folio anguſto eſt & contra, quàm cæteris puniceo arboribus, calati effigie. Ob quam formam Apuleius ampullaceum vocare videtur. Omnibus verò autoribus, ſatiuæ flos, cytinus dicitur, in cuius captu, & ambitu futurum pomum iam tum continetur, & quaſi conceptus acinorum & fœtus ad maturitatem clauditur, ſic Græcis dictus: κύτος enim illis tumor eſt, quo aliquid capiat. Syluestris verò balauſtium. Plinius autem ab his diſſentiens primum pomi partum, cùm iam florere incipit, cytinum vocat, tam ſatiuæ, quàm ſylueſtris. In ipſo verò cytino floſculos ante, quàm malum ipſum prodeat, balauſtia vocat. Alij, vt Columella, & Apuleius balauſa, alij balauſtium vocauere, tantum caducum, ex Græco extorquentes, cuius plura genera, candidum, fuluum & roſaceum. Pomum rhoidia, & apyena mala Thales in lib. qui περὶ ἀπαθείας inſcribitur, vt refert Stobæus, ita homines vocabat ἀπεράχηλοι & ἄπλευροι. Bœoticis autem ſida. Nam & Side, terra Bœotia dicitur. Quo argumento Athenienſes ab Epaminonda in Sidæ regionis quæſtione victi memorantur. Nempe referente Athenæo, orta inter eos contentione, quid Sidam appellarent, Epaminondas è dextra protinus conditum depromens malum ſciſcitatus quonam modo malum hoc vocitarent. Qui rhoam reſponderunt. Sed nos, inquit, Sidam. Tegitur autem corio & membranula tenui. Feſtus hanc cicum vocat, vnde cicuratæ feræ dicuntur. Numeroſis acinorum granis intus farctis, glutinoſæ & pingui tunicæ inhærent, quæ candida eſt, communis omnibus, anguloſi. Omnibus verò ſuccus & caro, præcipuè quibus ligni parum. Hoc ſemen eſt. Totidem verò numero acinos in ſingulis pomis inuenire eſt: etiam ſi pomi amplitudo variauerit: modò ex eadẽ arbore legantur. Empedocles enim mala punica opſigona vocabat οὕνεκεν ὀψιγονέ τε σίδαι καὶ ὑπερβλοῖα μῆλα. Quo verbo videtur ſignificate tardam maturitatem. Nam niſi frigus, Solis feruidam

vim, humectam & imbecillem reddiderit, eius fructum hæc arbos non cōmodè concoquit. Porrò hæc ſola atbos, vt ait Theophraſtus, meliùs ac celeriùs fœtum ſuū in vmbra maturat. ὑπερβλοῖα verò vocauit, à florida & viuida vi. Plinius in multa generā diuiſit, vnum apyrinon vocando, ἀπύρινον Græcè, cui nucleus lignoſus abeſt, & candidior natura eſt. Blandiores acini minusq́; amari. Seneca autem apyrinon dici vult, non cui nulla ſit nuclei durities, ſed quibus minima, de quibus Martialis:

Lib. 13. *Non tibi de Libycis tuberes, & apyrina ramus:*
De Nomentanis ſed damus arboribus.

Archetratus anguillam à ſpinis & oſſibus appellauit, hoc verſu, ἔγχελυς τῇ φύσει ἐςὶν ἀπύρινος μόνος ἰχθῦς. Alia eorum ſtructura vt in fauis communis eſt. Nucleos verò habentium, quinq; ſpecies ſunt, vt Plinius voluit, dulcia, acria, acida, vinoſa, miſta. Dioſcorides tantùm tres poſuit, dulcia, acria, acida. Galenus item tria, dulcia, acida, & auſtera. Quibus enim paruus nucleus ineſt, his natura protinus vuam & vinum, non equidem muſtum aperuit: horum autem, atq; dulcium aſperior cortex. Samia verò, Ægyptia diſtinguuntur erythrocomis & leucocomis. Corticem verò mali punici malicorium vocant, quòd vulgus ex eo coria perficere nouit. Græcis σίδιον & σίδια ῥοιῶν vel λέμματα ῥοιῶν. Eſt & ſylueſtris arbor, punica malus, ſatiuæ non niſi pomi, foliorum, & totius corporis formæ exiguitate perſimilis.

De vi medica mali punici. CAP. XV.

Malvm punicum refrigerandi, atque exſiccandi ſecundo ordine facultatem habet. Quare omnia genera veneris impetus excidunt, eorum in primis, qui frigidæ temperaturæ ſunt: Sed non eadem in omnibus vis imperat. Nempe ex ſaporum diſcrimine vires adaugeri vel minui oportet. Nam dulce minùs refrigerat, auſterum valentiùs, ſicciusq́; eſt, & ſtomacho magis amicum, maximè æſtuanti auxiliatur. Acidum quoq; dulci magis frigefacit, ac maiorem etiam incidendi virtutem repræſentat. Eaſdem quoque in adſtringendo facultates ex ſaporum differentia habet, quæ eximiæ in omnibus ſunt. Dulce pectus adiuuat, ſucciq́; boni eſt, nonnihil caloris habens. Sub dulcium verò appellatione apyrina veniunt, vtiliora, inflationes tamen pariunt, caloremq́; gignunt, quamobrem febribus abdicantur. Acre verò vrinam cit, & ad morbos flauæ bilis, & ad ventriculi iecoriſq́; calores plurimùm prodeſt, atq; ad ſtomachi lancinationes, quæ propter malos humores eueniunt: ori ingrata, gingiuasq́; lædunt. Vinoſa medias ſortiuntur vires, ſtomacho proſunt, duntaxat pauca, citraq́; ſatietatem: Aluum ſiſtunt: cauentur in vomitionibus ac bilem reijcientibus, nec acinorum carne, nec ſucco vtilia. In ſumma omne malum punicum boni ſucci eſt, & ſtomacho accommodatum: non nutrit tamen. Syncopi auxiliatur etiam, vt Rufus ait. Pomum verò in olla noua poſitum, indito operculo, ac in furno toſtum, pòſt contritum, & ex vino potum, aluum ſiſtit, tormina diſcutit, & tineas pellit. Alij contuſum, & ex tribus

tribus vini heminis, ad heminam vnam decoquunt. Dulce autem, coctum, & tritum, atq; illitum, mirabilem, multiplicemq́; præſtare effectum aiunt, tum ad capitis, naturaliumq́; vlcera, tum ad ea, quæ totum corpus excruciant, & ad oculorum inflammationes. Nam vlcera celeriùs ad cicatricem abducit. Mala alij ſubcrudiora, triginta confringunt, & in dolium conijciunt, viniq́; nigri ac auſteri congios tres ſuperinfundunt, quo poſt triginta dies ad dyſenteriam vtuntur. Diuiditur etiam malum, & cœleſti aqua ternis ferè diebus madeſcit. Hæc enim aqua cœliacis frigida bibitur, autore Plinio. Dioſcorides nucleos ſic maceratos ſimilem vim habere affirmat. Dulcis verò ſuccus ſorbitionis modo ſumptus, bonum colorem facere, autor Ægineta. Acris etiam potus ventrem cit, & bilem flauam ſine moleſtia euacuat, ventriculumq́; roborat. Aduerſus vulnerum dolores, & inflammationem prodeſt. Hippocrates autē quid æſtuoſum habere, vinoſi minùs, auſteri magis: refrigerat: Acris enim cum melle oculis illitus, acutum viſum reddit, maximè autem ſi vulnerauerit. Cum polenta cardiacis bibendus offertur: vt propterea Hippocrates & ſtomachi ardoribus, ob deprauatorum multitudinem dandum præcipiat. Acidi cùm maſtiche frequentiùs ſumptus, nauſeam, ſeu vomitum extenuat, iecoriſq́; inflammationes à violentia ſedat. Fit ex acerbo malo medicamentum, quod ſtomatice vocatur, hoc modo: Acinos enim detracto cortice tundunt, ſuccumq́;, cum croci, aluminis ſciſſi, myrrhæ, mellis Attici ſelibris ad tertias decoquunt. Alij hac ratione: Punicis multis acidis tuſis, & in nouo cacabo, ſucco ad mellis craſſitudinem cocto. Oris & genitalium vitijs vtiliſſimum eſt: ac narium, aurium purulentarum, oculorum pterygijs, & his, quæ nomas vocant, & quæ in vlceribus excreſcũt, ad incipientes epiphoras, & rubras maculas, & cõtra leporem marinum, inſuper & ad omnia, quæ Lycio curantur. Acini ſucco magis adſtringunt, ſiccant, ac mundant. Acidorum verò cum cibis ſumpti ſuperfluitates in ventriculum defluere non ſinunt. Horum etiam nuclei in ſole ſiccati, tunc obſonijs concocti, aut in potione conſperſi, aluum, ſtomachumq́; ſiſtunt. Aqua verò cœleſti madefacti, ſanguinem excreantibus commodè bibuntur: perutiles etiam & ad ſiſtendam aluum, & ad dyſenteriorum diſceſſus, fœminarumq́; fluxiones. Aranei muris morſui acinorum dulcis decoctum, emplaſtri modo appoſitum aduerſatur. Nuclei omnium ſiſtunt: illorum verò expreſſus ſuccus cum melle ad oris, ſediſq́; & genitalium vlcera decoquitur. Id etiam vtile ad nomas, reduuias, & ea, quæ ſerpendo excreſcunt, ad aurium etiam dolores, & narium vitia. Scopes, inquiente Æliano, punicæ grano pereunt. Cytini miræ obſeruationes, plurimorum experimentis. Adſtringunt etenim, reprimuntq́;, ac deſiccant: ſauguinolenta glutinant, omnibuſq́;, quibus & mala ipſa proſunt, ijdem in cataplaſmatibus, ad repellendum herniam, inteſtini prolapſu erumpentem. Siccati verò, tritiq́; excreſcentes carnes cohibent. Ipſa autem trita vlceribus, quæ ſerpunt, putreſcúntve, illinuntur, & oculorum, inteſtinorumq́; inflammationi. Aduerſantur ſcorpionibus. Exprimitur ex his, ac balauſtijs ſuccus, hypociſtidis modo. Decocto eorum mobiles

dentes colluuntur, & gingiuæ ſanguine madentes. Memoriæ tradunt quidam, nullam oculorum lippitudinem eo anno hunc ſenſurum, qui tres quàm minimos deuorauerit. Plinius verò ad quandam magiæ ſpeciem hoc modo referre videtur, vt ſi quis vnum ex his, ſolutus omni vinculo, cinctus, & calceatus atq; etiam annuli, decerpſerit duobus digitis, pollici ſcilicet, & quarto ſiniſtræ manus, atque ita leui tactu luſtratis oculis, mox in os, ne dente contingat, additum deuorauerit, affirmatur nullam oculorum imbecillitatem paſſurum eo anno. Balauſtium tingendis veſtibus idoneum, quarum color inde nomen accepit, potenter adſtringit, mira exſiccandi, & refrigerandi facultate. Vnde arefactum, & contritum, & intertriginibus, reliquisq; vlceribus obiectum, celerrimè ad cicatricem abſq; eroſione perducit, & diſtillationes cohibet: quo præſidio ad ſanguinis excreationes, ad dyſenterias, & ventris profluuia, & vteri nemo ferè medicus eſt, qui iugiter non vtatur. Potu enim menſes ſiſtit, oris vlcera, & quacunq; parte manantia ſiccauere. Tuſorum verò farina dyſentericos à morte reuocari, & aluum ſiſti quidam experti ſunt. Tanta enim priſcorum diligentia, vt nihil inexpertum reliquerint.

De malicorio, radice, & alijs eius arboris partibus, & vino. CAP. XVI.

SVCCO efficacius malicorium: etenim refrigerat, cytinis verò & acinis virtute valentius. Spiſſandi vim habet, & vrinam ciendi eiuſdem miſta galla & aceto. Decocto mobiles dentes ſtabiliri monſtrant medici. Expetitur grauidarum malaciæ, quoniam guſtatu moueat infantem. Ex vino autem decoctum & impoſitum, perniones ſanat. Fumo eius culices abiguntur. Inſuper eoſdem cum cytino vſus habet. Supereſt vt de radice, atq; de arboris ſpecialiùs vi medica per ſingulas partes agamus: radicis autem decoctum potu, latas ventris tineas pellit, & eaſdem euocat. Syluestris verò radix quàm tenuiſſimè trita, phalangiorum ictibus impoſita prodeſt. Quæ verò rubro cortice ſunt, denarij pondere potæ, ſomnos faciunt. Semine bibito aqua, quæ cutem ſubierit, ſiccatur. Termite mali punicæ, venenatæ beſtiæ, ſerpentes etiam fugantur: propterea, ſtibadia, toros, & attegias, hac peſtilenti lue, putant vindicari. Fit è pumicis vinum, quod rhoiten à Græca pomi appellatione, vocant. Cuius ratio ex Dioſcoride talis eſt: ex apyrinorum maturorum acinis expreſſum ſuccum ſimpliciter, aut ad tertias decoquunt, pòſt reponunt. Palladius ad medias ac lentè, dicit tamen quoſdam non excoquere, verùm ſingulis ſextarijs, mellis ſingulas miſcent, & in vaſis picatis ac gypſatis reſeruant. Facit hoc ad fluxiones interiores, & febrim cum alui profluuio exortam ſtomacho accommodatum. Aluum adſtringit, & vrinam ducit. Contra peſtilentiam in vſu vtiliter eſt. Apud Bœotias Thebas, atq; in tumulo Menœci, Creontis filij punica nata (ſcribente Pauſania) cuius pomũ ſanguineum intus colorem repræſentat. In lacu etiam Orchomeno (autore Theophraſto) frutex malo punicæ ſimilis naſcitur.

De

De cedro. CAP. XVII.

ATLAS peculiari ſylua cedrorum proditur. Mons etiam citerioris Mauritaniæ, qui Anchorarius vocatur, laudatiſſimam olim dedit ſyluam, ſed iam (vt inquit Plinius) exhauſtam. Inſula etiam vltra Gades cedris refertiſſima. Naſcitur etiam in Creta, vt Vitruuius aſſerit, præſertim in Ida, vt Theophraſtus voluit, & in Cypro, vbi proceriſſimæ viſuntur, & in nonnullis Syriæ regionibus, maximè autem in Libano monte, teſte contra Appionem Ioſepho, quæ toties ſacris literis exaltata fuit. Ibi ad ædificia copioſa materie, ex qua etiam Salomonis templum, & regia exædificata. Pſaltes etiam regius, cùm quid ſuperbum deſignare voluit, ab ea comparationem ſumpſit. Siculus Arabiæ montes cedros ferre prodidit. Et vt ad eius deſignationem deueniamus, Cedrus arbor procera, & ingens, iunipero non abſimilis (de quarum differentia ſuprà dictum eſt) ligno contorto, nodoſo, ramoſoq́;, alijs frequentioribus, folio pungenti, duro, cupreſſo ſimili, vt ait Vitruuius, iuniperi modo, baccas fert myrti baccæ magnitudine, ſapore dulces, ac guſtu ſuaues, odoratasq́;, ac pulchras. Fructus cedrites. Nicandro verò fœminino genere, & diminutiua forma arceuthis:

μήδε σενεχαῖς μὴ πυλᾶ λάθοι ἐπὶ κέδροιο
ἀρκευθίς.- Hæc fuit eius autoris, antiqui interpretis ſententia. Poſteriores enim in iunipero tantum vſi ſunt. Semen, cupreſſi ſimile. Quidam cedrentalem appellauere. Cedri genera duo poſuit Theophraſtus, Lyciam & Phœniciam, à regionibus, in quibus prouenirent, ſic diſtincta. Folio maximè differunt. Nam hæc folium durum, ſpinoſum, acutum habet, quamobrem ὀξύκεδρος dicitur. Ramoſa hæc, & nodis infeſta: Altera odore præſtat. Lycia autem vuam fert, quæ bryon dicitur. Galenus, & eius ſequaces, duo etiam genera poſuit, vnum fruticoſum iunipero ſimile, alterum arborem non exiguam, hanc cedrulaten vocat. Alij in maiorem & minorem diſtinxerunt, & minorē in Lyciam & Bœotiam. Vtrunq; cedri genus calfacit, ſiccatq́; abſceſſu tertio. Creticam verò fœminarum incommodis auxiliari Hippocrates ſcribit, ſi cum vino, quod œnogalum vocat, ſumatur. Nonnulli tepidum interpretantur. Cedri nidore ſerpentes abigi Vergilius ait: *Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum.* Georg. 3.
Baccarum autem vires moderatiores adeò vt edendo ſint. Attamen ſi liberaliùs & vberiùs ingeſtæ fuerint, caput tentant, incenduntq́;, & os ventriculi erodunt. Calfactoriam vim habent. Cum oleo verò tuſis, ſi quis inungatur, tuſſim ſanant. Menſes ex polline & pipere cient, ſiſtuntq́; aluū, ruptis vtiles, ſpaſticis, ſtrāguriæ, vuluis admotæ. In vino contra lepores marinos hauriuntur. Inflammationibus, collectionibus ſumuntur. Cum cerui adipe vel medulla inuncto hominis corpore, ſerpentes fugantur. Stomacho aduerſantur. Antidotis miſcentur.

De cedria, & libris Numæ Romanorū Regis. CAP. XVIII.

CEDRVS magna, dat picem, quam cedriam vocant. Alij cedreum vel cedream,& hoc vltimum,quod in canalibus aquæ inſtar,pix fluit: χαίω enim vro, & ὕδωρ aqua. Cedriam verò & cedreum illam crudam,& ex arbore lectam reſinam eſſe volunt. Seruio tamen cedria dicitur, quaſi καιομένης δρυὸς ὑγρὸν, id eſt,arboris humor ardentis. Theophraſto enim autore,lignum conciſum & in furnis accenſum, liquorem illum illacrymat, qui per canales aquæ modo defluit, qui & cedrinus liquor dicitur. Omnis enim quartum in caliditate attingit gradum, & ſubtilis admodum ſubſtantiæ,eſtq; in primo eorum ordine, quæ ſeptica,id eſt, putredinem inducentia vocitantur,ob eximiam excalfaciendi atq; attenuandi vim. Etenim molles carnes expeditè,& indolenter, ab innata membrorum caliditate,feruore eius ad actum excitato,& adaucto, corrumpit, & exedit. At in duris corporibus pluſculo tempore indiget: vix enim effectum poteſt conſequi. Sua etiam eximia caliditate, ac ſiccitate, veſtes, pelles quoq; corrumpit. Natura eius eſt, defuncta corpora conſeruare, viuentia autem corrumpere:mira eius antipathia,vtpote quæ ſpirantibus vitam auferat,defunctis verò pro vita ſit. Quamobrem quidam cadauerum vitam appellauerunt. Hac ratione, Theophraſto autore, Ægyptij quò diutiùs hominum cadauera integra & incorrupta conſeruarent, ea cedrino liquore perfundebant. Nam mortuorum carnes exſiccat, ſimul à corruptione tuetur,ſuperuacuum illorum humorem depaſcens, ſolida corpora haud attingens. Fœtum etiam interimit, demortuum verò clyſteribus infuſa eijcit & detrudit. Dioſcorides etiam,ac Galenus cum ſuis aſſeclis, Paulum videlicet Æginetam, & Aëtium ſemper intelligo, abortum in coitu fieri tradunt,ſi eo anteà pudenda circumlinantur,& ad hoc medicamentum nulli ſecundum. Sed portentum eſſe Plinius ait. Mirum enim eſt,in tantum erga viuentia habere potentiam,vt etiam lendes, pediculos, furfures illitu enecet, & in corpore adnaſcentes vermes, vel, vt alij interpretantur, recti inteſtini aſcaridas. De furfuribus enim teſtimonium ſic præbet Serenus:

Et prodeſt cedro dimiſſus ab arbore ſuccus.

Inſtillata autem cum aceto,vermes enecat: tum hyſſopi decocto ſibilos ſonitusq; ſedat. Ea etiam libri inuncti, resq; omnes aliæ à tineis, carieq; vindicantur. Ad quod propter diuturnitatem Perſius alluſiſſe videtur, dum canit:

- Et cedro digna locutus. Et Horatius in arte,

- Linenda cedro, & leui ſeruanda cupreſſo.

Plin.lib.13. cap.13. Numæ etiam libri à Cn.Terentio ſcriba agrum ſuum in Ianiculo repaſtinante, P.Cornelio L.F.Cethego, M.Bebio, Q.F.Pamphilo conſulibus reperti. Ad quos à Numæ regno colliguntur anni DXXXV. & hos fuiſſe è charta:maiore etiamnum miraculo,quòd tot infoſſi durauerunt annis. Perhibentur enim hi libri fuiſſe cedrati,vt ſcribit Plinius. Et vt ad cedriæ vim reuertamur, diſcutit ea, quæ in aliqua corporis parte coierint, vt voluit Celſus. Magni ad lumina eius vſus,vt ait Plinius: ni capitis dolorem

lorem inferret. Quippe illita oculis claritatem adfert. Nam viſus hebetudini ab humorum craſſitie ortæ medetur, albugines, cicatricesq́; abſtergit. Dentium doloribus vtiliſſima: cauis enim indita illos frangit: quapropter eoſdem cum aceto colluere prodeſt. Gingiuæ etiam ea perunguntur. Plinius verò, contra cæterorum ſententiam hac neq; cruditatibus, neq; in guſtu vti voluit, neq; dentes ex aceto colluere, & grauitati, aut aurium vermibus inſtillare timuit. Tonſillarum enim inflammationibus auxilio eſt. Ceraſtæ morſibus cum ſale impoſita opitulatur, & contra leporem marinum, cum paſſo vtiliter ſumitur. In elephantiaſi faciliùs illinitur. Pulmonum vlcera purgat, & ſanat, vnius cyathi pondere hauſta. Probatur craſſa, perlucida, validi odoris, quæ dum effunditur, continua, & concreta, ſtillicidijs coit, nec guttatim diſſipata diffluit.

De oleo, & vino cedri. CAP. XIX.

FIT è cedria oleum, quod Plinius piſſelæon, Vitruuius cedreum, alij κεδρέλαιον vocant. Sed hoc poſterius ad baccas tantùm referunt. Hoc autem è cedria dum coquitur, velleribus, vel lanis ſuper lebetem expanſis, ad halitum veluti in pice ſeparatur & colligitur. Cedria verò calidius, atq; tenuius, verùm minùs acre, craſſius tamen, proinde mordax & maiore aperiendi facultate præditum. Ideoq́; vlcera irritat, & in illis phlegmonem excitat. Iiſdem omnibus vtile, quibus cedria, priuatim autem canum, boumq́;, & aliarum quadrupedum perunctum ſcabiem perſanat, vlceraq́; illarum ex tonſura à forfice facta, illita ſanat, & ad cicatricem perducit, & inhærentes ricinos deturbat. Græci κρότωνας vocant. Vinum autem cedrinum ex Dioſcoride hoc modo fit: Diuiſos recenter cum fructu ramos proferunt. In ſole enim, aut balneo, vel igne ſic admouere oportet, vti ſudent, & in vini congio ex ſudati humoris pondo, miſcere eſt, & poſt duos menſes transferre, & in ſolata reponere. Calfacit hoc, & adſtringit, vrinam ciet. Ex maioris verò cedri fructu, etiam alia ratione fit. Oportet enim in muſti congio tuſarum baccarum ſelibram miſcere, & diebus quadraginta inſolate, & defæcatum in vaſa transferre. Quod autem è cedria fit, cedrites appellatur, cuius confectio è Dioſcoride talis: Cedriam enim aqua dulci lauant, & ſingulas amphoras, ſingulis cyathis diluunt, & ita muſto replent. Excalfacit hoc, extenuatq́;, tuſſi diutinæ, vbi febris abſit, accommodatum. Pectoris, laterumq́;, mulierum locorum, ſuffocationibus vtile. Facit ad ventris lumbricos, & febrium rigores. Contra venenatos ictus auxiliatur, ſerpentes necat. Inſtillatum verò aurium doloribus medetur. In conditijs autem vinis hoc obſeruare oportebit, quod ſemel quoad arbores in plenum dictum ſit, vt vino explere tota vaſa neceſſe ſit, alioquin aceſcunt. Omnia item ſanis hæc medicata vina inutilia. Cedro ſimilis in Arcadia arbor, cedris nomine, quæ in Phrygia frutex eſt. Multi hanc cedriam & cedrulam vocauere.

De myrto, & Myrſines fabula, & arboribus memorabilibus quibuſdam, & adagio, Canere ad myrtum.

CAP. XX.

CANERE ad myrtum prouerbio dicitur. In conuiuijs enim mos antiquus fuit, vt vnuſquiſq; ſuam cantionem cantillaret. Quòd ſi quis citharam accipere recuſaſſet, vtpote muſices ignarus, is per iocum accepto ramo vel laureo, vel myrteo, ad eum canere cogebatur. Plutarchus in primo Sympoſiorum aliter: Mos antiquus fuit, vti in principio conuiuij voce communi primùm, Deum canerent, deinde myrti ramum, quem ἄσαρκον vocarent, vnicuique traderent poſt circunlatam lyram. Alij dicunt myrtum ordine non ſolere circunduci, ſed è ſponda ad ſpondam tranſferri, vt poſtquàm ceciniſſet is, qui in prima ſponda primus ſedebat, ei tradebat, qui in ſecundo lecto primus accumberet. Hic rurſus tertij lecti primo. Deinde rurſum primi lecti ſecundus ſecundo, in ſecunda ſponda ſedenti, vt ad hunc modum per omnes iret. De ignaris dicitur. Libenter myrtus in ſepulcris naſcitur. Itaq; in Italia in Elpenoris tumulo primùm viſa, autore Theophraſto. Is fuit nauis Vlyſſis gubernator, & in Circeis conditus. Fingit etiam Vergilius è Polydori in Thracia ſepulcro cornum & myrtum agnatas. Ad quas cùm Æneas veniſſet, & vellet ſacrificare, & aram frondibus contegere, nixus eſt myrtum euellere, è cuius radicibus ſanguis effluxit. Myrſine Attica puella fuit, miræ pulchritudinis, veluti omnes cæteras puellas non ſolùm hac dote ſuperaret, ſed & fortitudine iuuenes omnes, quapropter Mineruæ gratiſſima. In palæſtris, ac ludis ſemper verſabatur, & vincentes coronabat. Cùm autem certamine iuuenes quoſdam ſuperaſſet, ab eis ob inuidiam interfecta, verùm Mineruæ munere, in myrtum conuerſa eſt: quam propterea Dea peramat, vt eius morte illius amicitiam non deleuerint. Apud Menandrum Synariſtulæ his veſcuntur.

Myrti conſideratio.

CAP. XXI.

MYRTVS Græcè μυῤῥίνη, & μυρσίνη & μυρίνη. Archilochus myrton vocauit, & Græci comici philaleon vt Antiphanes. Antiqui myrtum pro myrto protulerunt. M. autem Cato myrtam fœminino genere pronuntiauit, quem ſecutus M. Varro, Græcorum forſan imitatione. μυρσίνα Arbor oleæ ſimilis, verùm ramis minoribus. Folijs etiam anguſtioribus. Fronde ſeriatim diſpoſita. Flore candido, ac odorato, ſupra fructum inſidente, baccis nigris, vel, vt voluit Ouidius, bicoloribus:

- Sylua ſubeſt bicoloribus obſita baccis.

Myrtas M. Cato vocat, Græcis μυρσινάκκα. Piperis ſapore, quare apud antiquos antequàm piper reperiretur in vſu fuerunt, huius obtinens vicem, quodam etiam generoſi obſonij nomine inde tracto quod myrtanum vocabant. Quidam etiam eas vehementiùs tundentes reponunt,

poſteà vino ſubigentes, in paſtillos formant. Semen aromatarij myrtillum vocant, quod ſaccharo condiri nuper inuentum. Adnaſcitur myrto quid tumens, quod myrtidanum vocant, verrucoſum, atq; concolor, ramos eius perinde atque manus amplectens. Poſt Galenum Æginera Paulus hoc myrtida fœminino genere, atq; diminutiua forma pronuntiauit, ac ſi exiguam, & ex myrto paruam aliam myrtum adnaſcentem indicare voluerit. Tria eius genera M. Cato poſuit, candidam, nigram, coniugalem, de qua ſuprà libro primo dictum. Hanc verò Plinius noſtratem exiſtimat. Eſt enim in myrto quid candidius & nigrius, vireſcens, quo veteres comparatione vnius ad alterum, ex coloribus duo genera, nigræ videlicet, & candidæ poſuerunt. Candida montana, ſemen infirmius fert. Quærit Ariſtoteles cur nigrę myrti copioſiores ſint frondes, quàm albæ: quòd ſcilicet generis ſylueſtrioris ſint. Indicium enim eſt, quòd locis incultis proueniant, nec cultura minimè mutentur. Quum enim fructus ſuos minùs coquere valeant, alimentum in frondem vertunt. Nunc & alia diſtinctio ſatiuæ atq; ſylueſtris, in vtraque item latifoliæ. In ſylueſtri verò aliud genus, quod oxymyrſine dicitur: de qua inter frutices diſſeretur. Rurſus in ſatiuis topiarij, genera faciunt, Tarentinam, quæ ſit folio minutiori, Noſtratem, quæ patulo, Exoticam, quæ denſiſſimo, ſenis foliorum verſibus. Hæc in vſu non eſt. An autem primæua in locis publicis Romæ ſata ſit, & quidē memorabili augurio ambigit Plinius. Ex ea enim arbore, ſuffimenti genus apud antiquos habebatur. Eademq; origine aprorum ſapor commendatur, plerunq; ad intinctus additis myrtis.

Myrti natura, & vis medica. CAP. XXII.

MYRTVS ex oppoſitis partibus conſtat, imperat tamen in ea frigidum terrenum, neq; omnino caret tenui ſubſtantia calida. Ideò plurimùm exſiccando pollet. Quod nonnulli ad primum ordinem. Illud autem etiam ad ſimilem claſſem. Nulla verò illius pars, ſiue folia ſint, ſiue fructus, ſiue etiam ſuccus, quæ tam exteriùs illita, quàm interiùs ſumpta, non adſtringat. Rei medicæ vtilior ſatiua, & nigra quàm candida. Myrti verò virgæ manu geſtatæ viatori, pediti in longo itinere proſunt. Satis etiam eſt ſurculum tantùm, nec ferro, nec terra contactum, ſecum habere, ne inguen ex vlcere contumeſcat. Turdus ſuis nidulis vti beſtiolas noxias abigat, myrtum ingerit. Coturnices etiam, vt Didymus autor eſt, elleborum paſtæ, in tantum vitæ diſcrimen agunt, vt diſtendantur, conuellanturq;, ceu vertigine correpti: illis auxiliantur myrti baccæ. Percunctatur Ariſtoteles cur myrtæ in manu colliſæ, dulciores ſentiantur, quàm ſi integræ remanſerint? Quòd natura ipſa, myrtæ dulces ſint, & intus ſuam dulcedinem, acinorum vuæ inſtar, continent: quæ vbi manu compreſſæ, conflictatæq; fuerint, diffuſione dulciores ſunt, & ſentiuntur. Baccæ autem in aqua maceratæ, poſteà tuſæ, vt inde liquor ſumatur: contra ephemerum ſumptus, prodeſt. eadem verò ſi cum galla, & oleo ſimul conterantur, ad fluentes capillos, ſi capiti imponantur. Aluum enim fortiter

ſiſtunt,ſed veſicæ nocent,ſoluuntq́; calidas humẽtes exhalationes. Odorem oris commendant,vel pridiè commanducatæ. Hoc autem hemiſtichio comprobat Serenus:

Myrtuſq́ emendat oris odorem.

Illarum verò decoctum in vino elixum;vlcera difficilia in extremis membris ſanat. Ex virentibus autem ſuccus expreſſus, ſtomacho, ciendæ vrinæ,& eius eroſionibus, ſanguinemq́; excreantibus accommodatus, & à ſcorpionibus,& phalangio percuſſis,& contra fungorum ſuffocationes. Alij mero potandum arbitrantur. Contra ægylopas antequàm ſuppurent,& oculorum inflammationes illinitur,capillos denigrat. Dyſenterijs verò denarij pondere datur. Folia arida plus virentibus deſiccant. Miſcetur enim his humiditas quædam, vt harum etiam decoctum non tantum deſiccet. Aduerſantur cantharidibus,bupreſtis,alijſq́; venenatis,quæ exulcerando nocent. Ipſarum enim ſuccus viperæ & colubri ictus ſanat, ſi eius libræ dimidium ſumatur. Trita verò ex aqua humidis vlceribus, & cœliacis proſunt, & omnibus membris diſtillatione laboranti bus. Ex vino autem articularibus morbis, & collectionibus. In vino verò decocta,dyſentericis,& hydropicis,potui dantur. Deſiccantur etiam,& in farinam rediguntur, quæ vlceribus manantibus, & hæmorrhoyæ inſpergitur,& contra alarũ,femorumq́; ſudores atq; in febri. Perfuſiones etiam in cardiacis cohibet. Lentigines purgat, pterygia, paronychia, item ambuſta cum aceto,cœliacis vtilis,& vuluarum procidentiæ,ſedis vitijs,igni ſacro fotu. Illorum autem decoctum ad balneorum laſſitudines valet,& luxatos articulos,qui firmari nequeunt. Fouentur etiam eo,fracta oſſa,ne lapidoſam duritiem,quam Græci πῶρον dicunt,indurent. Purulẽtis etiam auribus inſtillatur,& capillos item indurat. Aceto,in quo eadem decocta fuerint,os ad dentium dolores colluitur. Exprimitur ex folijs molliſſimis in pila tuſis,vetere aſperſo vino,vel cœleſti aqua ſuccus, cuius vſus recentis eſt. Planè exſiccatus cariem ſentit,vireſq́; amittit. Colliculi autem cum flore decocti,& in nouo, atq; operto fictili, in furno cremantur, poſteà verò ex vino teruntur. Puluis hic ad omnia, quæ de foliorum ſanna dicimus, reponatur. Myrtidanum enim quantò cæteris ſiccius, tantò deſiccatius & adſtrictius. In vmbra autẽ ſiccatur, & multò efficacius quàm vel ſemine vel folijs. Miſcetur ceratis, peſſulis,inſidentium fomentis, cataplaſmatis,in quibus adſtringendum aliquid eſt.

De oleo myrteo. CAP. XXIII.

SVCCORVM natura,præcipuam admirationem in myrto habet:quia omnium vna vini atque olei bina genera facit. Myrtei verò olei, ſiue myrtini, duplex ratio. Aut enim è myrtis,aut è folijs fit. Primum enim ſic: E nigra ſylueſtri,vel ſatiua tunduntur baccæ, aqua calida aſperſæ, moxq́; coquuntur. E folijs verò hoc modo. Tenerrima folia tuſa exprimunt,& pares omphacini olei portiones adijciunt, & carbonibus ſubijciunt, inferueſcunt, donec concoquantur, tunc quod in ſummo innatat, auferunt.

Sequens

Sequens compoſitio longè facilior: priuatim enim folia ſole mactant, ac in oleum deijciunt, & quod deſuper fluitat, colligunt. Palladius verò ſic: Menſe autem Februario foliorum vnciam per olei libram vnam mittes, & per vncias decem vini veteris ſtyptici heminam, & cum oleo bullire facies. Folia idcirco vino aſperguntur, ne frangantur antequàm decoquantur. Efficacius, quod guſtu amarum, viride, oleoſum, tranſlucidum, ac planè myrtum redolens. Quinimo oleo quoq; (mirum dictu) ineſt quidam vini ſapor, ſimulq́; pinguis liquor, præcipua vi ad corrigenda vina, faccis antè perfuſis. Retinet quippe fæcem, nec præter purum liquorem, patitur tranſire, deniq; ſe comitem præbet, vt præcipua commendatione liquetur. Craſſarum partium eſt, autore Galeno, multoq́; efficacius cortice, & folio, ac ſemine adſtringit, & indurat: ideoq́; medicamentis, quæ cicatricem obducunt, miſcetur. Gingiuis, dentium dolori, dyſenteriæ exulceratæ, appoſitu, fotuq́;, & illitu iuuat: veſicis, vetuſtis vlceribus, vel in capite manantibus, puſtularum eruptionibus, ambuſtionibus. Facit ad intertrigines, rimas, condylomata, luxatos articulos, corporis ſudores, deniq; autem ad omnia, quæ vel adſtrictionem, vel denſationem deſyderant.

De vino myrtite. CAP. XXIIII.

FIT etiam è myrto vinum, cuius ratio vt de oleo, duplex eſt, vt bina etiam appellatione diſtinguatur. Primum enim myrtiten vocant, ſiue myrtidanum, myrtanum, myrtile, vel myrteum vinum, alterum verò myrſimiten, quod ex tota arbore fieret. Plinius myrtidanum, quod ex ſylueſtris myrti baccis conficitur. Hoc manus tingit. Myrtiten autem Cato ſic docet fieri: Myrtum nigram in vmbra areſacito, vbi verò iam paſſa, ſeruato ad vindemiam, in vrnam muſti condito, myrtæ ſemodium. Id oblinito. Vbi autem feruere muſtum deſierit, myrtum eximito. Aliter Dioſcorides: Baccas myrti nigras maturiſſimas deſumito, dein eas tundito, torculari verò expreſſum ſuccũ in vas diffundito. Nonnulli ad tertias decoquunt. Sunt & qui baccas prius in cratibus diſpoſitas, & ſole toſtas, tundunt, tuſarumq́; ſextarijs quaternis aquæ heminas tres, viniq́; veteris totidem adijciunt: poſteà verò exprimunt. Aliter Palladius: idq́; bifariam: In vini verò veteris ſextarijs tribus, myrti grana confracta ſextarios vrbicos tres mittis, quæ ſint decem & nouem diebus fuſa. Poſteà autem expreſſis myrti granis, colabis, & in eo vino medium croci ſcrupulum, & folij vnũ ſcrupulum mittis, & ex mellis optimi decem libris, omnia temperabis. Aliter hic, ſed parum à ſuperiore differens. Mittes vini veteris ſextarios decem, in lagena, & baccarum myrri libras quinque miſcebis. Viginti & duorum dierum per ſpatium confuſa tranſgerunt, per quos vas quotidie conuenit agitari: tunc palmea ſporta colabis, & prædictis decem ſextarijs mellis triti pondo quinque miſcebis. Alia eſt è Columella confectio, & quidem vt illius duplex. Variata etenim eſt omnium autorum deſcriptione: tam enim diligentes fuerunt in eius confectione. Quorum duo-

rum vltimorum ſententiam ad verbum tranſcripſi, maximè verò huius. Admiratus quidem, vt in cæteris eius & eloquentiam, & diligentiam. Ait enim hic: Nigri generis baccæ cùm ſunt maturæ leguntur, & ſemina earum eximuntur, atq; ipſæ ſine ſeminibus in ſole ſiccantur, & in fictili fidelià ſicco loco reponuntur: deinde per vindemiam ex vetere arbuſto, vel ſi id non eſt, ex vetuſtiſſimis vineis amineæ bene maturæ vuæ, ſole calido leguntur, & ex his muſtum adijcitur in ſerium, & ſtatim primo die antequàm id deferueat, baccæ myrti, quæ fuerant repoſitæ, diligenter conteruntur, & totidem earum libræ contuſarum appenduntur, quot amphoræ condiri debent: tum exiguum muſti ſumitur ex ea ſeria, quam medicaturi ſumus, & tanquam farina conſpergitur, quicquid contuſum & appenſum eſt. Poſt hæc complures ex ea maſſulæ fiunt, & ita per latera ſeriæ in muſtum demittuntur, ne altera offa ſuper alteram perueniat. Cùm deinde bis muſtum deferbuerit, & bis curatum eſt, rurſus eodem modo, & tantundem ponderis baccæ (ſicut ſuprà dixi) contunditur, nec iam, vt priùs maſſulæ fiunt: ſed in labello muſtum de eadem ſeria ſumitur, prædicto ponderi permiſcetur ſic, vt ſit inſtar iuris craſſi. Quod cùm eſt permiſtum, in eandem ſeriam confunditur, & rutabulo ligneo peragitur: deinde poſt nonum diem quàm id factum eſt, vinum purgatur, & ſcopulis aridæ myrti ſeria ſuffriatur, operculumq; ſuperimponitur, ne quid eo decidat. Hoc facto poſt ſeptimum diem rurſus vinum purgatur, & in amphoras bene picatas, & bene olidas diffunditur: ſed curandũ eſt, vt cùm diffundis, liquidum, & ſine fæce effundas. Vinum aliud myrtile ſic temperato: Mel Atticum ter inferuere facito, & toties deſpumato: vel ſi Atticum non habueris, quàm optimum mel eligito, & quater, vel quinquies deſpumato. Nam quantò eſt deterius, tantò plus habet ſpurcitiæ. Cùm deinde mel refrixerit, baccas albi generis myrti quàm maturiſſimas legito, & perfricato, ita ne deteriora ſemina conteras, mox fiſcello ligneo incluſas exprimito, ſuccumq; earum, qui ſit ſextariorum ſex, cum mellis decocti ſextario immiſceto, & in laguncuIam diffuſam oblinito. Sed hoc menſe Decembri fieri debebit: quo ferè tempore matura ſunt myrti ſemina. Cuſtodiendumq; erit, vt antequàm baccæ legantur, ſi fieri poteſt, ſeptem diebus, ſin autem ne minus triduum ſerenum fuerit, aut certè non pluerit: & ne rotulentæ legantur, cauendum. Multi nigram vel albam myrti baccam, cùm iam maturuerit, adſtringunt, & duabus horis eam cùm paululùm in vmbra expoſitam ſiccauerunt, perterunt ita vt quantum fieri poteſt, interiora ſemina integra permaneant. Tum per lineum fiſcum, quod pertriuerant, exprimunt, & per colum iunceum liquatum ſuccum lagunculis bene picatis condunt, neque melle, neque alia re immiſta. Hic liquor non tam eſt durabilis, ſed quàm diu ſine noxia manet, vtilior eſt ad valetudinem, quàm alterius myrtei notæ compoſitio. Sunt qui hunc ipſum expreſſum ſuccum ſic confectum diutiùs dicunt permanere: ſed quod non decoxeris, poterit innoxium durare biennio, ſi modò mundè, & diligenter id feceris. Hæc L. Columella, ex cuius diligenti deſcriptione, atq; eius ex alijs autoribus multi-

plici

plici confectione apparet, quantæ exiſtimationis fuerit apud antiquiores tum propter vim medicam. Valet autem, autore M.Catone ad aluum crudam, & ſi non conſiſtat, ad lateris dolorem, & cœliacum, ad tormina, atteſtante Columella, & vbi ſtypticis eſt vtendum. Reiectiones ſanguinis inhibet, & dyſenteriæ medetur, denigrat capillos, & fluentes cohibet, vtile item procidentibus fœminarum locis, ſedis virijs, & fœminis vuluæ fluxione laborantibus: furfures & manantia capitis vlcera, atq; puſtularum eruptiones purgat, ebrietatem, ac crapulam, præſumptum arcet. Additur emplaſtris, quæ Græci λιπαρὰς vocant. Myrſiniles ſic fit: Cùm ſuis baccis ac folijs nigræ myrti ramos ſumito. Omnia tundito, & vnciarum decem pondo, in tribus muſti congijs, donec duo ſuperſint, aut ſeſquicongius, decoquito, colatum verò recondito. Facit hoc ad vlcera capitis manantia, puſtularum eruptiones, furfures, tonſillas, gingiuas, & purulentas aures: ſudores etiam præter hæc ſiſtit.

De lauro. CAP. XXV.

LAVRVS, quæ Græcè δάφνη, qua voce etiam Latini, vt Petronius Arbiter. Et baccis redimita daphne, & etiam Ladonis, patronymica forma, à patre Ladone. Sunt etiam qui χορυθάλλην vocitent. Arbor caudice recto, tenui cortice, folijs amygdalinis, verùm latioribus, ac viridioribus, in nigrū tendentibus, laureas vocant: quamuis Horat. pro arbore poſuerit:

Tum ſpiſſa ramis laurea feruidos *Lib. Carm. 1. ode 15.*

Excludet ictus. Nonnunquam item pro corona ſumitur. M.Cato loreas vocat. Fructus verò bacca eſt, nigerrima, guſtu amara. Græcis daphnides, & daphnococci. Eius plura genera, quæ folio, colore, & baccis diſcernuntur. M.verò Cato Delphicam & Cypriam & ſyluaticam diſtinxit. Pompeius autem Lenæus, vt prodit Plinius, aliam adiecit, quam muſtacem appellauit. Hæc folio maximo, flaccidoq;, & albicante eſt. Delphica colore æquali, viridiore, baccis maximis, atq; è viridi rubentibus. Hanc verò Lactantius grammaticus tripodem vocari ſcribit, quòd radices ternas habeat. Cypria autem breui, nigroq; folio eſt: atq; per margines imbricato, vt Plinius ait. Et vt hanc deſcriptionem faciliùs interpretemur: ſunt imbrices tegulæ aduolutæ, & canalis in modum ductæ, id eſt, quæ crurum tuendorum arma imitantur. Ideò Vitruuius in ſtructurarum genere, quod reticulatum vocat, in cæmenta, alia ſuper alia ſedentia inter ſe imbricata. Criſpa, tinus à nonnullis dicitur. Differt enim baccæ colore, quæ illi cærulea eſt. Hanc ſylueſtrem laurum aliqui intelligunt: nonnulli autem ſui generis arborem. Poſteà verò acceſſere genera alia, inter quæ regia, quæ cœpit auguſta appellari, ampliſſima etenim, & arbore, & folio, baccisq;, non etiam guſtatu minimè aſperis. Propter quod regiæ nomen ſortita. Negant tamen nonnulli, vnam eandem eſſe, verùm ſuum genus faciunt, quæ ſit longioribus, latioribusq; folijs: baccalia verò dicitur, quòd baccarum fertiliſſima ſit: hæc enim vulgatiſſima. Harum autem ſterilem, quod demirarur Plinius, triumphalem dicunt, quòd ea

vtantur triumphantes. Niſi id à diuo Auguſto cœperit, qui ex ea lauru, quæ è cœlo miſſa ſit,reiecta Delphica,coronari ſolitus fuerat. Altitudine verò minima eſt, folio breui ac criſpo, rara autem inuentu. Plinius verò vnum genus,præter cæteros autores omnes,qui de lauro ſcripſere,poſuit quod taxam vocat. Topiario enim opere accedit, excreſcente in medio folio, veluti folij lacinia quædam. Verùm Plinium deceptum, vt in quorundam vocabulorum agnitione,vt pro fraxino taxum legerit,plures arbitrantur. Spadonia miræ opacitatis patentiæ eſt. Nam ſolum ſub qualibet vmbra implet. Græci, veluti Dioſcorides, quos apud Romanos plures imitati duo tantùm poſuerunt folijs diſtincta:vnum,quod latiore folio, alterum verò tenuiori conſtet. In mari enim rubro laurum viuere Theophraſtus ſcribit,quæ ex toto ariæ perſimilis ſit.

Lauri natura. CAP. XXVI.

LAVRVS præter vim medicam vires alias, propè diuinas habet : inter quas maxima eſt, quòd fulmine non iciatur. Quare Horatius in Odis:

Carm.lib.2. ode 15.

Tum ſpiſſa ramis laurea feruidos
Excludet ictus.-

Scribunt enim & Plinius, & Tranquillus,Tiberium principem tonitrua præter modum expauiſſe, atq; exhorruiſſe,& hunc tonante cœlo,contra fulminum metus nunquam non lauream coronam capite geſtaſſe. Ob eam verò rem , ſcribente L.Columella, cubili gallinæ iucubanti , lauri ramulos ſubijciunt , quòd credant aduerſus tonitrua remedium fore. Quidam etiam lauri ramos in dolia imponunt,ne tonitrua & fulgura vina peruertant,per contrariam naturæ vim auxiliaturi. Palumbes prætereà, graculi, meruleq;,perdices quoq;,vt noxias beſtiolas fugent, nidulis ſuis folia ingerunt. Scribit etiam Secundus, eas annuum faſtidium lauri folio purgare. Refert inſuper Horus Apollo in Hieroglyphicis literis,palumbũ quotiens ægrotauerit,laurum frondem in ſuo nido apponere,quo remedio ſtatim reconualeſcit. Quã ob rem Ægyptij hominem ſibi ex oraculi reſponſo vtiliter medentem, oſtendere volentes,palumbum lauri folium tenentem effigiant. Odio inſuper maximo à dæmonibus habetur. Aiunt enim plures ſacrum morbum aliquem nec dæmonem eum locum infeſtare minimè , vbi laurus adfuiſſet. Quare Romani,boni genij plantam vocauere:ſecundam enim valetudinem adferre exiſtimatur. Proinde laurus & caricæ Ianuarij menſis prima die, à populo principibus donabatur. Rubigo autem ſegetum maxima peſtis , lauri ramis in aruo defixis abigitur , tranſitq; ex aruis in earum folia, atteſtante Columella. Mirum etiam eſt , quod de ea in ſuo Aſino aureo ſcribit Apuleius , vt anethi modicum cum lauri folijs immiſſum cum aqua fontana , lauacrum & poculum eſſe ad faciem priſtinam recipiendam, arte magica immutatam. Conuenit etiam in maleficijs amatorijs laurum incendi, & ſi amantium querimonias repræſentet. Columbæ etiam pullis ſuis contra faſcinationes præcauentes , laurinos ramulos nidis reponunt. Anſer folium lauri non exeſt,nec quidem ſi fame

me

me prematur,attingit: nec roſam laurinam,neq; etiam vi adhibita. Præclare enim intelligunt ſi id comederint, vita ſe priuatum iri. Hæc Ælianus de animalibus. Scribit etiam Lucianus loco iam citato,equo,aſinoq; lauri cibum pernicioſum,& è veſtigio mori edentes. Empedocles autem philoſophus laurum tanti fecit, vti optimam conuerſionem in eam arborem potius exiſtimauerit, quaſi poſt mortalium vitam in beſtiarum naturam demigrandum ſit.

De lauri vi medica. CAP. XXVII.

HÆ ſunt lauri vires,à multis proditæ,ſi veræ ſint,admirabiles. Nunc ad eas, quæ à medicis memorantur, & plurimis hominum morbis medentur. Fructus, foliaq; inſigniter excalfaciunt,& deſiccant,verùm plus fructus. Radicis verò cortex minùs, qui acris eſt: plus tamen amarus, nonnihil adſtrictionis habet. Fructus educit & euocat,teſte Celſo, calculoſis prodeſt,vt aſſeruit Soranus Epheſius. Baccarum decoctum,imò etiam foliorum, in mulierum inſeſſus additur,vuluæ,veſicæ've vitijs conuenit. Folia cum pane vel polenta illita,inflammationem omnem leniunt,oculorum autem cum ruta,cum roſaceo aut irino capitis dolóres. Epota enim ſtomachum mitigant,vomitiones tamen cient. Trina verò manducata,atq; deuorata per triduum à tuſſi liberant. Trita enim cum melle à ſuſpirijs: Delphicæ autem laurus trita,olfactaq; folia,ſubinde peſtilentiæ contagia prohibent,tantò etiam magis ſi vtantur. Decocta autem ad aquæ tertias partes,vuam cohibent,gargariſatione:pota autem alui dolores inteſtinorumq; ſanant. Tenerrima enim ex ijs in vino trita,papulas,pruritusq; noctibus illita. Radicis enim cortex grauidis cauendus. Nam partum enecare dicitur. Sunt tamen,inter quos poſt Hippocratem Plinius vnus,qui partus celeritati plurimum conferre exiſtiment: radice acetabuli menſura pota,atq; id efficacius recentem,quàm aridam,iocineri bibitus in vino odorato, trium obolorum pondere prodeſt. Baccæ autem ex melle paſſóve conciſæ,in eclegmate,tabi,quam phthiſim vocant, orthopnœæ, & omnibus thoracis rheumatiſmis,vtiles. Nam excoquunt, pituitamq; extrahunt:menſes autem tritæ & potæ. Binæ verò detracto cortice,in vino potæ, tuſſim veterem ſanant, epinyctidas ex oleo illitæ, & lentigines, & vlcera, tam manantia, quàm oris, atq; etiam furfures. Ex oleo autem & aceto illinuntur, & lieni ac iocineri gangrænisq; cum melle. In remedio enim iacentis vuæ, quadrantem pondo baccarum, foliorúmve decoqui in aquæ ſextarijs tribus ad tertias,eamq; calidam gargarizare eſt. In capitis verò doloribus baccas impari numero cum oleo conterere eſt,& calfacere. Miſcentur autem medicamentis,quæ neruorum laſſitudines reficiunt (acopa verò vocant) & vnguentis,quæ vel calfaciunt,vel diſcutiũt. illarum verò ſuccus aurium dolori,& grauitati cum vino vetere, & roſaceo oleo vtiliſſimè inſtillatur. Pruriginem,& phthiriaſim emendat. In fatigatione etiam aut perfrictione,addito nitro eo perungi prodeſt.

Eiuſdem

Eiuſdem erga animalium noxas remedia, & quibus item illius remedijs, animalium morbis ſubuenimus, & ab illorum moleſtijs defendimur. CAP. XXVIII.

CONCISA Lauri folia, mox illita, ſerpentium venenis reſiſtunt, præſertim verò dipſadis, viperæ, & ſæpis. Aduerſus autem ſcorpiones, araneos, & ſerpentes, baccæ tres ex vino bibuntur. Quidam tamen contra ſcorpionum ictus, decem potui dari iubent: ſuccus etiam illarum ad ea potus prodeſt, maximè eius lauri, quæ tenuiora folia gerit. Contra autem venenata animalia ſucci remedio, & contra omnia alia venena munimur. Hoc etenim inuncti protegimur, vt etiam venenoſæ beſtiæ nos fugiant. Contra etiam apium, veſparum, crabronumq; ictus, proſunt folia trita, & illita. Lauri folia in aqua marina decocta, omnes pulices peluim ingredi compellent. Oeſtrus, ſiue Myopes, ſiue tabanus bouem aliaq; quadrupedia in amentiam præcipitare ſolent, maximè per æſtiuos calores, aduerſus quas moleſtias ſi lauri baccam contuderis, & in aqua coxeris, & eo loco vbi boues depaſturæ, aut incubaturæ ſint, inſperſeris, proderit. Hæc Sotio. A muſcis autem ne infeſtentur, baccas lauri contundito, atq; oleo incoquito, & boues inungito. Huius autē arboris vim propè diuinam, non ignorarunt aliquot animalia. Nam coruus auis, occiſo chamæleonte, qui etiam victori nocet, lauro infeſtum virus enecat. Pituita enim gallinas, præſertim meſſis, ac vindemiæ tempore, vt plurimum infeſtat: illarum medicina eſt, vti cubatus earum in lauri ſumo fiat. Hoc autem fit cæca naturarum diſcordia, quam antipathiam vocant. Aduerſus autem boum coriaginem, atteſtante Columella, proderit laurum decoquere, & ea calida terga fouere, multoq; oleo & vino confeſtim ſubigere, ac per omnes partes appræhendere, & attrahere pellem, idq; optimè fit ſub dio, ſole feruente. Idem animalis genus cephalalgia, hoc eſt, capitis dolore torquetur: quod tunc dignoſcitur, vbi aures demittens non comedit: tum foliorum lauri, quantum manus appræhendit, in os inijcitur.

De laurino oleo. CAP. XXIX.

LAVRINI olei ratio ex Dioſcoride huiuſmodi eſt: Lauri maturæ baccæ in aqua decoquuntur. Siquidem pinguitudinem quandam ex cute eas veſtiente reddunt: quibus manibus preſſis concha excipies. Quidam omphacinum oleum prius cypiro, iunco odorato, & calamo inſpiſſant: deinde lauri tenerrima folia conijciunt, & omnia ſimul coquunt. Alij baccas cum folijs, donec oleum odorem contraxerit, adijciunt. Nonnulli ſtyracem & myrrham addunt. Quidam, Actuario autore, lauri baccas maturiſſimas, abſque alterius rei miſtione tundunt, pòſt prælo vel fiſco oleum exprimunt. Palladius ſic: Lauri baccas quàm plurimas atq; maturiſſimas, in aqua calida bullire faciunt, atq; vbi diu deferbuerint, quod ex ſe effu

ſe effuderint,oleum vndæ ſupernatans pennis leniter cogentibus in vaſa transfundunt.Probatiſſima ad hoc latifolia & montana,quam Plin.ſylueſtrem interpretatur, baccis nigreſcentem. Laurinum oleum eò vtilius, quò recentius, colore quoq; viridius, atq; amariſſimum & acre.Vis eius excalfactoria & emolliens egregiè, ideoq; paralyticis, ſpaſticis,vel iſchiadicis ſubſidio eſt,& ijs, qui ſcabie ſcatent, & aſperis impetiginibus obſidentur,in balneo illitum: verùm eo conuenit abſtinere in lichenibus,& pſoris,& alijs inflammationem minantibus,& in reliquis calidioribus & bilioſis temperaturis.Siquidem frigidis,ac humidis corporibus,& pituitoſis congruit,aut etiam his,qui perfrictione affliguntur,& his, quorum articuli præ algore vexantur. Vermes & pediculos tam agreſtes, quàm domeſticos,& lendes enecat.Capitis furfures emendat: alopecias,& quæ ophiaſis nominatur, corrigit. Ad hos enim vſus in balneo illinendum, poſteà verò oportet vino,& melle,vel ouo, cum melle & fenugræci farina detergere. Cauendum eſt, ne capiti calorem ſentienti hoc admoueatur. Inueteratis diſtillationibus auxiliatur. Ano ſuppoſitum,vel iniectum hæmorrhoidum dolorem mitigat, & ex his profluentem ſanguinem ſiſtit. Ex Delphica ad laxandos lateris dolores,frigore concretos,febresq; frigidas illitum non aliud vtilius,item ad aurium dolorem in mali punici cortice tepefactum.Attamen nauſeam potum parit. Si eo boues iuncti fuerint, ab muſcarum moleſtijs tuti erunt. Fit etiam è lauro vinum, vt Plinius ait.

De adagijs, Laureolam in muſtaceis quærere, & δαφνίτην φέρω βακτηρίαν. CAP. XXX.

SVPRA è Plinio vnum genus lauri Pompeium Lenæum muſtacen vocare docui, quoniam muſtaceis adijceretur, alij nonnihil nigræ lauri.Eſt autem muſtaceum libi genus cuius confectionem Cato de re ruſtica docet, in quo lauri folia adderentur.Quare Cicero ad Atticum dicit,Bibulum in Amano cepiſſe laureolam in muſtaceo, non ſine cauillo. Quum enim quis abſumpto muſtaceo ſeriùs aduenifſet, vt nihil præter laurum, quæ muſtaceo ſubſternebatur,remanſiſſet,facetè dicebatur,ille in muſtaceo laurum quærit, vtpotè cui præter ſedimentũ nihil ſupereſſet. Quum itaq; deuictis, profligatisq; à Cicerone Amani montis incolis, Romani populi ſempiternis hoſtibus, Bibulus ſuperueniſſet, vt nonnihil gloriæ occuparet, falsè à Cicerone dictum eſt, eum in muſtaceo laureolam quæſiſſe.Quod in eos dicitur,qui in minimis,ac friuolis negotijs venantur gloriam. Laurus inſuper alexipharmacum eſt aduerſus venena, vt ſuprà dictum eſt,vnde Græcum adagium δαφνίτην φέρω βακτηρίαν, hoc eſt, laureum geſto baculum. Quod his conuenit, qui fœliciter à periculo aufugiſſent,& tutos ſe aſſerere volentes illud pronunciarent.

Præfatio libri vigeſimiſecundi.

D E Æ *nonnullis arboribus,quæ non vbiq́,nec paſſim,nec apud omnes proueniunt, & ſi peregrinarum appellatione veniant minimè ſuperius diximus. Hoc autem ſequenti libro de ſola olea ſcripturus ſum,multis gentibus familiari, quod iuſtum æquum propter eius ac eximiam virtutem atq́ neceſsitatem,vt propterea exactior profectò debeat eſſe hiſtoria & diligens conquiſitio,vti etiam Galenus de oleo quod ex olea liqueſcit integrũ librum ſatis amplum conſcripſerit,& in eo pluſquam in alio ex ſimplicibus inhæſerit. Quod ſi vtilitatem altius penſare velimus,nulla alia res ea maior inueniri poterit ſiue ad rem familiarem ſpectes, ſiue ad rei medicæ neceſſitatẽ: prætereo vnguenta & alia quæ tantùm corporis ornandi & luxus cauſa præparantur. Democritus autem interrogatus, qua ratione homines inoffenſa valetudine degerent,atq́ animi illum vigorem cuſtodirent,reſpondiſſe fertur, ſi corporis externa oleo,interna melle linirentur. Non ſolum corpus inungimus verùm etiam extrinſecus, quo nil ſalutarius,vt nos ad balnea & gymnaſia ad frictiones ſequatur. Quod vltimum primo Græci publicarunt. Et ſi Anacharſis inſaniæ pharmacum dixerit, quòd eo vncti athletæ inuicem feruentius & ardentius atq́ furioſius inſultarent. Mirum itaq́ dulcem ſuccum bibere & alieno infici ſapore,etiam ſi oleum abſq́ odore ſit,vt ideò vnguenta ad quæ frequenti vſu,nullo modo inficiat, quod teſtatur Lucretius:*

Ac poſſis reperire inolentis oliui
Naturam nullam, quæ mittat naribus auram
Quàm minimè vt poſſit miſtos in corpore odores,
Contractanſq́; ſuo contractus perdere viro.

Quòd ſi natura hoc illud illi denegatum ſit, eius tamen beneficio, nulla alia magis re, odores incorruptiùs perdurant. Quod diuturnitati eorum tanto vtilius, quanto pinguius. Non prætereundum inſuper, quòd vſus eius erga Deos ac illorum ſacrificia non infrequens fuerit, vndè lebaſion poculum, quo in ſacris oleum libaretur. De olei verò præconio,hæc pauca:omnia enim recenſere,non parui laborisneq́ inexperti viri: plura tamen infra exprimentur.

HORTORVM LIBER VIGESIMVSSECVNDVS.

De olea, & arbore, ſub qua Latona peperit Apollinem, & adagio, Extra oleas. CAPVT I.

INTER autores non bene conuenit, ſub qua arbore Latona Apollinem pepererit. Euripides enim in Hecuba, palmam primùm in Delo inſula natam quam amplexata Latona Apollinem edidit. Tacitus autem Latonam partu grauidam, apud Cenchrũ amnem prope Ortygiam oleæ adnixam, Dianam & Apollinem enixam ſcribit, quæ tunc maneat, Nemus quidem ſacratum, deorum monitu. Sed arborum harum duarum diſſidium Ælianus diremit. Nam in Delo eſſe & oliuam & palmam, quibus à Latona tactis, ipſa ſubitò peperit: quod antè facere non potuerat. Diogenes cùm vidiſſet iuuenem in diuerſorio oleas eſitantem, Si ſic prandiſſes (inquit) non ita cœnares. Idem etiam cùm Platonem in lautiſſimo conuiuio deguſtantem oleas intuitus fuiſſet, illum percunctatus eſt, quamobrem in Siciliam huiuſmodi menſarum gratia profectus, appoſitis modò oleis non frueretur: cui ille, At Hercules, ô Diogenes, illic & oleis & reliquis huiuſcemodi pluribus veſcebar. Cur igitur, ait ille, Syracuſas adnauigare te oportuit? An Attica tunc oleam non ferebat? Quibus verbis Platonis nauigationem ſubarguere videbatur. De oleæ nonnullis nomenclaturis ſuprà dictum, præter quas noſtri termitem vocabant, vnde & vnum Macrobio genus termitia dicitur. Apud Græcos verò præter alias denominationes κελλιελᾶια vocabatur. Ij etiam in Academia ſatam moriam vocabant. Alij ſic diſtinguunt, vt oleas publicas, morias vocitent. Cæteri moriæ ſtipitem σῆκον dici volunt. Caper grammaticus oliuam arborem eſſe dicit, oleam verò fructum, oleum liquorem. Quæ autem differentia, parum obſeruationis in duobus primis apud claſſicos autores habet: quod vno tantùm Vergilij teſtimonio demonſtrare ſat erit. Ait enim in ſecundo Georgicorum:

Sed truncis oleæ melius propagine vites
Reſpondent.-

Iam ſupereſt vti ad eius deſcriptionem deueniamus. Arbor enim radice parua, è medio tendente, cæteris grandioribus, & cancrorum ſimilitudine contortis. Folijs anguſtis: ſupina magis quàm prona parte, contra cæterarum naturam candicantibus, ſalignea fronde,

tenui. Flauam Vergilius vocat: qui color ex viridi & albo concretus eſt. Flos puſillus, foliatus, fructum ambiens. Fructus enim per maturitatem nigreſcit. Poſt decimumſextum calendas Octobris, Carne, nucleo, & amurca conſtat. Rami oleagini thali dicuntur, à ſimilitudine plantæ pedum hominum. Senſa Columellæ, oliuæ os dicitur, Græcè τίτυρα. Vna omnium in opere maximè regerminat, ſudat enim lacrymam. Cicadæ oleas vehementer amant, vtpotè minùs vmbroſas. Polypus piſcis, autoribus & Oppiano, & Æliano, adeò oliuam amat, vt eam non aliter, quàm canes luſtra ferarum, perquirat. Quam cùm inuenerit, primùm applaudit, & arboris truncum amplectitur, pòſt enixè ramos, quibus dehinc paſcitur, & pòſt lætus ad vndas reuertitur, vt præterea eius erga eam amor, in exitium cedat. Nam piſcatores illorum retia fronde nectunt: vt ad hæc polypi auidiùs deſiliant, autore Clearcho. Stadia autem oleis per ſeriem oppoſitis, ad certamina vtrinq; ſepiebantur: quas præterire licebat minime: vt qui extra has currerent, extra ſtadium decurriſſe dicebantur. Vnde natum adagium, Extra oleas. De quo Ariſtophanes in Ranis. In eos autem dicitur, qui præſcriptos terminos tranſgrediuntur.

Olearum genera. CAP. II.

OLEARVM, ſicut vitium genera plura eſſe, Columella arbitratur, verùm in eius tantùm notitiam decem perueniſſe, de quibus infra. Differunt enim vt plurimùm, vel forma, vel colore, aut ſucco, ſæpe etiam loci natura, bonitate ac magnitudine. In Ægypto, carnoſiſſimis, olei exiguum eſt. Laudatur & Africana, Aquilia, & Alexandrina. Decapoli verò Syriæ, perquàm paruæ, nec cappari maiores: carne tamen cōmendantur: quam ob cauſam Italicis tranſmarinæ in cibis præferuntur, cùm oleo vincantur. In ipſa enim Italia Sidicinæ & Picenæ. M. tamen Varro quæ in agro *Caſſinate*, præfert, etiam autore Vergilio,

Georg. 2. *- Atq; olea magnum veſtire Taburnum.*

In Sabinis etiã laudatiſſimæ Bætica Hiſpaniæ regio, oliuis fertilis. Silius:

Silius lib. 1. *Palladio Bætis ornatus cornua ramo.* Et alibi:

Nulla Palladia ſeſe magis arbore tollit.

In ea enim eſſe lucum Mela ſcribit, quod oleaſtrum dicitur. Et harum omnium quædam ad eſcam idoneæ: cæteræ vt liqueſcant, reſeruantur: de quibus ſpeciatim in ſuis generibus dicetur. Sed de his facilis delectus, quod generaliter ſemel præcepiſſe ſufficiet, vt maiores oleo, minores verò cibo præfecturæ ſint. Quæ verò ad hoc optima erit conditiua, ſiue, vt Varro voluit, conditanea dicitur, quod vtilis, vt hic arbitratur, ad condiendum ſit. Vergilius autem Maro tria ſolùm genera poſuit, orchiten, pauſiam, radium. Orchis verò, autore Seruio, à Græca etymologia, verùm obſcœna, id eſt, à teſticulis, qui ὄρχεις dicuntur. Probus à magnitudine appellatam, quod teſtibus fere par ſit. Nam grandes ſunt, quamobrem à nonnullis archemoræ vocantur. Huic Columella ſecundum locum attribuit, vt ad eſcam meliùs quàm in liquorem ſtringatur. Radius à longitudine

tudine nominatus, vt dicit Seruius, vt Varro radium maiorem appellauerit, meliùs in liquorem, atteſtante Columella, ſtringitur. Pauſia, à Catone Poſia ex literarum cognatione, & à Probo Poſſia appellata: à pauiendo, id eſt, tundendo dictam Seruius autumauit. Aliter enim oleum ex ſe non faciet. Alij tamen à ſapore nominatã, quòd fiat παίον. Sunt etenim baccæ eius ſucci amarioris, ideò incomeſtibiles. Bacca iucundiſſima, quæ in nigrum tranſeat colorem, cuius oleum, inquiente Columella, egregij eſt ſaporis, dum viride eſt. Porrò vetuſtate corrumpitur. Præter has Varro & Columella annumerauerunt ſergianam, ſiue, vt hic voluit, ſergiam, quæ, hoc autore, plurimum olei effundit. Colmineam, quam hic culminiam vocat, Licinianam, cui Plinius præcipuam gloriam tribuit, quæ Licinianum oleum in Venefrano Italiæ agro ferret. Vnguenta, hanc palmã dedere, accommodato ipſis odore: dedit & palatum, delicatiore ſententia. De cætero etiam liciniæ baccas nulla auis appetit. Optima etiam Columellæ videtur, quæ oleum optimum det. Ille autem præter has Albigerem, Salentinam poſuit. Hic verò algianam, cinianam, circiten, myrteam, ac regiam. Omnes numero (vt ſuprà ſcripſi) decem. Regia bacca ſpecioſiſſima, vti propterea hoc nomen ſortitum videatur: gratiſſimaq́; eſt, & ſi ſucco abundet minimo, potius eſcæ, quàm oleo, idonea. Columella tamen neq; ſpecie neq; oleo tam grata quàm licinia, pauſia, orchis, ſicut nec radius. Ab alijs maiorina ob magnitudinem, vt exiſtimo. Græcis etiam autore Polluce φαύλια, quam hic & colinidam & trabellum vocat. Apud eundem Pherecrates trambellos in oleaſtro inſitas oleas vocabat. Echinus genus oleæ, & iſchades & gergerimæ. Apud Pollucem verò reperiuntur drypetes, nictrides, quas Pherecrates cotinidas vocauit. Erit ergo ex Polluce eadem cum phaulia. Nunc ad ea genera, quæ ex hominum artificio ſunt. Colymbades conditæ erant, ideò ſic dictæ, quod oleo ſuo puræ, non exquiſita commendatione innatent, κολυμβᾷν enim vrinare eſt, hoc eſt, ſub aquam eſſe, vnde vrinatores Græcè κολυβητὰς vocant, & colibantes aues natantes & vrinantes, quales anates dicuntur. Cum his verò quidam halmades confundunt, quæ in muria ſeruantur: ἅλμη enim Latinis muria eſt. Alij quòd ſole condiantur, ſic nuncupari cenſent. Verùm Paulus eas diſtinguit, vt colymbandes, quæ oleo ſuo puræ, hoc eſt, ſine accerſita commendatione innatent, quaſi vrinabundæ. Hermippus verò halmades cum fœniculo conditas ſcribit, quæ etiam netrides, quòd innatent. Pityrida, ſiue pyrene, genus oliuæ fractæ. Oleas autem contuſas comici πυρίνας vocarunt: de quibus in Niſis Ariſtophanicis. Nunc thlaſtas vocant. Sunt & ſtemphylides dictæ. Græci enim quæ preſſis oliuis ſupereſt, ſtemphyla vocant. Genus oleæ eſt, quæ ab intorta ſpecie στρὴ dicitur.

Oleæ vis. CAP. III.

AMBROSIVS diuus in Hexamero prodit ægrotantem ceruum ſanum fieri, manſis oleæ ramuſculis, & locuſtas ab ægritudine liberari, arroſis oleæ folijs. Sunt etiam qui tradant baccarum

decocto ſeu iure, pulices interire, ſi domicilium hoc aſperſum fuerit: hocq; magis ſi cymini agreſtis triti nonnihil commiſtum fuerit. Et hæc quò ad animalia. Oliuæ ſi exquiſitæ, & ad vnguem maturuerint, moderatè calidæ, ad ſiccum inclinantes. Immaturæ autem adſtringunt & refrigerant, ſiccæq; ſunt: ventrem roborant, pulmoni tamen noxiæ. Nigræ enim facilè acceptibiles, corruptioni opportunæ, ventriculo, oculis, capiti, tum etiam veſicæ nocuæ. Drupæ pinguem habentes ſuccum, ſtomacho aduerſantur, craſſi humoris efficaces, exiguum alimenti corpori præbent. Albæ verò & recentes ſtomacho vtiliores. Colymbades & halmades frigidæ & ſiccæ ſunt naturæ, & adſtringentis ſaporis. Stomachum firmant. Sumptæ verò ante cibum, vim appetendi excitant, & aluum ſubducunt, magis autem ſi ex aceto & oxymelle condiantur. Faciliùs enim concoquitur quicquid guſtu iucundius eſt. Præclarum habent antequam condiantur vſum. Per ſe enim cibi modo deuoratæ, arenoſæ vrinæ medentur, dentibus attritis aut conuulſis. Nigra enim ſiue flaua, trita & illita ambuſtis prodeſt. Commanducatur & protinus ex ore impoſita, puſtulas gigni prohibet. Areſacta & illita, depaſcentia vlcera ſiſtit, carbunculosq; emarginat. Oliuas albas priuſquàm inſit oleum, Hippocrates ſiccari, & tundi iubet, ac cribrari, & cum vino propinari. Hoc autem & menſes & ſecundas elicit. Colymbades vlcera putrida illitæ curant. Aqua autem, in qua oliuæ ſalitæ fuerint, dentes iuuat. Folia enim, autore Celſo, corpus exedunt, vehementiſſimè adſtringunt, ſiſtunt, purgant. Manducata verò, & vlceribus impoſita medentur, & capitis doloribus cum oleo illita. Oculorum medicinis conueniunt. Capitis dolore liberari aiunt, qui folio oleæ Mineruæ nomen Athena inſcripſerit, & ipſum folium cum filo circum caput obligauerit ad quotidianas febres. Alexander Trallianus ante Solis exortum folium oleæ capiebat, in quo com muni atramento Ca. Roi inſcribebat, & collo ſuſpendebat. Succus eorum ſanguinis eruptiones, & muliebre profluuium admotus inhibet: puſtulis, oculorum vuæ, prodeſt: aphthæ horum decocto eluuntur. Vlcera & veteres defluxiones ſiſtit: quapropter in collyria ad genarum eroſiones additur, carbunculationibus etiam efficax. Exprimitur ſuccus tuſis folijs adfuſo vino ex aqua cœleſti, ſiccatusq; in ſole in paſtillos conformatur. Sed longè efficacior ad ſeruandum qui cum vino quàm cum aqua expreſſus fuerit. Auribus purulentis, ſiue exulcerentur, ſubuenit: menſes ſiſtit in lana vuluæ admotus, vtilis quidem condylomatis, ſacris ignibus, & quæ ſerpunt vlceribus, & epinyctidi. Eoſdem effectus habet flos, & eius decoctum. Flores medici vrunt, & cum melle circunſcarificant. Hac ratione ſanguinis profluuium è neruoſis partibus cohibent. Vruntur cum floribus folia, vt ſpodij vicem cinis præſtet. Cremantur in crudo fictili, operculato, luto vndiq; circùm illito ore, vſq; dum figlinum percoquatur, tum vino reſtinguitur, eodemq; modo iterum vruntur: deinde ceruſæ modo lauatur cinis, & in paſtillos digeritur, quo cinere oculos cum polenta illinunt. Nam huiuſmodi cinerem oculorum medicamenti, ſpodio non cedere conſtat. Oleæ ramuli quantum habent

adſtrict

adſtrictionis,tantæ frigiditatis participes ſunt.Succus illorum diſtillatus, furfures, manantia vlcera, lichenas ſanat. Quàm tenerrimæ oleæ deraſus cortex,cum melle,crebro guſtatu,ſanguinem reijcientibus, & ſuppurata tuſſientibus medetur. Radicis verò cortex drachmæ inſtar, cum vino, aut aqua deglutitus, pituitam euacuat. Oleæ cinis cum axungia, tumores ſanat,vitia fiſtularum extrahit,atq; illas ſanat.

De loco ad cellam oleariam ſeligendo. CAP. IIII.

MARCVS Cato, grauis, ac diligens totius agriculturæ autor,in eo quidem patuo libello, quem de agricultura nobis poſteris legendum reliquit, vt nihil tamen quod ad agriculturam pertineat, intactum reliquerit,ad oleam cogendam , quæ opus erunt, antè præparanda præcipit. Etenim cogitandum , quotannis magnas tempeſtates euenire ſolere, quibus ſæpe oliua deijci ſolet. Quòd ſi citò ſuſtollatur, & parata vaſa erunt, minùs damni in tempeſtate erit. Primùm enim patremfamilias villam ruſticam bene exædificatam habere expedit, & cellam oleariam,& id rei plurimùm ei & virtuti ac gloriæ cedere , laudabiturq; fundus, ſi eam ad modum agri habeat. Hic etiam ad oliuetum agri ducentorum quadraginta iugerum,formulam quandam,& certum aliquot hominum,atque animalium , inſtrumentorum quoq; perſcripſit numerum : quæ omnia membratim enumerat : quàm tamen M.Varro pluribus improbat , vt apud eum videre eſt : Etenim perquam difficile , aliqua certa lege hoc præcipere.Sed id experiens paterfamilias,ac diligens agricola,ex agri,natura,atq; bonitate ſuo ingenio metiri poterit: atq; certũ modum ſibijpſi ſtatuere. Cella olearia,autore Palladio, partibus meridianis obijci debet, vt contra frigus munita ſit.Ad eum enim cœli ſtatum conſtituenda erit, quæ maxime à ventis frigidis auerſa ſit.A meridie etiam debet inluſtrari, ne neceſſe habeamus ignes lucernamq; adhibere,cùm olea premitur,nec per ſpecularia lumen admitti:ita & operas, quæ hyeme futuræ ſunt, nullus algor impedit , & oleum , cùm premitur , teporibus adiutum , non adſtringetur. Illud autem præcipiendum in totum Columella habet , vt neq; fumus, neq; fuligo, quàm diu oleum conficitur, in torcular admittatur,aut in cellam oleariam. Nam contrà,res inimica huic rei : his enim maximè olei ſapor corrumpitur , peritiſſimiq; olearij ad vnam lucernam opus confici,vix patiuntur.Calore enim naturali tantùm opus,ne patiatur congelari olea. Nam,autore Theophraſto,oleæ cauſa conquirendus calor naturalis. Nempe nimio caloris tepore oleum extenuatur,& etiam fraceſcit : quod tunc contingit,quando intra cellam oleariam ignis præter modum admittitur. Fraceſcere enim , ne quid ignoretur , dicuntur oliuæ,quæ collectæ caldore,& vetuſtate putreſcunt. Fraces verò ſunt oliuarum carnes.

De præparandis ad oliuitatem loco & inſtrumentis, & de torculari. CAP. V.

MVLTA

MVLTA ante oliuitatem, ſicuti ante vindemiam,vt doctiſſimè & elegantiſſimè præcipit L.Columella,ne cùm res deſiderauerit, operæ auocentur, præparanda ſunt, veluti copia lignorum antè apportanda eſt. Neque ad id nucleis vtendum:alias oleum ſapiet. Tùm ſcalæ,corbulæ, decenodiæ,trinodiæ,ſatoriæ,quibus depletur oleum.Opercula item quibus vaſa olearia conteguntur. Spongiæ maiores & minores,vrcei, quibus oleum progeritur: canneæ tegetes,quibus oliua excipitur,& alia. Præterea lacus & dolia præparanda,quæ ſub tecto habere oportebit,quæ ſeorſum recipiant ſui cuiuſq; generis amurcam,ſiue quæ ſincera defluxerit,ſiue etiam quæ ſalem receperit. Nam vtraque vſibus plurimis idonea eſt. Corbulas autem ex ſalice eſſe oportebit. Nam ſalix ad pulchritudinem olei multum facit. Hæc omnia & multò plura præparari & eſſe debent:quoniam in vſu depereunt, & pauciora fiunt. Quorum ſi quid ſuo tempore defuerit,opus intermittitur. In conficiendo autem oleo,machinis quinque antiquos vſos fuiſſe Columella ſcribit,videlicet, mola, trapeto,canali,ſolana, rudicula. Vlpianus etiam Iuriſconſultus, libro decimonono Digeſtorum ſcribit, fundi locatorem præſtare conductori debere prælum, & trapeta,inſtructa funibus,ſin minùs dominum ea inſtruere debere:ſed & prælum, & trapetum vitiatum reficere debere. Quòd ſi regulis olea prematur,& prælum,& ſucculam,& regulas,& tympanum,& trochleas,quibus releuatur prælum, dominum præſtare oportere. Item ahenum, in quo olea calida aqua lauatur, & cætera vaſa olearia dominum præſtare oportere. Fiſcos enim, quibus ad premendam oleam vtimur, colonum ſibi parare debere. Neratius item Iuriſconſultus idem ſcribit. Quàm diligentes autem fuerint antiqui in premēda olea, ex his duobus Iuriſconſultis patet,qui hoc non ignorarunt. Præcipit etiam Cato torcularia bona habere oportere,vt opus bene effici poſſit. Quàm calidiſſimum enim & torcular eſſe & cellam oleariam is præcipit, & M.item Vitruuius proximè culinam torcular ponit. Torcular autem ipſum,ſi non cochleis ſed vectibus torquetur, per medium ſenumdenum pedum ſpatium occupare debet, vt voluit hic. Hac verò ratione, opus plurimum facientibus, libera & expedita erit verſatio. Quòd ſi prælis duobus opus erit,loco latitudo quatuor & viginti pedum detur. Nam vaſa & inſtrumenta ſecundum locorum amplitudinem habere oportet. Nam Cato in oleto bono, bene & frequenter culto, tres trapetos præſcribit, quorum formam & ipſe poſuit, verùm id iudicio boni patrisfamilias (vt iam ſupradictum eſt) relinquetur. Tabulatum verò,quo ferantur oleæ,habere neceſſarium erit. Etſi præceptum habeamus,vt vniuſcuiuſq; diei molis & prælo confeſtim ſubijciantur: verumtamen quia interdum non parua multitudo baccarum,torculariorum laborem vincit (ſi labor exiſtimandus ſit) penſile horreum, quo imponantur fructus,eſſe oportet: idq; tabulatum eſſe debet ſimile granario,& lacuſculos habere,atq; tam multos quàm poſtulabit modus oliuæ. Cellam enim oleariam ita inſtructam habere conuenit, vt magnitudo & inſtrumenti numerus olieto reſpondeat, ſicuti &

in

in omni artificio. Nam & ſeparari bacca debet, & ſeorſum reponi, vniuſcuiuſque diei coacta. Horum autem lacuſculorum ſolum, tegulis, aut lapide conſterni oportet, atq; ita fieri decliue, vt omnis per fiſtulas aut canales humor celeriter defluat. Itaq; cùm lacus, quemadmodum diximus, extruxeris, aſſerculos inter ſe diſtantes ſemipedalibus ſpatijs ſupra ſolum ponito, & cannas ſpiſsè textas, ita vt baccam tranſmittere queat, & oliuæ pondus poſſit ſuſtinere, diligenter iniicito. Iuxta autem lacuſculos ea parte, qua defluit, amurca, ſub ipſis fiſtulis, in modum foſſularum, concauum pauimentum, vel lapideum cauum eſſe oportebit, in quo conſiſtat, & inde exhauriri poſſit, quicquid defluxerit.

De nonnullis alijs ante oliuitatem faciendis, & de vaſis olearijs. CAP. VI.

ALIA ſunt, quæ ex autoribus rei ruſticæ, quos M. Catonem, M. Varronem, L. Columellam intelligo (ij etenim rem oleariam diligentiùs deſcripſere) deprompſi, quæ ante oliuitatem facere, neceſſe erit. Dolia autem, & ſeriæ, in quibus oleum reponitur, non tantùm eo tempore curanda ſunt, cùm fructus neceſſitas cogit, ſed vbi fuerunt à mercatore euacuata. Villica curam adhibere debet, vt ſi quæ amurcæ fæces, in fundis vaſorum ſubſederint, ſtatim emundentur, & id non calidiſſimo lixiuio, ne vaſa ceram remittant, ſed ſemel atq; iterum eluentur. Deinde aqua tepida leniter manibus defricentur, & ſæpiùs eluantur, atque ita ſpongia omnis humor aſſiccetur. Efficere enim debet, vt quàm maximè ſynceritas pura conſtet. Sunt autem qui cretam figularem, in modum liquidæ fæcis, aqua reſoluant, & cùm vaſa lauerint, hoc quaſi iure intrinſecùs oblinant, & patiantur aceſcere: poſtea cùm res exigit, pura eluunt aqua. Nonnulli verò prius amurca, deinde aqua, vaſa perluunt, & aſſiccant. Tunc verò conſyderant nunquid ceram nouam dolia deſyderent. Porrò ferè ſexta quoque oliuitate cerari oportere, antiqui dixerunt, quod fieri non intelligit Columella. Nam quemadmodum noua vaſa ſi calefiant, liquidam ceram facilè recipiunt, ſi vetera non crediderint, propter olei ſuccum ceraturam pati, quam tamen & ipſam ceraturam, ſui temporis agricolæ repudiauerunt: exiſtimaueruntq; ſatius fore, noua dolia liquida gummi perluere, ſiccataq; ſuffumigare alba cera, ne pallorem capiant. Eamq; ſuffitionem faciendam indicat, quotienſcunq; vel noua vel vetera vaſa curantur, & oleo nouo præparantur. Multi autem cùm ſemel dolia, vel ſerias, craſſa gummi liuerunt, vna in perpetuum gummatione aliam ceraturam non recipiat. Reſpuit enim olei pinguedo, talem materiam, qualis eſt gummi. Dolia noua ſic imbuenda docet Cato, vt hæc per dies ſeptem amurca impleantur, & quotidie ſuppleatur. Poſteà amurcam eximito, & areſacito. Vbi arebit, cuminum pridie in aquam infundito. Ea poſtridie diluito, poſteà dolium calefacito minus, quàm ſi picare velis, tepeat, ſatis eſt. Leuibus lignis facito vt caleſcat, vbi verò temperatè tepebit, tum cuminum indito, poſteà linito. Si rectè liueris, in dolium

quinquagenarium, cumini pondo quatuor ſatis erit. Oliuitate enim facta, prela ſuſtolli debent, corbulæ, vaſa omnia, ſuo quoq; loco in futurum tempus aptè reponi debent, ne dum his opus erit, alia perquirere neceſſe habeat, ſitq; & impenſæ & moleſtiæ pœnitentia. Sunt & alia, præter hæc ad faciendum oleum vaſa idonea, & illius vſui accommodata. Crateres Marcello, vaſa olearia ſunt. Vergilius in Bucolicis:

Belog. 5. *Crateraſq; duos ſtatuam tibi pinguis oliui.* Et in ſexto Æneidos:

- Fuſo crateres oliuo. Lecythus Græcè vas olearium, qua etiam voce vſi ſunt autores Latini. Cyprianus pro lecytho capſacem eſt interpretatus, & Hieronymus, etſi priori voce vſus fuiſſet. Cicero enim in ſuis orationibus & Cæcilius Plinius pro floſculis, & nitoribus oratorijs vſus eſt. Orcæ vaſa olearia, à ſimilitudine orcæ marinæ beluæ. Sunt etenim teretes atq; amphoræ ſupernæ. Ampullam oleariam Apuleius in ſecundo Floridorum pronuntiauit.

De officio capulatoris, & cuſtodis. CAP. VII.

NVNC de capulatoris, ac cuſtodis, ex M. Catone, officijs, quæ ipſe nobis tanquam formulas quaſdam faciundi dei præſcripſit. Eſt autem capulator, vt à diffinitione incipiamus, ex rei agriculturæ autoribus, qui capulis oleum deplet: & capulo verbo etiam hic vtitur: cuius officium eſt ne ligna in torculario cædat, ſed oleam frequenter capulet. Capulæ Varroni vaſa ſunt, à capiendo dicta, quòd capi facilè poſſint, quòd anſatæ. Capulatoris autem officia, hoc autore, hæc ipſa erunt. Seruet diligenter cellam & torcularium, caueat quàm minimùm in torcularium & in cellam introeatur. Quàm mundiſſimo puriſſimoq; fiat vaſe aheneo, neq; nucleis ad oleum vtatur. Nam ſi vtatur, oleum male ſapiet. Cortinam plumbeam in lacum ponito, qua oleum fluat. Vbi autem factores vectibus preſſerint, continuò capulator concha oleum quàm diligentiſſimè poterit, tollat, ne ceſſet. Amurcam caueat ne tollat. Oleum in labrum primùm indito, inde in alterum dolium indito. De ijs labris fraces, amurcamq; ſemper ſubtrahito. Cùm oleum de cortina ſuſtuleris, amurcam dehaurito. Cuſtodis autem officia hæc etiam, eodem doctore, ſunt: quæ in torcularia vaſa erunt, pura habeat, curetq; vti olea bene perficiatur, beneq; ſiccetur, ligna in torculario ne cædat: oleum frequenter capulet. Factoribus in ſingulos factus olei, ſextarios & in lucernam quod opus ſiet. Fraces quotidie eijciat, amurcam commutet vſqueadeò, donec in lacum, qui in cella eſt, poſtremùm peruenerit. Fiſcinas ſpongia effingat. Quotidie lacum oleo commutet, donec in dolium peruenerit. In torculario & in cella caueat diligenter, ne quid olei ſurripiatur, quod præcipuum erit eius officium, etiam ex eius nominis ſignificatione.

Tempus oliuitatis, & quibus machinis oleum meliùs conficiatur. CAP. VIII.

OLEVM augeri Plinius ſcribit ab Arcturi exortu ad decimumſextum Octobris Calendas, & cùm ſitienti imbres copioſi acceſſere, in oleum vitiari amurcam, cuius color oliuam cogit nigreſcere: vnde hominum error falſus, exiſtimantium hoc maturitatis initium fore, quod eſt vitij proximum. Sequens verò quòd oleum creſcere oliuæ carne arbitrantur, quum omnis ſuccus abeat in corpus, & lignum intus grandeſcat. Ergò tum maximè rigantur. Quòd vbi imbres acceſſerint, oleum abſumitur, niſi ſecuta ſerenitate, quæ extenuat corpus. Paxanus autem è Græcis, tempus oliuitati ſtatuit idoneum, quum plus parte dimidia baccæ nigruerint. Quod deſcribit Ouidius, cùm in ſua Metamorphoſi ſic ait:

Ponitur hic bicolor ſyncera bacca Mineruæ. *Metam. lib. 8.*

Tunc enim oliuarius ex agro in prælum ſolidatum, onus progerit antequàm gelent frigore. Sic enim largiores partus matres poſteà miniſtrabunt, & baccæ copioſiùs oleum fundent. Columella verò poſt menſem Decembrem circa Calendas Ianuarias diſtringendam dicit oleam: verùm certior erit ratio ex coloris mutatione, quum, vt ipſe ait, incœpit nigreſcere, & variam vocat: quæ tunc certè erit aut præcocius, aut ſerius ſecundum regionum differentias. Oleo autem conficiendo ex Columella molæ vtiliores ſunt, quàm trapetum, cuius inuentor fuit Ariſteus Athenienſis, Liberi Patris filius: Trapetum autem vtilius quàm canalis. Etenim molæ quam facillimam patiuntur adminiſtrationem. Quando verò pro magnitudine baccarum vel ſubmitti, vel etiam eleuari poſſunt, ne nucleus, qui ſaporem olei vitiat, confringatur, rurſus trapetum plus operis, faciliusq; quàm ſolea & canalis efficit. Eſt & organum erectæ tribulæ ſimile, quod tudicula vocatur. Idq; non incommodè opus efficiet, niſi quòd frequenter vitiatur, & ſi baccæ pluſculum ingeſſeris, impeditur. Pro conditione tamen, & regionum conſuetudine, prædictæ machinæ exercentur. Sed eſt optima molarum tum etiam trapeti ratio. Hæc ex Columella, quæ ſicut ille, antequàm de oleo diſſererem præfari neceſſe habui. Sed iam quod polliciti ſumus, exequamur.

Olei faciundi ratio. CAP. IX.

IGITVR vbi olea matura & diſtricta quam primùm erit, cogi oportebit. Quàm minimùm enim in terra & tabulato eam eſſe expediet. Celeriter enim concaleſcit. Quòd ſi in his diu permanſerit, putreſcit. In tabulato autem vt multum ſit, & fracida fiat, vt faciliùs liqueſcat, deſyderant factores. Quòd ſi contigerit, hæ incommoditates erunt, vti calore fraceſcat, & ob id minùs olei fiet, idq; etiam deterius. Omni quippe hora oleũ decreſcit, augetur amurca, quæ oleo inimiciſſima eſt. Quæ ſi in bacca vtiq; remanſerit, olei ſaporem corrumpit. At illa etiam pluuijs hyemalibus plus amurcæ concipit. Agricolarum autem pleriq; ſi ſub tecto bacca in tabulato deponatur, oleum creſcere crediderunt: quod tam falſum, quàm in area creſcere frumenta. Hoc autem mendacium M. Portius Ca-

to ſic refellit. Ait enim in tabulato corrugari oliuam, & minorem fieri. Propter quod cùm facti vnius menſuram ruſticus ſub tecto repoſuerit, & poſt multos dies eam molere deſyderauerit,oblitus verò prioris menſuræ,quam intulerat, ex alio aceruo ſimiliter ſepoſito, quanrum cuique menſuræ defuit, ſupplet. Eoq; facto, videtur plus olei quieta quàm recens bacca reddere: cùm longè plures modios acceperit. Attamen ſi id maximè verum eſſet, nihilominus ex pretio viridis olei plus mali, quàm ex multitudine contraheretur: quod & Cato dicit. Et ſi quidem quicquid ponderis, aut menſuræ, oleo accedit, ſi portionem velis in factum adiectæ baccæ computare, non prouentum, ſed detrimentum ſenties. Quapropter dubitare non debemus, oliuam lectam, primo quoq; tempore commolere, præloq; ſubijcere, vt non minimus error in tabulatis ſeruandi,nec priuſquàm ſudet,premendi. Vbi autem diſtricta fuerit,ſubſtratis tegetibus,aut cannis, expandi,aut cribrari debet,quò aquoſitas ex ipſis reſiccetur, & à folijs, & virgultis purgari. Hæc enim commiſta, olei diuturnitati obſunt,& ſtercore coinquinata lauari,ne ex multa caliditate & ſordibus,aliqua noxa accedat.Aceruatim autem congeri,per ſingulos dies ſolet,vti ibi mediocriter fraceſcat, & ſiccari triduo aut quarto die, ſi gelida erunt. Quod ſi maturè nequeas conficere, in aceruis iactando, ventilare oportet: pòſt primus quiſq; aceruus demittitur, & per ſcrias ac vaſa olearia ad trapeta, vbi teratur, in fiſcinis nouis includi debent, vt quantum poſſit pauliſper exprimatur. Poſteà reſolutis corticulis,emolliri debebunt, adiectis binis ſextarijs integri ſalis in ſingulos modios, & aut regulis, ſi regionis conſuetudo erit, aut certè nouis fiſcinis ſampſæ exprimi. Quod deinde primùm è cortinis defluxerit, in rotundum labrum,quod melius erit,quàm plumbeum quadratum vel gemellar ſtructile protinus capulator depleat, & in fictilia labra, huic vſui præparata, defundat. Nam æreis & plumbeis vitiatur oleum. Quippe in amurca & fracibus quàm diutiſſimè deterrimum fit: quare ſæpiùs,vel, vt Cato voluit, bis in die decapulandum. Sint autem in cella olearia tres labrorum ordines, vt vnus primæ preſſuræ oleum recipiat, alter ſecundæ, tertius tertiæ. Nam plurimum refert, non miſcere iterationem, multoq; minùs tertiationem, cum prima preſſura, quoniam longè melioris ſaporis eſt, quod minore præli vi, quaſi lixiuium defluxerit. Cùm autem in primis labris oleum conſtiterit, eliquare id capulator in ſecunda labra debebit, & deinde in ſequentia vſq; ad vltima. Nam quantò ſæpius tranſlatione ipſa ventilatur,& quaſi exercetur,tantò fit liquidius, & amurca liberatur. Sat autem erit, in ſingulis ordinibus tricena componi labra, niſi vaſta fuerint olieta, & maiorem numerum deſyderauerint. Vitiatur etiam cortinis & conchis feruentibus,ideoq; clauſis torcularibus,& quàm minimè ventilatis,vt nec etiam lignum ibi cædi debeat, vt bis iam ſupradictum:qua de cauſa ignis ex ipſarum nucleis aptiſſimus.Poſtea inuentum eſt,vt lauentur oliuæ,vtiq; aqua feruenti, protinus prælo ſubijciantur ſolidæ,ita enim amurca exprimitur, mox fractæ trapetis premantur. Quidam quamuis diligentes olearij,baccam integram prælo non ſubijciunt,

quòd

quòd exiſtiment aliquid olei deperire. Nam cùm præli pondus accepit, non ſola exprimitur amurca,ſed & aliquid ſecum pinguitudinis attrahit. Quòd ſi frigoribus,oleum cum amurca congelatur, pluſculo ſale cocto vtiq; vtendum eſt. Ea enim res oleum reſoluit, & ab omni vitio ſeparat. Neq; verendum eſt, ne ſalſum fiat. Porrò quantumcunq; ſalis adieceris, nihilominus ſaporem non recipit oleum. Solet autem ne ſic quidem reſolui,cùm maiora frigora inceſſerunt:itaq; nitrum torretur,& contritum inſpergitur,& commiſcetur. Ea enim res eliquat amurcam. Plinij autem tempeſtate exilibus regulis pede incluſo fieri oleum inuentum eſt.Vulgò non amplius ſenas libras ſingulis modijs exprimi dicunt. Et nequid lector ignoret,aut aliunde exquirere habeat,factus dicitur,quod vno tempore conficitur,quem alij centum ſexaginta modiorum,cæteri ita minùs magnum,vt ad centum viginti deſcendant.Plinius ad centum duntaxat, vltra quem iterum premi non probat. Factus tergeminos fore, quaternis hominibus nocte dieq; premi iuſtum eſt. Oleam faciundam, qua lege locare oporteat, & pendentem venire M.Cato, formula quadam, vt apud eum videre eſt,expreſſit.

Oleorum genera. CAP. X.

SVVS cuiq; oliuæ ſuccus eſt, vt tamen ex ea oleum etiam ſucco differat,neq; idem omnibus. Prima enim præli laudatiſſima vnda, lixiuium oleum vocant, non tortiuum, Græcè πρόστροπον. Flos etiam dicitur. Gleucinum Græci dicunt, hoc eſt muſtum,expreſſum ſcilicet antequam oliuæ calcentur. Iteratiuum,quod eſt ſecundæ preſſuræ. Tertiatiuum, quod eſt tertiæ. Fit enim non ita bonum,per diminutiones.Oſtum vocat Varro quod ex vtroq; facto olei reficitur. Fit autem è quàm acerbiſſima bacca, & nondum matura, cùm adhuc alba eſt, quod Græcis ὠμοτριβὲς dicitur, de quo meminit Theophraſtus, de coloribus. Quod etiam ex amygdalis fit,ὀμφάκινον etiam dicitur.ὀμφακας enim illi omnium plantarum immaturos & adhuc acerbos fructus vocant. ὠμὰ enim cruda ſunt. Drupam vocant,oleæ fructum,antequàm tenereſcat. Acerbum autem oleum facere, vt ait Columella, patrisfamilias rationibus non conuenit, quoniam exiguum fluit, niſi bacca tempeſtatibus in terram deciderit,& neceſſe ſit eam ſublegere,ne à domeſticis pecudibus,ferisve conſumatur. Cibarium vtiq; oleum faciundum erit. Nam vbi exeſa vermibus oliua decidit, vel tempeſtatibus, & pluuijs in lutum defluxit,ad præſidium aquæ calidæ decurritur, ahenumq; calefieri debet, vti immundæ baccæ eluantur. Sed id non feruentiſſima fieri oportebit,verùm modicè calidæ,quo commodior guſtus olei fiat.Porrò ſi excoctus eſt,etiam vermiculorum cæterarumq; immunditiarum ſaporem trahit. Sed cùm fuerit oliua lota, reliqua ſicut ſuprà præcepimus, fieri debent. Fiſcis tamen ijſdem imptobum & cibarium oleum premi oportebit. Nam veteres ad caducam oliuam noui, vt idem ait,antè ordinario aptari oleo, ſemperq; cùm expreſſerint,ſtatim feruentiſſima aqua, bis aut ter elui: deinde ſi ſit

profluens impoſitis lapidibus, vt pondere preſſi, detineantur, immergi, vel ſi nec flumen eſt, in lacu aut piſcina quàm puriſſimæ aquæ macerari, & poſteà virgis verberari, vt ſordes fæceſq; decidant, & iterum elui, ſiccariq;. Apud Lyſiam olearum πτῶμα, fructuum delapſum, vel arboris caſum πτῶμα intelligunt. Ex quauis autem bacca bonum & viride oleum fit, ſi tempori te accommodaueris, maximè enim expedit, cùm & ſatis fluit, & pretio penè duplicat damni reditum. Si autem vaſta ſunt olueta, neceſſe eſt, vt aliqua eorum pars maturo fructui reſeruetur. Album oleum Dioſcorides ſic fieri docet. Sumito quod per ſe albeſcat, nec anniculo vetuſtius. In nouum oris patuli fictile ſundetur, & ſub ſolem media quaq; die concha reſunditur, atque ex alto, vt continua volutatione, ictuq; agitatum reſpumet, dimittitur. Sitq; olei heminarum ex centum menſura. Octaua verò die fœnum Græcum quinquaginta drachmarum pondere calida aqua, donec molleſcat, madefactum, in prædictũ oleum, cum eo, quem feret, humore deijcitur, & poſt octo dies oleum iterum concha refunditur. Si perductum verò ad candorem oleum fuerit, in vas nouum, quod antea vetere vino maduerit, reponi debet: ſubſtratis in fundo vaſis, ſertulæ campanæ ſolutis faſciculis drachmæ vndecim pendentibus, cùm pari iridis pondere. Si minùs ad candorem peruenerit, ruſus ſub ſole habendum, & idem minùs vſq; dum inalbeſcat. Sicyoniũ autem oleum ab Sicyone antiquiſſimo Peloponneſi prope Corinthum oppido, in quo primùm inuentum, dictum. In conficiendo verò huiuſmodi ex Dioſcoride ratio fuit: In oris patentioris lebetem ſtagno intus illitum, albi olei quod crudæ oliuæ diſtillauerunt, congius vnus, & aquæ congius ſemis funditur. Lento dein igne leniter mouendo decoquitur. At vbi bis inſerbuerit, amoto igne refrigerandum oleum concha tollitur. Tunc verò adfuſa aqua ſimul iterum conferueſcat, & reliquis, vt præmonſtrauimus, peractis reponitur. Samici olei meminit Antiphanes, quod reliquorum eſſet candidiſſimum. Sabinum oleum ſic à Sabinis populis dictum, apud quos conficiebatur, cuius pluribus locis meminit Galenus, & plurimum laudat, quòd præter alia tenuium partium ſit: quo vtebatur aduerſus ea, quæ diſcutienda erant, propter redundantiam. Oleum cum aqua miſtum Græci ὑδρέλαιον vocant. χύτλον oleum quo luctaturi perungebantur, & κήρωμα, & πάτος dicebatur: verùm hoc vltimum propter cœnum atq; ceromati permiſtum. Thuris confecti quod cæteris differat, Græci vnum genus faciunt.

De purgando à vitijs oleo. CAP. XL

OLEVM autem, veluti reliqui liquores, vitia non pauca patitur. Quod tam ex confectione ipſa, cùm improbè facta fuerit, quàm acquiſititia natura, & multis alijs obuenientibus rebus contingit. Quibus verò noxis, vt cæteris in mul[illegible]rebus alijs, medetur. Primùm enim ſi ſordet, toſtos, & adhuc calentes ſales inijcere Tarentinus iubet, & diligenter operiri: ita enim expurgatum iri poſt exiguum tempus pollicetur. Liberat etiam ab illo

illo vitio pinea nux, ſi igne candens oleo reſtinguatur. E ſordido etiam pellucidum facies, ſi oleæ corticem, & ramulos cum ſale tuſos, & ſimul illigatos, in vas olei continuè ſuſpendas. Citri etiam radix in oleum demerſa illud emendat. Oleum item, quod ſuis torridis fracibus inuſtum fuerit, limpidius eliqueſcet. Rancidum verò Tarentinus purgari ſic poſſe aſſerit, ſi cera alba, mundo & optimo oleo reſoluta ſit, & adhuc coctura liquens, in oleũ mittatur, & ſales fricti & calentes addantur. Hac etenim ratione fieri, vt oleum improbo ſapore purgetur, ac malum mutet odorem. Neq; ignorandum eſt, eam eius eſſe naturam, vt ſale, atq; igne curetur, item aqua feruenti, ſi ſimul miſceatur. Vaſa etiam rancida immerſum aniſum curat. Oleum etiam non rauceſcit, in quo prius aniſum maduerit. Fœtidum oleum curabis, ſi oliuas virides, reiectis nucleis, contuſas, in oleum mittas. Quod ſi per tempus id non poteris, oleæ teneros ramulos contuſos immittes. Alij lateres aſſatos, & ignitos injiciunt, aut panes hordeaceos aridos confringunt, & in linteo apprimè raro inuolutos demittunt, atq; vbi iterum atq; denuò fecerint, ſalis grana indunt, & in vas purum injiciunt. Alij melilotum oleo illitum per diem ac noctem in oleum demittunt.

Oleum vbi melius aſſeruetur, & de nonnullis eius vitijs purgandis. CAP. XII.

ARISTOTELES, vti etiam retulit Plutarchus, oleum in dolijs inopertis melius ſeruari ſcribit, aëriq; aſſignat bonitatem. Sic enim plus illi adeſt, meliusq; vim eius exerit ſuam, vbi inanius dolium ſubit. In vitro optimè conſeruatur, vt pote quod natura frigidum ſit, vt propterea ſympathia quadam frigiditatis gaudeat. Quòd ſi vitrea vaſa non habeat, in noua fictilia, intrinſecus gypſo tincta condes, ipſaq; ad Septentrionem, ſiccis locis expoſita ſint. Nanq; & frigida, & ſicca loca, oleo gratiſſima conſtant. Contrà verò calida, & humida, oleo contraria, atq; inimiciſſima. Si autem aliquod animal deciderit, ac oleum putredine, ac nidore vitiarit, iubent Græci coriandri manipulum in olei metretam ſuſpendi, atque ita ibi paucis diebus permanere. Quòd ſi fortè nihil de nidore excuſſerit, demutandum iterum coriandrum erit, donec hoc vitium ſuperetur. Multum itaq; proderit, in vaſa noua & munda poſt ſenos dies transferre, idq; melius, ſi ea aceto antè inunxerint. Alij fœnigræci ſemen ſole deficcatum, atq; tritum miſcent, vel incenſos oleaginos carbones in ipſo oleo ſæpiùs extinguunt. Si verò acerbus olei odor erit, vuæ excrementa, quæ Græci γίγαρτα vocant, tuſa, & in maſſam redacta, demergunt. Nonnulli vuas paſſas, vinaceis exemptis, terunt, & immittunt, & poſt decem dies eximunt, & exprimunt, & agitatum oleum in aliud vas transfundunt. A pinguitudinis autem vitio ſale vindicatur. Oleum ſol candefacit, quod terrenam partem, quæ nigredinis cauſa eſt eximat. Auienus Diſarium apud Macrobium percunctatur, cur eſt, quòd olei vas diutinè ſemiplenum cuſtodiatur, & oleo ſuauior ſapor concilietur, quod contrà in vino eſt. *Saturn. lib. 7. cap. 12.*

eſt. Cuius talem rationem eſſe vult, quòd oleum ſupetuacuo humore deſiccato,veluti mucore,qui in eo latuit,abſterſo, nouam acquirit ſaporis ſuauitatem. Inſuper optimum ſit,quod ſupernatet. Quærit etiam Ariſtoteles, cur inueteratum oleum recentiori candidius ſit? Quòd ſcilicet nigredinis cauſa humor ſit,qui in recenti magis continetur, & tempore prouectis parciùs, propter euaporationem in ſuperficie reſidet. Euaporatur enim vel vetuſtate,vel ſole.

De olei in lotione vſu,& de adagio,Vt in velabro olearij.

CAP. XIII.

OLEI præter etiam rem ipſam medicam plurimus vſus, quod omnes ipſo vſu experiuntur, qui tantus, tamq; in rebus multis,vt eius commoditates,eiusq; multiplices vtilitates enumerare perdifficile ſit: cuius tamen nonnullas, atq; item paucas adferre,non inconcinnum erit,ne illotis ſaltem manibus, pedibúsve (ne dicam toto corpore) ad eas tranſeam, cuius lotione non contenti athletæ, ni totum corpus abluant. Nam luctaturi eo perungebantur, vti eius vnguinis lubricitate difficilior foret inuicem brachiorum connexio: vt luctæ ſuccurrere dicat Philoſtratus, apud cuius icones, pictor appoſitè ramum oleaginum in Palæſtræ Mercurij filiæ & luctæ inuentricis nudo ſinu locauit. Cuius verò vnctionis & ludorum Olympicorum inuentor Hercules extitit, in quibus luctatores oleo oblinerentur. Quod teſtatur Lucanus:

Lucan.lib.4. *Ille Cleonæi proiecit terga leonis,*
Antæus Libyci perfudit membra liquore
Hoſpes Olympiacæ ſeruato more palæſtræ.

Hæc in Antæi & Herculis pugna. Propterea Anacharſis Scytha, oleum inſaniæ pharmacum eſſe dicebat, quoniam eo peruncti athletæ feruentiùs inuicem inſanirent. Vſum eius ad luxuriam vertiſſe Græcos,omnium vitiorum inuentores,in gymnaſijs publicando,Plinius autor eſt. Romani etiam veteres oleo inungebantur, quòd is liquor foris gratiſſimus ſit, veluti vinum intus. Quum autem Epaminondas impenſarum rationem coquum collegis reddere iuſſiſſet, & olei multitudinem moleſtè tuliſſet, admirantibus illis ait: Non impendij magnitudo me mouet, ſed quòd tantùm olei intra corpus receperint. Porphyrius in libris, quos de abſtinendo à carnibus ſcripſit, vt eſt apud Euſebium de præparatione Euangelica, Eſſæos è Iudæorum genere vngi oleo non pati ait. Quòd ſi quis oleo tactus fuiſſet,diligenter,tanquàm à magna corporis macula,corpus abſtergebatur,quòd eos corpore aridos,non molles, fore oporteret. Velabrum,autore M.Varrone, Romæ locus, in quo olearij oleum diſtrahebant. Mos autem huic hominum generi fuit, vt inter ſe de prerio conſpirarent,quo pluris venundarent,vnde tractum adagium,Vt in velabro olearij. De his autem dicitur, qui conſpirant, remq; ex compoſito gerunt. Plautus in Captiuis:

Vna res, omnes compacta rem agunt, quaſi in velabro olearij.

Olei

Olei natura, à qua adagia plura deſumpta. CAP. XIII.

HOMERVS ingenioſum vertex, inter tot liquores, qui ex fructibus quos terra parens nobis producit, ſolum oleum ὑγρὸν, id eſt, humidum, ſiue liquidum dicit. Quate ſic Plutarchus optimus huius rei & grauis interpres, in Sympoſiacis rationem reddit, Quòd videlicet in oleo nihil aſperum ſit, vt ne ad motum quidem percuſſum, quemadmodum cæteri liquores, ſtrepat: vt quod cum igne minimè luctetur, verùm illum tacitè paſcat. Nec alius liquor, qui tam latè diffundatur, etiam ſi corpori inungatur, aut ſerius ſiccefcat: redditq; etiam imagines, ſpeculorum more. Tranquillitatis etiam nomine, eius natura in infinitũ commendata eſt, vti mare, omnium rerum ſæuiſſimum tranquillet. Atq; ob id vrinatores ore oleum ſpargere aiunt, quòd mitiget elementi naturam, lucemq; deportet. A qua quidem natura tractum adagium, Oleo tranquillior. Plautus in Pœnulo: ita hanc ego canem faciam tibi oleo tranquilliorem. Oleum in auricula ferre dicit Martialis:

Narratur quidam belle dixiſſe Marulle,
Qui referre oleum dixit in auricula.

Quod in aſſentatores quidam referunt. Faciem purgat: vt Plautus in Truculento, de amica pulchrè compta dicat:

Feruide ni tota floret, vt oleum nitide nitet.

Nam rebus omnibus nitorem & lucem addit. Vnde tractum adagium, Oleo nitidius. Humidis autem permiſceri nullis oleum patitur: quia lentum, ſuiq; pertinax eſt. In partes verò diuiduas ſecari non ſinit, reliquiſq; commiſceri liquidis. Multum ſpiritus habet, pingue enim eſt, vt propterea neq; terrenæ, neq; aqueæ ſubſtantiæ, ſed aëriæ perhibeatur: ex quo fit, vt per ſumma aquæ fluitet, & leuitatis indicium præbeat. Propterea non congelaſcit, prohibente calore, ne cogatur. Pix oleo extrahitur, quando vtrunq; pinguis ſit naturæ. Simul enim ſolum calci miſcetur, quando quidem vtrunque aquas odit. Inter omnes liquores non alius, qui æquè magis tepefaciat, aut molliat, & leniat, cùm corpori inungitur, quàm oleum. Contra verò algores, vt generalius de eius natura ac vi diſſeram, munit, & corpus à petrifictionibus tuetur, & gelicidioſum noxis aduerſatur. Nam vbi corpus arefactum fuerit, dulci oleo inungitur, quod vtiliſſimum erit, vbi cutis, vel à frigore, vel à medicamenti adſtrictione denſata fuerit, ſiue eroſione, ſiue acrimonia, vel ab humore pruritum inducente, idq; præſertim ſi in balneo, vel pòſt, id fiat. Vnguentarij odores in oleo reponunt. Nam odorem oleum ſeruare, omnium maximè poteſt, atq; incommutabile permanet, quod craſſius ſit. Qui autem ferrum remollire cupiunt, oleo tingunt. Exiſtimatur & ebori à carie vindicando vtile eſſe. Vrbis quidem (vt ſcribit Plinius) anno quingenteſimoquinto, Appio Claudio Cæci nepote, & L. Iunio COSS. olei libræ duodenæ aſſibus veniere. Et mox anno ſexcenteſimooctogeſimo M. Seruius T. F. ædilis curulis, denas olei libras ſingulis aſſibus populo Romano per to- *Plin. lib. 15. cap. 1.*

tum annum præſtitit. Minùs ea miretur,qui ſciat poſt annos XXII.Cn. Pompeij quarto Conſulatu oleum prouincijs Italiam miſiſſe.Notũ etiam fuit, magiſtratus honoris octogenis ſeſtertijs olei ſtrigmenta venditaſſe. Fuit olim Romæ Saturni ſimulacrum oleo plenum. E taberna autem meritoria trans Tyberim, Auguſti temporibus, oleum è terra erupit,ac toto die nulla intermiſſione fluxit.Quo ſignificata fuit IESV CHRISTI erga gentes gratia,& natiuitas.Quærit Alexander Aphrodiſæus cur epotum oleum vomitum,potiſſimum flauæ bilis,moueat? Quòd ſuaptè natura ſemper ad ſuperiorem locum tendat. Quotiens enim cuiquam humori permiſcetur, ad ſuperiorem ſeſe recipit ſedem, innatatq́;, & cibos ad ſtomachũ inuitat,effertq́;: quibus aggrauatus & oppreſſus vim excernendi ad emouendum incitat: præſertim verò flauam bilem,quòd leuis hæc,atq; tenuis ſit,idcirco facilius ſuperiora petit. Frigore & gelu craſſeſcit. Temporis enim calore,vt in æſtate,& cæteris calidis temporibus, liquidius eſt. Poſtremum illud ex Plutatchi Sympoſijs addendum, quòd olei ſuprema regio melior ſit. Nam imum ab amurca turbatur. Summum verò melius,quod longiſſimum à nociua parte,nec ſua ſpiſſitate ab aëre læditur. Nouum præſtantius, cui ſenium inutile. Tranſpiratu enim carens ob lentitiam inueteraſcit.

Oleorum vis medica. CAP. XIIII.

OLEVM & ſalem emere oportere Ariſtoteles autumauit, quòd opus eſſet remedijs contrarijs. τὸν ἔλαιον καὶ τὸν ἅλα δεῖ ὠνεῖσθαι.De olei natura,vſu,ac ratione,quàm plura Galenus Pergamenus in ſuis libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus: vt ſi in omni re medica fuit diligens, in olei ratione potiſſimùm, cum Archidamo & Diocle negotium agens. Oleorum pluta genera ſuprà oſtendi, item etiam plures differentias, ſecundum quas illorum etiam diſſentientes virtutes. Prima enim iudicanda erit ex ætatum varietate, vt cùm recens eſt, & velut muſtum, aut etiam ætate vigens, vel etiam ſenio. Item ex præparandi ratione. Cùm enim aut ſolum ſimplex, & impermiſtum, aut cum ſale præparatum, ſecundum ipſius fructus diuerſitatem, cùm is vel maturus, vel immaturus fuerit, moderatè calidum eſt, & magis humectans. Quòd autem calidum ſit, vtique energia comprobatur. Nam celerrimè inflammatur, propterea cùm corpori noſtro admouetur, calefacit. Dignoſcitur autem caliditatis eius quantitas guſtu. Quod enim adamuſsim dulce eſt, mediocrem habet caliditatem. Tenue etiam exiſtimatur, ſi intuentibus quàm maximè lucidum videatur, idq́; purum eſt, & pro optimo iudicandum, & olei vi pollere. Hoc autem latiſsimè per cutem effuſum ſibijpſi continuum permanet, & facilè ante, quàm diffundatur, cutem penetret. Porrò oleum pingue viſcoſitate deprehenditur. Vetus autem quantò diutius reſeruatum ſit, tantò acrius calefacit,& magis diſcutit,præſertim verò,ſi à principio tenuium partium fuerit.Vetuſtas oleo tædium plurimum adfert,quod ætatis annuo proui-

da (ſi

da (ſi intelligere libeat) Natura oleo parci noluit, fecitq́; ea neceſsitate promiſcuum. Duritias magis diffundit. Oleum autem ſecundarium, vt inquit Columella, non inſuauis odoris eſt. Quotidianam vnctionem præbere poterit dolore neruorum laborantibus. Oleum enim promptius & expeditius ad obeunda munera reddit. Capitis feruores refrigerat. Aluum læuigat, ſoluitq́; heminæ vnius pondere, cum pari ptiſanæ ſucco, aut aqua potum. Alij, autore Ægineta, per clyſterem duorum acetabulorum pondere inijciunt. Ad tormina calidum ſimul decocta ruta, ſextarijs tribus, potione datur. Ventris lumbricos pellit, idemq́; maximè ilei inteſtini morbo laborantibus. Vim enim emplaſtici medicamenti habet. Exulcerantium quoq; medicamentorum vires permiſtum hebetat. Concoquit, & mouet pus, vulneri tamen cauo infuſum, omnium medicamentum aduerſiſsimum. Quod ſi ita mederi velis, vſu ipſo intelliges, & ſordidum, ac male olens vlcus fieri. Oleum etiam omne ad tuſsim impetum mouet. Oleo veteri oculi ad claritatem inunguntur. Quod ſi vetuſti non ſit facultas, in vaſe ad mellis craſsitudinem & vetuſtatem repræſentet. Decoquitur magis auxiliare, & inclinato morbo ardoribus in febri cum aqua remedium. Veteres autem vſi ſunt, ad quædam morborum genera. Remedia ad aliquot hominum ex oleo morbos recenſuimus. Supereſt enim, vt eius etiam vires erga aliquot animalium infirmitates, & ſi non plures, enumeremus. Boues, inquiente Ariſtotele, pedum dolorem non ſentiunt, ſi eorum cornua, vel pice, vel oleo illinantur. His autē per nares infuſum, donec ructent, inflationem ſedat. Vbi autem bos aqua hirudinem hauſerit, & ea faucibus inhærens, manibus detrahi non poſsit, fiſtulam, vel arundinem inſerito, & ita calidum oleum infundito. Nam eo tactu animal confeſtim decidit. Oleo potu etiam elephantes tela, quæ eorum corpori inhæſerint, eijciunt.

De omphacini & Sicyonij olei natura. CAP. XV.

OMPHACINVM autem oleum, ad multos vſus valentibus accommodatum. Excellit quod recens eſt, & odoratum, ac tenue, & guſtu non mordens. Tale enim in vnguentorum confectione vtile erit: maximè verò quantò vetuſtius, ac pinguius. Nam dum acerbitatem ſeruauerit, miſtæ virtutis erit. Vbi autem hanc ætatem reliquerit, priori aſsimilatur. Guſtus verò eius vim manifeſtat. Calidiſsimum eſt in omni oleorum genere, adſtrictionis tantæ, quantæ frigiditatis particeps, prorſus ad diſcutiendum inutile, ſtomacho tamen vtile. Infricatum, dentium dolorem ſanat, & gingiuarum tumores reprimit, & dentes: ſi ore contineantur confirmat, coloremq́; illorum magis, quàm aliud, cuſtodit. Eo vtuntur, vbi plus æquo caput incaluerit. Sudores poſtremùm cohibet. Incertum enim eſt, ne medici an fœminæ primùm Sicyonium excogitauerint, & vtrum voluptatis magis, quàm neceſsitatis gratia inuentum: quòd plurimum vſus eius mulieribus ad commendandum faciei nitorem ſit: idq́; in Sicyone, vt iam diximus, fieret, propter Corinthias inſignes, & vicinas

meretrices, vt illo irritamento, ac contagio, amatores magis allicerent, & ipſæ magis forma commendarentur. Calefaciendi vires aliquas habet. Febribus item, ac neruorum vitijs prodeſt.

De amurca, & eius vtilitatibus. CAP. XVI.

AMVRCA Galeno ἀμόργη dicitur, alijs τρυγίας, ſiue τρύξ. Nonnulli tragœdiam primùm denominatam dicunt, inter quos Donatus, quòd ſcenici ad perſonarum vſum, ora ſua ea perluerēt. Quod primò reperiſſe Æſchylum aiunt. Et hoc in Arte innuit Horatius:

Ignotum Tragicæ genus inueniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis:
Quæ canerent, agerentq́ peruncti fæcibus ora.

Fæx, ac ſanies olei, amara, & ſedimentum. Fit enim ex aquis; idcirco ſiccitatibus minima, riguis verò copioſa. Vetuſtate enim melior. Cuius vtilitas à M. Catone ſummis laudibus celebrata. Quæ quia, vt M. item Varro ait, ignoratur, à pleriſq; deſpicitur. Eius tamen vim perſpicere facile erit, ſi ex olearibus torcults in agros defluere concedatur. Non enim ſolùm terram denigrat, ſed eius multitudine ſterilem reddit. Verùm is humor ad multas res, tum maximè agriculturæ, vt iam multis locis præmonſtratum, & nunc quoq; non modicè vtilis oſtendetur. Nam amurcam periti agricolæ, tam diligenter, quàm oleum aut vinum rectè condunt. Etenim ij, Catone præcipiente, dolia olearia hac colluunt, agitantq; quoad bene combiberint: futurum enim hac ipſa ratione, vti oleum ampliùs non bibant, ac ipſum conſeruent. Vaſa inſuper ipſa & firmiora, & diuturniora erunt. Et ne veſtimenta à teredinibus, noxiíſve cæteris animalibus, tangantur, & rodantur, amurcam ad dimidias partes decoquūt, & ea inungunt arcæ fundum, & extrinſecus pedes & angulos. Quæ vbi aruerint, veſtimenta reponunt. Et hoc modo ne putreſcat, omnem ligneam ſupellectilem inungito, eritq; abſterſa ſplendidior. Nullius etiam fumi tædio ardebunt codicilli oleagini, neq; cætera alia cruda ligna, ſi ea perſperſa, & in ſole poſita, bene perbiberint. Æramenta etiam omnia, bene antea exterſa contra æruginem, illa inunguntur: vti tamen antè, quàm his vti volueris, abſtergas. Nitidiora verò hoc modo, atq; coloris elegantioris erunt. Subigi etiam areas terendis meſſibus, vt formicæ & rimæ abſint, præcipiunt. Quinetiam & parietum lutum lectoria & pauimenta horreorum frumenti, ſemina item frugum perfundi. Decocta autem, axes, lora, calceamenta, coria omnia. Sic enim meliora omnia fieri. Expreſſa enim olea, quod ſtatim effluxit (humor enim aquatilis eſt) ad partes duas decoquitur. Quod ſupereſt & refrigeratum erit, in vaſa reponunt. Multi in eo muſtum adijciunt. Quidam enim expreſſo oleo, per quindecim dies amurcam cuſtodiunt, poſtea verò quod leuiſſimum & ſummum eſt, deſumunt, & in alia vaſa traijciunt: totidemq́; interuallis duodecies in ſex proximis menſibus id peragunt. Cauent tamen cùm hoc nouiſsimè faciunt, potiſſimùm vt luna ſeneſcente commuteut. Poſtea leui

ea leui igne in ahenis decoquunt, & ad duas partes regerunt, quod ad vſum probè reſeruant.

Amurcæ vis medicæ conſideratio. CAP. XVII.

NVNC ad eius virtutes medicas. Secundi calefacientium deſiccantiumq́; ordinis eſt, eiusq́; intenſi. Sicca enim in corporibus aridis vlcera curat, in reliquis verò intendit, irritatq́;, & exaſperat. Siquidem contrahit, veluti reſina & ſicca pix. Non tamen tantum caliditatis poſſidet, vt palàm mordicet. Terreſtris ſubſtantiæ, multò magis ſi decocta fuerit. Splenis inflammationibus, & ventoſitatibus plurimum vtilis, verùm pulmoni noxia. Decocta autem in vaſe cupreo ad mellis craſſitudinem, adſtringere ſcribit Dioſcorides, & omnem lycij præſtare effectum, ſed efficaciſſimè contra dentium dolores, ac illorum ſtabilitatem. Ad dirupta labra, cum vino, vel aceto, aut mulſo illinitur. Sedis, genitalium, & vuluæ exulceratæ, vtiliter infunditur. Oculorum verò medicaminibus, atq; his, quæ meatus obſtruunt. Cruda enim & recenti, articularios morbos, & podagras foueri vtiliſsimum. At villoſa pelle illita, & hydropicis impoſita, tumoris molem reprimit. Ignibus ſacris infuſa, & quæ ſerpunt pernionibus, nigræ oliuæ vtilior. Linteolis in vulneribus ponitur, luxatis in lana. Si cum omphacino denuò recoquatur ad mellis craſsitudinem, caſuros extrahit dentes. Contra limaces & culices vim habet maximam. Per totum verò corpus pulicoſæ pecudi infuſa remedium eſt. Duabus verò partibus decocta, ouium ſcabiei illitu prodeſt, autore Columella.

De Æthiopicæ oleæ lacryma. CAP. XVIII.

STRABO inſulas tres in Arabia eſſe ſcribit, deſertas quidem, & oleis obſitas, non noſtratibus, ſed indigenis, quas Æthiopicas vocant, perſimiles, Scribonius Largus Græcè ἐλαίας αἰθιοπικᾶς δάκρυον. Plinius verò, ex olea, quæ in mari rubro naſcitur, lacrymam effluere ait, ex qua medicamentum laudariſsimum ad ſiſtendum ſanguinem componitur. Idem alibi ex oleæ Arabicæ lacryma medicamentum confici, quod Græci ἔναιμον appellant, contrahendis vulnerũ cicatricibus efficax. Hæc tamen vox emplaſtris omnibus, quæ vulneribus cruentis protinus admouentur conuenit. Dioſcorides autem tantùm lacrymæ Æthiopicæ meminit, quę oleaſter etiam vocatur. Nuſquam Plinius eandem arborem cum ſuperioribus exiſtimauit. Æthiopicæ oleæ lacryma inter venena connumeratur, ſcammonio ferè ſimilis, fulua, exiguis, mordax, ſtillis conſtans. Quæ verò hammoniaci ſimilitudinem repræſentat, & colore nigreſcit, & guſtu minimè mordax, eſt inutilis. Nam & Paulus & Aëtius hammoniaco tenui ſimilem dixerunt, & vires abſterſorias habere, quam ob rem ad oculorum hebetudines, albugines, cicatrices, vtiliter inungitur. Lepras & impetigines ſanat. Partus ex vtero trahit, menſes & vrinam cit. Dentium cauis indita auxilio eſt.

De oleaſtro, & Appulo paſtore in oleaſtrum commutato.

CAP. XIX.

APPVLVS autem paſtot Nymphas ſaltantes, ſaltu etiam agreſti illas irridens, & obſcœna conuicia ruſtica addens, in oleaſtrum commutatus eſt,

Arbor enim eſt: (inquit Ouidius) *ſuccoq́ licet cognoſcere*
Quippe notam linguæ baccis oleaſter amaris *(mores.*
Metam. lib. 14. *Exhibet: aſperitas verborum ceſsit in illas.*

Græcè κότινος vel ἀγριέλαια. Agrippus apud Lacedæmonas, autore Suida, dicitur. Deputato autem oleaſtro, quod inde gignitur, phaunos appellatur. Streptos dictus oleaſter, cui implicitæ, inuolutæq́; fuerunt Hippolyti habenæ, curtusq́; eius euerſus. Hyrnithion autem locus non procul ab Epidauro oleaſtris conſitus. Huic autem eadem vis, quæ oliuæ vt Plinius vites eius, & quas Dioſcorides oleaſtro attribuit, oleæ aſſignauerit, verùm aliquantò maiores. Serenus quidem ait:

Manſus enim prodeſt ſuccis oleaſter amaris.
Hinc obſcedo fugit, linguæ quoq́ vulnera cedunt.

Folia autem adſtringunt. Trita verò, atq; impoſita, ſacros ignes, vlcera, quæ ſerpunt, quæ Græcis herpetæ dicuntut, carbunculos, paronychia, epinyctidas, nomasq́; compeſcunt. Cum melle autem appoſita panos, inflammationes diſcutiunt. A capite vetò auulſam cutem conglutinant. Commaducata enim oris vlceribus medentur. Elephantes autem, ſi chamæleontem deuorauerint, qui his adeò infeſtus, vt venenum ſit, ſumpto oleaſtro, tam acerbiſſimæ peſti medentur. Oleum eius, oleæ amarius. Non ſimplicem temperaturam obtinet. Adſtingit ſimul & extergit, calidiſſimumq́; eſt, ex omni oleorum genere, tantùm ad medicamenta vtile, vſqueadeò ad id efficacius. Illo autem ad multos effectus os colluitur. Potrò dentium mobilitates confirmat, humidis gingiuis, atq; illarum diſtillationibus vtile. Oportet enim lanam ſpecillo citcumligatam oleo madefacere, & gingiuis vſq; dum albæ ſpectentur, admouere. Gratam enim oleaſtri frondem capris eſſe Lucretius oſtendit, qua homini nil amarius:

Barbigeras oleaſter eo iuuat vſq́ capellas
Effluat ambroſiam, quaſi vero nectare tinctus.
At nihil eſt homini fronde hac, quod amarius explet.

Præfatio libri vigeſimitertij.

HOC *libro de malis & pyris tractabimus, quorum multa genera, plures item nomenclaturæ, propter immutata apud diuerſas regiones nomina, quæ omnia recenſere perdifficille foret. Hoc autem prouincias omnes apud quas proueniunt inuiſere, & ibi omnia diligenter perſcrutari eſſet, vt inde tamen minima vtilitas ſubſequeretur. Et vt generalius loquar fructuum omnium plures differentiæ. Quod in nonnullis expreſſit Verg.*

Præterea haud genus vnum, nec fortibus vlmis,
Nec ſalici lotoq́;, nec Idæis cypariſſis.
Nec pingues vnam in faciem naſcuntur oliuæ,
Orchades & radij, & amara pauſia bacca,
Pomaq́; Alcinoi ſyluæ, nec ſurculus idem
Cruſtumijs, ſyrijsq́; pyris grauibusq́; volemis.

Mutarunt etiam fructus ferè omnes priſcas appellationes, quas & illis reddere non facile eſſet. Ego tamen antiquas referam, & plures è recentioribus è quorum etiam deſcriptione, in nonnullis, quis diligens priſtina nomina, in nouis agnoſcere poſſit: etenim fructus omnes ex communi gentium denominatione non ſpeciali cuiuſdam affectione, nominandi. Quod faciebat quidam ſubdolus agricola Pariſienſis. Is enim inſitas arbores loco publico apud aream palatij vbi venundari ſolent, venditabat, quæſtum ex his faciens. Quum autem pyrum cuidam ciui vendidiſſet, vt carius venderet, genus ementitus, vt chriſtianorum aſſereret, quod pretioſum apud Gallos eſt. Ciuis autem in ſuis hortis inſitum plantauit, & ex illius fructu, per tempus ſe deluſum cognouit. Quum autem fortè illic agricolam plantas item vendentem reperiſſet, illum & mendacij ac furti coarguit. Quem agricola cuius generis interrogauit: & cùm ille generis vilioris nomen indicaſſet, Vocites quomodo volueris, reſpondit, Chriſtiana enim voco. Interuertebat enim hic communem appellationem, quo ementes falleret: facile enim in arborum ſurculis, niſi fuerint benè experti, quenquam eſt decipere. Folijs verò ac cortice, & tota arboris facie etiam abſq; fructu plantam docto inſitori cognoſſe non difficile eſt.

HORTORVM LIBER VIGESIMVSTERTIVS.

De malo, & eius apud antiquos generibus. CAPVT I.

APVD Sicyonios Veneris templum fuit, cuius ſedens ſimulacrũ Canarchus Sicyonis fecit, ex auro quidem & ebore. Palum in capite gerit, altera manu papauer, altera malum. De generali autem mali appellatione ſuprà dictum eſt, quæ cùm ad pluria genera extenditur, de quibus nonnullis infra ſpeciatim dicetur. Nunc verò de his, quæ vulgo poma vocamus. Nam etiam genus pomi malum dicitur, quod Græci μῆλον dicunt, de quo infra. M. enim Varro de lingua Latina, Æoles μᾶλον vocare ſcribit: & melophori apud Perſas dicebantur ſpiculatores & ſatellites, quod thoraces, in quibus malorum effigies expreſſæ forent, ferrent. Ex quibus mille ſelecti, regis cuſtodiæ deſtinarentur. & philomeli dicti, qui auidè mala comederent: qualis memoratur princeps Gordianus iunior, qui cùm eſſet in omni ciborum genere parciſſimus, pomorum tamen aliquid ſemper deuorauit. Conſtantius etiam princeps (referente Ammiano) quoad vixit pomorum aliquid ſemper deguſtauit. Et quod ad arborem ipſam attinet, Græcis μηλέα dicitur, omnibus quidem, propter eius apud gentes fermè omnes ortum, notiſſima. Caudice recto, quæ corticis læuore, præſertim dum tenera eſt, nitet. Cui folium mucronatum. In mali quodam genere in fructu ipſo atq; in medio parua emicant folia. Flos rubeſcens & albicans. Iulus lanugo in malis ipſis vocatur. Multa eius genera, vt nec plura in quouis alio arborum omnium genere reperiri ſit. Nonnulla etiam nomen à figura, alia à colore, magnitudineq;, à ſapore etiam & natura, apud antiquos ſumpſere. Ferendum enim ſanè fuerat (inquit Plinius) exquiſita naſci poma, alia ſapore, alia magnitudine, alia monſtro, pauperibus interdicta. Orbiculata ab orbis figura in rotunditatem circumacti. A mammarum verò effigie, orthomaſtica dicta ſunt, ſtolidè tument pulmonea. A natura Columella lapidoſa vocat, in quibus reperiuntur calculi. A cauſa traxerunt nomina, vt quod gemellum appellatur, nunquàm verò in fœtu ſingulo eſt: germanitate enim ſemper cohæret. Malleſolijs, vnum folium, nonnunquam & geminum è latere medio erumpit. A colore autem ſericata vocata ſunt, rubra Macrobio, quæ & rubelliana, cortice ſanguineo, carne intus

friabili,

friabili, non ingrato ſapore, & ex auſtero ſubdulci, nec citò fugientia. A melleo ſapore melimela, quæ eadem muſtea, à miteſcendi celeritate ſic dicta. Nam M. Varro hæc vocari melimela dicit, à quibuſdam glycymela, compoſito à dulcedine & mali nomine. Valerius autem Martialis feſtiuè iocatus eſt, Mala cydonia melle condita, vocari poſſe melimela:

Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle Epigr. lib. 13.

Ponentur, dicas hæc melimela licet.

De his etiam ad Mancinum:

Dulcibus aut certant quæ melimela fauis. Epigr. lib. 1.

Hæc autem mitia à Vergilio in Bucolicis vocari arbitrantur quidam. In his mellis ſapor, in alio natura ipſa innatus, in altero artificio cōparatus. A conditione autem, caſtrati ſeminis Belgæ ſpadonia appellant. A celeri verò prouentu Macrobio præcocia. Plura etiam conditoribus ſuis æternam propagarunt memoriam, tanquam ob egregium aliquod in vita perpetratum. Ergo originem habent à Matio, Ceſtioq;, & Manlio, item Claudio Appio: matia, quæ multis matiana, ceſtiana, manlia, claudiana, appiana. Odor verò his cotoneorum, magnitudo quæ claudianis, rubeus color. Sunt & ſeptiana ab inuentore libertino, inſignita rotunditate. Sunt & alio genere, vt Columellæ, & Macrobio ſcandiana, Cato ſcantiana vocat: hic etiam quiriana, ille verò addidit conimela, conditiua, ἐπιμηλίδα, de quibus infrà, martiana, agrana, profina, ſirutia. Celerrimè in rugas marceſcunt pannucea. Græcis alia fuerunt genera. Polluci enim quædam φαύλια dicta, alij delphica vocant. Athenæus elegantiora ſcribit, quæ Gangris Paphlagoniæ vrbe naſcuntur. Illi etiam corinthia, è vico Sidone celebrant, & laconia, & erina, à vere, ſicut à lanugine chnodia, Setania & platania, aphroſemela, è dulci auſtera, odorata, carnem aſperam & ſquallentem habent mordia in Apolloniate agro, qui Mordius dicitur. Patrias verò vtrinq; nobilitarunt camerina, & græcula. Daca, viliſſima ſunt, quanquàm primùm maturari properent, decerpantur. Peluſiana, amerina, ſyrica, etiam Macrobio tiburtueriana, ſiue tyburtia, vt ait Horatius, quæ picenis cedunt, vt hic ait:

Picenis cedunt pomis Tyburtia ſucco.

Nam facie præſtant.

Alia noſtra tempeſtatis malorum genera. CAP. II.

HÆC fuerunt, ſicuti ipſe ex antiquis autoribus deprompſi, malorum genera: ſequuntur noſtræ tempeſtatis alia, quæ melius ex vulgari nomenclatura expromam. Antiquorum autem omnium nomen nullum, quod ſciam, apud nos remanſit. Quorum tamen genera, ſaltem omnia, perijſſe, non eſt clari ingenij credere, neq; forſan vllum, ſed illa temporis intercapedine nomina mutaſſe, certo certius exiſtimandum: vt credibile ſit, vnum atque idem genus apud diuerſos nominum differentias ſortitum. Sunt item & aliquot, ſecundum regiones, alia genera, quæ autores rei agreſtis priſci non nouerunt, vt propterea illis nomina non indiderint, tanquam

illis ignota & incognita. Nulla enim ferè regio eſt, quæ hoc arboris genere, & ſi plurimis alijs defecerit, incredibili naturæ beneficio, & illius humanitate, ac frugalitate expers ſit. Verùm veluti apud priſtinos, varia huius ſecundum rationes ſupradictas, fructus appellatio fuerit, ſic modò apud nos infinita remanſit, neſcio an maior. Verùm lectorem minimè grauatum iri, ſi nonnulla noſtræ tempeſtatis genera & nomina oſtendero, vt non minùs ingratus erga noſtros, quàm apud antiquos in huius arboris hiſtoria eſſe videar. Quæ tamen omnia perſequi non facile erit, propter nominum apud quaſcunq; nationes mutationem, vt credibile ſit, idem atq; vnum genus apud plures, varias ſortitum denominationes. Futurum vtiq; eſt, vti ex hac mea deſcriptione, priſtinum nomen à viris diligentioribus nonnullis reſtituatur. Sed vti apud antiquos, pomorum genera omnia, nomina à colore, à forma, à regionibus, à tempore, à ſapore accepere, ſic nunc quoque & apud nos accommodauere. A ſapore enim dulci apud Italos canamela ſiue calamila magnitudine media, colore cùm maturuerunt, luteo, ſaporis iucundiſſimi, atq; odoris gratiſſimi. Paradiſiaca apud Pariſios, parua ſunt, fugacia, & dulcia, & præcoci celeritate. Appiana olim vocata, nunc exiſtimantur, quæ addito mali nomine, malappia vocitentur. Præſtantiſſima nunc quoq; exiſtimantur, vt de his vulgò decantetur, omne malum præter appium malum. Neſcio num genus illud ſit, de quo ſic Plinius: Omnium autem nouiſſimè adoptata, parua, quæ petiſia vocantur, gratiſſimi ſaporis. A cognatione verò, quam cum pyris habent, melappia dicta arbitrantur. Hetruria nunc roſea vocat, apud nos tamen & roſea & melappia diſtinguuntur: Nam roſea, rubriore, & per totum corpus diſperſo, colore ſunt. A pyro tamen dicuntur, à duplici genere pyrorum & malorum, pyromela & malapyra. Ramburea, prægrandia, rotunda, callo fragili, tenero, minimè fugacia. Apud Ambianenſes in Gallia Belgica præcipua: alibi rubelliana vocantur. An ea verò ſint, quæ Columella purpurea vocat, dubitarim. Cortice rubeo, carne intus friabili, ſapore non ingrato. A corni ſimilitudine cornea vulgus Italicum vocat. Apud nos autem maximo honore celebrantur, quæ capendina vocantur. Alij, & melius, vt à forma nomen ſumpſerint, curpendina malunt vocari, quod curto pediculo pendeant, rotunda ſunt, luteo, cùm maturuerint, colore, corporis cartilagine dura, grato ſapore, ſerotina valde. Verùm huius generis plura genera, ſed quod breuius & rotundius, præſtantius, Pariſienſe vocant, aliud maius, quod Neuſtrium vocant: aliud commune multis prouincijs. Alia caſtiniana, guſtu auſteriore, oblonga, mediocri magnitudine, dura, vt caſtaneæ cartilagine, vnde nomen ſumpſerunt. Alia francerina, rotundo habitu, & amplo, duriore callo, modica acerbitate grata, quæ in dulcedinem degenerat: adſeruentur, vt quæ in annum poſſint. A tempore maturitatis Ioannina vocamus, quod circa diui Ioannis Baptiſtæ natiuitatem eſui ſint. Parua ſunt, albentia, citò fugacia, nulla alia dote prædita, quàm quòd prima edantur. Didia etiam in honore ſunt, hæc ampliora, rotunda. Follana etiam plurimùm in honore ſunt, albo callo, carne molli, ac grato ſapore, in multos dies

dies ſerotina. Blandurella, pulchra, rotundiore forma,etiam colore albo nitente cute. Sunt ab Auguſto menſe,alij præpomum vocant, quòd alia pomorum genera præcellat,ſapore ſuaui,ac odoratiori: oblongum eſt,à pediculo in acumen tendens, verum citò fugacius. Patriam nobilitauit quod Suſinum dicitur,à Suſa oppido citerioris Italiæ: paruum hoc, orbiculatum à latere per lineas rubens,gratiſſimi guſtus,per annum durans. Quæ nunc roſea vocamus, nonnulli ea exiſtimant, quæ antiquis pyrotica dicebantur, ſuſinis maiora, à colore rubro, quo maiori parte cernitur,ſic appellata, potetit etiam eſſe illud genus, quod rubellianum vocauimus, nuper ex Italia ad nos tranſportatum ſerotina ſunt, & plurimùm grata. Apud Allobroges celebrantur, quæ girodeta vulgò vocitantur: parua hæc,in latitudinem rotunda, & in rubrum ruſa, multum ſerotina. Hæc ſunt malorum genera, & eorum nomina, quæ noſtra tempeſtate, apud multos, præſertim Gallos, communia ſunt: non quidem omnia, quod referre difficile eſt.

Malorum natura. CAP. III.

DE malorum natura, & ea vi, quæ magis ad eſum pertinet, quàm ad vim medicam, non horum quidem omnium generum vna atque eadem virtus exiſtit. Siquidem aliqua reperiuntur,quæ optimam,mediamq́;, multa quæ malam habent temperiem. Quædam autem citra acorẽ adſtringunt,cætera nocent. Alia item plurifariam officium,multa item multifariam proſunt. Nec enim eadem in omnibus,aut ſimilis vis atq; poteſtas. Sæpenumero circa diuerſa corpora, quemadmodum ipſa virtute contraria diſſident.Audiui à viris præclaris,apud Tholoſates hominem non plebeium fuiſſe,coram quo ſi poma cruda apponerentur, ſtatim deficere:nonnunquam etiam cum vitæ periculo,ni illi extemplo ſuccurreretur. Et vt ad rem reuertar, neq; in malis, fructuum eadem facultas. Omnes enim ſeorſum vſu exploratum habere debent, quid ſibi vtile, quid noxium,quídve iucundiſſimum illis ſit,atque his pro cognita vi, proq́; ſua cuiuſq; ſympathia,vel antipathia vti. Multum inſuper intereſt, quo tempore,quáve ætate & maturitate,eſitati fuerint, crudáne an decocta. Virides etenim fructus magis mouent,quàm ſi ſicci fuerint. Quærit Ariſtoteles,cur poma prius eſitata,non ita repletionis mole reſpondeant,quàm ſi poſt. Quòd cæteris eſculentis, grauius pomorum genus ſit. Idcirco antè ingeſta,ſuo pondere in imum delapſa,ſupernè loci capacitatem deſumpturis cibis relinquant. At contrà ſi pòſt edantur innatant, & partem inanem occupant: quoniam deorſum ferri expeditè poſſunt minime. Sanum inſuper & languentem,vt ait Hippocrates,vexant: quoniam his deuoratis,corpus humorem haurit.In Autumno verò repleri noxium eſt, non ob ſatietatem tantùm, verùm etiam quòd vitioſi humores inde naſcantur,atq; flatum quoq; excitent.

Malorum vis, & natura. CAP. IIII.

SVPEREST vt de malorum vi, ac natura diſſeramus, vt non omnibus tamen hæc æquè omnia reſpondeant. Nam ex ſaporum natura, vim alteram habent peculiarem etiam in generis differentia. In vniuerſum verò quaſdam ſortiuntur virtutes. Siquidem, autore Paulo Ægineta, mala omnia frigida ſunt, atq; in his exuberat humiditas, multoq; magis, quæ ſuapte natura huius habitus ſunt. Nempe & cæteris omnibus magis præſtant: aqua verò in his minimè nocet, quia ſubtilior, citiusq; excernitur, quò fitvt minùs noceant, nec vſqueadeò corporis particulas tentent. Quærit autem Alexander Aphrodiſeus, cur poma noceant? quoniam, inquit, frigida ſunt, ac humida. Porrò quòd huiuſmodi naturæ ſint, hinc liquet, quòd eorum omnium nullus omnino ſuccus diu perdurare, nec vetuſtatem ferre poſſit: aceſcit enim, & corrumpitur, vt in eo vermes creentur. Quadam etiam peculiari proprietate, omnia neruis nociua, maximè verò quæ matura non ſunt. Calculum etiam gignere perhibentur, ſi ad ſaturitatem edantur. Ad animi verò deliquia vtilia ſunt, & cordis debilitatem. Quæ autem nondum ad maturitatem peruenerint, noxium pariunt ſuccum, morbos creant, & horroris cauſas adferunt. Melioris autem ſucci, quæ maturitatem induerint. Nunc ad particulares è ſapore vires. Acria, odorata, & pinguia magis calida. Dulcia verò aquoſa quidem ſunt, idq; temperatè, vt non manifeſtè frigida ſint. Nam cæteris calidiora, faciliusq; aluo tranſmittuntur: præſertim ſi vel elixentur, vel aſſentur. His etiam danda, qui frigidum ventriculum habent, aut qui à venenatis morſi fuerint. Acida frigida ſunt, verùm tenuiter, humorem gignunt improbum, ſubſtringunt, faciliora ſtomacho creduntur. Eligenda autem vbi humores non vſqueadeo craſſos in ventriculo collectos ſuſpexeris. Nam humectando incidunt, & per aluum ducunt. Quæ ſi parum inuenerint, ſtomachum potius adſtringunt. Auſtera enim quid frigidum ſimul & aqueum habent. Stomacho quidem robur adferunt, & ventrem cohibent. Quibus vtendum eſt, vbi ob caliditatem, ſeu inimicum humorem, ventriculus elanguerit.

Malorum, ſecundum aliquot genera, vires, & ex his vino & aceto. CAP. V.

NVNC de quorundam generum peculiari, ex medicorum monimentis potentia. Ceſtiana Galenus, citrà cocturam, auſtera dicit, cocta verò ſtomacho commodiſſima. Coquenda verò, illo præcipiente in olla noua, aqua calida infuſa, & igne ſub ollam iniecto, quo vapor ex aqua calidus ſublatus, cocturam præbeat. Paradiſiaca prægnantium malaxijs expetuntur. Orbiculata iucunda quadam adſtrictione placent, vomitiones & vrinas ciunt. Scandiana & amerina ſtomacho idonea Celſus dicit. Melimela enim ventrē molliunt, ſtomacho accommodata, ſiticuloſa, æſtuoſaq;, verùm non lædunt neruos. Mala iumentis portatu grauia, vel ſi pauca ſint. Siquidem vires, vt Lucianus in ſuo Aſino aureo ait, eorum odo-

ribus offenſi ſatiſcunt, vt ponderi minimè pares ſint. Remedium aiunt eſſe, ſi prius edenda apponantur, aut vtiq; ſi oſtendantur. Malis enim vini proprietas, vt ægris medentes æquè caueant. Draco autem, vt Ælianus in ſcripturas mandauit, poma comeſurus, ſylueſtris lactucæ ſuccum idcirco exorbet, quòd aduerſus inflammationis impletionem adiumentum adferat. Poma autem ex vino vel aqua decoquuntur, vt pulmentarij vicem præbeant. Fit etiam è malo atque ex omnibus generibus vinum, quo vtuntur ſeptentrionales gentes, & apud quos cœli iniuria, vites prouenire minimè ſinit. Neuſtrij in Gallia populi ad id fundos malis inſitis circundant, & ad hanc rem aliquod mali genus ſeligunt, quod forma minimum eſt, ac ſapore dulce. Cantabri ad hoc hortos inſtituunt, apud quos huiuſmodi præſtantiſſimum. Fit etiam è malis acetum, ſiue ex acerbis ſiue ſylueſtribus. In cumulo enim decerpta, per triduum adſeruantur. Deinde in cadum mittuntur, cui fontana, aut pluuialis inijcitur aqua, qui per triginta patens ſinitur, ac ſubinde quantum fuerit ſublatum ad vſus reſeruatur. In arborum autem folijs, & cortice, ac fructuum ſuccis, eadem natura, quæ ex fructuum ſapore conſyderanda. Itaque ſi auſteriora ſunt, aut acidiora, illis ſtomachum, ventremq; exolutum, ac languidum roborare, & vulnera glutinare poteris, & in phlegmonarum principio, influxionem repercutere. Ex genere autem humidarum, incipientes phlegmonæ, & gliſcentes remittere. Gallienus princeps de pomis caſtella fecit.

De malis Syriæ, & Gomorrhæ, deq; prouerbio, Ab ouo vſq; ad mala. CAP. VI.

MAGNVM quidem, & admirandum, quod autores nonnulli, inter quos Iulius Solinus, grauis certè autor, de pomo, quod in ſinu Iudææ Gomorrhæ gignitur, memorant: quod licet maturitatis præ ſe gerat ſpeciem, mandi tamen non poſſit. Nam fauillaceam intrinſecus fuliginem, ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel leui tactu preſſa fumum exhalat, & in vagum puluerem ſatiſcit, & cinereſcit, vt oculis tenus placeant. Id verò multi è noſtris theologis, in memoriam & vltionem criminis poſticæ veneris, quo incolæ regionis Pentapoleos tam fœditer, & communiter laborarunt, eſſe arbitrantur. Ferunt etiam in Syria poma nunc quoq; gigni, quæ paradiſiaca accolæ vocitent, ſatis admiranda. Racematim enim creſcunt, vt ſæpe centum, nonnunquam verò plura ſimul conglobata oui magnitudine ſint. Folliculo prædurо obducta, colore croceo. Decorticata enim dulcem oſtendunt fructum. Arbor autem vltra biennium non permanet, verùm areſacta è radicibus aliam progerminat. Eius verò folia oblonga, vt ſi extendantur, hominis altitudinem excedant. Latitudo verò hominem ferè contegit. Antiquitus autem malis cœnam finiebāt, & ab ouo incipiebant: vnde tractum adagium, Ab ouo vſq; ad mala. Id eſt, ab initio conuiuij vſq; ad finem. Horat. ſatyra tertia,

– Si collibuiſſet, ab ouo *Serm. lib. 1. ſat. 3.*

Vſq; ad mala citaret, Io Bacche, modò ſumma.

Poterit autem quadrare in eos, qui à principio vſque ad finem rem diligenter egerint.

De malis ſylueſtribus. CAP. VII.

MALA ſylueſtria Theocritus ὀρειμαλίδας vocat, id eſt montana mala, & quamuis inter ſe magnitudine, facie, aut colore, nonnullisq́; etiam alijs inuicem diſcrepent, per genera tamen nõ diſtinguuntur. Illis enim nomen tantùm vnum remanſit. Omnibus tamen ſuccus auſterus & acidus, quo omphacinum, ad obſonia, prȩlis præcipuè, aut mola exprimitur, & in cadis obſeruatur. Odore autem acutiora. Aluum ſiſtunt immatura, cocta verò mouent. Quorum ſucci ſi ſumantur, rectam ſpiritus anguſtiam leuant. Stomacho inutilia, aluum, veſicam circumagunt, neruos lædunt. Id peculiare improbitatis conuicium, & vis tanta, vt aciem gladij perſtringant.

De malo cotoneo, ſiue cydonio. CAP. VIII.

GRÆCI cotoneum malum, ſimpliciter μῆλον, id eſt, malum vocant: & ab eo oleum melinum, vinum melinum, ſiue meleum, ſiue μηλίτην, quod etiam cydonites à Cydone Cretæ oppido. Plures codymalum, ſiue cydomalũ. Iulius Pollux malum æſtiuum. Vergilius in Bucolicis mala cana per περίφρασιν vocat, hoc carmine:

Ecloga 2. *Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.*

Amplitudine autem præcipuum, vt ſuo pondere curuatos ſecum trahat ramos, vt nec parentem creſcere ſinat. Perrarò enim hæc arbos ad iuſtam magnitudinem creſcit, nec quidem rectè. Salutatorijs enim virorum cubilibus olim, vt Plinius ait, includebatur, ſimulacris noctium conſcijs impoſitum. Columella genera tria poſuit, Struthia, Chryſomeliana, & muſtea. Quæ omnia non ſolùm voluptatem, verùm etiam ſalubritatem adferunt. Struthia, ſiue vt alij volunt ſtrutea, Dioſcoridi, Galeno & ſequacibus, magna ſunt, & ſuauiora. Nam minori placent acerbitate, minùs tamen vtilia, ſerotino prouentu. At ex hoc genere ſunt ſylueſtria, odoratiſſima, in ſepibus creſcentia. Chryſomeliana, ſiue chryſomela, inciſuris ſunt diſtincta, colore ad aurum inclinante, vnde illis nomen. De quibus Vergilium intellexiſſe volunt, dum ait:

Aurea mala decem miſi: cras altera mittam.

Ecloga 3. Et ſi nonnulli de malo punico interpretentur. Quòd autem mala aurea, cydonia ſint nunc, multi probare ſatagunt, ex Herculis ſigno, ante ætatem noſtram Romæ defoſſo, manu tria mala cotonea tenente: viſitur nunc Romæ in curia Conſeruatorum. Galenus etiam melina emplaſtra vocat, in quorum coctione ærugo admiſcetur, quòd cotonei mali referant colore. Muſtea autem præcocia ſunt, candidiora, noſtratia antiqui nuncupabant. Odoris ſunt præſtantiſſimi. Annumerantur & alia genera,

vti

vti muluiana, quæ ſola ex his vel cruda manduntur. Eſt & Neapolitanis ſuus honos, minora. Aliud genus quod phaulion vocatur. Malum autem cydonium ad odoris ſuauitatem facit, vt Plutarchus autor eſt in ſuis præceptis connubialibus, vti antiquitus, ſponſa cum ſponſo, non prius includeretur, quàm malum cotoneum delibaſſet. Innuens primam gratiam, ab ore, voceq́; ſponſæ, demanare oportere, & bene compoſitam, aptamq́;, & ſuauem eſſe debere, & vti idem in Problematis ſcripſit, primus horũ complexus nihil triſte aut iniucundum habere debet. Adhuc etiam noſtra tempeſtate quibuſdam locis obſeruatum eſt, vt vir nouus, & noua ſponſa ante primos congreſſus bellarijs ex cotoneo malo vtantur. Addit etiam hic ſuo præſtanti odore lethalium venenorum vires retundere, & eorum vehementiam hebetare, ſicut, vt ipſe ait, venenum vendentes rem ita ſe habere depræhendunt. Ad narium etiam odores mala cydonia olfacere bonum, vt ait Ægineta.

Vires. CAP. IX.

MALA cydonia refrigerant, & deſiccant primo ordine. Nonnulli hoc vltimum ſecundo attribuunt. Frigida enim eſſe atteſtatur Macrobius, quòd ſuccus eorum vinũ imitetur ſeu ſimplicia & granata. Stomacho idonea, vt etiam voluit Celſus. Nam illud adſtringunt, & corroborant. Vrinam ciunt, aluum adſtringunt. Quod quidam interpretantur, ſi ante cibum ſumantur. Si verò pôſt, ventrem ciunt, maximè dulcia, quæ minùs adſtringunt, & magis vomitum compeſcũt. Si enim ad ſatietatem edantur, difficilis concoctionis fiunt. Si autem dentibus terantur, & mandantur, vini fumum compeſcunt, vt illius vapore caput lædatur minime. Mirum eſt, quòd multi ferunt, vt ſi mulier prægnans cydonia mala crebriùs eſitauerit, paritura ſit infantem & induſtrium, atque ingenioſum. Cruda cataplaſmatis ad cohibendum aluum, contra ſtomachi ardores, aut ſi in vomitiones effundantur. Ad mammarum inflammationes, condylomata, & præduros lienes adijciuntur. Eadem etiam, ſed matura tantùm, dyſentericis, cœliacis, cholericis, & ſanguinem excreantibus. Non idem poſſe decocta Plinius ſcribit, quoniam amittant illam vim ſucci. Contra toxicum in cibo proſunt, vel cum pulegio & aqua pota. Crudorum item ſuccus, orthopnoicis, lienibus, hydropicis ſumptus prodeſt, & mammis condylomatis, varicis. Per ſe autem durare non poteſt: perbene verò cum melle, vtpote quòd propter virentem adſtrictionem minùs cæteris ſint humida. Cruda etiam cum melle condiuntur. Hæc enim vrinam mouent. Mel autẽ adſtringendi, inſpiſſandiq́; illam vim ſibi acquirit, ſtomachoq́; id vtilius faciunt. Quæ verò cum melle coquuntur, ſtomacho vtiliora, atq; ori gratiora, verùm minùs in adſtringendo poſſunt. Palladius autem huiuſmodi confectionem cydoniten appellat. Fit & ſuccus ex ijs mitis, cum vino dulci tuſis. Vtilis quidem & cœliacis & iocineri. Decocto eorum fouentur vuluæ & ſedes in vtroque ſexu, ſi procidant. Toſta enim accommodatiora habentur. In aqua autem cœleſti, pectori, & febris

bris ardoribus imponuntur. In vino autem & cum cera illita, alopecijs capillum reddunt. Ad ſtomachi dolores, cruda coctáve cerati modo imponuntur. Maceratorum autem liquor vtiliter in ventris, vel ſtomachi diſtillationibus potui dantur. Lanugo eorum carbunculos ſanat. Flos ſiccus viridisve cataplaſmatis imponitur, ijs conueniens, quæ adſtrictionem deſyderant, & ad oculorum inflammationes, & ſanguinis excreationes, ac mulierum menſes. Struthiorum radix (Plinio id prodente) circumſcripta, manu ſiniſtra, terra, carpitur: ita vt qui id faciat, dicat ſe hoc capere, & cuius cauſa. Sic enim adalligata ſtrumis medetur. Cydoniorum verò decoctum ſitim ſedat, illitum verò præcordijs, ſi duro morbo turgent.

De oleo & vino ex malis cotoneis & alijs. CAP. X.

FIT è malis cotoneis & ſtruthijs oleum, per excellentiam melinum, vt ſupra diximus, dictũ. Eligi verò oportet, quæ in humidis nata non erunt, vt placuit Secundo, ideoq; vtiliſſima, quæ ex Sicilia aſportantur, rotunda, parua, & odorata, minùs verò vtilia ſtruthia. Hoc modo ex Dioſcoride. Simul enim commiſcetur olei congius, & aquæ ſextarij decem. Superinijcitur palmæ tuſi corticis quadrans & iunci odorati vncia: quæ vno die macerata decoquuntur. Mox in oris patentioris vas excolatur oleum, & ſuperimpoſita harundinea crate, vel vetuſta tegete, cotonea mala ſuperponũtur, quæ veſtimentis operta, tantiſper inibi dimittuntur, vſq; dum cotoneorum vires ad ſe oleum contraxerit. Cæteri verò mala ipſa pannis, diebus decem inuoluunt, vt coërceatur, nec euaneſcat odor. Tum biduum in oleo dimiſſa exprimunt, & oleum recondunt. Aëtius ſic, vti etiam ex alijs pomis confici dicat. Quæ enim & acerbiora & odoratiora ſint, deligi vult, & abſcindi quicquid lignoſum prope pediculum hæſerit, & intimam cum acinis medullam exteriori recepto cortice, qui acinos concludit. Ineſt enim illi odor ſimul atque vis adſtringendi. Vbi autem in parua fruſtula diſſecueris, horum vncias duas olei omphacini ſextario miſceto, & diebus quadraginta inſolato, poſteà verò reponi oportet. Laudatur potiſſimùm, quod mala ipſa oleat. Tranſit hoc in vnguentum, admiſto omphacino, cyprino, ſeſamino, iunco, caſia, abrotono. Hoc autem prælatum olim in Coo inſula. Habet autem melinum oleum vim refrigerandi, modicam tamen propter vini ſaporem, & efficaciter adſtringendi. Stomacho familiare, quod ex duobus alimentis, oleo ſcilicet, & cydonijs conficiatur. Igitur non ſine ratione inflammato ac debili opitulatur. Irrigatum etiam aut fomentatione illitum hoc firmat. Nam inſidentes humores vehementiùs pellit. Inijcitur etiam per ſedem, quibus colon & craſſa inteſtina, à bili acrimonia produntur. Obſeruandum in primis erit, ne his adhibeatur, qui ob frigiditatem afficiuntur. Facit ad ſcabioſa vlcera, & quæ ſerpunt, perniones ac furfures. Vrinam citatam inditum ſiſtit. Sudores propterea cohibet. Exulceratis vuluis infunditur. Contra bupreſtim, pinorum erucas, & cantharidas vtiliter bibitur.

bitur. Fit etiam ex his vinum, quod Dioſcorides cydoniten aut meliten vocat. Vlpianus verò Iuriſconſultus libro vndecimo Digeſtorum, cydonium vocat. Hoc enim modo ex illo: Seminibus verò exemptis, fruſtatim, taporum modo conſcinduntur. In muſti enim cado, malorum duodecim minarum pondo, per triginta dies demerguntur: dein vinum defæcatum reponitur. Alia conficiendi ratio. Ad mellis enim ſingulos ſextarios ſucci tuſorum cotoneorum preſſorum denos conijcito, & recondito. Alij mala odoratiſſima in dolia conijciunt, & vino ſuper infuſo oblinunt. Quarta die eo vtuntur. Prodeſt enim ad omnia, quæ mala ipſa cotonea, præſertim verò ſtomacho, dyſenteriæ, renum vitijs, vrinæ difficultati, & hepaticis. Cydonia etiam, maximè ſtruthiorum genus, in vino & aqua decoquuntur, pulmentarij vicem implent. Nunc & aliud condimenti genus, cuius eſus inter bellaria & ſecundas menſas, non aliud magis vſitatum, cydoniten Palladius vocat. Quo autore huiuſmodi confectio eſt: Cydonia matura, abiecto corio in tenuiſſimas partes reſcindito, durum quod interius eſt proijcito, dein in melle ad medias decoquito. Dum verò decoquis, puluerifatum piper inijcito. Aliter, Cydoniorum ſucci ſextarios duos, aceti ſeſquiſextarium, mellis duos ſextarios ſimul commiſces, ac decoques ad mellis craſſitudinem, poſteà verò triti piperis & ginziberis binas vncias deijcies. Aliæ ſunt confectiones non paucæ poſtmodum, atq; noſtra tempeſtate paſſim vſitatæ, vſque adeò vt mulierculæ eas nouerint vt ita crebræ ſint, vt confectionem illarum deſcribere, præſertim quòd varia ſit, ſuperuacaneum exiſtimarim, antiquorum confectioni magis inhærens.

De perſico malo. CAP. XI.

PERSICA mala, è Græcis nonnulli ῥοδάκινα, quaſi duracina appellant, nonnulli, vt Athenæo placet coccymala & oxymala, & adria perſica. Quæ ex mali prouenit barbillos dicitur. Folio amygdalæ, ſed maiuſculo, flore ſubpuniceo, fructu carnoſo, ſucculento, extrinſecus lanuginoſo, nuce intus ſcabra, atq; dura, in qua nucleus, qualis amygdalis, verùm non ita oblongus. Palladius autem perſicorum genera hæc poſuit, duracina, præcoqua, perſica, armeniaca. Galenus tamen vnum tantùm præcocium, & armeniacum genus eſſe voluit. Nam armeniaca vocitari, iam deſitum eſt. De quibus Martialis:

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis: Epigr. lib. 13.
Nunc in adoptiuis Perſica cara ſumus.

Aëtius hoc genus etiam benicoccum vocat: pomo verò cæteris minimum eſt. Sunt tamen è neotericis plures, qui hoc genus ad pruna Armeniaca referant, quibus ipſe non adſtipulor. Neque enim putandum Dioſcoridem ita confuſè hoc genus prunorum cum perſicis malis miſcuiſſe, cùm alibi prunorum meminerit. Plinius autem regionum habere cognomina prodidit, Gallica, Aſiatica, & Supernatia è Sabinis venire, popularia vndiq;. In vniuerſum autem differunt mala perſica, magnitu-

dine,colore,& ſucco,præſertim rubeo,moris ſimillimo: vnde & quidam morina appellant, quorum ſucco etiam ringunt: nullius penè odoris,ac ſaporis, per adoptionem ſic facta. Alia croceo colore atque ſucco etiam ſunt, alia vario. Omnia verò nullius ferè odoris, nulliusq; ſaporis. Nuſquam enim in alio pomo minus odoris, plus ſucci. Cute etiam piloſa. Reperiuntur tamen,qui ſucco minùs abundent:proinde ob id præſtantiora, ac magis ſitim ſtimulantia. Ægineta vnum genus è rhodacinis facit:quæ cum Armenianis cæteris generibus præſtantiora dicit.Non enim aceſcunt,nec corrumpuntur.Sunt & nunc in pretio.Parum enim omnia durant,coguntq; ſe venundari.Pretium ſingulis, Plinij tempeſtate,triceni nummi fuere.

Perſicorum vis & conſideratio. CAP. XII.

PERSICA mala ſecundo exceſſu refrigerant, atque humectant,nonnulli tertio, alij etiam quarto,verùm in ſecundo Galenus & ſequaces ſentiunt. Praui ſucci ſunt, acidiq;, vt facilè corrumpantur: eoq; primùm exhiberi debent, quò protinus deijciantur, ne ſi diutius in ventriculo demorentur,corruptionem ſentiant. Nam ſi ſuper alios cibos ſumantur, fluitant, ac ſtatim putreſcunt, vt ſuapte natura reliqua ſecum cibaria in corruptionem deducant. Diphilus tamen apud Athenæum, bonum ſuccum mediocriter habere, & magis, quàm mala, nutrire. Illud enim in primis obſeruandum erit,quod perpetuò verum eſt,vtq; ſemel dixiſſe ſat ſit,atq; id ex medicorum antiquorum generali ſchola,vt cuncta vitioſi ſucci, & quæ liquida ac lubrica ſunt,& quæ promptè ſecedunt,præ omnibus obſonijs primùm edenda eſſe. Hac enim ratione & ipſa citò egeruntur, & cæteris iter præbent. Quòd ſi contrà poſteriùs deſumantur, facilè corrupta, ſynceris alimentis ſuo contactu putredinem inferunt. Oportet dehinc ſuper his meracum bibere, nec cibis acribus vti. Et vt ad vim perſicorum reuertamur, pituitoſum humorem gignunt. Propterea qui eis crebrius ad ſatietatem eſitauerint,febre corripiuntur.Neruos etiam quadam proprietate lædunt.Mirum eſt,quod Plinius de eo ſcribit,Nec eſt vt alius eis pomis innocentior cibus, expetiturq; ægris. Quòd longè contrarium ac diuerſum eſt,ab his,quæ ex Galeno,& eius aſſeclis, ſuprà ſcripſimus. Præcocia verò præſtant. Non ita enim in ventriculo putreſcunt, nec aceſcunt,gratiora quippe atque ſtomacho aptiora. Rhodacina verò ciborum appetentiam excitant:proſunt inflammato ventriculo,& genitali ſemini adijciunt. Ventrem ſubducunt,& flauam bilem ſedant,ſi matura non ſint, ſeroſum tamen ſanguinem poſt vnum aut alterum menſem præparant. Matura omnia ſtomacho,ventriq; accommodata. Nempe bonam aluum faciunt,quam acerba cohibent: atq; hoc ſiccata vehementius.Præcocium ſuccus in vino aut aceto expreſſus vtiliſſimus.E ſiccis autem decoctum,alui,ſtomachiq; deſtillationes ſiſtit. Rami autem & folia amaritudine excellunt:ideoq; contuſa,& vmbilico impoſita, tineas enecant, quod idem ſuccus bibitus præſtat. Verminoſis etiam auribus

Lib. 23. cap. 7.

inſtill

inſtillatur. Diſcutiendi viribus folia etiam pollent. Nuclei autem cum aceto & oleo, capitis doloribus illinũtur: illi inſuper veræ pleuritidi edendo, auxilio eſſe, expertum ſe teſtatus eſt Serenus. Flores autem hauſtos ventrem ſoluere, modò creditum.

De pyro, & eius apud antiquos generibus. CAP. XIII.

PYRVS Græcè ἀπίδιος. Sunt tamen, qui apud Græcos pyri genus apium exiſtiment: vnde tractum adagium, Apiǫ mollior. Verùm nonnulli de rhaphano intelligere volunt. Quidam pyrum pomum dictum volunt, quòd ad pyramidis modum, vt plurimum elato in aciem tendat, flammæ ſimilitudinem reddens: & ſi nonnulli per i, ſcribi debere contendant. Arbos ſimplici conſurgit caudice, auctu facillima, huic circinata folia, flore albo, foliato. Multiplex generum differentia, atq; nomenclatio, vti ex iiſdem rebus, ſicut in malis varia, ne quid idem pluries repetámus. A tempore autem primùm denominata hordearia Plinius ſcribit, à comitatu eius frugis. Hæc Columella hordeacea vocat. Sementinorum meminit M. Cato, & M. Varro, & Macrobius, quæ ſic vocari à ſemente arbitror, quòd per ſementem matureſcant. Turbinalis verò figuræ quædam ſerotina, vſq; ad hyemem ad matrem dependentia, vt gelu matureſcant. Sunt etenim in pyris, ſicut fermè in omnibus alijs fructibus, quædam præcocia, quædam item ſerotina, de quibus nonnullis infrà dicetur. Loca etiam & vrbes, vbi vel generoſiſſima, vel copioſiora magis prouenirent, nomina dederunt, vt Cruſtumia, ſiue Cruſtumina à Cruſtumio Thuſciæ oppido. Ex parte enim rubent, glatiola, nunc in Italia vocari exiſtimantur. Regia, amerina, ſeriſſima omnium, ſignina & ſyria. Picentina olim Romæ celebratiſſima, quibus contenderent duo priora genera, ſi Iuuenali credatur,

Signinum, Syriumq́ pyrum de corbibus iiſdem: *Satyra 11.*

Aemula Picenis. Syria nunc apud Italos creduntur, quæ Coroela vocantur: alij putant dici Tarentina. Nonnulli etiam à colore teſtacea. Syria etiam nigra Seruius interpretatur. Lanuinia, Numantina, Alexandrina, Numidica, Græca, ſiue Græcula, vt vocat Macrobius. Hæc gelu matureſcunt. Ab autoribus autem nomina accepere Decimiana, & ex eo tractum, quod pſeudodecimianum vocant. Dolobelliana, ab inſitore Dolobella. Hæc enim longiſſimi pediculi. Pompeiana etiam cognomine. Mammoſa, à mammarum effigie. Liceriana, ſeueriana, & ex his nata tyranniana, pediculi longitudine diſtantia: Fauoniana, quæ rubra ſunt, & ſuperbis paulò maiora: Anitiana, quorum meminit & Cato, & Varro: quæ poſt autumnalia, ſapore acidulo iucundo. Tyberiana verò appellabantur, quòd hæc Tyberio principi maximè placerent. Sole magis colorantur, grandeſcuntq́; alioquin Liceriana erunt. Laterana, ſiue lateriſiana, vt Columella & Macrobius maluerunt. Voconia, Lolliana, Meuiana, Tulliana, Septitiana, ſera ſunt. Titiana, turriana, antiana, præciana, valeriana, coriolana, brutæ gentilitatis cucurbitæ figura. A qua forma nomen aliud

genus accepit cucurbitinum dictum. Quibuſdam turbinatior figura, vnde turbinata. Ab amplitudine verò volema, M. Catoni, & Matoni Vergilio. Macrobio autem Aurelio volumia, ſic his omnibus vocata, quòd palmam impleant, à vola media manus parte, vt voluit Seruius, quare Vergilius grauia appellat. A pondere item libralia ſibi nomen aſſumpſerunt, & hac noſtra tempeſtate, genus quoddam nomen ſibi ſumpſit. Ab odore enim myrapia, nardina, myrtea, meſpilia, laurea, quod myrti, & meſpilorum, & cæterorum ſapore ſint. Hæc duo genera ſera ſunt, & acidula, muſtea, & mulſa. A potu falerna, ſic dicta, quoniam tanta vi ſucci abundant, vt vua, vti arbitror, quæ apud Falernum prouenit, vnde vinum Falernum olim celebratiſſimum. Hæc etiam lactea dicitur. Proxima hæc cruſtumijs fuerunt. A colore verò, rubile dictum, & onychina, purpurea. Quædam à cauſa, vt calculoſa dicta, quod vitiū eſt huius generis. Quædam ſuperbiæ cognomine taxantur, patua hæc ſunt, ſed ocyſſima. Sunt qui hæc exiſtiment eſſe, quæ nunc à moſchi odore, moſchatela vocamus, quòd odore prioritateq; prouentus ſuperbiant. Incerta nominum cauſa eſt barbaricis (ait Plinius) venereisq;, quæ colorata dicunt, regijsq;, quæ minimo pediculo ſeſſilia. Patritijs, voconijs, viridibus, oblongisq;. Solus, quod ſciam, ciritorum, ceruiſcorum, timoſorum meminit Macrobius. *Saturn. lib. 3. cap. 19.*

Pyrorum genera, quæ nunc habentur. CAP. XIIII.

HÆC ſunt, quæ de pyrorum generibus, atque appellationibus, antiqui prodidere, quorum nullum nomen, quod ſciuerim, apud nos remanſit. Genera tamen aliqua ſuperſtare minimè ambigendum, nec interijſſe omnia, forſitan vel nulla, ſicut nec in alijs arboribus, verùm tantùm nomina immutata: quæ non prætereunda, vt non tam antiquitatis obſeruatores, quàm noſtræ ætatis amatores eſſe videamur. Neque prætereundum eſt, pyrorum genera nunc quoq; nomina ex eiſdem cauſis, vt antiqua, accepiſſe. A tempore enim vel præcocia, vel ſerotina appellantur, addita cuiuſdam diui appellatione, quæ ex tempore ſolet celebrari, vt Ioannina, quæ feſtinantiùs & in feſtiuitate natiuitatis diui Ioannis Baptiſtæ matura ſunt. Huius autem generis plures differentiæ, quæ omnia perſequi difficile. Sequuntur & Laurentiana, & ſerius Martiniana. Bergomatia verò Bergomum Italiæ oppidum inſigniuit ſua peregrinatione. Nunc in Gallia in pretio habita, ſucco, ſaporeq; egregia, rotundiore forma, colore herbaceo, qui nec dotem referat. Per Autumnum ſiue cruda, ſiue cocta eduntur, vtriq; eſui præſtantiſſima. Ab autore dicta Dameiana: præcocta hæc, colore ex parte altera rubeo, ex altera croceo. Mariana, aquoſa & dulciſſima, tenerrimaq;, ſed fugacia. Vbertina apud Belgas, & tota Gallia, pretioſa, & præcocia, ſatis grandia, à colore iucunda croceo. A colore rubeo nunc etiam rubellina dicta, & ab auro aurea, aſperiore carne, durioreq;, nec priuſquam gelu experiantur, edomita duritie, miteſcunt: ſeriſſima hæc ſunt. Roſatis roſæ odor nomen dedit. Callianis odor præcipuus, orbiculata, ex parte rubentia, & ex alia viridia, molli carne. A figura bicipitia,

pitia, quòd gemino capite viſantur. Singulari ſunt commendatione, ſucco grato, qui etiam palatum moroſum recreet, nec minimè calculoſa. A natura verò ſtrangulonea. Hæc enim manſa, tanta acerbitate diſplicent, vt deuorari nequeant, & ſtrangulare videantur, vnde ſic dicta: pulchritudine tamen prædita, colore rubro, & maturitatis indicium præbentia, vt prætereuntes ad legendum inuitent. Sunt Romæ, & in ipſa Italia, quæ papalia vulgus vocat, ampla, ſucco ſuauiſſimo, à quibus dotibus ſic cognominata, non alia ratione, quàm in cæteris fructibus, regia. Chriſtiana in Gallia celebrantur, ſerotina hæc, vti in annum durent: ampliſſima, cucurbitæ figura, herbaceo colore, ſubnigro, ſucco dulciſſimo, vti etiā cùm ſenuerint, cruda per orbiculos in latum tenuiores diſſecta, addita aqua roſacea, & ſúccharo edantur. Per ſummos enim calores refrigerare perhibentur, vt ægris etiam contra ardores præbeantur. Pretioſiſſima apud Turones naſcuntur, vt non ingrato munere alijs elargiantur. Sertana etiam in Gallia laudatiſſima, præſertim verò apud Belgas. Parua hæc ſunt, oblonga, colore rubro & albo; ſerius eduntur. Edua etiam, & pſeudoedua item ſatis clara, ab vrbe Galliæ ſic cognominata: ſerotina ſunt, ſatis ampla, colore nigro, non niſi ſub cineribus cocta eduntur, ſucco abundant. Ab amore verò dicta, quæ, ſi mauis, amabilia vocabo, vt cæteris acerbiora ſint, ſi cruda edantur: viſu quoque minimè iucunda, ſed eſu omni alio iucundiora, ſi decoquantur. Durant & in alterum annum. Aliquot ſuæ tempeſtatis generum meminit Architrenius, poëta Gallus, autor non contemnendus, præſertim verò ſi eius temporis ætatem, qua ferè bonæ literæ ſopitæ erant, reſpiciamus:

Et pyrus huic fratrum, tituli dat Regulus nomen,
Et pyrus hancque, volæ, plenus denominat orbis,
Et pyrus hincque, dedit materna anguſtia nomen,
Et pyrus Auguſto, quæ patrinante vocantur,
Et pyrus hæc nota eſt, & filia lata Roberto,
Et pyrus eſt huius alius Baptiſta Ioannes,
Et pyrus à quouis pretio ſignata vel oris.

Apud Hiſpanos verò, pretioſa ſunt, quæ regia & comeſea vocantur. Hæc ſunt antiqua, & noua pyrorum genera, vt pluries recenſeri non potuerint, nouis nondum redditis priſcis nominibus, tantum abeſt. Quinimo vno generi plures appellationes, etiam ſub vno idiomate per plura loca inditæ ſint, quod in vno genere, apud noſtrates, oſtendiſſe ſatis erit. In Gallia enim prope Lugdunum ager Forenſis dictus eſt. In eo vicus Verrianus, ditionis equitum diui Ioannis Hieroſolymitani, ſiue Rhodiorum. Eques autem huiuſce religionis, & vici dum viueret, dominus, è Rhodo aliquod inſiti pyri genus illuc deportat, primùm apud Forenſes pyra verriana vocari cœpere, apud exteros, ab agro forenſia. A Burgundis verò Lugdunenſia à loci vicinitate. Neque dubitandum eſt, aliam apud Rhodum ſortiri denominationem. Hæc enim odoratiſſima, & ſucco ſuauiora, præcocia, & citò fugacia, forma cucurbitina, rubeo & albo coloribus.

De natura & vi pyrorum, & adagio, Tam facile vinces, quàm pyrum vulpes comeſt. CAP. XV.

VVLPES pyrum, niſi carnens cibus deſuerit non edit, atq; illud difficulter, & non niſi in fame. Vnde apud Plautum à Tranione dictum, idq; adagialiter in Muſtellaria:

Tam facile vinces, quàm pyrum vulpes comeſt.

In eos enim dicitur, qui rem perdifficilem aggrediuntur. In grauidationem autem, pyri radicem à muliere portatam Albertus impedire dicit: etiã fructus eius vis eſſe, ſi iuxta vel ſupra ſe habeat. Id etiam à nonnullis creditum, vt latentia in parturientis lecto pyra, aut illuc tranſportata, partum morari, aut difficulter fieri. Pyris, vini proprietas, vt ægris vini vice medeantur. Sunt qui abſolutè, primo ordine refrigerare pyra dicant, & ſecundo deſiccare: alij verò matura calefacere, humectare, & mouere. Quod ſanè intelligendum erit ex ſaporum vi, ac natura, vt dulciora calefaciant. Quæ autem inter dulcorem & aciditatem naturæ ſunt compoſitæ, parum caliditatis & ſiccitatis habent, vt omnium deniq; vires ex ſaporum generibus metiri ſit. Ante cibum verò ſumpta, ventrem ſiſtunt, maximè cruda. Adſtringere genera omnia, quidam arbitrantur. Stomacho conferunt, præſertim, vt Celſo placet, fragilia, qualia ſunt Cruſtumina, vel Meuiana, & Tarentina & Signina. Sitim reprimunt. At Plinius pyrorum omnium cibum, valentibus etiam oneroſum *ſcribit*, atq; ieiunis nocere. Alij crebrius ſumpta, ventriculos calidos iuuare. *Boletis* & fungis aduerſantur. Pellunt enim pondere, ac pugnante ſucco. Qui verò bupreſtim hauſerint, pyrorum etiamnum genus omne comedere prodeſt. Illita verò exſiccant, & modicè refrigerant, vt profiteatur Galenus, his illitis vulnus ſe glutinaſſe, cùm nil aliud ad manum haberet. Grana, quæ in illis ſunt, peculiari quadam proprietate pulmonis vitijs medentur, ſed renibus officiunt. Decocta mirum ſalubria & grata, maximè Cruſtumina, quæcunq; etiam cum melle cocta erunt, ſtomachum enim iuuant. Eorum decocto ad duritias vtuntur, & ſiccorum decocto aluum ſiſtunt. Pyrorum dilutum ſitim ſedat. Fiunt è pyris cataplaſmata, ad diſcutienda vtiliter corporum vitia. Pyri folia ac rami, pariter auſtera ſunt. Nam arboris partes omnes, non eiuſdem temperiei ſunt, vt aliæ terreſtres, aliæ verò aqueæ, vtræque tamen frigidæ. Folia ſtringunt. Ligni enim cinis contra fungorum ſtrangulationes etiamnum efficaciùs proficit.

Vinum, acetum è pyris, & de alijs eius confectionibus.

CAP. XVI.

E Pyris autem antiquitus liquamen ad fœminarum ieiunia, quod caſtimoniale dicebatur, cuius ratio talis eſt: Pyra maturiſſima cum ſale integra calcanto, & vbi carnes reſolutæ fuerint, in capulis vel vaſculis picatis, condiuntur. Poſt menſem verò tertium ea ſuſpenſa liquamen fundunt, non iniucundi ſaporis, & albi coloris: tunc enim vel cùm ſaliuntur, nigellam

gellam viridem permiſcere eſt. Fit è pyris vinum, quod à Græca pyrorum denominatione, apijtes dicitur, & Latinè pyratium. Palladius ſic, Contuſa enim in ſacco rariſſimo, ponderibus vel prælis comprimuntur. In hyemem durat, ſed prima æſtate aceſcit. Acerbum eſt, ſtomacho tamen accommodatum, inteſtinaſq; diſtillationes compeſcit. Acetum etiam è pyris auſteri ſaporis, vel ſylueſtribus. Matura autem in cumulo per triduum adſeruantur, deinde in vaſculum mittuntur, cui pluuialis, fontanáve aqua infunditur. Apertũ vas per triginta dies relinquito, deinde autem quantum ad vſum ſublatum fuerit, tantum ad copiam aquæ reddito. Calabri autem pyris abundant, conſueuerantq; hoſpitibus apponere, deinde ſaturos, bellariorum vice, domum auferre iubebant. Quod ſi recuſaſſent, eadem porcis obijciebant, vnde Horatius in Epiſtolis: *Lib. Epi. 1. ad Mecen.*

Non quo more pyris veſci Calaber iubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem, veſcere ſodes.
Iam ſatis eſt. at tu quantum vis tolle benigne:
Non inuiſa feres pueris munuſcula paruis.
Tam teneor dono, quàm ſi dimittar onuſtus.
Vt libet, hæc porcis hodie comedenda relinques.

De pyraſtro, & Thraſybulo. CAP. XVII.

Αχρὰς, ἀχράδος Græcè, Latinè pyraſter, ſiue pyrus ſylueſtris. Dioſcoridi autem genus pyri ſylueſtris eſt, cuius meminit Ariſtophanes, tardiſſimè matureſcens. Habet enim pyraſter ramos aculeatos, præcipuè verò cùm tenera eſt: cætera cum pyro vrbana, figura eſt, ramoſior tamen, & ſurculoſior. Eaſdem enim cum pyro ſatiua vires habet, verùm longè efficaciores, vt propterea magis adſtringat, & deſiccet, vt inde maiora vulnera propenſius glutinet, & fluxiones illitas repellat. Conciduntur autem pyra, & ſuſpenſa ſiccantur. Efficaciſſima quidem ad ſiſtendam aluum, ad quem etiam vſum, pomum, foliaq; decoquuntur. Fungi propterea innocentiores, tutioreſq; fient, ſi in pyraſtri, vel fructu, aut folio cocti fuerint. Proſunt etiam contra eoſdem pyra confeſtim ſumpta, necnon etiam lixiuia ex cinere eius arboris facta, & cum ſale, poſca, vel nitro epota. Ad dignoſcendum autem, an muſtum aquam habeat, pomum in hoc conijciunt: quod ſi aquam habuerit, in profundum demergitur. Thraſybulus cùm deberet ſentẽtiam de re conſulta, ſuam dicere, à Lacedæmoniorum legatis munere corruptus, ſimulauit ſe pyra ſylueſtria comediſſe, nec poſſe loqui.

De moro, & fabula Pyrami & Thisbes. CAP. XVIII.

Morvs arbor, quam nonnulli à Græco nomine deriuant, propter fructus nigritiem: μαυρὸν enim nigrum eſt. Græcis συκαμινέα, & συκέα, & συκῆ, moros, ab Hippocrate, niſi mendum ſit, pomum ſycaminon, Aëtio fructus ſycamina & ſycomora. Æſchylus tamen, autore Iulio Polluce, ſycamina ea vocauit,

quæ

quæ tantùm ex tubo colligerentur. Seruius verò in hoc Verg. carmine,

Eclog. 3. *Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga.*

Mora terreſtria vocauit. Primas autem mari germinationes, antea, quàm in futura poma exeant, Græci ricinos vocant. Alij mora oblonga, vel iulos teretes arbitrantur. Flos lanugineus toti fructui, in medijs inculcatus, poſtremis tantùm non inſidens, nec ſingulas partes ambiens, vt concerni nequeat: fallens interdum, propter lanuginem. Moris verò trini colores, candidus primus, mox rubeus, maturis niger. Horatius,

Serm. lib. 2. ſat. 4.
- Illic ſalubreis
Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore ſolem.

Succo, & carne conſtant, vt homines paſcant, potentq;. Matura autem ſucco manus tingunt, eluunt acerba. Romæ mora Tuſculana, & Hoſtienſia differebant. Minimùm enim in hac arbore profecerunt ingenia, nec nominibus quidem, nec inſitis, nec alio modo differunt, quàm pomi magnitudine. Ferunt poëtæ, mori fructus tantùm albos prius fuiſſe, poſteà verò Pyrami & Thiſbes amantium ſanguine tinctos, ac rubeum colorem mutuatos, dum vterq; ſibijpſi ſub moro apud fontem & Nini ſepulcrum, prope Babylonem manus conſciuiſſent. Sic enim in quarto Metamorphoſeon ait Ouidius:

Metam. 4.
- Arbor ibi niueis vberrima pomis
Ardua morus erat, gelido contermina fonti. Et pòſt:
Arborei fœtus aſpergine cædis in atram
Vertuntur faciem, madefactaq́ ſanguine radix
Purpureo tingit, pendentia mora colore. Pòſt Thiſbe ad morum.
Signa tene cædis, pulloſq́, & luctibus aptos
Semper habe fœtus, gemini monumenta cruoris.
Dixit: & aptato pectus mucrone ſub imum,
Incubuit ferro, quod adhuc à cæde tepebat.
Vota tamen tetigere Deos, tetigere parentes.
Nam color in pomo eſt, vbi permaturuit, ater.

Sunt tamen & alba, cuius fructus tenuis, albusq; euaneſcens, & deſidens, antequàm matureſcat, proptereà nullo eſui humano, ſed tantùm vermibus ſericeis, & non ob aliam rem ſeritur. Antiquis ignota, vt multis placet, nunc multis locis peregrina.

Mori vires. CAP. XIX.

MORA autem, Hippocrate autore, calefaciunt. Muſtor apud Theophraſtum calida eſſe ait. Æginetæ verò impensè humectāt, & mediocriter refrigerant. Propter acerbitatem enim & aciditatem, huiuſmodi naturam ſortita. Nam & tota arbos in omnibus ſuis partibus nonnullam miſtam vim in reſtringendo atq; purgando retinere videtur. Nempe ad ea, quæ moderatam habent adſtrictionem, vtiliter commiſcetur. De his Diphilus medicus apud Athenæum: Bonum ſuccum mediocriter habent

ſtomac

ſtomacho conferunt,& facilè excernuntur. Acerba,inquit Pythenus,vermes excutiunt. Radicis verò cortex, amaritudinis cuiuſdam particeps, purgare poteſt,adeò vt latos lumbricos decoctus occidat,& aluũ ſoluat, & contra hauſtum aconitum ſuccurrit. Foliorum autem atq; ſurculorum vis, ſubducentium & comprimentium media quodammodo temperies. Mora matura ſi ante cibum ſumantur, celerrimè per inteſtina ſecedunt, atque iter cæteris cibis præparant. Sin autem in ſecunda menſa offerantur,ſtomacho corruptionem adferunt,& vitioſum iam inibi exiſtentem humorem adaugent. His etenim quis impunè vtetur, quando ſcilicet præ ariditate,à calore ventriculi os ferueſcit,vti ea moleſtia etiam iecur affici neceſſe ſit Quod plurimum ijs accidit, qui longo itinere vehementiùs defatigantur,aut qui æſtu feruido exhauſti fuerint. Tum enim oportet corporis ſquallorem compeſcere & refrigerare:Minimi alimenti ſunt,verùm boni ſucci,vt quidam arbitrantur. Somnum mouent, autore Celſo. Aluum ſubducunt. Immatura verò exſiccata, admodum reſtringunt,itaq; ad dyſenterias accommodata, & ad cœliacas affectiones, & quaſcunq; alias fluentes. Contundunt autem, atq; in obſonijs commiſcent,vice acinorum,velut rhoi fructus. Ad ſupradicta verò,aut etiam ex vino,aut aqua bibunt. Succus autem ex maturis vel immaturis exprimitur, & in vaſe æneo decoquitur. In ſole torrent, & ter in die ſpatha permiſcent. Adſtringendi, & deſiccandi vim peroptimam habet. Facit etiam,addito mellis perexiguo,aut,vt Plinius voluit, myrrha, ad deſtillationes,tonſillarum inflammationes,& nomas,vulnera ad cicatricem perducens. Eo etiam dentes colluunt. Hoc autem erat medicamentum στοματικὸν, id eſt,ori gratum,quod διάμορον appellatur. Folia conciſa, & ex aceto illita, igni ambuſtis medentur. Imponuntur etiam & per ſe veſparum & apum ictibus. Trita verò, aut acida decocta ſerpentium ictibus apponuntur. Ad idem potu proficitur. Madefacta autem,in vrina,corijs pilum detrahunt. Illorum autem ſuccus cyathi pondere, contra phalangiorum morſus auxilio eſt. Ex vino autem & poſca, radicis ſuccus bibitus ſcorpionibus aduerſatur. Sub dio verò in vino decoctus & bibitus, ventris defluuium compeſcit,Comprobante his verſibus Sereno:

Arbore pyramea cortex direpta liquetur
Axe ſub æthereo, ſic nigro mixta Lyæo,
Immenſum poterit potu retinere fluorem.

Amareſcens quadantenus radix eſt,& purgandi viribus pollet. Item cum vini calidi cyatho vno bibitus retentos menſes educit. Per meſſem enim inciſa,facto in ambitum ſcrobe, ſuccum ampliſſimum effundit, qui poſtridie concretus inuenitur: qui ad dentium dolores efficax eſt. Aluum quoq; purgat,collectionibusq;,ac ſuppurationibus vtilis. Tertium ſucci genus è folijs & radice expreſſus, ad ea,quæ ſuprà,valet. Sed nunc ad ea, quæ Plinius deſcribit, deueniendum, vt quæ mira ſint, ſi tamen vera, quod non inficior. Scribit enim ricinos manu ſiniſtra decerptos, vt ſi terram non attigerint, adalligatos, ſanguinem ſiue ex vulnere, ſiue ore aut naribus,vel ex hæmorrhoidibus fluat,ſiſtere:& ad hoc reſeruari & reponi.

poni.Idem præſtare dicitur ramus,fructus habere incipiens,luna plena effractus,ſi terram non tetigerit:priuatim verò mulieribus, lacerto adligatus,contra menſium abundantiam. Hoc illud item præſtare dicit, quocunque ab ipſis tempore defractum & ligatum, ſi terram etiam minimè attigerit. Fit è moris ſiccis vinum, autore Plinio. A moro autem adagiũ, Maturior moro. De molli homine dicitur, vel de virgine ad nuptias grădi. Hegeſander,referente Athenæo, ſuis temporibus intra viginti annorũ tempus moros fructum non tuliſſe aſſeritatque tantam podagræ peſtem omnes inuaſiſſe,vt non homines tantùm,verùm & pueri,puellæq́;,ac eunuchi,& mulieres quoq; eo morbo laborarint. At poſtea in caprarum greges ita grauis irrepſit,vt vix tertia earum pars incolumis permanſerit.

De rubo,& adagio,rubo areſacto præfractior. CAP. XX.

INTER aquaticas arbores rubum Plinius poſuit. Frutex tamen eſt,vulgaris notitiæ, quod etiam ipſe Plinius libro decimoſexto faſſus eſt. Sic autem vocari quidam perhibent, quòd eius virgæ rubeant. Folia ſupra dorſum in pediculo, per medium neruũ habentia, à latere verò duos. Fragariæ herbæ ſimillima,verùm minora,& ſpinoſa. Flos roſeus ad albedinem magis rendens. Fructus racematim fert,primùm herbaceos,mox purpureos, &,cùm ematuruerint, nigros. Plin. vaccinia,à ſimilitudine mori fructus, mora appellat. Alij exiſtimant rubi fructus vaccinia eſſe dicta, à *βάτῳ*, id eſt,rubo,vel à *βάπτω*, id eſt tingo, B in V. mutata,vt vaccinia quaſi baccinia. De quibus intellexiſſe Vergilium arbitrantur,cùm ait:

Georg. 2. *Sanguineiſq́; inculta rubent auiaria baccis.*

Radix locis nonnullis,globi modo rotunda. Fructus,vt inquit Plinius,nõ ſolùm Romæ,ſed alibi,differente callo reperiuntur. Rubi autem plura genera Theophraſtus & ille poſuerunt maximo inter ſe diſcrimine differẽtia. Quoddam ſurſum in altitudinem erigitur, præſertim vbi ſuſtentaculum nactum ſit. Inueni ipſe rubum per arborem ſcandentem, longitudine viginti paſſuum,verùm gracilem,& ſterilem. Aliud eſt,quod parum ſupra terram attollitur,protinus caules ſuos in terram vergens, quam cùm appræhenderit,rurſum radices agit. Hoc chamæbatos,id eſt, humilis rubus dicitur. Fructum rarum, acinis minimè frequentem producit,ſæpius inter ſegetes & mediis agris naſcitur. Tertium genus cynosbaros. Hæ ſunt è Theophraſto differentiæ. Aliter verò Plinius,qui inter ruborum genera rhamnum ponit,ſic à Græcis dictum:alterum ſylueſtre, nigrius, & quadantenus rubentes fert foliculos. Hic alibi tertium genus dicit eſſe,rubum idæum. De quibus omnibus ſeparatim poſteà dicendũ. Et,vti ad nomenclaturam reuertar, apud Dioſcoridem variæ rubi denominationes, ſiue adiectitiæ ſint,quod plures volunt, ſiue autoris ſint. Græcis baros, quare hi raiam piſcem baton,& batim vocant, ex eo quòd eius cauda quibuſdam aculeis conſtet,ad ſimilitudinem rubi. Græcis tamen commune nomen omnium ruborũ,quo in totis ſpeciebus,additis aliquot notis,vtuntur. Latini ſentem,vt Columella,aliis ſelinoritiõ,aſyntrophos. Alij mora

Vaticana, à colle illo Romano. Quidam ametron vocãt. Magi Titani ſanguinem, vel ideum, Daci mathia, Ægyptij Hæmoos. Alij Iſidis ſanguinẽ. Rubus enim, qui ſemel exaruit, rumpi poteſt, nequaquam inflecti, vnde prouerbialis ſententia, Rubo areſacto præfractior. In difficilẽ, atq; inexorabilem dicitur. In medio autem rubi in monte Orebo, atque in Arabia Moſi, ſub ſpem ignis, vt tamen arbor non combureretur, DOMINVS apparuit. Hic verò frutex, an idem fuerit cũ eo, de quo nunc agitur, apud interpretes nondum conuenit. Plures enim arboris genus ita fruticoſum eſſe arbitrati ſunt, vt vix eam abſq; deplumatione auis ingredi poſſit. Hæc autem hoc loco meminiſſe, lectori non graue erit, præſertim Chriſtiano, quãdoquidem etiã Ethni corum hiſtorias, & poëtarũ fabulas inſerimus.

De rubi vi, ac natura. CAP. XXI.

RVBI fructus, flos, folia, germina, radix, non obſcurè adſtringunt: ſed inter ſe aut minùs aut magis, vt ſpeciatim in his omnibus dicetur. Maturus quidem fructus nonnihil caliditatis habet, ſimulque mediocriter adſtringit. Dulcis eſt, ideò cibo idoneus. At immaturus acerbus, & terrenæ frigidæque facultatis eſt, propterea exſiccandi vi præpollet, verùm magis areſactus, ideò reponi ſolet. Maturo in cibo ſiſtitur aluus. Aduerſatur ſerpentium ſceleratiſſimis, preſteris morſui, atq; etiam flos. Folia etiam, vt teſtis eſt diuus Ambroſius in Hexamero, ſerpenti ſuperiecta, eum interimunt. Scorpionum vlcera ſine collectionũ periculo inungunt. Vrinam cit, capillum denigrat cum omphacino oleo. Manſus verò prodeſt labris, vt hoc carmine teſtatur Serenus:

Manditur apta rubus gingiuis & bona labris.

Succus quàm optimè maturi, ad oris medicamenta conuenit, & auribus efficaciorẽ ſtomaticem, vel quàm quæ in ſatiua moro adnaſcuntur, præbent. Eademq; compoſitione, vel in hypociſtide tantùm & melle bibuntur à cardiacis: contra etiam araneos & in cholera. Siccantur vmbra, vt crematorum cinis vuam reprimat. Flos eandem cum acerbo fructu vim habet: ideo vtroq; ad dyſenterias ventris profluuia, in vino potus: pleureticis, item cœliacis prodeſt. Colligitur per meſſes. Folia autem, maximè recentia, & nuper nata, plurimum aqueæ ſubſtantiæ habent: quamobrem moderatè adſtringũt, ſi mandantur. Aphthas, & oris vlcera ſanant, & alia vulnera, quę ſerpunt, glutinant: & in capite manantibus, illinuntur, & oculos procidentes ſanant, & condylomata, hæmorrhoidas emplaſtri modo appoſita. Plinius autem addit ceratũ roſaceũ. Per ſe verò conciſas imponuntur, à mamma ſiniſtra, ſtomachi doloribus, & cardiacis. Areſacta autẽ & contuſa, iumentorũ vlceribus vtilia creduntur: cum aceto verò tuſa, canis morſui illinuntur. Ramorum autem decoctum potu aluum reprimit, & fœminarum profluuia. Gingiuas confirmat, dyſentericis prodeſt, & per ſe etiam in cibo ſumitur. Cyma verò, aut decocti modo, in vino auſtero, labentes dentes firmant, & eius cauliculis in aqua coctis pedes equorum aduerſus mollitiem fouent. Ramorum verò ſuccus, his, qui ephemerum

ſumpſerunt,prodeſt,verùm id antequam venenum inualeſcat.Radix autem præter adſtrictionem, ſubtilium partium eſt, ideò renum calculos comminuit,eiuſdemq; ſucco,ſedis, atq; genitalium vlcera fouentur. Cinis enim eius vuam deprimit. Inter remedia verò, quæ ſtyptica vocant, nihil radice efficacius.In vino autem ad tertias partes decocta, vt eo oris vlcera colluantur.Aluum ſiſtit, & ſanguinem, & collutos dentes firmat. Tunduntur teneri cum foliis caules,dein ſuccus exprimitur, & mox inſolatur, & in mellis craſſitudinem cogitur. Alij ſuccum expreſſum deferueſcere faciunt,& duas eius partes cum mellis vna ſimul commiſcent,& miſta ad mellis pinguedinem excoquunt, diamorum nonnulli vocant. Singulari remedio eſt ad omnia, quàm ſupra dicta ſunt. Rubos, inquit Plinius,ad maleficia tantùm genuit Natura,ideoque ex eis mora,vel hominibus cibos dedit.

De rubo Idæo. CAP. XXII.

RVBVS Idæus ſic appellatus, quoniam, vt ſcribit Plinius, in Ida Troadis, non alibi,naſcitur: at Dioſcorides verius, quòd multus vt in Ida monte proueniat paſſim quoque. Nam alibi ſub arborum vmbra naſcitur:& nunc etiam in hortis ſeruntur,topiarij loco. Vua vrſi ab Aſclepiade dicitur,quòd vrſi hunc fructum expetant.De qua ſic Galenus:Quæ vua vrſi appellatur,in Ponto naſcitur.Planta humilis,ac fruticoſa eſt,folio memecyli,rubrum ferens fructum,ac rotundum,quem vrſi vuam vocitant. Eſt enim tenetior, minoribus ac innocentioribus altero ſpinis, quanquam & ſine ſpinis inuenitur.Huius autē flos,cum melle, oculorum collectionibus commodiſſimè illinitur.Sacros ignes idem extinguit,ſtomaticiſq; ex aqua bibendus datur:cæteraq; poſtremò præſtat, quæ rubus.

De Ceraſo. CAP. XXIII.

CERASVS naturâ peculiaris arbor, cui folium durum, latius,quàm meſpilo,recto admodum,& craſſo caudice. Nā ad craſſitudinem trium, pluriúmve cubitorum excreſcit. Plures ei cortices,læues omnes:primus tamen tenuior,non recto meatu aſcendentes, verùm in gyrum ſeſe obducentes:cumq; deſquamatur, hoc modo decorticatur, vt per craſſitudinem ſcindatur.Quod autem ſubſequitur,colore viridi eſt. Dempto enim primo,alius durare poteſt,& ipſum arborē tueri. Sequenti enim anno alius ſubnaſcitur.Secundo verò ſublato humor quidem defluit.Ramis autem excreſcentibus euenit,vt alij ſurſum,alij deorſum tendant. Radice quidē multiplici eſt,quæ ſe cōuoluit.Flos candidus,parum odorus.Pyrenes autem quibuſdam ceraſiorum oſſa dicuntur.Altitudine verò excellit,quippe ad quadraginta, pluráve cubita exurgit. Præcipuè in domibus expetitur ramorum petulantia,latiſſima expatiātium vmbra, & in alias domos ſæpe tranſilientium.Nulli opacitas breuior, nec hyeme foliis decidentibus,ſolem aufert. Nulli rami longiores, validiores, aut plures, vt dixiſſe

totidem

totidem arbores liceat.Nulli cortex iucundior,aut oculos excipiēs blandiùs.Hæc prima colono annuam gratiā refert, vt hæc ſolùm de eius arboris encomio,ne omnia complectar,ſatis ſit dixiſſe.Ceraſorum autem, ſiue ceraſiorum(ſic enim Seruius Græca imitatione vocat.Nam apud illos κεράσια fructus dicuntur)multiplex differentia.Etenim colore,ſapore,amplitudine,figuráve inter ſe differunt. Saporū verò in his prima differentia.Nam ſicuti in malis,& punico, ſucci diuerſi. Quibuſdam enim dulcis,& hæc magis commendantur:quibuſdam verò auſtera qualitas, atque fermè omnibus his,quæ inſita non manſuefiunt. Amara quædam, vt plurimùm colore nigerrimo. Alia acida,prouentu tardiora. At in dulcibus nondum maturis,quædam acida,quædam acerba Galenus diſcreuit.Nonnullis color niger,quo etiam ſuccus illorum tingitur,vt rubenti, viridiq́;, alius ſimilis matureſcentibus. Inter ea ſunt maiora & oblonga aliqua,quædam minora.Acidis verò eadem figura, ſed colore differunt. Porrò quædam ad nigrum colorem atque turbidiorem magis accedūt. Hæc huic generi tardiora, atque grādiora, minúſve acida. De duracinis ſupradictum eſt.Hæc autem antiquitus fuiſſe Plinius commemorat,quæ diſtinctionem vel ex ſapore,vel ex colore,vel figura ceperunt,vt ſuperiora genera.Aproniana, quæ maximè rubent. Actia, quæ nigerrima ſunt. Cæciliana,quæ rotunda.Iulianis ſapor gratus,ſed penè tantùm ſub arbore teneris,vt geſtatum minimè tolerent. Sunt & Macedoniana,paruæ arboris,rarò tria cubita excedentis.

De vi & natura ceraſiorum. CAP. XXII.

CERASIA autem frigida ſunt,& humida,maliq́; ſucci.Diphilus tamen apud Athenæum boni ſucci eſſe dicit,& cōferre ſtomacho, ac bene nutrire: ſumpta verò in frigido ſtomacho conferunt,& meliora eſſe magis rubicunda, & Mileſia:vrinam enim promouent,ſed oportet illorū facultatem ex ſaporum natura ſeparare. Nam dulcia aluum citant.Citius enim dilabuntur,& quæ in inteſtinis ſunt, ſubducunt. Inueniſſe apud autores Plinius ſe teſtatur, ſi quis matutino roſcida cū ſuis nucleis deuorauerit, in tantum leuari aluum, vt pedes morbo liberenrur. Stomacho inutilia. Porrò vt magis ſecedunt,ita minùs ſtomacho conferunt:contrà auſtera, & acida ſtomachum magis ſolantur,ita minùs aluum molliunt.Ob incidendi vim,quā habent pituitoſis excrementis,ſtomachicis proſunt. Acida cæteris plus refrigerant, & adſtringunt. Obſtruentes autem iocinoris infarctus leuant,& flauam bilem extinguunt. Aliud eſt ex recentium, & deſiccatorum diſcrimen,vt ſiccata aluum ſiſtant, quod de aliis cōtrà ſuprà dictum eſt. Vrinam mouent. Non prætereundum quod de ceraſiis recentiores medici ſeſe expertos aſſeruerint,& quidē ex eo genere, quod dulcius,& candidius eſt.Lecta enim paulùm adſeruant, vt neq; omnino deſiccētur,verùm ſucco plena in vaſe ad hoc apto,igneq; mediocri ſuccum eliquant,quem diligenter conſeruāt. Eo enim ad epilepticos vtuntur,cùm iā paroxyſmo corrupti fuerint. Tunc in os eius drachmas qua-

tuor,pluréſve adfundunt,ſtatim reuiuiſcit,irretitus, & eo momento hoc execrabili morbo liberatus ſurgit, nec vllo amplius ſpaſmo conuelletur, quoad progenita noua morbi cauſa, aut per crementum exaucta, fieri ſolet,ſtato tempore poſt aliquot dies,alius dein ſuboriatur paroxyſmus. Gummi,quod ceraſi exudauerint,viſcoſi & mordacitatis expertis medicaminis vim habet:fauces exaſperatas læuigat. Tuſſi vetuſtæ ex vino diluto hauſtum medetur. Colorem commendat,viſum exacuit,cibi appetentiam excitat, & cum vino potum calculoſis prodeſt, quod tenuium partium ſit.

Præfatio libri vigeſimiquarti.

ARBORVM *fructus vim maximè ex ſapore contemplari & agnoſcere eſt. Non vtiq; vt ex his omnium naturam atq; virtutem apprehendere ſit, cùm & ſaporem ex ortu atque ætate immutent. Multi etiam in natiuo pertinacius permanent. Vt plurimum omnes à natiuitate acerbi ſunt, & qui acerbiores fuerint, ij magis in maturitate dulceſcunt, quod à caliditate euenire certum eſt, & id dupliciter aut intrinſecus ex ſingulorum peculiari natura,aut extrinſecus, ex ſolis potentia. Quidam verò cum acerbitate acidi, quam pòſt ſenſim exuunt, dulcedinemq; acquirunt. Si autem cùm aqueo humore humeſcunt in dulcedinem etiam deſinunt. Nonnulli enim non per intermediam aciditatem,ſed extemplo ab acerbitate ad dulcedinem tranſeunt, veluti oliuæ. Multi autem ac ne in arboribus maturantur:igitur nec dulceſcunt,verùm à matre per ſuum tempus auulſi, poſt ad aliquod tempus, miteſcunt. Omnes etiam cuiuſcunq; naturæ fuerint,ab initio humeſcunt. Etenim aëria humiditas & tenuis ſubſtantia aciditatem producit. Nunc de acerbis,qui quidem aridi & auſteri eſſe ſolent. A cæterorum enim in plurimis qualitatibus immunes, vt nec maturitate nec decerptione atq; aſſeruatione ſaporem natiuum immutent, vt quales naſcantur, tales finiant,vt ilicis glandes,arbuti fructus,bacca,corni,iuniperi acini, & huiuſmodi. Quod ſcilicet vt multis placet frigidæ acidæ naturæ ſint,quam quum ab initio induerint vſq; ad mortem adſeruent,vt reliquarum qualitatum permutationis abſq; incremẽto omnino expertes ſint. Poſt dulcedinem enim acrior & tandem amareſcit, ita vt frigeſcens acidior euadat. Quod enim exquiſitè frigeſcit,repente aceſcit.*

HORT

HORTORVM LIBER VIGESIMVSQVARTVS.

De ficu, & eius commendatione. CAPVT I.

IMPERATOR M. Antoninus dicere ſolebat, inſani hominis eſſe ficum hyeme quærere, & tale eſſe, pueritiam præteritã quærere. Tryphon ficum magnoperè laudauit. Primùm verò ſi arborem ipſam conſyderaueris, quæ parua & permodica eſt, aſpectu quidem admodum grata & iucunda. Ipſum autem pomum non inuenuſtum, quod ſatis grandeſcit, tactu molle, oppletq́; odore ſuaui, quod attigerit, guſtu item ſuaue, ac dulce, vt quod omnes ſenſus prouocet. Vt ad reliqua deueniamus, præcipuum honorẽ inter eos fructus, quos horarios vocamus, obtinet, vt potè cuius ſuccus minùs vitioſus ſit, & qui màgis alat, etiã quàm vua, ſucco etiam præſtantior. Vſq; adeò apud priſcos exiſtimatæ, vt Ananius σῦκα τοῦ χρυσοῦ χρειοδέστεραι, id eſt, ficos auro meliores dixerit, & Homerus ingeniorum fons σῦκαί τε γλυκεραὶ, μηλέαι ἀγλαόκαρποι, vt propter eius excellentiam, magna & copioſa eius hiſtoria fuerit, ſi alterius vnquam arboris apud quoſcunque, tam Græcos, quàm Latinos autores diſputata fuerit. Nec in cuius generibus tam diligenter ex regionũ numetiamq́; rebus, aliis differentiis nuſquam nauatum ſit. Præterea ab ea tot ſumptas & emanatas hiſtorias, atq; tot poëtarum fabulas, quibus ipſa antiquitas non potuit alio magis munere ipſam plantam commendare, quàm ipſius à ſuis Deis originem, idq́; etiã trifariàm. Fingunt itaq; poëtæ Syceam aliquem è Titanibus fuiſſe, quẽ quum Iupiter inſectaretur, Terra mater ſuæ prolis miſerta, intra ſe occuluit, ac in eius gratiam in ſyceã arborem, hoc eſt ficum commutauit. In cuius rei memoriam, vrbi in Sicilia Syceæ nomen inditum eſt. Ficus enim ſimplicis vitæ principiũ fuit, vt ait Athenæus. Propterea eius magnus vſus, maior aliquando apud antiquos. Siquidem Lacedæmonij in ſuis conuiuiis, quæ Phidia vocarent, ſingulis conuiuarum menſis, farinæ medimnum, vini choas octo, caſei minas quinq;, ficorum verò vltimum quinq; ſemis minas deſtinabant. Calendis Ianuariis carycas & caryotides, & mella tum Deo, tum amicis ac propinquis elargiri veteres ſolebant, vt dulces anni dies, à dulcibus auſpicarentur. Artaxerxes cognomento Mnemõ Cyri iunioris frater, in fuga, apparatu eius direpto, quum pane hordeaceo, & ficis aridis veſceretur,

tur, exclamauit: Cuiuſmodi (inquit) voluptatis expertem me regalis fecerat affluentia! M. etiam Cato ruris operariis cibaria perfici maturitatem, iuſta ceu lege ſanxit, cùm tunc obſonij vicem ficus recentes habeant. Poſteà verò ſole ſiccatis, caſei loco veſci excogitatum. Crates prodigorũ pecunias, ficubus comparabat, quæ in præcipitijs naſcerentur, quibus homines minimè veſcerẽtur, ſed corui, & milui veluti prodigorum opibus paraſiti & ſcorta. Hoc de omnibus fructibus Diogenes dixit.

Fici arboris deſcriptio, & eius inuentione, & adagio, Folio ficulno anguillam tenes. CAP. II.

SVPRA de Sycea in ficum conuerſum diximus, alij autem de eius arboris inuentione aliter arbitrantur, vt tamẽ ſemper ad Deos ſuos referant. Locum autem, vbi primùm inuenta, viſaq; fuerit, Græci σῦκον vocant, & Athenienſes ὁδὸν ἱερὰν σύκην appellant, quæ Eleuſinem ducit, in qua Phytalum, anguſti agelli, iuxta Marathonem, dominum, Cererem apud Cephiſſum hoſpitio benigniſſimè recepiſſe ferunt. In cuius gratiam, & accepti beneficij non immemor, illum ſurculo ficulneo donauit, qui primùm in Attica coaluerit. In cuius rei memoriam, ad eius tùmulum præclarum ſtat elogium, omnia referente Pauſania:

ἐνθάδε ἄναξ ἥρως φύταλος ποτὲ δέξατο σεμνὴν
δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
ἣν ἱερὰν σύκην θνητῶν γένος ἐξονομάζει,
ἐξ οὗ δὴ τιμὰς φύταλος ἔσχεν ἀγήνωρ.

Calderinus ſic interpretatus eſt:

Hic ſitus eſt Heros, Cererem qui in tecta recepit
Phytalus: huic quondam ea dulcia poma
Monſtrauit, ficos nomen dixere priores,
Phytalus æternos inde ſortitus honores.

Siſibius autem Lacon, fici inuentionem Libero Patri aſſignauit, quare Lacedæmonij hunc Sycitem vocabant, & Naxij ficulna facie excudebant, quem melichon vocabant, & plantam melichen. Locus, in quo primum ficus inuenta fuit, ſacra ficus dictus, & hinc fructus Hegetoria dictus. In Hellade enim ac Sicilia & Cypro, genus arboris fici erupiſſe Theophraſtus ſcribit, quod pomum auerſo folio, groſſum verò aduerſo ſuſtineat. Iam ſe locus exhibet, vt de eius figura diſſeramus, & primùm de deriuatione ac nomenclatione. Ficus enim à fœcunditate dicitur. Autoribus autem & M. Varrone, & Quintiliano, ne Græcis omnia concedere videamur. Hi ſycem vel ſycadem vocant, quanquam hoc vltimum Iulio Polluci nouella planta ſit. Arbor non ſatis procera, vt iam ſuprà diximus, cortex læuis, folium latiſſimum, & laciniosſum, quod Græcorum veteres propter eius aſperitatem θρίον vocauerunt, vt propter eius aſperitatem, anguilla, piſcis lubricus, conuoluta eo facilè detineri poſſit, vnde adagium τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν, id eſt, Folio ficulno anguillam. Supplendum, tenes. Dicitur autem, vbi quis alioquin ſurax, & callidus, ſuis tamen tricis, & arctiore

arctiore nodo, detinetur. Sunt tamen qui dicant, quoſdam Græcos ficorum frondes priuatim illa voce appellare. Pomum apud Græcos σῦκος, dicitur etiam ſi veteres Latini Græca dictione vſi ſunt, vt Mæuius: Sycos mihi recens fuit. Verùm apud Græcos aliæ appellationes. Porrò Athenienſes ἡγητήριον nuncupant, quòd ex mitioribus alimentis primum inuentum ſit, autor Athenæus, vel etiam Cradam. Ij etiam, autore Polluce pomi fundum, vmbilicum vocant. οἱ δὲ ἀττικοὶ καὶ τῶν συκῶν πυθμένα ὀμφαλόν. Folliculus fici, ſicuti frumenti à Varrone gruma dicitur, à Plinio frumentum, Græci χαίας, pomum ſupra folium ſine flore, huic enim tactus mollis. Maturo intus frumenta, ſiue potius grana appellaueris, quæ Græci κεγχραμίδας vocant. In arbore annuus ſeneſcit. Matureſcentibus verò lacteus ſuccus, percoctus mellis. Lac enim propriè, inquiente Macrobio, ficorum dicitur: quod etiam ſentit Ouidius:

At tibi dum lactens hærebis in arbore ficus. Lib. Faſt. 2.

Nam etiam eius vis eſt coagulare modo coaguli, vt Varro ait, ſi fici ramum addant. Nec dubium eſt, vt inquit Columella, quin fici ramulis glaciatus caſeus iucundiſſimè ſapiat. Ad hoc etiam, illo etiam doctore, proderit lac, quod eius arbor emittit, ſi vinctus cortex ſaucietur. Hunc autem humorem lacteum, opon vocant, quod generaliter multi ad arborum omnium lacrymam protendunt. Groſſi appellantur, vt voluit Macrobius, fici, quæ non matureſcunt. M. Attilius: In millibus tot ficorum non videbitis groſſum. Paulo pòſt ait: Sumas ab alio lacte diffluos groſſos. Poſthumius in annali primo, de Bruto: Ea cauſa ſeſe ſtultum, brutumq; faciebat, groſſulos ex melle edebat. Græci ὀλύνθους. Lacones autem antequàm matureſcerent, œcadas vocabant, & pheleces. Ficum etiam maturitatis falſam ſpeciem oſtendentem φήληκαν vocant: φηλῶ enim illis decipio ſignificat. Pſytaliæ quæ neq; recentes, neq; aridæ. Caryca, ficus arida eſt: quidam tamen priuatim genus ponunt, in Syria, Cariáve naſcens. Illius tamen Plinius peculiare ponit. Siccam ficum Græci ἰσχάδα vocant. Pollux tamen diſtinguit, vt alia recens, alia virens dicatur. Et in his oporobaſilides, Alia vetus, alia ſicca, & ſale condita, quam Cratinus Iſchadoptem vocat. Siccæ item potius pingues dicuntur, quàm recentes: ideò Celſus ſiccas pinguiſſimas vocat. Probabantur iſchades Atticæ, vt Indorum Rex Amitrochates per epiſtolam Antiocho mitti ſibi iſchades Atticas flagitauerit.

De ficorum generibus, & horum prima à præcocibus, & ſerotinis, & à colore differentia. CAP. III.

FICORVM generum ingens tam apud Græcos quàm Latinos numerus, vti in alia arbore tot reperire non ſit. Siquidem horum omnium diuerſæ figuræ, varij colores, magnitudine etiam inuicẽ differunt. A regionibus item, in quibus, aut præſtant, aut naſcuntur, varias appellationes ſortitæ. Quæ ex totidem prouincijs eas ferentibus, infinitæ ſunt. Sunt & autorum ijs nomina. Primùm enim, vti à generali inter arborum ferè

omnium fructus differentia incipiam. Præcoces,& ſerotinæ, baſilides,& duracinæ albæ,& nigræ,inueniuntur. In quibus verò deſignandis, plura genera,quæ ſub regionum vocabulo ſunt,deſcribentur,quando eiuſmodi naturæ & coloris apud hos naſcuntur. πρόδρομους Achæi proceres vocabant præcoces,quaſi præcurrentes:πρόδρομος enim præcurſor eſt.Protericæ Laeonica præcox dicitur.Porphyritis inter præcoces etiam annumeratur. Eam autem è minimis & viliſſimis comitatur, popularis dicta. Inter ſerotinas autem chelidonia meritò connumeranda erit, nouiſſima enim ſub hyemē maturatur, etiam Tarenti. Facile enim hanc ab vltima, ſcilicet omnium generum maturitate,cognoſcere erit. Quidam verò eam à Chelydonijs,Illyrici populis,dictam volunt,in quorum frigidiſſima regione, per hyemem etiam matureſcat. Achiui, vt Pamphilus,vel,vt Ariſtophanes in linguis ait, Laconici hybernas ficus,cydoneas appellabant. Saguntinæ hybernæ ſunt. Sequitur color, primumq́; ſeſe offert, quam Dioſcorides à palmarum colore phœniciam vocat, quòd ſit nigra, nec aliud in ea voce ſignificat.In eo enim pomo,rubedo ad nigredinem vergit.Hæ autem pulcherrimæ ſunt,& à quibuſdam Ægilides,ab Ægila tribu appellatæ. Earum meminit Epigenes.Albula,inquiente Macrobio,ab albo colore nomen accepit, & apud Græcos eiuſdem denominationis genera ſunt, alia adiecta qualitate. Nam Athenæo vnum genus eſt λευκερινεός, quod candidum exiſtimat. Leucophalios Theophraſtus chariton & aritiou vocat:& leucophiæ,leucerinæ Athenæo dictæ.Araſiæ albæ meminit Plinius:quæ latiſſima ſit,minimo pediculo. Hic etiam rhodiam albam dicit. A Carijs autem hæmoniæ celebrantur. Hæ etiam apud Lydios habentur: ſic enim,autore Athenæo à ſanguinis colore cognominantur. Sunt etiam,qui in Paro inſula rubras ſic vocari aſſerant. A cæterarum enim ſapore, vt aper à ſue, differunt. Lydeam purpuream dicunt. Proximè ſequitur nigra.Porrò is color illi ſanguineus.Nam,vt ait Horat.

Suamq́; pulla ficus ornat arborem.

Coroneos Straboni, vel corarium Ariſtophani, ficulneæ plantæ genus, quod eius fructus corui colore ſint, quem coraceum vocant. Megarica ficus eſt. Atram aſinaſtram Macrobius ſcribit. Alexandrina è nigris eſt, candidante rima,cognomine delicatæ. Atra eſt & Tellana: alij tellianam vocant, pediculo longo, & Tiburtia, quæ Romæ in honore fuit, autore Athenæo. Barbachytra nigra. Ex his autem duobus coloribus ſortita eſt nomen erythrocomelæna. Sequuntur baſilides, & iſchades baſilides etiam dictæ, & ficobaſilea apud Athenæum. Duricoriæ etiam reperiuntur,quæ & duracinæ,vt in alijs fructibus appellare par eſt. Plautus:

Ficus nobis attulit, duricorias, præcoces.

Inter has autem erit herculana.

De ficorum,à figura, & autoribus,nonnullis generibus.

CAP. IIII.

A Figura enim genera aliquot diſtincta, veluti cucurbitina, mammilla etiam quòd mammarum ſimilitudinem habeat,genus vnum

Chalc

Chalcidicarum & Chiarum. Mariſca Græcè βύσυκος Feſto & Macrobio dicitur. Nam Græci, magnis & amplis rebus, ſyllabam bu, aſſueti ſunt præponere, vt bupedo, bulimæ. Sunt etenim magnæ, quamobrem inter omnia ficorum genera, has tantùm Senecio commendabat. Nempe is ſolùm grandia appetebat, vt proptereà Grandionis nomen ſibi aſſumpſerit autor L. Anneus Seneca. Præ pinguedine verò rumpitur, ſemenq; oſtendit. Quod patefecit Martialis:

Donaſti, Lupe, rus ſub vrbe nobis. Lib. 11. Epigr.
Non boletus hiare, non mariſcæ
Ridere.- Mariſca etiam (vt nil in hac voce deſideretur) morbus, ſic dictus à fici ſimilitudine, ficus etiam dicitur, de quo Iuuenalis:

- Et podice leui
Cæduntur tumidæ medico ridente mariſcæ.

Eadem ratione Græcè etiam σύκωσις dicitur. Coctanæ, alij coctana pronuntiant, inter minores numerantur, de his Iuuenalis:

- Quo pruna & coctana vento.

Miſſitabantur olim inter Saturnalia & xeniola, vaſe turbinato. Quod declarauit Statius hendecaſyllabo:

Nuſquam turbine conditus ruenti Syluar. lib. 4.
Prunorum globus atq; Coctanorum.

In vaſculis etiam mitti ſolebant, quorum forma metæ inſtar erat. Quod diſticho comprobat Martialis:

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta, Mart. lib. 13.
Si maiora forent coctana, ficus erat.

Harundineam verò, folij harundinei maculam variare Plinius ait, à nonnullis alſula dicitur. Sunt & autorum ijs nomina: Auguſta, Liuia, quam Macrobius Liuianam vocat, aliqui Labianam, Calphurniaca, Pompeia, ſiue Pompeiana. Fuit Romæ in comitio ficus Nauia, ab Accio Nauio cognominata.

De cæteris ficorum generibus, vt plurimum ſecundum regiones diſtinctis. CAP. V.

CÆTERA finiamus genera, Chalcidicarum ſiue Caldicarum, vt vocauit Macrobius, & Chiarum, quæ in pretio Romæ fuerunt, autore Athenæo, plura genera, è quibus Lydiæ, & Mammillæ, de quibus ſuprà, & Calliſtruthiæ, Latini paſſarias vocant. Nam apud Græcos στρουθὸς paſſer eſt, parum ſapore commendabiles, atq; ficorũ omnium frigidiſſimæ. Refert enim Capitolinus Clodium Albinum quingentas ficus paſſarias ieiunum comediſſe, & centũ perſica Campana, & melones Hoſtienſes decem. Has enim alio palato præter cæterorum guſtum, eum habuiſſe, ſua ingluuie conſtat. Chia autem in Setinis agris, ob ſalis, viniq; ſaporem præſtantiſſima. Martialis:

Infanti melimela dato, fatuasq; mariſcas, Epigram. lib. 7.
Nam mihi, quæ nouit pungere, Chia ſapit. Et alibi expreſſius:

Epigr. lib. 13. *Chia ſeni ſimilis Baccho, quam Setia miſit,*
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.

Cauneas verò à Cauno Cariæ oppido, laudari cōmune eſt, inquit Athenæus. M. enim Craſſo, nauim aduerſus Parthos conſcendenti, omen fuerunt, quodam ſe Cauneas habere venales prædicante, ac ſi illum iuxta vocis expreſſionem, moneret, vt caueret, ne iret. Quod ex Cicerone ſatis declaratum eſt. Sic enim libro ſecundo de Diuinatione ait, Cùm M. Craſſus exercitum Brunduſij imponeret, quidam in portu carycas Cauno aduectas vendens, Cauneas clamitabat. Dicamus ſi placet, monitum ab eo Craſſum, caueret ne iret: non fuiſſe periturum ſi omini paruiſſet. A Caunis verò Ætoliæ ciuitate, laudibus Parmenio Byzantius proſequitur Antiochena Straboni trophillos. Fert enim Antiochia Phrygiæ, quæ Mæandro oppoſita eſt, multam carycam. In Megarica probatur nycilea, cuius meminit in linguis Creticis Hermonax. Probatur etiam à Zacyntho, cuius autoritatem Plautus in Mercatore firmat. Amadeæ etiam in Megarica probantur. Paluſcæ meminit Macrobius. Africanæ autem genus multi cunctis prætulere. Eſt & ab eadem regione quæ Numidica dicitur. Tuſculana Romæ in honore fuit. Itaq; Phaonius, partium Pompeianarum, cùm Cæſarem in Theſſaliam fugientem Pompeius perſequeretur, dicendi licentia, illi detrectans, acclamauit: O indignum facinus! Hoc anno ob ſtudium cupiditatemq́; imperandi, ficus edere Tuſculanas non licebit. Memorantur & alia genera, præſertim ab Athenæo. Porrò is huiuſce hiſtoriæ diligens ſcriptor fuit, vt cirrhocæladia, hyladia, ſarcelaphia, lapyria, picridia, dracontia, aſcalonia, myleca, cremia, melanophia. Memoratur & celeuron, phormynion, ſulcæ, & topiæ, amphariſteæ philabæ, coronei, procrides, taxaliæ, bagindariæ. Neſcio an ſint, quas nonnulli brigindarides vocant. Barbaræ bonitate quidem præcellentes, tithraſiæ Theopompo leptodiæ, proſonidæ Pamphilo. Ebuſus inſula præſtantiſſimas & ampliſſimas fert ficos, mox in Marrucinis. Scardona inſula maris Adriatici eſt, Illyrico adiacens, peroptimis ficubus abundat. Oneſicritus in Hyrcania, multum noſtratibus eſſe dulciores, fertilioresq́; tradit, vt quæ modios CCLXX. ſingulæ ferant. Laconicarum Ariſtophanes in Agricolis meminit, quas paruas à plantæ exiguitate appellauit, & Phrygiarum Alexis. Ex ſupradictis autem generibus, aliquot à L. Moderato Columella, in ſuo carmine memorantur, quæ huc transferre non pigebit: quandoquidem hoc carmine non minimam & fidem, & autoritatem ſuperioribus allaturum exiſtimem:

Colum. lib. 10. *At grauis Arcturi ſub ſydere parturit arbos*
Liuia, Chalcidicis, & caunis æmula Chijs,
Purpureaq́; Chelidoniæ, pinguesq́; Mariſcæ,
Et Calliſtrutis roſeo quæ ſemine rides,
Albaq́; quæ ſeruas flauæ cognomina ceræ,
Sciſſa Libyſca ſimul, picto quoq; Lydia tergo.

Mirum enim, è tot generibus, ne quidem ſolam appellationem remanſiſſe, niſi forſitan ſuæ originis: neq; enim nunc aliter vocamus quàm Ligurinas,

gurinas, Campanas, Maſſilienſes,& ſic de cæteris,vt propterea illud cum Plinio bellè dicendum ſit. Subiere enim tot ficorum nomina, vt ex hoc ſolum æſtimantibus appareat, mutatam eſſe vitam. Ficedula inſuper auis ſic M.Varroni dicitur,quod ficubus veſcatur,ob quam rem Græcè etiam συκελὶς dicitur,& ἀμπελὶς, id eſt,vuedula, ab vuis, quas etiam paſcitur. Qua voce etiam Latinè debuit vocari, ad quod alludit Martialis Epigrammat.lib.13.

Cùm me ficus alat, cum paſcar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

De generali ficorum natura. CAP. VI.

QVARE autem fici arbos amariſſima ſit, fructus verò dulciſſimus:nituntur quidam cauſam reddere,vltrò citroq; ſeſe contorquentes, vt Plutarchus in Sympoſiacis, vt ſuper his potius ratiocinari videantur, quàm rem dilucidè demonſtrare, ideò à me prætereita. At vbi de eius vi diſſerendum eſt, congruum erit,vti anteà de eius virtute dicamus, quæ penè diuina eſt, cuius etiam ex natura, ratio aſſignari minimè poſſit. Fulmine primùm non ici exiſtimant plures,inter quos Plutarchus,loco ſuprà memorato:quod nonnulli eius amarori tribuunt,& trunci vitio, vt talia fulgure non percellantur. Quod ſi verum ſit, multiplex, contra rem tam horridam, tanq; pertimeſcendam, & tantum naturæ periculum, remedium, cùm tot res amaras inuenire ſit. Taurus etiam vtcunq; ferociſsimus,fico adalligatus,miteſcit,tangiq;, ac ſubigi, & manu palpari tolerat. Multi acrimoniæ arboris ſpiritus attribuunt. Quod neq; atq; de ſuperiori arbitror,verùm illud ingenita & occulta vi, cuius ratio reddi poſsit minimè,vt de multis alijs eſt,procedere. Et,vti ad minora deſcendamus, gallus iugulatus ſi in fici arbore pependerit, tenereſcit: quod ad omnes alias carnes cæteri extendunt.Plutarchus autem prædicto loco rationem adfert, videlicet quòd auram acrem & validam, idcirco coquentem. Equos verò & aſinos tum maximè bulimo affici, cùm aut ficus recentes, aut mala baiulant. Plutarchus loco ſuprà citato. Temperatæ autem naturæ eſſe Galenus ait, & tenuium partium. Calidam alij arbitrantur, argumentum ex eo deſumentes,quòd fumus, quem multum emittit, omniũ acerrimus ſit.Differentis enim vis ſunt,aridæ,& recentes,æquumq; eſt, vt prius de illis, quia earum crebrior vſus,dicamus: recentibus verò calidiores,vt initium ſecundi ordinis attingant.Corpus excalfaciunt,nutriuntq;,purgant,diſcutiunt ea,quæ in aliqua corporis coierint parte. Sitim magis ſtimulant. Attenuandi vires habent,inflationes,& ſanguinem improbum,ſi non celerius tranſeant,pariunt: eoq; frequentiùs vſurpatæ ſcabiem gignunt, ac pruritum, pediculos generant, deprauatos ſuccos adaugent,ex his,qui calidioris temperaturæ ſunt,bilem flauam generant. Qua ex re qui huiuſmodi ſunt naturæ, ſtatim pòſt oxyſaccarum bibere debent. Si enim cum craſsioribus cibis permiſceantur, non parum lædunt:contrà ſi cum tenuioribus comeduntur,conferunt: vnde quidam

pectus iuuare, & ad tuſſes facere, & ſatis corpus nutrire, & corporis bonum halitum & parare, & facere. Cibus enim his probus eſt, renesq́; & iecur purgant, aperiuntq́;, abſq; enim oppilatione liberant. Recentium verò cibus reliquo ocyus conficitur,non tam propter alimenti copiam, quàm quòd nil noxium habeat: verùm quia cum cæteris fructibus, & alijs eſculentis oblatus,multum illis negotium exhibet,illorum calori cedens,minimè excoqui vetans. Velox præterea è ventriculo, propter eius flatus tranſitus, & in ſingulas corporis partes facilis diſtributio. Nam corpori minimè ſolidum præbet alimentum, ſed ſublaxum. Virtute imbecilliores,ventrem magis,quàm aridæ,ciunt:maximè ſi ante alios cibos ſumantur. Et,vt de omnibus generaliùs, idq; etiam cum Hippocrate loquar, atq; ex hominum ætate ac temporis differentia. Si exactè maturuerint, propè euadunt, atq; omnino innocuæ, nouiſſimæ ſalubriores, quàm primæ,mediatæ nunquam. Iuuenum vires augent,ſenibus meliorem valetudinem, minusq́; rugarum faciunt. Sunt qui meridiano eſu abdicent: tunc enim,vt Pherecrates tradit, morbum creant. Autumno enim inſalubres, quoniam ſudantia, huius cibi opera, corpora perfrigeſcunt:ob id ſudorem papulasq́; prouocant. Voci contrariæ ideò Demetrius Sceptius,vocis ſtudioſis,ficis abſtinere iubet,exemplo Hegeſinactis Alexandrini hiſtoriarum ſcriptoris, qui cùm à principio pauper eſſet, Tragœdiarum optimus actor euaſit, quòd ficis per octodecim annos abſtinuerit. Alioquin eos fieri εὐφώνυς, qui ficis vtantur. Molles, & dulces,dentes offendunt: gingiuis enim ſua lentitate adhærent, & ſeſe inter dentes inſinuant,& putredinem per ſuum calorem efficiunt. Granorum etiam durities inter mandendum dentes effatigant. Hæc enim vt comedimus,ita per aluum egerimus,quod parua admodum ſint,& adeò ſicca vt concoqui nequeant. Decoctæ verò ventrem etiam educunt, ac euocant. Idem præſtant groſſi in aqua decocti. Quærit apud Athenæum Heraclides Tarentinus in Sympoſio, nunquid poſt ficus calida an frigida aqua ſumenda ſit? qui enim calidam bibendam exiſtimant,his rationibus freti quòd calida aqua citius manus abſtergit, vt conſentiente ratione ea, quæ in ventre ſunt, ſtatim calore diſſoluantur. Qui verò frigidam bibendam aſſerunt, in ſtomacho conſidentia & grauia deorſum ferri: ſed qui ſibi ſalubrius conſulunt,mero vtuntur,vt propterea quæ in ventre ſunt, citius propellantur. Nam ficus non commodè ſtomachum diſponit, quòd illud inflammet, & debile faciat. Satiuam rutam ſub fici arbore natam Theophraſtus, Dioſcorides, Plutarchus, & Palladius in cibos magis admittunt.Ficorum cuſtodes Græcè συκωροὶ dicuntur:Philoſycos, cui ficus placent.

De ſpeciali ficorum erga morbos vi. CAP. VII.

GENERATIM de ficorum viribus dictum eſt: vt etiam circa has ipſi autores diſſenſerint. Sequens erit, vt ſpeciatim de his ad morborum remedia diſſeratur. Aluum ſine torminibus læuigant, & ſoluunt: verùm ab his ſoluta facillimè cohibetur.

Renibus

Renibus purgandis idoneæ, præſertim verò admodum maturæ. Nempe abſtergendi vim eximiam habenr,vt comeſtæ plurima arenoſa è renibus trahant. Idem præſtant carycæ. Nam attenuandi viribus excellunt. In febribus conſtrictis, quas ſtegnas vocant, propter vim, quam in ſedanda ſiti, ac calore habent, non negantur. In vino autem decoctæ, & appoſitæ,carbunculos extrahunt: carcinomati verò, ſi ſine vlcere ſit,pinguiſſimam ficum imponere, ſingulare penè remedium eſt: item phagedænæ. Induratos verò tumores diſcutiunt, vel ipſemet appoſitæ, vel earum decoctum. Oportet autem vbi maturare eſt animus,triticeam farinam miſcere:vbi diſcutere,hordeaceam. Eſaias Prophetes Ezechiam Hieroſolymorum Regem ſanauit,impoſita ſuper vlcus ficorum maſſa. Aluo vtiles: rheumatiſmis tamen eius,ac ſtomacho contrariæ. Item renum, gutturis, & arteriæ vitijs,& ſe à longa valetudine recolligentibus vtiliſſimæ,& hydropicis ac comitialibus. Ad dentium autem dolores fici pinguis corticem terito, & eius ius in dentem conijcito. Cum malicorio pterygia purgant:cum atramento ſutorio,vel,vt ait Plinius,cum æris flore, deploratis ferè tibiarum fluxionibus,& cacoëthis vlceribus medentur. Crudæ verò, & conciſæ & ſinapi liquido exceptæ, & auribus inſtillatæ, earum ſonitus & pruritus ſanant. Coctæ autem,& illitæ duritias diſcutiunt:cum hyſſopo verò potæ, pectoris & pulmonum diuturna vitia, & tuſſim veterem purgant. Cum vino enim ad ſedem,mamillarum tumorem,& parotidas illinuntur:panos & furunculos ad maturitatē perducunt: verùm efficaciùs,nitro,iri,vel calce addita,aut etiã crudæ,ſi cum his mandantur. Tuſæ autem cum croco & nitro,demũ manducatæ,aluũ molliunt. Cum ruta coctæ,torminibus clyſtere infundũtur. Cum hordeacea verò farina ad idē cataplaſmati miſcetur,addito vino & abſynthio & hordeacea farina. Omnibus verò,quæ emollienda, aut diſcutienda ſunt,illinuntur. Crematæ item in cerato perniones & prurigines ſanant. Decoctũ verò carycarũ contra tonſillarũ & faucium inflammationes gargarizatum prodeſt. Vtileq; erit,illo fouere fœminas,addito maximè fœnogręco & ptiſana. Foliorum horũ vſus,in his,quæ exulcerari opus eſt,idoneus. Strumis,lichenis,& alopecijs illinuntur. His etiã ficoſæ extuberationes,& aſperæ oculorum palpebræ fricantur. Furfures & epinyctidas,ac manantia in capite vlcera, cũ ſale & aceto illita ſanant. Albæ verò nigræ've folijs,aut ſummis caulibus vitiligines perunguntur. Cortex cum oleo tritus,ventris vlcera ſanat Prodeſt etiam, ſi quis inclinata arbore,ore ſupino,aliquem nodum eius, nullo conſpiciente, mordicus abſtulerit, atque adalligatum licio & collo ſuſpenderit. Hac enim ratione ſtrumas,ac parotidas diſcuti. Nonnulli à pubere id fieri, & ante Solis ortum debere aiunt. Lacteus autem ſuccus tam ſatiuæ, quàm caprifici, exulcerandi, & aperiendi vim habet. Vlcera enim manifeſtat, & vuluam cum detrita amygdala potus, venarũ etiam ſpiracula,laxat. Menſtrua ciet,cum oui luteo, aut Tyrrhenica cera appoſitus, aut cum amylo, vt Plinio placuit, potus. Podagris cum fœnigræci farina,& aceto vtiliter illinitur. Lepras, lichenas, pſoras,vitiligines, vlcera capite manantia,cuncta hæc cum polenta emendat,pilos quoque detrahit,

detrahit, aluum ſoluit, verrucarum formicationes, quas myrmecias vocant, cum adipe tollit, circumlita in ambitu carne. Lana verò exceptus dentium dolori prodeſt, eorum cauis inditus. Cinis cum cera, & roſaceo oleo ſubactus, ambuſtis, cicatricem obducit. Luſcioſos ex oleo illitus emendat, dentiumq; vitia, crebro fricatu. Datur tetanicis, & ſpathicis. Spodij vicem exhibet. Fruticum autem à radice exeuntium cinis, bis toſtus, abiecto pſimmythio digeritur in paſtillos, ad oculorum vlcera & ſcabritiem. Fit è cinere tam fici, quàm caprifici lixiuium, crematis ramorum caulibus, quod oportet cinere ſæpius repetere, & inueteraſcere. Miſcetur his, quæ vrendo ſunt: gangrænis prodeſt, quippe omnium efficaciſſimè expurgat, & quæ excreſcunt, conſumit. Et hoc modo vtendum: Spongia hoc lixiuio aſſiduo imbuta ſuperponitur. Conuenit & dyſentericis, & antiquis alui fluxionibus, & profundis vlcerum ſinibus. Etenim purgat, conglutinat, carne etiam replet, & oras non minùs, atq; emplaſtra, quæ cruentis vulneribus imponuntur, committit. Ad diſcutiendum autem ſanguinem concretum bibitur, & conuulſa, rupta, percuſſa, & his, qui ex alto præcipitati fuerint, cum cyatho aquæ per colum traiectæ, & addito olei exiguo. Cœliacis per ſe cyathus potus, aut infuſus prodeſt. Inungitur præterea vtiliter cum oleo in neruorum doloribus, vtpotè quòd ſudores moueat.

De ſpeciali ficorum erga venena vi. CAP. VIII.

DE ficorum verò erga venena vi præſtanti, tanquam de re maxima, vt per ſe diceremus, æquum fuit. Nota itaq; fuit Mithridatis, de qua ſuprà, compoſitio, tantoperè à multis celebrata, de qua etiam Iuuenalis, Satyra 14.

– Atq; eme quod Mithridates
Compoſuit, ſi vis aliam decerpere ficum.

Quippe carycæ cum iuglandium nucibus commanducatæ, venenorum maleficia hebetant. Scorpionis recenti ictui ſuccum fici inſtillatum mederi, nonnulli è Græcis autoribus aiunt, & hac ratione non vltrà progreſſurum. Alij cum ſale carycam terunt, & illinunt. Faciunt & ad canis rabioſæ morſum, & crabronum, & veſparum ictus, & vlcera, quæ ceria, id eſt, fauos dicunt, cum melle, vel aceto, vt dicit Plin. trita & illita.

De vino ſycite, & aceto è ficis. CAP. IX.

VINVM in Cypro è fico fit, quod ſycites dicitur: quidam palmipyrum, alij catorchiten vocant. Carycæ autem, quæ Chelidoniæ appellantur, in vrceolum deijciuntur, cuius fundum perforatum ſit. Harundine picata, & lino foramen obturetur: quadragenis ſextarijs, aquæ congios tres infundi conuenit. Quod vinum ſi ita dulce eſſe non libeat, congios quinq; infudiſſe ſatis ſit. Poſt decem dies liquor excipitur, atque iterum, tertiò quoq; idem aquæ modius, in qua vinacia maduerint, infunditur, ſimiliq; modo intercedente ſpatio, quartò, aut quintò excipitur. Quidam verò

verò amplioris eius ſex, ſalis ſextarios decem adijciunt. Alij pro ſale, muriæ amphoram. Hac enim ratione, non facilè corrumpitur, & aluo idoneum exiſtimant. Aliqui fœniculum & thymum in imo ſubijciunt, & carycas ſuperponunt: & ita viciſſim, donec vas impleuerint. Id autem tenue eſt, inflat, ſtomacho aduerſatur. Nam cibi faſtidium parit: aluo tamen prodeſt, vrinam ciet, & menſes trahit, & lactis abundantiam facit: vitioſum tamen ſanguinem creat, & elephantiam adfert, zythi modo. Poſt vinum autem ſequitur acetum, cuius ratio è Columella talis erit: Sic enim ad verbum ait: Quibus regionibus vini, ideoq; aceti penuria eſt: itaque hoc eodem tempore ficus viridis quàm maturiſſima legenda eſt, vtique etiam ſi iam pluuiæ inceſſerint, & propter imbres in terram decidit, quæ cùm ſublecta eſt, in dolium vel in amphoras conditur, & ibi finitur fermentari: Deinde cùm exacuit, & remiſit liquorem, quicquid eſt aceti diligenter colatur, & in vaſa picata bene olida diffunditur. Hoc primæ notæ acerrimi aceti vſum præbet, nec vnquam ſitum, aut mucorem contrahit, ſi non humido loco poſitum eſt. Sunt qui multitudini ſtudentes, aquam ficis permiſceant, & maturiſſimas ficus recentes adijciant, & patiantur in eo iure tabeſcere, donec ſatis acri aceti ſapor fiat. Poſtea in iunceis fiſcellis, vel ſparteis ſaccis percolant, liquatumq; acetum inferueſaciant, dum ſpumam, & omnem ſpurcitiam eximant: tùm torridi ſalis aliquid adijciunt, quæ res prohibet vermiculos aliáve innaſci animalia. Hæc ille ad verbum: quæ hîc transferre non erubui, quandoquidem nec breuiùs, aut eloquentiùs deſcribi potuerunt.

Corui in ſydus tranſlati fabula, & de nonnullis alijs.

CAP. X.

FINGVNT poëtæ, ſacrificante Apolline, coruum, qui in eius tutela eſſe dicitur, ad fontis puram aquam aſportandam miſſum. Vidit hic ficorum plures arbores, & in his fructus nondum maturos, earum aliquam conſedit, expectaturus quidem dum eius fructus matureſcerent: quod vbi euenit, plures à coruo ad ſaturitatem vſq; comeſæ ſunt. Cuius moram, tam eſus quàm maturitatis, vtpotè non minimam, pertæſus Apollo, quum etiam re alia ad ſacrificandum vti neceſſarium fuiſſet, coruum hac pœna atque ignominia vltus, vt quoad fici matureſcerent, bibere poſſet nequaquam. Per illud enim tempus guttur pertuſum habet, vt propterea haurire aquam poſſit minimè. Aliter alij, vt Ouidius in ſecundo Faſtorũ. Dum enim Iupiter feſtum ſolenne appararet, coruum, vt aquam ferret, miſit: qui, vt ſuprà dictum eſt, dum ficus maturandas expectaſſet, quas prius roſtro immaturas depræhendiſſet, diu immoratus, & Ioui moræ cauſam mentitus. Nam illi aquarum obſeſſorem hydrum affirmarat. Ob cuius mendacium, ab eo in ſydus cœleſte commutatus. Fici arbor fuit, in qua Æacus Iouis & Æginæ filius formicas vidit, quas in ſociorum ob peſtilentiam amiſſorũ, ſolatium in homines conuerti deſyderauit. Quod ſtatim voti compos euenit: qui poſteà Myrmidones dicti. μύρμηξ enim

Græcè formica dicitur. Iuxta Eleuſinem Atticæ ciuitatem, & prope Cephiſum fluuium locus eſt, quem Caprificum appellarunt, quo Plutonem rapta Proſerpina, ad inferos deſcendiſſe fama eſt. Pauſanias in Atticis. Adamus autem & Eua, poſt in Deum præuaricationem factam, cùm ſe nudos cognouiſſent, fici folia conſuerunt, & ſibiipſis perizomata fecerũt.

De Catonis Cenſorij vafro, & ingenioſo documento, quo patribus delendam fore Carthaginem ſuaſit, & Xerxis iuramento, & Saudanis erga Crœſum conſilio, & Philemone. CAP. XI.

DE fabulis ad hiſtorias deueniendum. Suprà enim de ficis Africanis meminimus, quas nonnulli cæteris prætulerunt. Harum enim meminit M. Cato. Cuius pomo ad ingens documentum Cato Cenſorius vſus. Reuerſus enim ex Africa, vt in eius vita ſcripſit Plutarchus, ad quam ſenatus ſententia miſſus fuerat, vt controuerſiarum Carthaginienſium, & Maſſiniſſæ Regis Numidiæ inter ſe diſceptantium cauſam dignoſceret. Itaque perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumq́; ſecuritatis anxius, ſenatum docuit, Carthaginienſes ſuperioribus cladibus non tam infirmiores, quàm prudentiores, nec tam armis debilitatos, quàm bellicis artibus inſtructiores eſſe factos. Quadam verò die præcoces ex ea prouincia ficus in curiam attulit, quas clanculum ſubter togam de induſtria occultarat: oſtendens itaq; patribus (quibus magnitudo ac pulchritudo illorum ſummæ admirationi fuit) Interrogo vos, inquit, quando pomum hoc ex arbore demptum putatis? Cumq́; recens inter eos conſtaret. Fundus (inquit) ex quo lecta hæc ſunt poma, trium dierum nauigatione tantùm ab vrbe diſtat: tertium quoq; ante diem Carthagine decerptum ſcitote: Tam propè à muris habemus hoſtem. Sumptum quoque ſtatim Punicum tertium bellum eſt, quo Carthago deleta eſt, quamuis Cato anno ſequente raptus ſit. Quid primùm in eo miremur, vt Plinij verbis vtar, curam ingenij, an occaſionem fortuitam? rurſusq́; celeritatem, an viri vehementiam? Supra verò omnia quoddam eſt, quo nihil duco mirabilius, tantam illam vrbem, & de terrarũ orbe per CCXX. annos vrbis Romæ æmulam, vnius pomi argumento euerſam. Quod non Trebia, quod non Thraſymenum, quod non Cannæ, buſto Romani nominis inſignes perficere potuere: non caſtra Punica ad tertium lapidem vallata, portæq́; Collinæ adequitans ipſe Annibal, tantò propius Carthaginem pomo Cato admouit. Simile autem Xerxis in ſubigenda Attica è fico argumentum fuit. Nam cùm in Perſide venales ficus Atticas depræhendiſſet, iurauit ſe non antea eſurum, quàm regionem illas ferentem deuiciſſet. Saudanis Crœſo etiam perſuaſit, ne aduerſus Perſas prœliaretur, qui aſperam regionem inhabitarent, ficos minimè ferentem, nec quid aliud bonum, quod comederent. Scribit Valerius Maximus Philemonem immoderati riſus vi expiraſſe. Cùm enim paratas illi ficus, & in conſpectu poſitas, aſellus deuoraret, ſeruum, vt illum abigeret, inclamauit: qui cùm

iam

iam conſumptis omnibus ſuperueniſſet. Quoniam, inquit, tardus adfuiſti, da illi merum: ſtatimq́; cachinnorum vi euanuit. Tam enim illi grata fuit ſuijpſius vrbanitas. Eadem de Chryſippo produntur.

De caprifico. CAP. XII.

INTER arbores ſylueſtres caprifico locus aſſignari debuit: verùm quia eius materiei, ob ligni imbecillitatem minimus vſus, vtpotè etiam, quod in ficetis tantùm inſeratur, quibus propter ficorum maturitatem, plurimùm prodeſt, vt ſuprà oſtenſum eſt, non itaq; incongruum erit, vt poſt domeſticam ficum deſcribatur. A carpendo autem dictam volunt, quòd muros, ſaxaq́;, ac parietes carpat. Quod teſtatur Martialis:

Marmora Meſſalæ findit caprificus. Epigr. lib. 10.

Græci vocant ἐρινεὸν, vt Pauſanias ait: quòd in Erino Theſſaliæ, vel, vt alij volunt, Achaiæ municipio primùm apparuerit, vt Phocioni placuit. Alij, vt Phauorinus, fici ſpeciem ab Erino vrbe Dorica. Zteztes Lycophronis interpres, ficum fatuam dicit. Nonnulli olynthum. Meſſenij tragum, quod Apollo Ariſtomeni & Theocli vati, de ſalute conſultantibus ſignificauit. εὖτε, τράγος πίνησι νέδης ἑλικόῤῥοον ὕδωρ οὐκέτι μεσσήνην ῥύομαι. Eſt autem Neda fluuius, cuius fontes in monte Lycæo viſuntur, in Arcadiam fluens. Eo autem oraculo tragus, arbor caprificus, non hircus intelligitur, quæ in Nedæ fluminis ripa enata, non recta, ſed in fluuium deflexa excreuit, vt folijs humorē quodammodo haurire videretur. Hanc autem Theocles conſpiciens, caprificum, capri nomine intelligere voluiſſe Apollinem, è Neda bibentem. Cùm itaq; iam Meſſenijs impenderent, reliquos celauit, Ariſtomenem verò ad caprificum perduxit, & rem omnem aperuit. Sic itaq; interpretatum eſt oraculum, ipſe Nedes dum hircus bibat alta fluenta, nec vltrà, Meſſenen ſeruo: Propè enim inſtant triſtia fata. Hæc Pauſanias in Meſſenijs. Fructus Polluci ἐρινεὰ vocantur. Figura autem eadem cum ſatiua, vt noua eius deſcriptione minimè opus ſit. Theophraſto potiſſimùm laudatur nigra, ac locis ſaxoſis orta, hac verò ratione, quòd multa grana in ſe contineat: robuſta etiam eſt. Noſcitur hæc à culicibus, qui ex ea emerſerint, de quibus alibi dictum: contrà imbecillior alba.

Caprifici vires. CAP. XIII.

CAPRIFICI autem vim Dioſcorides in fico deſcripſit. Plinius verò ſeparatim, vt & ſi multas inuicem ex agnatione ſimiles habeant vires, multas tamen inter ſe quemadmodum inter conſanguineos diſſimiles mores ſunt, ita inter facultates differentes. Vt propterea multa hîc repetijſſe, quæ in ſatiua contra morem meum oportuerit, per omnia etiamnum ſatiua efficacior. Arbor quidem calidæ, tenuiumq; partium temperaturæ, vt domeſtica, vt liquor, & ficorum ſuccus, non rodat modò, vel valentiùs abſtergat, verùm etiam exulceret, & ora venarum aperiat. Vbi autem bos

bupreſtim deuorauerit, caprifici fructum in nares inſtillant. Iam verò & purgandi vim obtinet. Sed & caules, quos Græci κράδας vocant, adeò calidi, vt additi magno ligni compendio, carnes bubulas, & ſi duras, citius percoquant. Lactis minùs habent. Eius verò ſurculo, veluti domeſticæ, lac in caſeum coagulatur. Groſſi, quas nonnulli erineos vocant, crudæ, & fornicantes verrucæ, ac thymos, nitro, & farina additis, & omnia, quæ vel emollienda, vel diſcutienda ſunt, illinuntur. Cum ſylueſtris verò papaueris folijs, infracta oſſa extrahunt: cum cera etiam furunculos ſoluunt: cum vino autem & eruo, contra ſcolopendras & muris aranei morſus illinuntur. Reſiſtunt & ſanguini taurino epoto, & pſimmythio, & lactis coagulo potæ. Illitæ verò ſtrumas emolliunt, & omnium collectionem ſuffitu. Inflammationes diſcutiunt. In aqua autem decoctæ, atq; illitæ, parotidas ſanant: quàm minutiſſimæ enim ad ſcorpionum ictus è vino bibuntur. Recentes autem cum vino ad phagedænas. Cum melle & folijs ceria ſanant, & canis morſus. Hyberna verò cum aceto cocta & trita impetigines tollit, ad hoc etiam rami ſine cortice, quàm minutiſſimè ad ſcobis inſtar teruntur, & linuntur. Folia, quæ molliſſima ex his ſunt, cum aceto, vlcera manantia, & epinyctidas, & furfures ſanant. Admiſto autem eruo, contra marinorum venena proſunt. Si autem, vt inquit Columella, bobus ex cruditate neglecta, inflatio ventris & inteſtinorum maior dolor inſecutus fuerit, prodeſt caprificum aridam contritam, cum aquæ calidæ dodrante dare. Radix enim in vino deferuefacta, dentium dolores ſanat. Lac exceptum, in duritiemq́; coactum carnibus ſuauitatem adfert, fricantur eo ex aceto diluto. Corpus, autore Celſo, exedit. Exulceratorijs medicamentis miſcetur. Aluum ſoluit. Vuluam cum amylo aperit. Potum verò cum oui luteo menſes ciet, cum fœnigræci farina podagris illinitur. Pſoras, lentigines, lepras expurgat, item venenatorum ictus, & canis morſus ſanat, dentium quoq; dolori cum lana appoſitum, aut cauis eorum inditum, Scorpionū plagæ inſtillatur: folia etiam imponuntur. Aduerſus murem araneum prodeſt. Arboris cinis ex melle, faucium vuam ſanat, & rhagadas, caulicorum per ſe vuam. Suprà taurum ad ficum alligatum miteſcere dixi. Sunt qui eadem dicant de caprifico ad collum ligato. Quare Ægyptij hominem frugi, poſt relegationem denotare volentes, taurum ad caprificum religatum figurabant. Contra eſt in chamæleonte, qui, vt ſcribit Plinius, circa caprificum ſerus fit. Tanta, tamq́; differens erga diuerſa animalia, vnius plantæ virtus.

De arbuto. CAP. XIIII.

ARBVTVS, ſiue vnedo, Græcè κόμαρος, & μιμαίκυλος. Quidam tamen arbutum arborem exiſtimant, fructum verò vnedonem: ſicuti & apud Græcos ipſe ille Dioſcorides κόμαρον arborem & μιμαίκυλον fructum, vt tantùm arbutus ab vnedone differat, & apud Græcos κόμαρος à μιμαικύλῳ, quantum arbos à fructu. Sunt tam è Græcis quàm Latinis, qui fructum & κόμαρον & μιμαίκυλον & arbutum & vnedonem vocitent.

citent. Vergilius autem cùm arbutum pro fructu protulit, neutro genere dicit, in primo Georgicorum,

- Cùm iam glandes, atq; arbuta ſacræ Ecloga 7.

Deficerent ſyluæ.- Et in ſecundo:

- Dant arbuta ſyluæ. Et de arbore ſic:

Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra.

Sunt tamen qui dicant Horatium arbutum fœminino genere pro fructu poſuiſſe, his carminibus:

Impunè tutum per nemus arbutos

Quærunt latentes.-

Placet ex Dioſcoride differentia, propter vnedonis appellationem, quæ ab eſu nomen accepit. Nam ſui aſperitate, plura edi non poſſunt: quaſi vnum tantùm edi poſſit, vt ait Plinius, vti ab eius aſperitate quidam orodon nuncupent. Galenus tamen vnedonem fructum eſſe dicit epimelidis: quæ arbos Dioſcoridi, meſpili genus eſt, quod nonnulli arbitrantur, à ſimili fructuum harum arborum vi. Arbutus arbor apud Theophraſtum nelia dicitur, iomalus è recentioribus apud nonnullos. Plinius autem ex illis duabus prioribus vocibus duo genera poſuit. Fruticoſa arbor tamarici perſimilis. Dioſcorides verò cotoneo malo, cortice tenui, folium inter laurum & ilicem habet. Flores baccis myrti, verùm longioribus, ſimiles, vno pediculo, racematim dependentes, non foliati, ſed concaui ceu oui vertice pertuſo. Cùm verò deflореſcunt, perforantur, & quod defloruerit, in pediculum relabendo, verticelli inſtar circa fuſum, tenue apparet. Pomum enim fragorum fructui perſimile, ſine nucleis, prunorum magnitudine. Per maturitatem autem flaueſcit, & rubeſcit. Vnde Ouidius:

- Pomoq; onerata rubenti Arbutus.- Metam. lib. 10.

Anno matureſcit, grato per hyemem ſpectaculo. Tunc enim volentibus (cæteris arboribus ſuo honore priuatis) ſua poma offert, etiamq; colore blanda. Quum enim manditur, linguæ & dentibus, veluti palearum acus ſe repræſentat. Arbos, & fructus ipſe, acerbæ qualitatis eſt. Fructus verò difficilis concoctionis, ſtomacho etiã aduerſatur, capitis dolores faciens. Quidam numerum ſeptem addiderunt. Adſtringendi vi pollet, & arbor & fructus. Sunt è recentioribus medicis, qui aquam ex folijs extractam, oſſe in cerui corde comperto admiſto, maximam aduerſus peſtem opem præſtare exiſtiment, quam vbi ſtatim morbus inuaſit, ægrotantibus exhibent. Arbor quidem hœdis fronde expetita. teſte Vergilio:

Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis. Ecloga 3.

Fructu etiam delectantur turdi, & merulæ, vt hyeme, vbi fructus maturuerint, eiuſmodi generis aues viſco & decipulis facilè capiantur.

De meſpilo. CAP. XV.

MALORVM, pyorumq; generi iure annumerari meſpila Plinius ait. Polluci arbos ὄα dicitur, & hoc nomen apud Platonem inueniri. Græcorum tamen alij, hoc ad ſorbum referunt.

Græcè etiam μέσπιλον, ἢ μεσπίλη. Arbor autem ſatis parua, mali folijs ſimilibus, verùm minoribus & longioribus, flore albo. Pomum fert à pediculo in latitudinem rotundum, à parte verò ſuperiori concauum, quod ambiunt per margines folliculi recti mucronati, vt regum coronas referant. Edendo enim eſt, verùm vbi ſub paleis mite factum fuerit, & emollierit, aut ſi in arbore ad multam hyemem remanſerit.

De epimelide & azarolo, meſpili generibus. CAP. XVI.

SVPRA capite de malis à Macrobio, epimelidem inter malorum genera annumerari oſtendi, & hoc præcedenti, meſpila ex Plinio malorum generi. Theophraſtus autem, & poſt eum Plinius, meſpilorum genera tria poſuit, Idæos ſecutus, vt ipſe ait, videlicet, anthedonem, & ſetanium, ac tertium quod degeneret, tametſi anthedoni ſimilius gallicũ hoc vocant. Dioſcorides verò tantùm duo, & ſetanium ſecundum ſiue epimelidem vocari. Hippocrates γυναικέων ἀμαμαλίδας vocat, vt etiã Galen. teſtatur. Aſclepiades etiam ſic vocauit. Ille autem, & eius ſimia Ægineta, in Italia naſci, & Italis ruſticis vocari vnedo, & ſylueſtris mali genus eſſe, cuius arbos in Calabria copioſa. Hippolides autem Palladio è Martiale, poma ſunt ſorbo ſimilia, quibus dulcedo cum acuto ſapore commiſta eſt. Epimelidis verò arboris ex Dioſcoride folia malis ſimilia, verùm minora. Pomum fert rotundum, cæteris maius, & candidius: acini, molliore ligno, vt ait Plinius, & reliquis minùs pomum: ſed odore præſtantius, quod diutius ſeruetur. Dioſcorides autem primi generis aroniam vocari ſcribit, & ſpinoſam eſſe, folio acutæ ſpinæ, vel, vt alij volũt, buxeæ ſpinæ. Hanc enim Arabicè vocari zazum recentiores autumãt, & fructum azarolum. Nonnulli adhuc aronium, id eſt, azarolam albam vocant. Cœpit autem hæc arbos, paulò ante nos in Gallia & apud Lugdunenſes peregrinari, nedum adhuc omnibus nota, è Neapoli, vbi frequẽs, profecta. Hoc autem genus Theophraſtus ſuis monimentis manifeſtius demonſtrat. Cui folium magna ex parte inciſum, apij folio ſimillimum, ſed breuius, atq; oblongius. Fructus verò longiori pediculo dependet, qui ante, quàm decidat, rubeat, ſuauis, atq; exiguus. Hæc autem deſcriptio azarolo apprimè conuenit. Vno intus oſſe. Dioſcorides tamen tria intus oſſicula eſſe dicit, à quibus trioccus, quaſi triganius, aut trioſſus. Flos omnibus, vt Theophraſtus voluit, generibus, vt amygdalo, ſed herbaceo, candidius tamen noſtratibus viſitur. Ex deſcriptione autem horum omnium generum, tam Dioſcoridis, quàm Theophraſti, vel Plinij, nullum noſtrati ſuprà deſcriptæ conuenit, maximè verò cùm Plinius ex ampliſſimis arborem dicat: quod ſuperiori, neq; harum alij communiter conuenit. Fructus autem primi generis ſtomacho gratus, vehementiùs adſtringit, ideò fluenti aluo accommodatur. Setanij verò acerbiſſimus, ac ſtomacho ingratus. Immaturus enim nonnihil caliditatis habet, maturus verò frigidus. Capitis dolores mouet. Admiſta ſiquidẽ ei aliena qualitas. Seminis verò puluis, lapillos vehementius è renibus eijcere, & è veſica minuere perhibent. Vrinam cit. Folia impensè acerba. Horum autem dilutum ſitim ſedat.

De

De aronia ſylueſtri. CAP. XVII.

ARONIAM ſylueſtrem noſtri albam ſpinam vulgò vocant, & qui de ea meminerunt, album ſpinum, vt Ruellius, vt illi nondum nomen conueniens redditum ſit, quod illi ex aronia, id eſt, azarolo reddere placet. Nam illi adeò ſimilis eſt, vt ab ea nil, prӕterquam ex fructus & foliorum magnitudine diſcrepet, & quantum vrbana & inſita à ſylueſtri. Neq; enim etiam ex ſtipitis amplitudine ab alia ſeparare auſim, ſi per ſe insererentur, & diligentius colerentur: vſqueadeò enim huiuſmodi magnas in hortis meis Curtianis habui, quibus & florum iucunditate & ſuauitate, & fructus colore & frondis pulcherrima ac rotunda coma, oblectatus ſum, & quòd frequens apud nos ſit parum æſtimata: quibus tantùm ad ſepimenta ſeruit, ad quæ nulla alia ſua firmitate, & diuturnitate, & ſpinarum aſperitate vnquam habetur. Ad multa etiam ad inſiti genera, maximè verò quadam affinitate meſpilorum, prӕſertim azaroli. Et vti ad arborem ipſam deueniamus, recto caudice eſt, ſpinis horridior, minùs tamen in caudice, idq; læuius dum ſeneſcit. Folijs apij, verùm minoribus, albo flore, à quo vulgariter nomen accepit, odorato quidem. Fructu autem in longitudinem rotundo, oſſe intus ſecundum amplitudinem ſatis magno, vt parũ carne abundet. Per maturitatem rubenti, parũ intus croceo. Præda quidem per hyemem merularum & turdorum, aliarumq; nonnullarum auium.

De ſorbo. CAP. XVIII.

OPTIMA ratione ſorbus meſpilũ ſequitur, vt prӕtereà neſcierim an ſorbus meſpilum prӕcedere debuerit: præſertim verò cùm ea, quӕ de meſpilo antiqui diſſeruerunt, potius ſorbo attribuenda fuerint: maximè ſi arboris magnitudinem attendamus: nec alia inter eos differentia, quàm quòd in ſorborũ genere nullum in fructu os includitur. Arborem Grӕci ὄυ & ὄα, fructum verò οἶον & ὄυα. Præſtat hæc arbos magnitudine rotunditateq;. Nam concinna coma ouatur, quippe magna ex parte, nucis pineæ figuram, niſi quòd impediat vertice ſuo caput. Cortex lӕuis, ad flauum albicans, annoſæ tamen nigro ſcabroq; veſtiuntur. Folia lauri figurã imitantur, ſed ambitu ſerrata, breuioraq; ſunt, nec in extremum mucronata, verùm rotundius orbiculata, prolixo, neruoſoq; pediculo dependẽt, ſingulaq; in verſum condita, alæ modo tanquam ex omnibus vnum ſit, ad neruum vſq; lancinata exeunt. In fine verò pediculi folium impar prouenit, vt etiam cuncta diſpari numero abſoluat. Pauciora, breuioraq; in paruis, vetuſtioribusq;. Flos candidus, paruus, racematim è pediculo dependens. Fructus enim malorum antequam maturuerit, refert colorem. Huic autem quadruplex differentia, vt Theophraſtus autor eſt, alio rotunditas vt malis, alio pyro turbinatio, cæteris ſpecies ceu malorũ aliquibus ouata. Succis etiã differunt. Ouata ſæpenumero acida, minusq; odorata. Rotunda enim odore, ac ſuauitate præcellũt, cæteris vini ſapore.

Generoſiſſima autem,quibus circa pediculos tenuiora folia.Quartũ verò genus torminale appellant,remedio probabili.Nam contra tormina valet: à qua vi nomen accepit. Arbor hæc,ex altioribus,folio penè platani, verùm breuiori,pomum minimum,ſed prouentu aſſiduũ,ac racematim pendens, per maturitatem ruſum. Sorbis autem immaturis guſtu nihil aſperius.Aluum ſiſtunt,diſſecta atq; ſole ſiccata:quare Martialis,

Lib. Epigr. 13. *Sorba ſumus, molles nimium durantia ventres:*

Aptius hæc puero, quàm tibi, poma dabis.

Nam vt ad interpretationem horum carminum deueniamus:puerorum ventres ferè molles ſunt.Mola eadem teruntur,& in eundem vſum,illorũ farina,ſi polentæ loco ſumatur,eſt Idem eorum decoctum potu præſtat. Recentia ſtomacho idonea. Adſtringunt enim ſorba, magiſq; ea, quæ torminalia vocantur, verùm imbecillius, quàm meſpilus, ideò citæ aluo proſunt. Eſui iucunda. Fit è maturis & vinum,& acetum.

De corno,& Gordiano nodo. CAP. XIX.

CORNVS arbor, & cornum pomum, vt Seruio placuit, à Theophraſto verò cranias arbor dicitur, ſpecioſa,ac dura, caudice recto,cortice neruoſo, & tenui, nodos perinde vt amerina per interualla geminos, & in vicem reſpondentes habet. Radices validas,& nulli perniciei obnoxias. Folium amygdalæ,verùm pinguius & craſſius. Flore oliuæ,dulci,& odore grato, ſingulari pediculo dependente.Baccas fert,quæ veſcendo ſint,oliuæ modo oblongas:quæ primùm virent,deinde per maturitatem rubeſcunt,vel ceræ colorem repræſentant.Nucleum intus vnum tantùm habent,durũ, ac ferè lapideum.Quare Vergilius lapidoſa corna dixit,vt foris carnis parum,intus verò oſſis plurimum. Mirũ autem vnum,in hac arbore,& cæteris contrarium,vt ſylueſtris corni baccæ ſuauiores ſint,quàm vrbanæ,vt nihil hominum ingenium proſit,quinimo noceat. Omnem quidem induſtriam & artificium aſpernatur.Fructus admodum acerbus,quare minimè mirum,ſi ventrẽ vehementer adſtringat: propterea alui profluuio, atq; dyſenteriæ,ſiue in cibis,ſiue in edulio,vtiliter exhibetur.Folia quoq;, ac germina etiam acerba ſunt,potenterq; deſiccant,ſtringunt,& attrahũt: vt propterea Serenus dicat,ex ramulis capiti impoſitam coronam,ſanare eius dolores,qui ex calidis vaporibus & humoribus cõtracti fuerint. Folia etiam magna vulnera glutinare poſſunt, potiſſimùm verò durorum corporum:mollium enim vulneribus magis contraria,nempe ea contrahunt,ac plus ſatis exſiccant.Qui autem ex incenſis folijs exudat humor, impetigini vtiliter inungitur. Plinius aliter,vti virgarum ſudor candente ferrea lamina excipiatur, minimè contingente ligno. Illita inde ferrugo, incipientes lichenas ſanat. Fuit autem Gordij nodus,ab Alexandro Magno ſolutus,Arriano & Plutarcho prodentibus,è corni arboris libro.Eſt & in India arbor, fructus cornis ſimiles ferens: quæ ideò cornus Indica vocari poteſt.

Præfatio libri vigeſimiquinti.

NVCES *cum olea, quòd ex his etiam oleum effundatur, dixiſſe par fuiſſet: ni libri magnitudo alios longè ſuperaſſet. In vnum tamen librum eas congregaſſe cum alijs etiam ex quarum nonnullis oleum liquaretur, contuliſſe lectori ſatisfactum iri ſpero. Cum his verò & noſtrates prunos coniunxi. Eſt præterea non minima inter hos fructus qui ligno conteguntur atq; hos qui callo quodam obducuntur differentia. Nam nuces in longius tempus conſeruantur: recentium verò non ita frequens eſus. Horum verò qui corio conteguntur, multi ſtatim quòd fugaces ſint, edi volunt, nonnulli tamen cuſtodiuntur, omnes tamen vel ſiccantur vel condiuntur & aſſeruantur. Plurimùm etiam in vnoquoq; genere diſcrepant maximè in malorum & pyrorum generibus. Nam & alia præcocia, quæ cruda etiam mandi deſyderant: alia etſi non præcocia, temporis tamen adſeruatione cruda eduntur. Alia non niſi coctu, etiã cùm longa adſeruatione. Fugaces fructus affatim deſumere noxium eſt, vt qui copia non tantùm obſint, ſed & inflationes & bilioſos humores procreent, aliosq; cibos corrumpunt: minùs tamen ſi præſumantur. Dulces magis aluum citam faciunt, ſtomacho tamen inimiciores, contrà magis acerba ſtomachum ſolantur, minusq; ventrem emolliunt. Odorati vrinam mouent, quod concoctu ex vi inſita faciliora ſint, vt breui ſpatio extenuentur. Odor præterea nihil corpulentum habet. Hæc pauca de fructuum generali'ue natura, ſuis locis de propria cuiusq; fructus dictum eſt, & infrà de ſequentibus dicetur.*

*

HORTORVM LIBER
VIGESIMVSQVINTVS.

De pruno, & eius generibus. CAPVT I.

PRVNVS arbor Græcis κοκκύμηλος dicta, fructus verò κοκκύμηλον. Arbor eſt caudice recto, in ſenectute ſcabro, ramis multis, folio longo, cum rotunditate quadam per ambitum leniter ſerrato, flore albo foliato. Fructus verò cute & carne conſtat, intus lignum durum, quod ſemen includit. Prunorũ, ſicut & malorum, & pyrorum ingens turba, quæ ex ijſdem nonnullis cauſis appellationes ſumpſere, quæ vt plurimùm, forma, colore, magnitudine ſaporeq; differunt. Nam & nigra, candidaq;, & purpurea, atq; cerina, herbacea, lutea reperiuntur. Cerina laudatiora, quæ Vergilius cerea appellat,

Ecloga 2. *Addam cerea pruna: & honos erit huic quoq; pomo.*

De his etiam Ouidium intellexiſſe in ſua Metamorphoſi ferunt:

Metam. 13. *Prunaq; non ſolùm nigro liuentia ſucco,*
Verùm etiam generoſa, nouasq; imitantia ceras.

Multi ὠχρὰ Græcè vocari arbitrantur. Onychina autem ab vnguis colore vocantur. ὄνυξ enim vnguis eſt. Sunt & verſicoloria, & inter has differentias quædam præcocia, alia ſerotina, quædam item lignum ſtatim dimittunt, & hæc inter pretioſiora habentur, & huius dotis in multis generibus inuenire eſt. Cæteris verò carni lignum adhæret. Loca etiam nomina dedere, veluti Damaſcenis, Damaſcus Syriæ nobiliſſima ciuitas. Horum multi antiqui meminerunt, vt autor Athenæus, multumq; differre ab his bonitate, quæ alibi naſcuntur. Plinius verò hæc grandiore ligno deſcribit, & carne exiliore, nec vnquam in rugas ſiccata, quoniam ſui ſoles deſunt. Huius verò generis, quædam albo, alia purpureo, cætera nigro colore: omnia tamen parua. Hæc enim reliquis præſtantiora, intus parum crocea, minimum ſucco abundantia, vt edentes ad ſitim prouocent: quibuſdam Pariſina dicuntur. Hæc autem genera Plinij tempeſtate non fuerunt, aut poſteà hoc nomine vocitari cœperunt. Armeniaca, quæ vulgus Armeſina vocat, minima ſunt, purpurea, grato odore. De his Columella in ſuo carmine, & nonnullis alijs ſupradictis,

Colum. lib. 10. *Armenijsq; & cereolis, prunisq; Damaſci.*

Hiſpanica liuent, ingrato aſpectu, ſed miro dulcore prædita, oblonga,

ligno

ligno intus exili,ac longo.Nonnulli à regione citerioris Hiſpaniæ Catalonica malunt appellare. Iuliana verò, quæ apud Turonenſes in Gallia naſcuntur, dulciſſima, colore nigro. Deſiccata verò per totam Galliam venales deferuntur, ægris etiam expetita cocta. A dactylorum verò forma, dactylica dicta:prægrandia hæc,albi, purpureiq́; coloris reperiuntur: in honore ſunt,ouata in longitudinem figura.Quædam verò hordeacea antiquitus ſicut pyra,vt ſuprà diximus,à comitatu eius frugis dicta,candida,& eius coloris alia ſeriora,maioraq́;,& propter vilitatem aſinina dicta. In pretio verò nunc ſunt, quæ perdicona dicuntur, alij Iberica dicunt,quòd primùm ex Hiſpania venere.Sic enim vocari Symphorianus Champerius medicus,ſuæq́; tempeſtatis inter doctos doctiſſimus,ac cæterarum ſcientiarũ ſcientiſſimus,vir plurimæ lectionis,& probus. Quod ſciunt omnes, qui eius plurima monimenta legerunt, & eum nouerunt. Quem ego vltrà laudarem, ni mihi alta conſanguinitate, atque vnius oppidi origine me attingeret. A perdice ſcilicet aue, dictæ ſunt, vt quemadmodum ea inter aues cibi ſuauitate cæteras excellat, ſic hæc inter prunorum genera. Serotina hæc,purpureo colore, formæ non grandioris, dulciſſimi ſaporis. Cœpere nunc & deſiccari, vt Iulianis non cedant. A bonitate enim regia ſunt dicta,amplitudine autem poſt dactylica. Sunt etiam parua, nigra, ouali figura, plurimo ſucco, ſi quod aliud genus,abundantia, quare mictiua vulgus vocat, ac ſi ſuccum meiere videantur. Alia quædam vſqueadeo parua ſunt, vt magnitudine pruni ſylueſtris fructum parum excedant, nigra, rotunda, & ſeriora. Sunt & acidula,nigro colore, ſucco etiam abundantia, verùm non identidem. In extremum Autumnum durant, vt hyemem attingant. Clearchus Rhodius & Siculus,Theocritum Syracuſanum brabyla pruna appellaſſe ſcribunt, quæ & madrya & badrya Athenæo dicuntur. Seleucus etiam in linguis coccymela madrya, velut mali fructus, & ala, quaſi mala eadem eſſe voluit. Fructus quidem his minor, guſtus verò idem, ni aliquantò eſſet aſperior.Hæc ſunt,quæ de prunorum generibus ex antiquis inueni, noſtri etiam temporis plura genera retuli, non quidem omnia. Hoc autem tam facile foret,quàm pyrorum & malorum per omnes regiones & genera & nomina referre.

De prunorum vi, & natura. CAP. II.

PRVNIS omnibus vis quædam refrigerandi,quam ad primum ordinem quidam præſcripſere, quod ad ſecundum cæteri in Damaſcenis extenderunt,atq; eodem humectare. Stomacho nocere Dioſcorides arbitratur: cuius ſententiæ contrarius Plinius, vt huic vtiliſſima eſſe dicat, ſed breui momento.Illius verò autoritatem alij in nigris Damaſcenis comprobant & id minùs ſiccata, verùm inappetentiam & capitis dolorem facere, pituitoſis præſertim, & non nutrire. Damaſcena alba difficulter concoquuntur. Cerea & lutea craſſum humorem gignunt, & difficiliùs quàm cætera decoquuntur.Oportet enim prandium à prunis inchoare.Aluum

molliunt,exceptis auſteris,& acerbis,ac immaturis.Recentia verò magis, minùs arida. Miratur autem Galenus,cur Dioſcorides Damaſcena ſicca ventrem cohibere ſcripſerit,cùm palàm ſubducant, minùs tamen quàm Iberica, quòd dulciora. Cum mulſo verò decocta etiam aluum ſubducunt. De prunis enim ſic Martialis:

Epigr.lib.13. *Pruna peregrinæ carie rugoſa ſenectæ*
Sume: ſolent duri ſoluere ventris onus.

Galeno autem genus Damaſcenorum optimum videtur, quòd mediocriter adſtringat.Iuuant enim ventriculum calidum & aridum habentes. Prunorum autem decocto, faucium & gutturis inflammationes vtiliter colluuntur,priuatim verò Damaſcenorum,vt alij voluerunt: febriũ acutarum inflammationes ſumptum leuat, & gingiuarum exanthemata, & vlcuſcula,ſi ore contineantur,ſanat. Cæterùm in folijs, aut ramis, adſtrictio quædã manifeſta ineſſe apparet: vnde ex his cum vino decoctis collutio fit,ad gutturis & tonſillarum inflammationes. Gummi autem prunorum alijs præponitur. Etenim incidendi, atq; extenuandi vim habet. Illitum verò ſiccat,adſtringit, & agglutinat. Ex aceto autem infantiũ impetigines perſanat:cum vino verò potum calculos frangit, ac tuſſi veteri prodeſt.Colorem autem gratiorem,& ciborum appetentiam facere creditur. Aduerſus ceruſſam ſumptam valet,pulmonem etiam & pectus iuuat, lienem tamen lædit. Præſtantius enim eſt, quod ex vetuſta arbore diſtillat.

De pruno ſyluestri. CAP. III.

SYLVESTRIS prunus magis inter frutices connumeranda foret, quippe quæ ad ſepes tantùm ſeruit, & ad illarum tuitionem ſpinas fert,rectas quidem:verùm Dioſcoridem, & cæteros ſecutus ſum, qui omnes ſtatim de ea poſt ſatiuam meminerunt. Vergilius genere maſculino, in quarto Georgicorum ſpinum vocat: *- Et ſpinos pruna ferentes.*

Galenus autem in Aſia προῦμνα, alibi ἀγριοκοκκύμηλα vocari ait. Radice nigra eſt,ſæpe in tuberes,media etiam radice ſeſe laxat,raphani modo,

Colum.lib.5. qui apion Græcè dicitur. Vbi autem nitidi, prolixi,fœcundi, non retorridi, vel ſcabri, nati fuerint, terra fore ſurcularis intelligitur, vt ait Columella. Baccæ verò euidenter adſtringunt, ventremq; reprimunt. Decoctæ enim,vel ex radice cortex,in vino auſtero,ita vt triens ex hemina ſuperſit, aluum & tormina ſiſtunt. Satis eſt ſingulis cyathum ſumere. Poſt maturitatem verò deſiccatæ, & in ſapa decoctæ ſtomacho vtiliores. Eſt in his,atq; ſatiuis limus arborum, quem Græci lichena appellant, rhagadibus & condylomatis mirè vtilis.

De nuce iuglande. CAP. IIII.

NONIVS Marcellus,iuglandes,nuces agreſtes interpretatur: ſed hoc quidem minùs rectè, ſi vocis etymon conſideretur. M.autem Varroni dicitur quòd hæc antequam purgetur,glandi ſimilis ſit:

lis ſit i ideò nux dicta, quòd eius ſuccus corpus atrum faciat, veluti nox eſt. Macrobio autem, à iuuando & glande dicta exiſtimatur. C. enim Baſſus (vt hic ſcribit) in libro, qui de verborum ſignificatione inſcriptus, ſequentia refert: iuglans arbor dicta, id eſt, perinde ac Iouis glans. Nam id arboris genus nuces habet, quæ ſint ſuauiore ſapore, quam glans. Hunc enim fructum antiqui illi, qui egregium glandiq; ſimilem, ipſamq; arborem Deo dignam, exiſtimabant, ideò honori nomen interpretantes. Iouis glandes appellarunt, quæ nunc literis interclusis, iuglans nominatur. Græcè verò autore C. Ioatio Verrio in libro à Græcis tractorum διὸς βάλανος, vt etiam Theophraſtus ait. Græcorum enim nonnulli imitatione, κάρυον ἀπὸ τοῦ κάρου, id eſt, capitis grauedine, propter odoris grauitatem appellant, κάρα enim caput ſignificat. Etenim arborum ipſarum, foliorumq; vires, in cerebrum penetrant. Hoc enim fit, minore momento, quod & in cibis faciunt nuclei. Plutarchus in Sympoſiacis, quòd ſpiritu graui, & capiti nociuo ſit, quem exhalat, ac ſaporem ſub ea arbore recumbentibus conciliet. Alij autem addunt huic βασιλικὸν, κάρυον βασιλικὸν vocantes. Ab hac enim voce caryatides (de quibus Vitruuius in I.) dictæ. Luctatius, vel, vt alijs placet, Lactantius apud Statium in Thebaide à nuce arbore nominatas ſcribit, quòd virginum chorus has arbores, propter hoſtium metum, conſcendiſſet. Philoſtratus in Iconibus iuglãdes, caſtaneas his verbis appellaſſe videtur. ἃς τρέφει χέιτα τὸν φυτὸν ἐνόζει τῷ ἐλίτεῳ. Pontica nux etiam & Heracleotica dicitur. Plinius verò earum optimum genus baſilicum & perſicum eſſe dicit. Hoc autem vltimum molluſca nux dicitur, quòd cæteris generibus mollior ſit, vt voluit Macrobius, cuius putamen facilè rumpatur, de qua Plautus in Calceolo: *Molluſcam nucem ſuper eius dixit impendere tegulas.*

Hanc verò ille errore, vt Nicolao Perotto epiſcopo Sypontino placet, putat dici ex Sueui autoritate, quæ malum perſicum eſt. Sic enim hic in Edulio quod Moretum inſcribitur:

Admiſce tu Acca baſilicus hæc, nux partim
Partim perſica, quod nomen ſic deniq; fertur,
Propterea quòd qui quondam cum Rege Ponti
Nomine Alexandro Magno fera prælia bello,
In Perſas retulere ſuo, inde reuentum
Hoc genus arboris, in prælatis finibus Grajs
Diſſeruere, nouos fructus mortalibus dantes,
Molluſca hæc nux eſt, ne quis fortè inſcius erret.

Non enim his, vt hic arbitratur, de perſico teneriori pomo agit, ſed de nuce perſica. In Moreto enim poma tenera poni non ſolebant, ſed perſicæ nuces. Hæc fuit Nicolai Perotti ſententia, qui Macrobium grauem autorem graui errore repræhendere voluerit. In quam manibus pedibusq; irem, ſi cuiuſdam claſſici autoris monimentis me doceret, in Moreto non poma tenera, ſed perſicæ ſolùm nuces, id eſt, iuglandes, poni ſolere, quod ex Vergiliano Moreto non probatur. Eſt aliud nucis iuglandis genus, quod Tarentinum dicitur, quod ita molle eſt, vt vix attrecta-

tum frangatur: à Tarento, quod eſt Sabinorum lingua molle. Ad quod alludit Horatius: *- Et molle Tarentum.*
De qua in libro Fauorini, autore Macrobio, ſic reperitur. Itemq́; quidam Tarentinas oues, vel nuces dicunt, quæ ſunt tarentinæ. Tarentinarum tamen Plinius duo genera poſuit, vnum fragili putamine, aliud duro, quod ampliſſimum eſt, & minimè rotundum. Galbarũ meminit M. Cato. Apud Præneſtum plurima minutaq́; nux naſcitur, quare, autore Feſto, Præneſtinos nuculas vocabant. Has verò maximè Cato laudauit. Iuglandibus verò præcipuus honos peculiaris naturæ, gemino protectis operimento puluinati primùm calycis, mox lignei putaminis. Auſonius:

Et duplici defenſa putamine quinq; genus nux.

Solum hoc pomum natura, compactili operimento clauſit. Porro bifidæ ſunt putaminum carinæ, nucleorumq́; illis quadripartita diſtinctio, lignea incurſante membranula, cæteris verò quicquid eſt, ſolidum eſt. Quamuis enim pineis vniuerſitate minores ſint, nuclei tamen portione ampliores. Sola autem generum differentia, in putamine duro, fragilíve, & à tenui craſſo, lacunoſo, & ſimplici. Culeola, Feſto, cortices nucum viridium ſunt, à ſimilitudine culeorum, quibus vinum ſiue oleum continetur, cuius diminutiuum videtur culiocæ. Eidem verò autori iuglandium nucum ſumma & viridantia putamina ſunt. Nace Feſto, vel nauci Pompeio, nucis putamen eſt, aut oliuæ nucleus, vel medium nucum diſſepimentum, id eſt, membranula illa, quæ in medio nucis interſitavifitur: deniq; cuiuſuis putamen, quod Græci περίφημα, nauci vocatum exiſtimant. Quidam enim à voce Græca νάκη, quod pellem caprinam declarat. Soſipatro enim fabæ granum eſt, cùm ſe aperit. Nauci enim facere, & nauci eſſe deriuantur, quod eſt nihil eſſe, & nihil facere. Plautus etiã protulit, vitam tuam vitioſa nuce non emam. Quod prouerbialiter dicitur, ne minimo quidem. Apud Ariſtophanem vnica nuce emere dicitur. Arbor autem ſatis apud omnes regiones nota. Nam nullũ aërem aſpernatur, altitudine recta, & ſpatioſa latitudine, lato folio, longo pediculo pendenti, per longum rotundo, in ſummitate tamen parùm acuminato, idq́; molliter, inſigniori per medium extenſo neruo. Pomum etiam rotundum & oblongum, alteri vt plurimũ in arbore ipſa iuncto, vt ſemper bina ſint, ſæpe trina. Maturitatis enim indiciũ eſt, cùm cortex hiauerit.

De iuglandis natura, & Mithridatis Regis Ponti antidoto. CAP. V.

NVNC de eius per partes ſingulas vi, vt tamen primò de eius fructu, ſicuti in reliquis, dicamus. Recentes verò ſiue virides iuglandis nuces, primo ordine excalfaciunt, ſtomacho iucundiores, innocentioréſve. Minùs enim nutriunt. Innocentes autem adhuc ſunt, vt neque acerbum neq; oleaginum ſaporem præ ſe ferant: proptereà ad alui ductionem faciunt, ideò quidam cum muſto decocto vel garo comedunt. Concoquunt melius, quàm amygdala. Cum alijs quidem comeſtæ acrimoniam eximu

eximunt,& ad delendos in corpore liuores vtiliter illinuntur. Aridæ autem ſecundo gradu excalfaciunt, tenuiumq; partium ſunt, & exſiccantium. Oleoſum quid præ ſe ferunt, & modicam acerbitatem, quæ tempore euaneſcit. Viridibus omnino noxiores ſtomacho alienæ. In frigidis ventriculis facilius coquuntur:in calidis verò bilem augent. Capitis dolores inferunt,tuſſientibus inimicæ, & gutturi,vomituris in cibo, maximè ſi ad ſaturitatem edantur aptæ.Phlegmonas,& vlcera in ore efficiunt, tenaſmo ſoli idoneæ, pituitam enim trahunt. Stomacho ſi eum carycis vorentur, magis conferunt. Præſumptæ autem venena hebetant: quod teſtatur Serenus:

Ante cibos igitur iuglandis fœtus edatur.

Anginæ cum ruta & oleo medentur. Quo enim plures quis ederit, hoc facilius tineas pellit. Perueteribus nucibus illitis, gangrænis,carbunculis, ægylopis medentur. Cum ruta autem & mellis exiguo, mammarum inflammationibus, abſceſſibus, & luxatis illinuntur. Aurium inflammationibus imponuntur. Cum cepa autem ſale & melle, canis, hominiſq; morſui proficiunt. Tormina cum calyce ſuo peruſtæ,& hominis vmbilico admotæ mitigant. Vſti nuclei menſes, manducati etiam ab homine ieiuno,contra rabioſæ canis morſum faciunt.Si in aqua commaduerint, & membrana interius adimatur,conſimilem viridi poteſtatem obtinent. Dioſcorides autem, Galenus, & Aëtius nuces,cum ruta & ficis præſumptas venenis reſiſtere ſcribunt.Scribit item Plinius in ſanctuarijs Mithridatis maximi Regis Gn.Pompeium in peculiari commentario reperiſſe, manu ipſius antidoti compoſitionem, è duabus ſcilicet nucibus ſiccis, item fici totidem,& rutæ folijs viginti, ſimul tritis, addito ſalis grano, vt qui hoc ieiunus ſumat, nullum venenum ei nociturum illa die. De hac autem ſic Serenus Sammonicus:

Antidotus verò multis Mithridatica fertur
Conſociata modis, ſed Magnus ſcrinia Regis
Cùm caperet victor, vilem deprehendit in illis
Syntheſin vt vulgata ſatis medicamina riſit.
Bis denas rutæ frondes, ſalis & breue granum,
Iuglandeſq́ duas totidem cum corpore ficus.
Hac oriente die, paruo conſperſa lyæo
Sumebat metiens, dederat quæ pocula matri.

Nucis autem putamen exterius, ſiue ſiccum, ſiue aridum ſit, copioſam, euidentemq; adſtrictionem habet. Eo vtuntur fulones. Eius verò ſucco mororum ruborumq; ritu, expreſſo atq; cum melle decocto, medicamentum ſtomaticum, id eſt, ad oris vlcera conficitur. Ad omnia etiam vtile, ad quæ reliqui adſtringentes ſucci. Eo enim dens cauus inuritur. Crematum enim ex oleo aut vino, capite infantium peruncto, capillum nutrit,& alopecias explet.Interius autem putamen carinatum,extenuandi ſine eroſione aliqua,vim habet. Flaueſcentes etiam nucis membranæ; cutis vitia abſtergunt. Arboris verò cortex lichenum vitijs ac dyſentericis prodeſt.In folijs enim,& germinibus,quædam adſtrictio eſt.Folia autē in aceto

in aceto trita,aurium dolori imponuntur. Quærit Ariſtoteles,cur nuces toſtæ,refrigeratæ,deteriores reddantur,rurſus calefactæ,meliores. Quòd in refrigeratis ſuccus accreſcat, & conſtet, tepefactus verò dilabitur. Etenim ſuauitas non niſi per ſuccum percipi poteſt. Iuglandes virides menſe Iunio antequam illarum putamina obdureſcant,cum melle & ſaccharo condiuntur,ori non ingratæ,aſſeruatæ verò ſtomacho vtiles.

De nucis iuglandis oleo. CAP. VI.

E Nuce iuglande, veluti ex amygdalo, oleum exprimitur, contuſis nucibus, & expreſſis, aut poſt contuſionem ferueſactis, quod caryinum vocatur. Eaſdem cùm amygdalino habere vires Dioſcorides aſſerit.Diſcutit hoc,vt nonnulli, gangrænas, carbunculos & ægylopas ſanant: & ad neruorum vlceta vtantur. Vim habet etiam tumores extenuandi,ac putredines,quas ſepedonas dicunt. Infuſum verò,aurium tarditati prodeſt, & idem vtile,capitis dolotibus illitum. Cæterùm iners,& graue corpori, ſapore.Enimuero ſi quid in nucleo putredinis fuerit,totus modus deperit.Recens verò nonnihil adſtringentis qualitatis habet.

De amygdalo. CAP. VII.

DICTÆ autem ſunt amygdalæ, vt Herodiano Alexandrino placuit, *τῷ μετὰ τὸ χλωρὸν ὥσπερ ἐν ἀμυχὰς ἔχειν πολλάς*, quòd in oſſe multas habeat ſciſſuras. Amerias verò amygdalum mycerũ vocari tradit. Macrobius enim Cloatij in ordinatorum Græcorum libro quarto, vſus teſtimonio,amygdalam,nucem etiam Græcam vocari dicit,cùm ait: Nux Græca, amygdala. Acca autem in ſupplicatione Nucem Græcam ait, fauumq; adde quantum libet.Sunt tamen qui nucem Græcam iuglandem exiſtiment. Columella autem libro ſexto tria facit iuglandis genera, ſecundum & tertium Græcæ & amygdalæ. Cui adſtipulari videtur Secundus.Nam cùm de viribus harum nucum diſſerit, Græcam à duobus ſuperioribus ſeiungit. Nux thaſia etiam appellatur,à Thaſo Thraciæ inſula, quam M.Varro præſtantiſſimam, & cæteris omnibus præferendam ait. Has etiam, & Albenſes celebrari Plinius ſcribit. Epicharmus calidas nuces, ob excellentiam nominabat, aiente Athenæo. Amygdala autem Græca appellatione noſtris non niſi quam nux longa ſonat. Arbor ſatis magna,rugoſo ſtipite,ſalicis folijs, prælongis, rubentibus, flore candido ac foliato, nuces gemino protectæ operimento, puluinati primùm calicis,mox lignei putaminis,cui ſolidus ſubeſt nucleus, acriore etiam collo nunc obductus. Sunt etenim oblongæ & ad extremum inflexæ.Magnitudine verò & figura differunt.Quædam enim longiores,cæteræ rotundiores. Quædam etiam molli putamine repetiuntur, vt facilè ab auibus roſtro frangantur,& deuorentur,vt præda illarum ſint:& vt à prouincijs aliquod diſcrimen etiam cum ſupradictis faciamus. In Naxo præcipuè naſcuntur, & in Cypro inſula à cæteris differentes. Italia laudat Appulas,

duro

duro putamine ſunt,quare Lacon quidam,cùm duras amygdalas duplo vendi vidiſſet, percunctatus, An rari, inquit, lapides ſunt? Et vti ad vim illarum deueniamus,Multò minus in remedijs ſunt dulces,quàm amaræ, hisq; omninò imbecilliores. Illæ verò leuiculam amaritudinē poſſident, quæ tamen ſuperante dulcedine occultatur, cæterùm id temporis ſpatio pateſcit. In prima autem claſſe calefaciunt, quòd ſuapte videlicet natura oleoſæ ſint. Incidendi extenuandiq; vim habent,vnde & viſcera, & thoracem expurgant,efficaciùs tamen amaræ. Bene nutriunt, quia carnoſæ, idq; maximè maturæ,verùm inflant. Ventrem, autore Diocle,alunt. Recentes autem aridis minùs noxiæ,maceratæ item minùs,quàm quæ nullum expertæ humorem. Cum difficultate concoquuntur, vrinam ciunt. Recentes verò cum ſuo putamine ſumptæ,ſtomachi humida vitia emendant. Prægustatam autem amygdalam ad potum maximè inducere Eupolis aſſerit. Nucibus Græcis cum abſinthij ſemine,ex aceto ſumptis,regius morbus ſanari dicitur: item illitis per ſe vitia ſedis, & priuatim condylomata, proſunt etiam ſanguinis reiectionibus & tuſſi. Melle verò intinctæ, ad ciendam vomitionem comeduntur. Illarum runicæ, autore Hippocrate, ſiſtunt. Et vti ab hominibus ad animalium remedia deueniamus: Si ouis ab ſole ardenti labefactetur,& tuſſiat, amygdalas repurgatas in tribus vini cyathis diluunt, & per nares infundunt. Arborum autem gummi,dentibus vtile,ſanguinem coagulat,ideò ſanguinem reijcientibus prodeſt,item ambuſtis,& arteriæ vitijs: vrinam cit,amaritudines hebetat. Tota inſuper arbos conſimiles vires ſortita. Siquidem huius radices decoctæ atque illitæ epheleis detergunt. Amygdalinum autem oleum modicè ac temperatè calidum iecoris ſepimenta diſcutit, & auertit,pectori etiam & pulmoni vtile.

De nucum antiquorum ludo,& nonnullis alijs ad amygdalarum hiſtoriam pertinentibus. CAP. VIII.

DE nucum ludo vt in iuglandium hiſtoria differerem,congruum eſſe videbatur:verùm quia de nucum genere nondū inter autores conuenit,hic referre malui.Fuerūt autem virgæ, principum tribuum,quas Dominus Moſi præcepit in teſtimonij tabernaculum reponi, ex amygdalo decerptæ,quarum verò,quæ Aaronis fuit, refloruit, & fructum tulit. Nucibus antiquitus pueri ludebant, & nunc etiam vt vidi, & iuuenis luſi, an verò ſimili ludo ignoro,quòd priſcorum modus, quod ſciam vt ad amuſſim dignoſci poſſit,minimè deſcriptus ſit, niſi quòd is ludus nucum paris & imparis numeri. Quod iam ætate prouectis dedecoroſum fuit. Vt indè ſi quis relictis nucibus, ad grauiora ſeſe contulerit, nuces relinquere, prouerbialiter dicebatur, & nuces abijcere, & nuces intermittere quod oſtendit Perſius:

– Et nucibus facimus quæcunq; relictis
Cùm ſapimus patruos.– Et Catullus:
Da nuces pueris iners

Cc *Concu*

Concubine : ſatis diu
Luſiſti nucibus : lubet
Iam ſeruire Thalaſio.

Contrà qui pueriliter ſemper viuere,vel quid agere volebant, à nucibus nunquam recedere,& nucibus indulgere,& redire ad nuces,& nuces repetere,atq; id genus alia,dicebantur. Fuerunt item huius nuces ocellatæ, quas nonnulli auellanas arbitrantur,alij amygdalinas,vt iuglandes ſileam quòd decorticatæ,putamen illud duriuſculũ,pluribus foraminibus,ocellos repræſentet. Alij quidem,perſimili ratione,perſicorum malorum nucleos exiſtimant. Is verò ludus in Saturnalibus permiſſus, quo Auguſtus princeps delectatus,relaxandi animi cauſa,& liberali facie cum pueris luſerit. Meritorij etiam pueri,id eſt,catamiti,quibus licenter vſi ſunt priſci, à turpi recedentes ſeruitio, nuces ſpargebant, vt ſignificarent, ſe cuncta puerilia iam ſpernere, & ludum puerilem relinquere. Vergilius verò ad futuram frumenti copiam,prognoſticũ ex amygdalo deſumit,his verbis:

Georg. 1. *Contemplator item, cum ſe nux plurima ſyluis*
Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingueis paleæ teret area culmos.

De amygdala amara. CAP. IX.

SVPEREST vti de amaris amygdalis nucibus dicamus, quarum vis in medicina,quàm dulcium, maior eſt. Enimuero calidiores ſunt, ac magis extenuant, ſcinduntq;, & aperiunt. Creditumq; eſt, autore in Sympoſiacis Plutarcho,illis ineſſe mordacem, carniſq; deterſoriam virtutem, vſqueadeo vt faciei maculas exterant. Vis enim illarum ex qualitate indicium eſt,quòd ephelidas abſtergunt,viſcoſos etiam humores,qui altius inhærent,& meatus recludunt, educunt. Quinimò excreationibus lentos ex pulmone ac pectore humores impendiò eijciunt : iecoris etiam, atq; hepatis craſſos & viſcoſos humores in extremis vaſis impactos obſtruentes & obſepientes,abundè expurgant, & expediunt : tum etiam in cutem erumpentes. Quinetiam calculos, tum renum, tum veſicæ frangunt.Nuces ipſæ aluum emolliunt,vrinam cient,& menſes,& auiditatem excitant. Somnum faciunt, & in eo dolores leuant, cibo præſumptæ. Cum aceto verò, vel roſaceo fronti aut temporibus illitæ, capitis dolori auxiliantur. Plinius autem hoc maximè eſſe in febri dicit, ſi ab ebrietate fuerit.Epinyctidas ſanant,ex vino vetere.Item vlcera putreſcentia,& quæ ſerpunt,& canum morſus cum melle. Contra autem ſanguinis reiectiones, cum amylo & mentha ſumuntur. Lethargicis, capite peruncto, & comitialibus proſunt. Renum vitijs, & pulmonum inflammationibus ex aqua potæ,aut eclegmate cum reſina terebinthina dantur.Calculoſis, difficiliq; vrinæ in paſſo auxiliantur,& in eclegmate, nucis auellanæ magnitudine

gnitudine in melle & lacte iocinoroſis, tuſſi, & coli inflammationibus auxilio ſunt. Is autem, qui manicon ſolanum hauſerint, proſunt, totæ vſtæ alopecijs commodè imponuntur. Ad purgandam enim cutem, in aqua mulſa tritæ, efficaces ſunt, idem præſtat radicum decoctum. Quinis, ſeptenísve præſumptis, poſteà ebrietatem non ſentire potores aiunt. Plutarchus Chæroneus, apud Druſum Tiberij Cæſaris filium, medicũ quendam fuiſſe, memoriæ prodidit, qui vini appetentiſſimus fuit, vt bibendo etiam quoſcunq; omnes ſuperauerit. Depræhenſus enim eſt, ante potum amygdalas amaras quinq; aut ſex præmandere ſolitus: quas verò prægustare prohibitus, ne modico quidem tempore ebrietati reluctabatur. Cauſam igitur amaritudinis vim fore, quæ humorem deſiccat, & abſumit. Ferunt etiam vulpes, ſi cum quauis alia eſca, has euorauerint, emori. Verùm Plinius id contingere ſcribit, ſi eas è propinquo aquam lambere non contigerit. Poſteà etiam compertum eſt, feles hac ratione periclitari. Canum autem aures ne à muſcis exulcerentur, tritis amaris nucibus liniendæ, vt prodit Columella. Huius arboris gummi vires excalfactorias habet, ſpiſſandi, & adſtringendi. Contra ſanguinis excreationes bibitur. Summæ cutis impetigines cum aceto illitas tollit. Vetuſtæ tuſſi, cum vino diluto potum, & cum paſſo calculoſis etiam bibitur.

De oleo ex amygdalis amaris, & Atys fabula. CAP. X.

AMYGDALINVM oleum ex amaris nucibus, veluti atq; è dulcibus fit: quod nonnulli metopium vocant. Aëtius etiam halinon vocari tradit. Cuius ratio ex Dioſcoride talis erit. Ex amaris nucibus repurgatis deſiccatisq; ſemodium ſumito, dein in mortario, piſtillo ligneo, leniter, donec offa fiat, tundito, aquæ dein feruentis ſextarium inijcito, & vbi dimidia hora humorem combiberit, vehementius quàm anteà contundito: mox tabellis prematur. Quod autem digitis inhæſerit, concha eximitur. Preſſis rurſum nucibus, aquæ hemina infunditur, quam poſt idem denuò opus faciendum. Nucum autem ſemodius, olei heminam vnam reddit. Tenuitate enim, atq; caliditate vno gradu, quod è dulcibus fit, ſuperat. Hoc autem purgat, & emollit corpora: cutem erugat, & maculas in facie cum lilij radice, & cera Cypria, aut cerato roſaceo tollit. Auditus grauitatem, ſonos incertos, tinnitusq; diſcutit. Auribus verò cum roſaceo & melle, ac mali punici germine decoctum, vermiculoſq; in his enecat. Oculorum etiam hebetudines emendat. Capitis dolores obiter ſanat, & eius manantia vlcera, furfures cum vino abſtergit. Furunculis, & à ſole vſtis cum cera medetur, condylomata verò cum meliloto. Per ſe item capiti illitum ſomnum allicit. Contra etiam vulnerum dolores, ſtrangulationes, inuerſiones, & eorundem locorum inflammationes efficax. Renum vitijs, calculoſis, difficili vrinæ, lienoſis, ſuſpirioſisq; valet. Hoc autem caput fabula breui claudere libet, idq; ex Arnobio contra gentes. Atys Midæ Regis filia fuit, mortuo ea ſponſo, exanimatum pectus lanis mitioribus velat, illacrymans cum Acdeſte, qui mortis cauſam dederat,

ſeſe interfecit, cruor verò in violas purpureas vertitur. Corpus autem, à Deûm matre ſepelitur, vnde amygdalus amara naſcitur, caſus amaritudinis ſecum adferens.

De nuce auellana, & arbore eius corylo. CAP. XI.

NVX auellana ex arbore corylo eſt. Seruius enim ſic ab Auellano, Campaniæ oppido, vbi abundat, dictam putat. Græci λεπτοκάρυα, id eſt, minores nuces, & ponticam vocant, quòd in Euxino Ponti frequens ſit. Theophraſtus etiam Heracleoticam, ab Heraclea Ponti ciuitate. Dum (vt ait Macrobius) vnaquæque natio huic nomen indit ex loco, vbi copioſior naſcatur: quare eadem Præneſtina dicitur. Vnde, vt ſupradictum eſt, quidam Præneſtinos noculas vocabant. Eſt autem gens iuxta agrum Præneſtinum, quæ Curſitana vocatur ἀπὸ τῶ καρυῶν. Cuius rei meminit M. Varro in Logiſtorio, qui inſcribitur Marius de fortuna. Inde ſcilicet Præneſtinæ nuces. Eſt & illud apud Næuium in fabula Ariolo: Quis heri apud re? Præneſtini & Lanuuini hoſpites, ſuopte viros decuit acceptos cibo, alteris inanem bullam madidam dari, alteris nuces in procliui profundere. Corylus autem arbor ἀπὸ τῶ κορύλυ autore Priſciano, virgis ſiue alis innodibus, verùm breuioribus, craſſiſq; nonnullis. Folium circumſerratum, alno ſimillimum, ſed latius, neq; ita pingui. Corticem habet tenuem maculis ſubalbidis peculiariter variatum. Arbor fragilis,
Metam. 10. canente Ouidio: *Et coryli fragiles.*
Nuces, mollis primùm integit barba, & calyculus herbaceus, mox ſequitur putamen lignoſum, verùm fragile, cui tenuis ſubeſt membranula, quibuſdam rubicunda, inuoluens nucleum, quod intus ſolidum eſt, in cuius medio ventre intus vmbilicus. Nucum differentia, vt quædam rotunda, alia oblonga, ſint. Torrentur ambæ. Terreſtris & frigidæ naturæ ſunt. Guſtu enim & fructus & cortex, tota deniq; ipſa planta auſtera apparent, inquiente Galeno, & ſequacibus. Simon tamen Sethius calidas & humidas dixit, & cæteris magis alere, in reliquis iuglandi æquales. Diocles autem amygdalis minùs nutrire autor eſt. Comeſtas verò caput tentare, atq; in cibis ventriculo ſupernatare. Difficilius concoquũtur, ideoq; ſtomacho infeſtæ: faciliùs, minuſq; ventrem ſiſtunt, ſi abſq; interiore cortice ſumantur. Inflationes faciunt, ita vt, veluti quidam aiunt, ieiunum inteſtinum lædant. Ante verò cibaria cum ruta ſumptæ, tum venena, tum venenatorum ictus illa die, arcent, & ab eo qui ſumpſerit, fugere ſcorpiones nonnulli profeſſi ſunt. Scribit etiam Plutarchus, appenſam in laquearibus nucem, ſcorpionem prohibere, ne in domicilia irrepat. Lectorum enim pedibus adalligatam ſcorpiones ne cubantes adoriantur inhibere, nec ad equilia ſi præſepibus adfixa ſit, irrepturum. Sumptæ verò cum caryis ſcorpionum ictum ſanare, & nigrum eius virus quàm primùm è ventriculo pellere. Non etiam omittendum, quod ſimplex ruſticus obſeruat, ſerpentem coryli virga vel caudice ictum obtorpeſcere, & tandem emori. Capitis dolorem faciunt, corporis pinguidini conferunt plus,

plùs, quàm ſit veriſimile. Tritæ verò, & in aqua mulſa potæ, veteri tuſſi medentur. Toſtæ autem cum exiguo piperis,& in vino deſumptæ, deſtillationes decoquunt. Crematarum etiam cinis, cum axungia, vel vrſino adipe inunctus, alopecijs capillum reddit. Aiunt quidam, vt Dioſcorides autor eſt, illarum putamina in cinerem redacta, cęſiorum oculorum pupillas ex oleo perfuſo infantibus denigrare. Diocles autem innocentiores eſſe virides, quàm aridas, aiebat. Germani autem recentiores, inter quos Georgius Agricola & Munſtherus, tantam arboris coryli cum metallis ſympathiam fore aſſerunt, vt ſi illius recta virga per montes & loca, vbi metalla latent, deferatur, illico flectatur, vti indicium ibi abſconſorũ metallorum ſit. Cæteris enim locis recta ſemper ſtat.

De caſtanea, & eius generibus. CAP. XII.

CASTANEAM à Caſtano Magneſiæ oppido, vel, vt Stephanus ſcribit, Apuliæ, non procul à Tarento. Græci, vt Phocion, Latiniq; appellauerunt Alij autem à Græca voce deductam volunt. Nam illi κάϛαναν vocant. Primùm Sardibus populis Lydiæ prouenit, propterea à Græcis Sardianus balanus, ſiue ſardiana glans, vocatur. Diuus autem Tiberius, autore Plinio, factis ſatu excellentioribus balani nomen impoſuit. Nux etiã Heracleotica dicitur: vt ex Oppio viro doctiſſimo, in libro, quem fecit de ſylueſtribus arboribus docuit Macrobius, his verbis: Heracleotica hæc nux, quam quidam caſtaneam vocant. Euboica etiam à regione. Nonnulli inſuper ex Philoſtrato in Iconibus Iouis glandem dici arbitrantur: quod etiam aliquos facere ait Dioſcorides. Lopima etiam, à cortice, quæ Græcè λέπος nominatur. Arbor è maximis eſt, recto & arduo caudice, cortice læui, folio iuglandis, verùm non ita lato, & fimbriato. Fructum verò calyx echinatus includit: quare hirſutas Vergilius vocat:

Stant & iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ. *Ecloga 7.*

Sic enim dicitur eo modo, quo echini marini aculeis armantur. Echinatum etiam dicimus, quod ad inſtar caſtanearum calycis hirtum eſt. Calyx verò vnus, duos, ternósve, aut plures partus edit, ſed non abſq; illorum pernicie, vti eo exiliores & imbecilliores ſint, vt ſæpe nonnulli abortiantur, ſicut in animalium & plantarum partubus, quò frequentiores fuerint. Cortex lentus, quem ſequitur prætenuis membranula, corpori adiacens: quidam hymen vocant. Calyx autem detrahi debet: alioquin veluti in nucibus, ſaporem infeſtat. Mirum eſt (prodente Plinio) ea viliſſima eſſe, quæ tanta Naturæ cura occultauerit. Plura apud antiquos caſtanearum genera: Balanides, rotundiore figura: purgabiles, ſua ſponte proſilientes: Tarentinæ, forma plana, faciles, nec cibo operoſo: minùs tractabiles. Salarianæ, puræ ac planæ. Corellianæ, laudatiores, & ex eis factæ meteranæ cortice rubenti, triangulæ, populares, nigræ, quæ coctiuæ vocantur. Hæc autem antiquorum caſtanearum genera. Nullo enim nunc nominis diſcrimine ſeparantur, tametſi figura, magnitudine, doteq; inuicem differant. Inter eas poſt vindemiam, quæſtus cauſa, munerisq;

gratia, maiores à minoribus ſeliguntur. Illas Gallia marronos vocat. In Italia verò laudatiſſimis patria Tarentum, & in Campania Neapolis, de quibus Martialis Epigr.lib.5.ad Toranium:

Et quas docta Neapolis creauit
Lento caſtaneæ vapore toſta.

Et Clauenna, alpibus Rhæticis proxima. Cæteræ ſuum pabulo gignuntur,ſcrupuloſi corticis:nucleo quoq; ruminatione. In Gallia verò laudatiſſimæ, quæ apud Allobroges proueniunt, quæ in totam regionem, ob præſtantiam diſperguntur. Apud Petragoras tamen maior prouentus:vt ingentes ibi eius arboris, ſi alterius cuiuſq; ſyluæ cernantur: apud quos quadrupedum omnis generis,& cortis auium pabulum. Molitura etiam his panis imaginem præbent: quod ieiunio fœminarum, vt ſcribit Plinius,fecerunt. Eſt & caſtanea piſcis litoris Aremorici nomen, vaſis figura,deſuper quid villoſum habet,quod verò intus eſt,pulpa eſt.

De natura,& vi caſtanearum. CAP. XIII.

TORRERE in cibis caſtaneas gratius,quàm in aqua excoquere. Idq; dupliciter fit:aut in perforata patella, vel fictili vaſe etiam perforato, & ad hoc fabrefacto ad ignis flammas,vel ſub prunis. Hoc melius, ſi in menſas venturæ ſint, & pipere aſperſæ. Hac enim ratione, noxæ plurimum remittunt. Ignium verò vi,flatus,qui in his ſubeſt,conſumitur.Prius enim, quàm flammis, vel cineribus ſubdantur, per tranſuerſum vulnerari debent,vt plagæ hiatu,ſpiritus,ignis calore actus,euadat:alioquin flagrantes ſæpenumero non abſq; aſſidentium periculo,magno cum crepitu proſiliunt. Corpus affatim enutriunt, & tardè tranſeunt, concoctu difficiles, craſſumq; humorem, & capitis dolores faciunt, & inflationes pariunt. Ioannes autem Antonius Campanus, epiſcopus Iteranienſis, ſuo tempore vir doctus habitus, ab hac iniuria, illas vno diſticho feſtiuè vindicauit. Caſtanea loquitur:

Ventoſam qui me cenſent, ventriq; timendam,
Falluntur: ventos pello ego, non facio.

In primo abſceſſu calefacit, & eodem deſiccat: vehementer adſtringit. Stomachi fluxiones ſiſtit, præſertim verò tunicula, quæ inter carnem & corticem eſt:venerem excitant,quòd flatuoſæ ſint.Hæc autem cum rubi vel myrti ſucco pota,his,qui ephemerum,id eſt,hermodactylum colchicum ebiberint, auxiliatur. Prodeſt etiam caro ſanguinem excreantibus. Cum melle enim ac ſale trita, rabioſorum canum morſibus imponitur. Cum hordeaceo autem, polline,& aceto appoſita,mammarum duritias diſcutit. His enim vino maceratis,& cum farina ſubactis,ad ſupprimendos menſes, peſſi vice vtuntur. Indi, vt Plinius ait, è caſtaneis vinum conficiunt.

De lentiſco,& arbore, ſub qua Suſannam reperiſſe Danieli Iudæus reſpondit,& de adagio Græco σχινοτρῶγες.

CAP. XIIII.

LENT

LENTISCVS arbor fuit, ſub qua Iudæorum accuſantium alter, ſe Suſannam adulterantem inueniſſe Danieli falsò teſtificatus eſt. A lenteo autem verbo, quod eſt, lentus fio, quidam lentiſcum, propter eius virgultorum lentitudinem deduci voluerunt, à Græcis verò σχῖνος dicitur, cuius etiã fructum Hippocrates ſchinida vocat. Folio ſorbi, alij piſtacij, verùm minore & per extremitatem rubenti: ſiliquæ corniculi modo intortæ, in ſummo ſunt. Acini, ſiue, vt alij dicunt, baccæ primùm rubent, inſtar ſylueſtris punicæ acinorum, pòſt nigreſcunt, quæ in racemis, ſambuci modo dependent. Chia lentiſcus ab Itala ex his, quæ Plinius ſcribit differre videtur. Diſcernuntur & aliæ differentiæ. Lentiſcus aqueæ leniter calidæ & terrenæ non parum frigidæ facultatum eſt. Igitur in ſuis omnibus partibus deſiccat, idq́; abſolutè in ſecundo ordine, aut tertio incipiente: in caliditatis & frigiditatis differentia quodammodo eſt medius. Siquidem & folijs, & fructui, & cortici, ac radici & ramis, cognata quædam vis: at ſi ſuccum è folijs viridioribus exprimas, eiuſdem virtutis eſt. Moderatè adſtringunt, & in vniuerſum his, pro hypociſtide & acacia vti licet. Lentiſcus Celſo rodit. Flos modicè calefacit, minùs adſtringit, tenuem naturam ſortitus, quocirca vrinam mouet: menſes cit, obſtructa reſerat adhibitus, aut in potione: aut in fomentatione, vel cataplaſmatis exhibitus. Prodeſt & iecoris, & ſtomachi, ac ventris phlegmonibus. Flore autem radix magis adſtringit, verùm ille calidior, proinde medicinis, quæ hæmoptoicis commiſcentur, & ſanguinem excreantibus, exhibetur. Cortex verò, ſemen, & lacryma, vrinam ciunt, aluum ſiſtunt. Dentiſcalpia è virentibus ſurculis fiunt, quòd vis eius dentibus conferat. Quod Valerius Mart. non ignorauit. *Fodiꝗ́ tonſis ora laxa lentiſcis.*

Et in Apophoretis, *Lentiſcum melius: ſed ſi tibi frondea cuſpis*
Defuerit, dentes penna leuare poteſt.

Hinc quibus dentiſcalpium ſemper in ore eſt, adagialiter dicitur, σχινοτρῶγες, id eſt, Lentiſci artoſores dicuntur. Quod in eos quadrat, qui nimio ſtudio corpus curant. Folia etiam in dentium dolore atteruntur, Sereno etiam autore. Lentiſcusq́; emendat oris dolorem. Trita verò denigrant capillum. Tenera oculis inflammatis illinuntur. Horum enim decoctum per ſe bibitur, & cum alijs medicamentis, quæ dyſenterias, & alui affectus ſanant. Vuluæ fluxiones compeſcit, & ſanguinis ex vtero eruptiones. Vrinam pellit. Vlceribus humidis, quæ ſerpũt, illinitur, & igni ſacro virilia fouentur. Oſſa fracta ferruminat. Ex radice autem, cortice ac folijs ſuccus exprimitur. Hæc enim omnia in aqua ad mellis craſſitudinem coquitur. Vtiliter verò propter vim adſtrictiuam aduerſus ſanguinis expuitiones, dyſenterias, & alui profluuia & procidentes ſoles, vuluasq́; bibitur: ſicut de foliorum ſucco per ſe ſuprà diximus.

De lentiſci reſina: quæ maſtix dicitur. CAP. XV.

RESINAM autem lentiſcus fert, Galenus verò duo eius genera poſuit, nigram & candidam: hanc autem ex Chia lentiſco, nigram verò

verò ex Ægyptia. Quæ item ex contrarijs facultatibus conſtent,tam varia eſt vnius arboris ex regionum differentia, vt infrà oſtendetur. In vniuerſum enim præfertur maſtix,quæ reſplendeat, nitedulæ modo,adulta, odorata,friabilis,& ſtridorem edens, candore Thyrrheniæ ceræ. Viridis autem deterior. Adulteratur autem thure & reſina. Proximum locum poſt terebinthinam obtinet. Candida autem calefacit, ſiccatq́; in ſecundo abſceſſu,nempè ſubtilium partium,nec minimè acris, cæterùm compoſitæ facultatis eſt,emollientis videlicet,atq; adſtringentis: proinde ſtomachi, ventriſq́; inteſtinorum, ac iocineris inflammationibus rectè accommodatur.Nigra verò tum magis deſiccat,& diſcutit,tum minùs adſtringit,quamobrem ad ea,quæ validiorem digeſtionem per halitum expoſcunt,aptior eſt. Hac etenim ratione furunculos diſſipat. Porrò oleū, vnguentumq́; ex Chia conficitur,non admodum ſanè ex Ægyptia. Cæterùm ſimilis eſt & ipſum maſticis facultatis. Omnes ante cæteras reſinas vrinam mouent, fractis quoq; vtiliſſima, & auribus purulentis, item in pruritu genitalium. Pota verò contra ſanguinis excreationes, tuſſiq́; veteri prodeſt. Palpebris commodiſſimè explicandis. Ad faciei illinitiones,& ad nitorem conciliandum facit. Stomacho vtilis,ſed ructum mouet. Commanducata verò oris halitum commendat, gingiuarumq́; tumores contrahit. Capitis dolori cum polenta illinitur, ſedis virijs prodeſt, & cùm quid excalfacere exſiccareq́; volumus, & ad omnia deniq;, ad quæ ammoniacum. Miſcetur autem his, quæ ad exterendos dentes conficiuntur.

De oleo,& vino lentiſcino. CAP. XVI.

OLEVM autem è lentiſci ſemine, maturo, purgato & tuſo fit, Laurini olei modo,antea ſpiſſatur. Palladius *expreſſius* ſic: Grana matura quamplurima colligito,vti vna die noctéq; ſimul coaceruata eſſe patiaris. Deinde ſportam granis eiſdem plenam vnicuiq; vaſculo ſuperponis, & calida adiecta calcabis,& exprimes,tunc verò ſupernatantem oleum, vt de laurino dictum eſt,colligis. Oportet autem calidam,ne rigeat,ſæpius ſuperinfundere. Aetius aliter:Maſticis drachmam vnam,olei valde acerbi ſextario adijcimus, & in vaſe diplomate decoquimus. Æquè idem veluti roſaceum proficit,ni paulò durius intelligeretur. Calefacit, & adſtringit: proinde membris,quæ firmari,condenſari,& moderatè calefieri oportet, vtiliter illinitur. Oris diſtillationi, & gingiuis inflammatis congruit, ſi balneo & extrà inſtilletur. Repellit enim & abſq; aſperitate corroborat: propterea ad ſtomachi quoque & iocineris fomenta vtiliter adhibetur. Contra nimios ſudores,ſudorumq́; papulas,eo vtuntur. Acopis,peſſulis, & his, quæ contra lepras conficiuntur,vtiliſſimum. Iumentorū canumq́; ſcabiem efficaciſſimè ſanat. Attritis verò partibus,admiſta cera,medetur. Faciei ſordes curat,& clarificat,coloremq́; perſpicuum reddit. Cœliacam & dyſenteriam inunctum aut iniectum vtiliſſimè reſtringit. E lentiſco etiam vinum fit,quod ſchininum ſiue lentiſcatum dicitur. Si verò maſtichem

chem

chem accipiat, maſtichites. Hoc modo. Bacciferi enim rami deſumuntur, tunduntur〈q〉; decem minarum pondo, & in tribus muſti congijs, donec duo ſuperſint, feruefcit. Adſtringit hoc, ſtomacho accommodatum. Eo autem inteſtinorum, veſicæ, & ſtomachi diſtillationes ſiſtuntur, ac etiam ſanguinis eruptiones omnes. Vlcera omnia eo fouentur, atq; ad cicatricem perducuntur. Poſtremum ſedis vuluæq; fluxiones cohibet. Democritum autem ſe ſcire, ſcribit Plinius, in valetudine Conſidiæ, M. Seruilij viri conſularis, filiæ, curationem omnem auſteram recuſantis, caprarum lacte, quas lentiſco paſcebat, diu efficaciter vſum.

Præfatio libri vigeſimiſexti.

SÆPE mecum anxiè dubitatum, vtrum poſt vrbanas atq; has quæ magis hominum ingenio ac labore proueniunt, de arboribus ſylueſtribus ſcripturus forem nec ne. primùm autem quod horum librorum inſcriptioni, videlicet hortorum minimè conueniret, vtpote quod in hortis arbores ſylueſtres minus idoneè inſerantur. Nam vrbanis tum propter magnitudinem illarum ac robur, tum ob quandam tyrannidem & dominium atque nonnullam inuicem diſſidentem naturam & antipathiam non minimum officiunt, non aliter quàm inter ſe ſicures & feræ beſtiæ: alia inſuper cura atq; & ſtudium hortenſium & ſylueſtrium illarum quidem multiplex, harum verò minima. Semel etenim ſatæ, ſed vt plurimum ſua ſponte natæ, ad materiam, ad ſecurim, ad dolabram, poſt longiſſimam ætatem reſeruantur, ſæpiùs etiam ſenio prolapſæ ad ignem. Videbam item eos qui hortorum curam ſuis monimentis habuerunt, de his nullam rationem habuiſſe, verùm ſolum hos qui generalem naturæ hiſtoriam amplexi ſunt. Sed & nonnullos ex antiquis fuiſſe ſcio qui ſylueſtrium tantum arborum deſcriptionem conati ſunt, inter quos verò Oppius (referente Macrobio) quorum, vel iſtius ſi ſcripta ſtarent, forſitan in cauſa eſſent, vt mei inſtituti ambigerem, & tanto labore me liberatum iri. Plura etiam hinc inde ob mentem obuerſabant, voluminis magnitudo, etiam maior quàm cuiuſq; autoris ſuper hac re tã Græci quàm Latini. Quibus omnibus multum ac crebrius excogitatis, tandem vicit voluntas, vt de ſylueſtribus vtique diſſererem, nequid in arborum materia ſuperforet, &

deſideraretur. Perſuaſit inſuper horũ vtilitas & neceßitas. Nunquid & ſyluarum ingens voluptas & deliciæ, de quibus ſatis abundè ſupra, vt reor, ne quid idem pluries referamus. Illud etiam me monuit, vt quemadmodum in hortis præter ædificia conſtituuntur veluti picturæ, aquæ ſalientes, viuaria, & id ſimilia, quæ hortos decorare & in his ſpaciantes plurimum afficere poſſunt, nonnunquam etiam arbores ſylueſtres ſuo loco poſitas, vt antea quàm de his ſcribamus conſentaneum ſit, vt quid ſylua, quid ſaltus, & huiuſmodi ſimilia in quibus hæc naſcuntur diſſeramus.

HORTORVM LIBER
VIGESIMVSSEXTVS.

Sylua quid, & de adagijs, Multam ſyluam geſtas. &, In ſyluam ligna ferre. CAPVT I.

SYLVA dicitur quòd ſoliua ſit; vel à ſilendo. Græcis verò ὕλη, id eſt, materia. Solent enim Latini, autore Feſto Pompeio, S, vti, vbi Græci aſpiratione, vt cùm ij ὕλην dicunt, nos ſyluam dicimus, vt apud hos & Latinos ὕλη & ſylua pro materia accipiatur. Infinita enim arborum ſimul excreſcentium multitudo eſt, vnde tractum adagium, In ſyluam ligna ferre. In eum qui augere illis vult, quibus affatim abundat. Ab hac enim arborum multitudine indiſcriminatim ſimul nata, ſyluam etiam pro aliarum rerum incondita congerie, & copia acceperunt. Quod Vergilius in vitibus expreſſit:

Georg. 2. *Syluarumq́ aliæ preſſos propaginis arcus*
Expectant. - Idem lupinorum ſyluam expreſſit, & alibi ait:
Georg. 3. *- Primùm aſpera ſylua, Lappæq́, tribuliq́ abſint.* -

Iuuenalis & Serenus pilorum copiam, ſyluam vocat. Illei

- Vultus grauis, horrida ſiccæ
Sylua comæ, nullus tota nitor in cute. -

Et Terentius in Phormione, de milite hirſuto ait:

- Multam ſyluam geſtas.

Vnde ortum adagium: Multam ſyluam geſtas. λοχμὴν πολλὴν φορεῖς.

In ſtup

In ſtupidum & agreſtem dicitur. Et Nicephorus in ſua hiſtoria, Perniciofam nocentis herbæ ſyluam dicit. Poëtæ item, Seruio Honorato inquiente, ſyluam, elementorum congeriem, vnde cuncta procreentur, vocant. Ad alias etiam res incorporales transfertur, vt cùm negotiorum ſyluam dicimus. Alexander Aphrodiſæus, ob febrium multitudinem, & illarum differentias, febrium ſyluam protulit. Sylua etiam aliquando accipitur pro eo, quod ex tempore velociſſimè ſcribitur. Eſtq; veluti prima materia. Quintilianus libro decimo: Diuerſum eſt huic, eorum vitium, qui primo quaſi decurrere per materiam ſtylo quàm velociſſimo volunt, & ſequentes calorem atq; impetum ex tempore ſcribunt (hanc ſyluam vocant) repetunt deinde, & componunt, quæ effuderint. Cicero tertio de Oratore: Primùm ſylua rerum ac ſententiarum comparanda eſt, qua de parte dixit Antonius. Hoc eſt, maxima congeries, & vbertas. Idem de Inuentione primo: Non incommodum videtur, quandam ſyluam, atq; materiam vniuerſam, antè permiſtam, & confuſam exponere, omnium argumentationum. Pro copia etiam accepit in Oratore: Omnis vbertas & quaſi ſylua dicendi, ducta ab Academicis eſt. Philoſophorum etiam libros, qui tot fuerunt, & qui nil intactum reliquerunt, Horatius ſalubres ſyluas vocat. Sic enim in epiſtolis canit:

An tacitum ſyluas interreptare ſalubreis, *Epiſt. lib. 1.*
Curantem quicquid dignum ſapiente, bonoq́ eſt?

Sic enim interpretatur Acron. Poëtarum etiam ex antiquis nonnulli, veluti Statius Papinius, & ex neotericis multi, aliquot ſua opera, Syluas inſcripſerunt, in quibus variæ ac diuerſæ res exararentur.

Quid ſylua cædua, quidve ſylua conſulares, & quòd Pan deus ſyluarum ſit. CAP. II.

AB hoc enim generali ſyluæ vocabulo, ſylua cædua ſeparatur, quæ in eum vſum habetur, vti ex ea ſiue ignis cauſa, ſiue pedamentorum, perticarumq;, & aliarum rerum, cædatur materies. Paulo Iuriſconſulto ea eſt (vt quidam putant) quæ in hoc habetur, vt cæderetur. Seruius autem Iuriſconſultus eam eſſe, quæ ſuccisa, rurſus ex ſtirpibus naſcatur. Et vti ad ſyluas conſulares deſcendamus, Vergilius Maro ſyluas conſulibus dignas eſſe ait, his verbis:

Si canimus ſyluas, ſyluæ ſint conſule dignæ. *Ecloga 4.*

Et vti illius ſententiam autoritate comprobemus, Tranquillus in Cæſare ſcribit, Ipſo & M. Bibulo conſulibus ab optimatibus datam operam, vt conſulibus futuris prouinciæ ſyluæ decernerentur, quòd minimi eſſet negocij. Ariſtoteles etiam in Politicis inter magiſtratus, qui extra vrbem ſunt, ſyluarum cuſtodes ponit. Nam & illarum neceſſariam curam eſſe dicit. Illorum autem cura erat, ne compingendis nauibus vnquam materies deeſſet, néve quid ex his, præterquam ad opera publica ſuccideretur. Hæ verò ſyluæ conſulares dicebantur. His etiam qui ſyluam incidunt, quíve arborem cædunt ac torrent, grauiorum munerum vacario,

autore Iuriſconſulto Calliſtrato concedebatur. Vana antiquorum religio,ſyluarum deum Pana Gorgonis filium exiſtimauit, quem alij Syluanum vocant, cæteri Inuum. Hunc autem Arcades maximè venerabantur,vt propterea Vergilius,Pan deus Arcadiæ,dixit.Illi enim τὸν τῆς ὕλης κύριον nuncupant. Non ſyluarum modò,ſed vniuerſæ naturæ dominum denotantes. De eo enim Auſonius:

Nec cultor nemorum reticebere Mænalide Pan.

Et vt à maioribus ad minima deſcendamus, à ſylua ſyluula diminutiuũ, autore Priſciano, Columella: Sunt enim,quibus cordi eſt,vel in ſyluulis tamaricum,aut ſyrporum frutetis immorari,nec ob hanc tamen cauſam totus locus ſyluulis occupatur.

Quid ſaltus: quidve ſylua paſcua, ac nemus, & de Nemeſtrino deo, de napeis & Ithia dea. CAP. III.

SALTVM, vti à Iuriſconſultis noſtris incipiam, Gaius Ælius libro ſecundo ſignificationum, quæ ad ius ciuile pertinent (referente F. Pompeio) ita diffinit: Saltus eſt,vbi ſyluæ & paſtiones ſunt, quarum cauſa, caſæ quoq;, ſi qua particula in eo ſaltu paſtorum, & cuſtodum cauſa parantur. Ea res non perimit nomen ſaltus, non magis quàm fundi, qui eſt in agro culto,ſi qua particula eius cauſa habet ædificium. Hæc autem ſaltus diffinitio prægnans eſt,vt ſunt omnes Iuriſconſultorum,vt etiam ſyluam paſcuam contineat: quæ eſt Paulo etiam Iuriſconſulto,quæ paſtu pecorum deſtinata eſt. M autem Varro libro de lingua Latina primo,ſic diffinit. Quos agros non colebant,propter ſyluas,aut id genus,vbi pecus paſci poſſit, & poſſidebant, ab vſu ſuo, ſaltus nominarunt. N. etiam Marcello dicitur,campi ſpatium. Vergilius:

Saltibus in vacuis paſcant, vt plena ſecundum
Flumina.

Ab hac enim Vergilij ſententia nonnulli ſaltus,campos paſtorales dixerunt,vbi pecora alerentur,& venationi,ac aucupio idonei eſſent,ideò inuij. In his enim ſyluis,quæ plantis raræ ſunt,& aliquot locis vacua, & loci natura aut aquarum abundantia herbidæ, ſolent armenta & pecudes depaſci,ac æſtiuare, ac ſæpe hyemare, ſi aër patiatur. Vnde & Iuriſconſulto Vlpiano hyberni,ſicut & æſtiui, ſaltus dicuntur. In quibus loci opacitate, & amœnitate, paſcentia animalia, laſciuiendo ſalire conſueuerunt,à qua re, & loci vſu, ſaltus dictus. Saltuarius, ſaltus cuſtos, vt Pomponius Iuriſconſultus his verbis nos docuit: Dominus proprietatis, etiam inuito vſufructuario, fundum, vel ædes per ſaltuarium,vel inſularium cuſtodire poteſt. νάπη ſaltus, & ſyluoſus locus dicitur: vnde napeæ deæ ſylueſtres. Feſtus Pompeius per nemora,ſyluas amœnas intellexit,vt etiam appellatione hac Horatius pro viridario dixerit,his verbis:

Lib. Carm. 3. ode 11. *Audis quo ſtrepitu ianua, quo nemus*
Inter pulchra ſitum tecta remugiat
Ventis.

Dicitur autem nemus ἀπὸ τοῦ νέμω, quod eſt paſco: ἄλσος etiam nemus eſt. Nemeſtrinus, deus nemoribus præpoſitus, vt inquit

inquit Arnobius. Ilithia ſyluarum dea, iuxta thermarum nemora poſita, quæ Alexander Imperator ad thermarum vſum deputauit. Ariſtoteles autem omnem ſaltum, ac ſyluoſum locum, acheruſion vocari ſcribit, & apud Latinos Plautus in Amphitryone vlmorum acherontem dicit.

Quibus locis, quibúsve regionibus ſyluæ magis proueniant.

CAP. IIII.

QVEM verò locum, quámve terram vnaquæq; arbos magis deſideret, ſuprà viſum eſt: nunc autem vbi arbores, maximè verò ſylueſtres, quæ ſponte, nulla adhibita cura, ſyluarum conſortio, faciliùs coeant, tractandum. Et illud primùm inter omnes conſenſum eſt, vti in humidioribus locis frequentius ac vberius, ſuoq; ingenio naſcantur. Quod Vergilius paucis atq; vno fluminis vocabulo oſtendit, dum cecinit:

Sponte ſua veniunt, campoſq; & flumina latè Georg. 2.

Curua tenent.- De arboribus loquitur. Hac enim ratione circum flumina fontésve, arbores copioſiùs adnaſcuntur. Hac item ratione quæ humidæ ſunt regiones, quales maximè ſunt, quæ ad Occidentem, quæ've ad Septentrionem, quàm quæ ad Meridiem, & quàm quæ ad Orientem, plus magis arboribus, ſyluiſq; ingentibus abundare cernuntur: vt ab initio totæ ſyluoſæ, & ferè inuiæ nonnullæ fuerint, & parum habitabiles, & incultæ, vt olim Germaniæ maxima pars. In Gallia verò Neuſtria, Hyrcania, & Scythiæ prouincia Hybla, Colchos ſyluoſæ, quod de Hyrcania teſtatur Lucanus:

- Vaſtùq; Hyrcania ſyluis. Et alibi:

Vidit ab Hyrcanis, Indoq; à littore, ſyluis.

De Hybla Valerius Flaccus:

Denſior haud vſquam, nec celſior extulit vllos
Sylua trabes, feſſæq; prius redière ſagittæ,
Arboris ad ſummum quàm peruenere cacumen,

Propterea Europa & Aſia, Africa ipſa frondoſiores, quòd illæ magis ad Septentrionem & Occidentem vergant, hæc autem omninò ad Meridiem. De qua Silius ſic:

- Nam quicquid puluere ſicco
Separat ardentem tepida Berenicida Lepti.
Ignara frondes ſolus nemus abſtulit Hammon
Syluarum fons cauſa loco, qui putria terra
Alligat, & domitas nuda conuertit arena.

Nam quæ ad ſolem orientem poſitæ ſunt, rarò ſyluoſæ, verùm minùs quæ ad Meridiem, vt aliquæ his omninò careant. Sunt etenim hæ aridiores, ſole exhauriente humorem.

Montuoſas regiones, ac montes ipſos, conuallibus & campis ſylueſtriores fore.

CAP. V.

LOCA plana, ac conualles, non ita, ſupradicta ratione, ſyluoſæ, veluti montuoſæ regiones, ac montes ipſi, quod in Græcia, Gallia & Hiſpania regionibus ſolùm expreſſiſſe liceat. Nam in illa Arcadia, in Gallia Aruernia, in hac Cantabria, Aſturia, Galatia montes etiam hac vbique frequentius ſylueſcunt, vt in multis prouincijs ij arboribus & ſyluis tegantur, reliqua parte parum ſyluestri, aut omnino calueſcente. Etenim collibus planisq; locis frigidiores, habentq; alimenti copiam. Receptos autem imbres, ac niues, ob arborum vmbram diutius conſeruant, quæ poſtea liquefacta locum humentiorem reddunt. Auerſi inſuper Solis curſui, quo minùs radij ad terram directi ſint, prohibent, vt nec humores ſugere poſſint. Longioribus etiam, ac diuturnioribus vmbris humiditatem longiuſculè adſeruant, vt propterea frigidiores, idcirco humidiores eſſe oporteat, quibus maximè ali arbores, vti ſupradictum eſt, conſtat: præſertim verò horum loca, quæ ad Septentrionem ſpectant. Hæc enim arboribus crebriora. Reliquum eſt, vti ſupradictorum fidem ex nonnullis poëtarum teſtimonijs faciamus, & ab ipſo Homero poëtarum principe incipiemus. In Ithaca verò inſula Neritum montem frondoſum ſcribit:

Odyſſ. lib. 9. ναιετάω δ' ἰθάκην ἐυδείλον, ἐν δ' ὄρος αὐτῇ
νήριτον εἰνοσίφυλλον ἀριπρεπές.

Hic etiam Phtiram montem vmbroſum dicit. Lycæus mons Arcadiæ, de quo Vergilius in Bucolicis:

Ipſe nemus linquens patrium, ſaltusq́ Lycæi. De quo etiam Ouidius:
- Cultiq́ arbuſta Lycæi. Et Statius:
- Large qua non opulentior vmbra
Argolicos inter ſaltus educta Lycæos. Et Columella lib. 10.
Quæ iuga Cyllenes & opaci rura Lycæi.

Menalus mons etiam Arcadiæ, de quo Vergilius:

Menalus argutumq́ nemus, pinosq́ loquentes,
Semper habet.- Oeta mons inter Theſſaliam & Macedoniam Herculis morte, rogoq; ac ſepulcro famoſus, de quo ſic Seneca in Troade:
Quæ ſub Oeta latebroſa ſyluis. Idem in Hercule Oeteo:
- Et Oetæum nemus *Suſcipiat ignem.-*

Lucanus in ſeptimo:

Erige congeſtas Oetæo robore ſyluas. Ouidius Metam. 9.
Arboribus cæſis, quas ardua geſſerat Oete,
Inq́ pyram ſtructis.- Et pòſt:
Congeriem ſyluæ Nemeæo vellere ſummam *Sternis.-*

Ida enim Creta & Troade. De hac enim Vergilius in ſecundo Æneidos:

- Mons Idæus. Et alibi:
- Vt quondam caua concidit, aut pondere vaſto,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus. De hac etiam Statius:
- Pinifera multum fœlicior Ida.

Pindus mons Theſſaliæ, de quo Lucanus:

- Nemus extrue Pindi.

Pelion

Pelion mons etiam Theſſaliæ, de quo ſic Ouidius:

Pelion Aemoniæ, mons eſt, obuerſus in auſtros
Summo virent pinus, cætera quercus habet.

De quo etiam ſic Ennius:

Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſæ cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes.

Olympus mons inter Theſſaliam & Macedoniam, quem Vergilius frondoſum dicit. Tenarus Laconiæ promontorium iuxta Spartam ciuitatem, circa finem montis Maleæ. De quo Statius:

- Tenarijs contermina lucis. Seneca in Hercule furente:

Spartana tellus, nobile attollit iugum,
Denſis vbi æquor Tænarius ſyluis premit.

Pachynus Siciliæ promontorium Peloponneſum ſpectans, ſyluis vmbroſus, vt ait Nemeſianus: *- Syluis vmbroſa Pachyne.*

Hi autem montes ſunt, qui poëtarum autoritate nemoroſi referuntur. Alios autem, qui Geographorum, & Hiſtoricorum ſcriptis recenſentur, commemorare, opus ſatis operoſum, & minimè conueniens, nec neceſſarium, præſertim verò cùm & nonnulli è neotericis fuerint, qui hoc attentarunt, & ſuis monimentis publica fecerunt. Hæc de ſyluoſis in vniuerſum locis, & ſpeciatim de nonnullis. Omnia autem connumerare, ſupra ingenium humanum foret. Nunc verò ſyluas aliquot, autorum vigilijs claras perſequemur.

De ſyluis Græciæ & Theſſaliæ. CAP. VI.

ALIQVOT Græciæ ſyluas deſcripturus, vt ab Nemea ſylua incipiamus, conſentaneum erit. Non enim tam Argiuorum ludis, qui Nemæa vocarentur, quàm Herculis geſtis, ibi interfecto leone memorabilis fuit. Peloponneſi ſylua eſt, inter Cleonas & Phliuntem, Thebis vicina. Molorchus etiam in ea pauit armenta, & Herculem hoſpitio ſuſcepit. De hac Statius amplius:

Syluarum Nemea longè regina virentum Thebaid. lib. 4.
Lecta Iouis ſedes, quàm, nunc, non Herculis actis
Dura magis: rabidi cùm colla minantia monſtri
Angeret, & tumidos animam anguſtaret in artus.

Et Nemees lucum. Vergilius: *- Tu Cresſia mactas*
Prodigia, & vaſtum Nemeæ ſub rupe leonem.

Idem in Georgicis: *- Lucosq́ Molorchi.*

Carnion nemus Arcadiæ Apollini ſacrum, non procul à Pharis. In quo fons celeberrimus. In ea etiam regione Saron ſylua trans Ladonem fluuium: Stymphalus etiam ſylua Arcadiæ. Ouidius in quinto Metamorphoſeon:

Laſſa reuertebar, memini, Stymphalide ſylua,

Cytheron apud Thebas, ſaltus, & Calydonia ſylua, cui nomen Calydon oppidum Ætoliæ huic propinquum dedit, memorabilis apro ab Hercule capto.

le capto. Apud Ortygiam inſulam Ægæi maris ſylua fuit, omnis generis materiei pulcherrima, cupreſſorum maximè. Per eam enim Cenchrius amnis fluit, in quo dicunt Latonam poſt partum lotam fuiſſe. Dodona Epiri ciuitas, iuxta quam nemus querneum, ideò glandibus abundans, vndè ab eius excellentia Vergilius in primo Georgicorum ait:

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit: cùm iam glandes, atq; arbuta ſacra
Deficerent ſyluæ, & victum Dodona negaret.

Tempe Æmoniæ nemus inter Oſſam & Olympum montes ſitum, paſſuum quinq; millibus in longitudinem ſeſe extendens, per medium cuius Peneus fluuius iucundiſſimè diſcurrit, gramine veſtitis & viridantibus marginibus, & arboribus in cœlum erectis, placidiſſimam vmbram præbentibus, auium etiam concentu, & lapillorum aquarum ſonitu peramœnus, vt Seruius abuſiuè cuiuſuis loci amœnitates, apud Vergilium Georgicorum tertio dixerit:

Speluncæ, viuiq; lacus: at frigida Tempe,
Mugitusq; boum, molleſq; ſub arbore ſomni. Et in quarto:
Paſtor Ariſtæus fugiens Peneia Tempe.

Ouidius in primo Metamorphoſeos:

Eſt nemus Æmoniæ, prærupta quod vndiq; claudit
Sylua, vocant Tempe, per quæ Peneus ab imo
Effuſus Pindo ſpumoſis voluitur vndis. Lucanus:

Lucan.lib.8. *- Nemoroſaq; Tempe.* Statius:

Lib.6.Theb. *His labor abſciſſam Nemeen, vmbroſaq; Tempe.*

Pieris, nemus Macedoniæ, à quo Pieria regio dicta.

De ſyluis vrbis Romæ, ac Italiæ. CAP. VII.

INTRA vrbis muros incluſæ ſyluæ, ſi qua in aliqua ciuitate plures fuerunt. Auentinus mons ſylua fuit, ab Anco Rege vrbi additus. In eadem vrbe Querculanus etiam, vt ſcribit Tacitus, quòd quercuũ ſylua ſecunda propè eſſet. In campo Martio nemus populeum dictum. Cicero contra Rullum Syluæ Romani populi meminit, forſitan illa erat. Næuia porta Romæ à propinquo Næuio Nemore dicta. Sic enim nemus illud dictũ, quòd Næuij fuerit, vt voluit Feſtus Pompeius. Italicæ verò Arſia ſylua memoratur, iuxta quam cum Valerius Publicola cum Tarquinio Superbo & Hetruſcis & Veientibus præliaretur, ex ea ingens vox proximè noctis ſilentio exaudita his verbis, Vno plus Hetruſci cadent: Romanus exercitus victor abibit. Qua voce tantus error ſubitò Hetruſcis & Tarquinio, etiam in cornu dextro prœlio ſuperioribus inceſſit, vt non ſolùm ipſi victores profugerent, verùm etiam Veientes ſui timoris participes, ſecum traherent. Hæc enim vox Syluani dei credita eſt. Nam huic genio Romani adſcribũt, qui fuit panicos. Albunea fons & nemus iuxta Anienem, ſiue ab aquæ colore, ſulphureæ, ſiue quòd Albuncta Latinè ſit, quæ Græcè [illegible] dicitur. Vergilius in Æneidos ſeptimo:

- *Lucoſq;*

- Lucoſq́; ſub alta
Conſulit Albunea: nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat.- Prope Cumas ſylua Gallinaria fuit, quæ, autore Strabone, multis porrecta ſtadijs, aquarum indiga, cæterùm ſabuloſa, de qua ſic Iuuenalis:

Et Pontina palus, & Gallinaria pinus. Satyra 3.

Erat & ſylua, quæ ad Gallinas duceretur, quæ in villa Cæſarum, iuxta Tyberim, ad nonum lapidem, in loco celebri fuit. Mœſia ſylua à Mœſio Thuſciæ oppido, ſic dicta Portio Catoni in libris Originum, Veientibus, regnante M. Anco adempta. Mœſiæ & Arſiæ ſyluarum meminit Nazarius in tertio Panegyrico Conſtantino dicto prope Capenates, quæ nũc Canapina, fortè nunc, vt Raph. Volaterrano placuit, quæ Bachana vocatur: eò enim vſq; Imperium prorogabant. Apud Mamertum verò Brutiorum oppidum, procerarum arborum ſylua, aquis etiam plurimis referta ad longitudinis ſtadia DCC. ex cuius arboribus pix liquaretur, quæ Brutia diceretur, Syla etiam ſic dicta quaſi σῦρα, id eſt, tracta, hoc eſt, latronibus frequentata. Salluſtius de fugitiuis. In ſylua, inquit, Syla fuerunt. De qua Vergilius libro 12. meminit:

At velut ingenti Syla, ſummo've Taberno
Cùm duo conuerſis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt, pauidi ceſſere magiſtri.

Seruio tamen mons ſyluæ Lucaniæ eſt. Ciminia Ethruriæ ſylua, cuius meminerunt Strabo, Plinius, Vergilius, Silius. Inter Viterbium enim & Roſſelanam coloniam monſtratur. Vicus latus nunc dicitur. Inter Romanum & Sabinum agrum locus, quem antiqui ſyluam dixere, autore Stephano. Lucaniæ Anguitia ſylua. Vibio Sequeſtre inquiente & in Campania maryca, vbi Maryca nympha ſepulta.

De Gallia, & nonnullarum aliquot regionum ſyluis.

CAP. VIIII.

GALLIA Germaniæ proxima, ex locorum vicinitate, & quadam cœli ſoliq; propinquiore natura, vt hæc ſyluis fœcunda, non tamen vſqueadeo, vt hæc ſcaturiens. Illa enim longè calidior & ad multa, quibus hæc ob aëris aſperitatem caret, fertilior. Totius verò Galliæ illa maior fuit, quæ Arduenna dicitur. De qua Iulius Cæſar in Commentarijs: Arduenna ſylua totius Galliæ maxima, atq; à ripis Rheni, finibusq́; Treuirorum ad Neruios pertinet, millibus amplius quingentis in longitudinem patet. Et vt manifeſtiùs eam oſtendam, Germanis contermina. Ab Adula monte incipit, & ad Metenſes, Menapios, Laodunenſes, Condruſios, Aduaticos pertinet. Ab Hercynia verò, nulla alia maior deſcribitur. Proceribus arboribus eam horrere Strabo meminit, & ſpinoſis dumorum ramis belli impetus arcere. Cæteræ autem per Galliam ſyluæ; autorum appellationibus minimè memorabiles, & ſi ingentes pluresq́; in ea fuerint. Amœna enim eſt, inquit Mela, lucis immanibus: vt plurimũ apud

Neuſtrios, Carnotenſes, Aruernos, quorum montes pinaſtri, & huius reſinam ferentibus, cooperti. Habent tamen apud ſuam gentem propria nomina, quæ referre longum eſſet, atq; parum vtile. Alegriam tamen prætérire non cenſui, ſic dictam ab aræ, quæ ibi propè eſt, quòd totius illius regionis latitudine, ac longitudine, & arborum proceritate ac craſſitudine admirabilior & famoſior ſit. Sunt etenim illius arbores omnes abietes, piceæ, ſapini, & id genus, quarum natura eſt vt recto caudice & enodi aſſurgant, viridanti ſemper coma, quòd illis folia non decidant, quare amœnior, qua nonnunquam viſu & peregrinatu plurimum delectatus. Vaccei etiam ſaltibus abundantes, de quibus Auſonius Paulino:

Quid tu mihi vaſtos
Vaſconiæ ſaltus obijcis.

In his enim ſe delectatum fuiſſe Franciſcus Petrarcha faſſus. Sunt etenim ij, multarum auium aucupio perutiles, & iucundi, necnon prouentus maximi.

De Hiſpaniæ & Britanniæ ſyluis. CAP. IX.

IN Albione, quæ pòſt Britannia dicta, & in eius parte, quæ nunc Scotia dicta, ingens ſylua, plurimorum autorum monimentis percelebris, quæ Calydonia dicta eſt, & ab ea Britanni Calydonij dicti ſunt. Martialis:

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit vrſo. Idem:
Quinte Calydonios Ouidi viſure Britannos. Silius:
Inq; Calydonios primus trahet agmina lucos.

Claudianus enim, pro arcto frigore pruinas calydonias poſuit,

Ille Calydonijs poſuit qui caſtra pruinis.

Initium autem huius fuit, vt ſcribunt Scotiæ hiſtoriographi, iuxta oppidum, quod incolæ Sterlingum vocant, cui olim Monti Doloroſo nomen fuit: argumento enim ſunt fluuij per eam verſus Atholiam ſeptentrionalem regionem longo tractu excurrentes, qui ab ea nomen acceperunt, & adhuc vulgo Callendar, Caldar vocati. Gignit ea ſylua, vt accolæ & illi prodiderunt, boues candidiſſimos, veluti leones iubatos, cæterum reliqua facie noſtris manſuetis perſimiles, vſqueadeo feroces & indomitos, vt omnino humanum conſortium refugiant, vt ſi quas fortè herbas, frutices, arboréſve pedibus, manibúſve homines tetigerint, & hæc olfactu perſenſerint, per multos dies aufugiant. Capti autem, paulò pòſt emoriuntur. Olim ea ſylua tota frequens & abundans his fuit, ſed nunc modò pars, quæ ab incolis Cammernald dicitur. Tormentis enim ignarijs à longe, ſine periculo interficiuntur. Horum enim carnes humano vſui iucundiſſimæ, & illius regionis nobilibus gratæ, ac expetitæ. Habet Hiſpania ſyluas plures, quarum antiqui non meminerunt. Non remanſerunt tamen apud incolas abſq; nominibus, vt eſt apud omnes nationes. Botrodi nemoris meminit Martialis ad Lucianum:

Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod fœlix amat,

De Hercynia & cæteris Germaniæ ſyluis. CAP. X.

GERMANIA regio, vt plurimum ad Septentrionem expoſita, propter quod & loci natura, ac ſua latitudine longitudineq́; plures, atq; item vaſtiores in ea ſyluæ, ſi quæ in alia regione vnquam agnatæ fuerint: vt propterea ſyluarum parens meritò dici poſſit: quam etiam Pomponius Mela ſyluis inuiam ſcripſit. Verùm loci aëriſq́; beneficio vna, omnes alias prouincias, tum amplitudine, tum arborum magnitudine ac craſſitudine ſuperauit, hæc fuit Hercynia ſylua. Sic enim de ea Iulius Cæſar ſuorum Commentariorum libro ſexto inquit: Hercyniam ſyluam Tectoſages occuparunt, atq; ibi conſederunt. Quæ gens ad hoc tempus his ſedibus ſe continet, ſummamq́; habet iuſtitiæ & bellicæ laudis opinionem. Cuius latitudo nouem dierum itinere expedito patet. Non enim aliter finiri poteſt, neq; menſuras itinerum nouerunt. Oritur ab Heluetiorum, & Nemetum, & Rauracorum finibus, rectaq́; fluminis Danubij regione pertinet ad fines Dacorum, & Anartium. Hinc ſe flectit ſiniſtrorſus, diuerſis à flumine regionibus, multorumq́; gentium fines propter magnitudinem attingit. Neq; quiſquam eſt huius Germaniæ, qui ſe aut audiuiſſe, aut adiſſe ad initium huius ſyluæ dicat, cùm dierum iter ſexaginta proceſſerit, aut quo ex loco oriatur acceperit. Hæc ille. Iulianus princeps, autore Suida, hanc ſyluam perluſtrauit: qui apud eundem rem inſigniter admirandam ſe vidiſſe teſtatur, nec aliud maius nemus, neq; tale in orbe Romano ſtare, nec in Theſſalia Tempe ipſa, nec ſyluas apud Thermopylas, nec ingentem, & vaſtiſſimum Taurum huic comparari poſſe, ſi ad difficultatem aſpirandum ſit, & ſi illa plurimũ incommoditatis habeant. De huius verò miraculo Plinius hæc: In eadem Septentrionali plaga Hercyniæ ſyluæ, roborum vaſtitas intacta & congenita mundo, propè immortali ſorte miracula excedit. Vt alia omittantur fide caritura, conſtat attolli colles occurſantium inter ſe radicum repercuſſu. At vbi ſecuta tellus non ſit, arcus ad ramos vſq;, & ipſos inter ſe rixantes, curuati portarum patentium modo, vt in turmas equitum tranſmittant. De ea ſic Claudianus in Panegyri Stiliconis: *Plin. lib. 16. cap. 2.*

Vt procul Hercyniæ per vaſta ſilentia ſyluæ
Venari tutò liceat, lucosq́; vetuſta
Relligione truces, & robora numinis inſtar
Barbarici, noſtræ feriant impunè bipennes.

In eius medio ora, ſcribente Strabone ad habitandum idonea. Eratoſtheni, & quibuſdam Græcis alijs nota, à quibus Orcinia dicta, vt ait Cæſar. Hæc ſunt, quæ antiqui ſcriptores de Hercynia prodidere. Qui verò de ea recentiores ſcripſerunt, maximè Germani, ad quos præcipuè, tanquam accolas, illius cognitio ſpectare debet. Pauci enim ſunt, qui eam vel intus, vel in finibus non inhabitent. A Rheni autem ripis per Germanos, Sarmatasq́; aduſq; Ripheos montes, & Mæotim, & Aſiæ confinia, curſum habere dicunt. Per Moſcouiam verò inter Solis ortũ & Boream

ad Scythicum Oceanum excurrere,& per Poloniam, Lituaniam,& Pannoniam, in quibus ſua nomina Tranſſyluanæ & Daciæ, vt omnia ibi nemora, ſyluæ Hercyniæ nomine, compræhendantur, vt ſpes hominũ eius limites ſtudioſè inueſtigantium, ingenti ſua magnitudine ſemper eluſerit. Hanc intra extraq; habitant Sueui. Vnde Seneca in Medea:

Lucus nobis Sueui Hercyneu.

Sua autem amplitudine, certis locis plura nomina ſortitur, vt Taurus mons, & ſyluæ illius. A pinorum etenim abundantia nunc vulgo ſylua nigra dicitur, verùm pars ſuperior, quam alij ad dextram Rheni ripam ſpecialius deſignarunt, cuius vocis Ammianus meminit. Alij Martianum nemus. Pars autem, quæ Gallis proxima eſt, Simonis nemus dicitur. Alia pars Vuoda, aut Goda, à Mercurio, quem Longobardi, autore Paulo Diacono, Godam appellabant. Alij hunc tractum Odonis ſyluam vocarũt. Paterculus Bohemicum nemus,& Hartonem vocitat. Nunc verò paſſim vbiq; poſitis ædificijs,& ſtructis oppidis, ac vicis colitur. Quibus nomina dedit, quod referre longum eſſet: vt iamq; longo hominum labore rara facta ſit,& in dies rarior, vt nec iam denſis arboribus horrida ac inuia minimè ſit, ſed amœniſſima, vt multis locis, vix ſyluæ faciem retineat. In ea verò parte, quæ ad Pruſſiam vergit, Vri ingentes, acférociſſimi, taurorum ſpecie reperiunrur, quos biſontes vocant. Item & alces, cum corneo proboſcide, altis cruribus, nullo flexus ſuffragio. Iozzi à Moſcouitis, à Germanis verò helenes vocantur: quæ Caio Cæſari nota fuiſſe legimus. Præterea vrſi inuſitatæ magnitudinis,& lupi prægrandes, atro colore formidabiles. Hæc autem animalia memorare libuit, cùm alicubi non viſantur, vt quid mirandum huic ſyluæ, præter ſupradicta adderem,& ſi vltra rem, & opinionem. Et vti à nominis appellatione finiam, quidam à Græca voce dictam arbitrantur. ἕρκος enim ſeptum ſignificat: quòd hæc Germaniam ſua magnitudine ſepiat. E recentioribus verò nonnulli ab Hercule nomen accepiſſe, quod minùs verum exiſtimo. Nam Herculem nihil præclarum in ea geſſiſſe, memoratur, nec ibi biſontem, aut alcen, vrſum, aut lupum, ſicut in Nemea leonem, & in Calydone aprum interfeciſſe, nec vnquam Germaniam adijſſe. Cæteri à barbaro quodam. Sunt & Germaniæ aliæ ſyluæ, verùm perpaucæ, quia illa ſua amplitudine, multis locum ademerit. Bacenis, de quo Cæſar etiam hæc in literas mandauit. Apud Sueuos ſylua infinitæ magnitudinis, quæ appellatur Bacenis, ac longè introrſus pertinere,& pro natiuo murum obiectum Cheruſcos à Sueuis, Sueuoſq; à Cheruſcis iniurijs incurſantibus prohibere. Ad eius initium Sueui aduentum Cæſaris expectarunt. Bohemica ſylua à nonnullis memoratur, multi etiam Hercyniæ portionem exiſtimant: quod æquè credendum, cùm ſuprà oſtenſum è Senecæ autoritate, illam coluerint. Pars Gabreta dicitur,& alia Luna, autore Strabone, verſus meridiem vſq; ad Danubiũ pertingens. Meminit & huius Ptolemæus. Cæſia etiam commemoratur, de qua Tacitus: Saltus Theutoburgienſis, in veteri Germania trans Rhenum non procul à Lappia amne, in quo, eodem autore, Quintius Varus, à Germanis, duce Arminio victus,& interfectus. Baduhenna lucus in Friſijs ab eodem celebratus.

De quercu, & de funebri Prienenſiū quercu. CAP. XI.

QVERCVM Plurarchus Chæroneus inter arbores ſylueſtres fructu belliſſimam atq; fertiliſſimam air. Eo enim & feræ arque alites paſcunrur. Nempe etiam & M. Cato inrer ea, quæ ad bonum optimumq́; agrum ſpectant, ſyluam glandariam annumerauir. Inter autem mitigaras validiſſima. Magnum etiam venatoribus inſtrumentum, huius viſcus extat. Omnium prima nara dicitur. Vnde Arcadum cum hac, cognatio quædam, quòd omnium primi ex terra homines fuiſſe perhibeanrur. Socrates aurem in Deorum contumeliam, qui ſua rempeſtate colerentur, per quercum, vr ait Tertullianus, deierabat, hac ratione, vt ipſe arbitror, quod Deum vnum, qui mundum cœlumq́; regerer, eſſe exiſtimarer, qui anrè forer, quàm quercus crearerur, & naſceretur. At qui Athenis & in Græcia colerenrur, longè poſt quercum, & ferè à ſua memoria natos, nec dignos vt pro deo colerenrur, quare ob violatas illorum ceremonias, vltimo ſupplicio à ſuis condemnatus. Heſiodus aurem Deos dicebar, iuſtis hoc concedere, vri in illorum quercuum ramis alrioribus, glandes naſcerentur, in medio verò apes habirarent. Quercus verò Græcè δρῦς dicitur Feſto, rum quòd id genus arboris graue, ac durum ſit, rum etiam quòd in ingentem euadat altitudinem: & querceram ſebrem quidam grauem & magnam putant dici, ac cum tremore frigidam. Lucilius:

Iacta me vt febris quercera. Alibi:

Querquera conſequitur febris, capituq́, dolores. Plautus:

Is mihi erat bilis querqueratus.

A. Gellius: An ru forte morbum appellari hîc putas, ægrotationem grauem cum febri rapida, & quercera. Quercum quidam in duo genera diuiſere, in ſylueſtrem, quæ ſir robur, & in vrbanam, quæ ſir quercus, quæ hemeris, quæ mydion, quæ nonnullis placida. Plinius tamen, verùm id parum diligenter, vr mulris placuit, quercum ab hemeri ſeiungit, vr hanc breuiorem, arq; in orbem comoſam, aliſq; ramorum crebro cauatam, & quæ glandem ferar maximam: quercum verò caudice craſſiorem, proceriorem, ramoſiorem, & lignum habere incorruptius. Arcades aurem, aurore Theophraſto, arborem, quæ glandem dulcē producar, etymodrym dicunt, ac ſi veriquercum inrelligere velint, quæ dos eo maximè latifoliæ ex argumento dictæ. Pauſanias in Arcadicis tria genera poſuit. Primum à foliorum laritudine πλατυφύλλυς, id eſt, larifolia, aliud fagum. Terrium verò adeò gracilem corticem præbet, vr in mari ſigna ex eo anchoris faciant, & retibus approprient. Hunc aurem corticem Hermeſianax poëta, φέλλον vocar, idem ſuberem. Vitruuius libro ſeptimo de farno meminit, quod inter quercus genera ponitur: & nunc quoq; Itali fernum querci genus vocanr. Glans Græcè βάλανος, quæ multarum arborum fructus eſt, verùm nunc de quercina ſolùm tractandum, quæ omnium dulciſſima (reliquas in ſuis arboribus proſequemur.) Continetur hiſpido per genera plus minùs calyce amplectenre, quem per maruritatem in

Gellius lib. 10. cap. 1.

arbore pediculo adhærentem relinquit, ipſa in terram decidente. Multa eius genera. Differunt autem ſitu, ſæpe fructu, ac ſapore, magnitudine etiam, itidem & figura. Nam alijs rotunda ſed acutior, alijs ouata. Cutis etiam tenuitate. Alijs autem tunica rubigine ſcabra ſubeſt. Alijs corpus candidum. Colore etiam candidiore, nigrioréve. Præfertur candidior. Quin & pediculi breuitas, & proceritas diſcrimen facit. Probatur maximè ea, cuius in balano vtrinq; ex longitudine extrema durities lapideſcit, & in cuius extremitatibus amaritudo, in medio verò dulcedo ineſt. Marcus autem Varro, referente Aulo Gellio, in ſatyra, quæ περὶ ἀδεσμάτων inſcribitur, inter exquiſitos multarum regionum fructus glandem Ibericam poſuit. Glans primus hominum cibus, vt ſuprà dictum eſt: nunc verò animalium tantùm eſca, præſertim ſuum. Hoc enim pecus diffuſum & grauiſſimum facit, vt Varro ſcribit. Nam ea multæ in Gallia, & alibi, gentes, magnos ac innumeros porcorum greges per ſyluas glandarias ſaginant. Marcus item Cato poſt ſementem legi conuenire præcipit, & in aquam conijci, vt inde ſemodius & in vere modius, bobus ſingulis detur. Iuxta Prienem Ioniæ vrbem quercus fuit, apud quam Samij & Prienenſes bellum gerentes, mutuis ſe damnis afflixere, magnoq; prælio in eos commiſſo, Samios mille Prienenſes occiderunt. At ſeptimo pòſt anno ibi cum Mileſijs congreſſi, optimos quoſq; vrbis ciues, ac primores vno prælio amiſerunt, vt poſt eam calamitatem mos Prienenſibus mulieribus fuerit, vti cùm de maximis rebus ageretur, cum miſerabili precatione iureiurando teſtarentur, Apud quercum funebrem. Quòd eo in loco & patres, & viros, ac filios amiſiſſent. Hæc Plutarchus in Problematis. Abſalon Dauidi patri rebellis, & inſidians, cuius milites cùm mulo inſidens aufugeret, & ſub quercu denſa pertranſiret, obuolutis ramis illius crinibus, pependit, & à Ioabo tribus lanceis transfixus. Adagium, τὸ περὶ δρῦν σκότος, id eſt, per tenebras quæ apud quercum. De ingenti, ac fatali calamitate dicitur. In rubro mari quercus cubitali altitudine concharum ramis adhærent. Ibi & aliæ arbores glandem ferentes.

De quercus natura, ac vi, & de dryino beſtiola, et Lynceo.

CAP. XII.

QVERCVS partes omnes adſtringendi vi pollent, verùm plus minúsve vna, quàm alia. Omnibus verò magis membranula illa, quæ trunci cortici ſubeſt, & quæ ſub glandis ipſius calyculo eſt, carnem conueſtiens, propterea ad muliebre profluuium, & ſanguinis excreationes, ad dyſenterias, diuturnaq; ventris profluuia, mirum in modum confert: potiſſimùm verò eorum decocto vtuntur. Eſitatæ verò glandes venenatorum ictibus reſiſtunt, vrinam ciunt. Illinuntur & dyſenterijs, crudæ intritæ, inflammationes ſedant. Illitu verò ad duritias, quas cacoëthes vocitant, & vlcera malefica, cum ſalſa axungia. Harum autem decoctum & quercus, his, qui ephemerum hauſerint, datur. Folia, vulnera agglutinant, vſqueadeo vt Galenus fateatur ſe vulneri ſecuri inflicto, his ſolis medicatum

fuiſſe,

fuiſſe,cùm non aliud ad manum medicamentum haberet. Terebat enim folia læui petra,& vulnus,omneq; vicinum locum contexit. Democritus verò apud Apſyrtum, ſerpentes emori, iniecta fronde querna dicebat. Radix enim minutatim contrita, contra hydri morſum prodeſt, cuius decoctum, cum vaccino lacte potum, contra toxica valet, ac ſerpentis plagæ illinitur. Carbunculum autem (quo morbo olim Romæ vno anno duo viri conſulares obierunt,ſcribente Plinio, & Iulius Rufus, & Q. Lecanius Baſſus) perierunt,querneus tritus carbo,cum melle ſanat. Adeò in rebus quoq; damnatis (vt pulchrè ait Plinius) ac iam nullis, vt in hoc carbone,aliqua ſunt remedia. Hæc quoad vim medicam,reliquum proſequamur. Glandibus abſtinendum Pythagoras, autore Æliano, præcipiebat. In cibo autem ſumptæ, frumento haud minùs alunt. Concoctu difficiles ſunt, & tardè tranſmittuntur, craſſiq; ſucci ſunt, & capitis inflammationes faciunt. Quercus gallam ſi per tempus in arbore permanſerit,putreſcere Albertus Magnus ait,atq; in ea vermem procreari: qui ſi in gallæ medio ſitus ſit,futuram hyemem aſperiorem prænuntiat,leuem verò, ſi circa margines. Eiuſdem rei in eadem arbore aliud præſagium deſumunt,vt ſi in altioribus ramis eruca telas contexerit, leuiorem, ſi in inferioribus, rigidiorem. Si autem querno cinere, vt quidam è Græcis prodiderunt, murium domeſticorum aditus obturentur,ij ſcabie conficiuntur, ac deinde pereunt. In Ciliciæ quercubus, coccus naſcitur, cochleis exiguis ſimilis,quem illius regionis mulieres, ore euulſum, vt ſcribit Dioſcorides legunt. Polypodium herba circa quercus naſcens, omnium optimũ creditur. In radicibus autem quercus naſcitur dryinus, multi chelydrum, alij,vt Nicander in Theriacis, hydrum vocant, quòd eius figuræ & magnitudinis ſit. Beſtiola candido tergore eſt, graui toto corpore fœtore. Hæc tam malefica, & ad pernicies adeò potens, & ad nocendum parata,vt calcata ſolùm,pedum cutis excidat,crura tota inſigniter tumeſcant. Id verò etiamnum admirabilius,vt ſi quis mederi velit, manus eius cute nudari, non ſolùm qui ea demorſi fuerunt. Quòd ſi quiſpiam eam interfecerit, tantum fœtet, vt ſuo illo peſſimo odore, omnium aliorum ſenſuum vim perimat, & auferat, vt nihil aliud odorari poſſit. Verùm etenim ſicut illi quercus origo,atq; domicilium fuit, vt ab ea nomen acceperit, ita illi remedium: vt inde auxilium profectum ſit, vnde & venenum emanarit. Quippe non ſolùm eius fructus cuiuſque generis ſumptus,aduerſus illius ictus auxiliatur,ſed & radicis tuſæ illitus. Lynceus,vt Pindarus ait,adeò acutè intuebatur,vt per truncum querneũ cerneret,& ab Apollonio,intra terram ſpectaſſe dicitur: vnde deductum adagium, λυγκέως ὀξυωπέστερον βλέπεις: quo vtimur in eos, qui viſu ſunt acutiſſimo.

De robore & eius multiplici fructu. CAP. XIII.

ROBVR Theophraſto,quercus ſylueſtris. Antiqui autores,ſcribente Feſto Pompeio,roboſenum pro robore dicebant. Dicitur etiam, illo autore, quòd plures rufi coloris venas habeat. Nam ruber

ruber color, quaſi rufus eſt, cuius coloris eſt bos. Ramos habet inconditos,corticem craſſum,& ſcabrum,maximè verò in ſenectute. Folia toto ambitu ſinuoſa,glandem paruam fert. Nulla alia arbos plures parturit fructus. Nam præter glandem, eius communem fructum, pilulas fert multas,atq; inter ſe differentes, quarum nonnullæ nucibus non abſimiles floſculos intus habentes,molles,lucernarum luminibus aptos,nempe ſine oleo,veluti nigra galla flagrant.Gignit & aliam pilulam cum capillo inutilem,ſucci melligeni,ſed id tantùm verno tempore, aliam ramorum alæ,producunt,non pediculo,ſed corpore adhærentem,vmbilicis candicantem,cætera parte nigritiei varietate aſpera, media verò pars croci colorem habet. Apertis enim,amara inanitas ineſt. Fert & aliam folijs conuolutam Fert & gallæ vtrunque genus,quod deterius eſt, cùm cauernæ tranſlucent. Nonnunquam etiam pumices rubentes, & in folio nucleos aquoſos,candicantes,& quamdiu fuerint,tranſlucidos,in quibus culices innaſcuntur.Indureſcunt autem in gallæ modum.Gignũt enim quædam veluti mora,ni diſtaret arida duritics plerunq; tauri caput imitantia,quibus fructus ineſt: oliuæ nucleis ſimilis,verùm hoc admodum raro. Prætereo viſcum,quòd in alijs quoque arboribus proueniat. Taceo etiam è radicibus boletos & iuxta erumpentes, ſed cum cæteris communes arboribus. Nec quoddam in his miraculum prætereundum eſt, quòd ex his mel deſtillet,vt Heſiodus ait. Neque enim melleus ille, è cœlo cadens humor,aliæ magis arbori incidit,ad quod alludit Vergilius in Pollione:

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Quòd autem ad medicam roboris materiam attinet,pauca ab autoribus prodita ſunt,ac ſi iam in quercu ſe deſcripſiſſe exiſtimauerint.Reliquum eſt,vt ea proferamus, quæ extra quercus vim arbitrati fuerint. In cæteris verò an eadẽ quercus & roboris virtus fuerit,his relinquemus, qui quercum à robore ſeparare ſciuerint,& qui ambarum vires experti ſint.Quæ tamen à nonnullis ſeparatim dicta ſunt, æquum referre erit. Eius verò pilulæ,ex adipe vrſino capillorum alopecias replent. Folijs nonnulli medici (vt ait Paulus Ægineta) ad incipientes phlegmonas vtuntur. Nam cùm iam vehementes ſunt, adſtringentia reſpuunt. Ligni cinis nitroſus eſt. Suibus autem caro ex roboris glande fungoſa fit. Illud inſuper non prætereundum, quòd dignũ ab inuentore eſt,vt quo eiuſdem dignitatis homines vti debeant.Fuit autem illud Alexandri Macedonis in ſeruanda in ſcrobibus niue, iniectis è robore ramis. Robur autẽ in carcere locus, vnde ſontes & malefici præcipitarentur, ex eo dictum, quod robuſteis lignis ſepiretur.V.Maximus. Quinetiam familiares eorum, ne quis Romani populi inimicis amicus eſſe vellet,de robore præcipitati ſunt.Apuleius in oratione,qua crimen à ſe alienum eſſe defendit: ô mirum commentum, ô ſubtilitas digna carcere & robore! Plautus forſitan ad hoc robur alluſiſſe videtur,cùm in Curculione ait:

At ego vos ambo in robuſto carcere,

Vt pereatis. Erat etiam ſupplicij genus,quod in Pœnulo codicem robuſtum vocat.

De

De haliphleo. CAP. XIIII.

HALIPHLEOS quibuſdam ſalſicortex dicitur, nonnulli è Græcis eutypleon dicunt, vt recticortex Latinis dici poſſit. Altitudine non excellit. Cortex huic craſſiſſimus, & cauus, fungoſusq́; eſt: nec alia è genere glandiferarum putreſcit, quin etiam cùm viuit. Raro quoq; eidem glans, quam cùm tulerit amara eſt, vt nullum aliud animal, præter ſues, attingat, ac nequidem eæ ſi aliud pabulum habeant, & non niſi fame vrgente.

De æſculo. CAP. XV.

VT æſculus per æ diphthongum ſcriberetur, vſus obtinuit, licet ab eſu, autore Seruio, dicatur, Græcè πλατύφυλλος. Latiſoliam Plinius interpretatur, quòd inter glandiferas folij magnitudine recta, nec excelſa arbor, rigida, vt in Odis Horatius ſcribit:

Nec rigida mollior æſculo.

Acerro proxima. Huic glans poſt quercum gratiſſima. Theophraſtus tamen Macedones vocare æſculũ ait, hanc arborem, quæ glandem amaram ferat, quæ conuenit haliphleo, vt ſupradictum eſt. Nihil ex his duobus vltimis apud autores inueni, quod ad rem medicam pertineret.

De cerro & ſplachno. CAP: XVI.

CERRVS Græcè ἀιγίλωψ dicitur, quercus ſpecies, Arbor rectiſſima excelſiſſimaq́; eſt, incultis amica, pertaro enim alibi naſcitur. Eius glans triſtis, horridaq́; eſt, ceu caſtaneæ echinato calyce. Glandi iligneæ proximam cerream Nigidius tradit, nec in alia ſolidiorem, verùm duram carnem fieri. Glans, folia, cortexq́; ſuppurationes, collectionesq́; ſiccant, fluxiones ſiſtunt, torpentes membrorum partes corrobotant. Glandis verò decoctum fotu, cui inſidere expedit, ſiccandis adſtringendisq́; pattibus. Radix ſcorpionibus aduerſatur. Phaſcon, ſiue ſplachnon alij bryon vocant, Galli hedrum, ſiue herrum, Syri vuam dæmonum, alij pannum. Sola è glandiferis cerrus, vt voluit Theophraſtus, producit. Plinius tamen quercum gignere. Naſcitur non in cortice tantùm, verùm etiam in ramis, non verò ex his vnde glans & gemmæ è latere, & nodorum ſupernis cubitali magnitudine, & brachiorum ſimilitudine dependens, muſcoſo villo canus, & arens, lintei modo prolixas. Quod autem in quercu prouenit, odore præſtat. Laus prima candidiſſimis atque altiſſimis, ſecunda rutilis, nulla nigris. Probatur in Africa Æthiopiæ ſubiecta, maximè enim in Cyrenaica prouincia. Secundum locum obtinet Cyprius, tertium Phœnicius. Naſci & in Ægypto fertur. In Gallia verò Plinius non addubitauit. Qui autem in inſulis, petriſq́; adnaſcitur, improbatur, omnesq́;, quibus palmarum, atq; non ſuus odor ſit. Inſidentium vuluis vtiles. Item genibus, & fœminum tumoribus, naſturtio miſtus, ex aqua ſalſa tritus.

Succus verò cum vino aut reſina potus, vrinam celerrimè pellit: hydropicos cum vino & iunipero tritus ac potus iuuabit.

De ilice & cocco, & quid hyphear. CAP. XVII.

ILEX Græcè πρῖνος, & à corticis ſalſugine ἁλίφλοιος. Nodoſa arbor, vt ait Lucanus in tertio:

- Nodoſaq́ impellitur ilex.

Altè tamen roboris inſtar aſſurgit, modò locum adipiſcatur idoneum. Folio roboris, ſed minori, & per latera ſinuato, & aculeato, cortice etiam læuiori. Luctuoſa enim arbor, quod
Ecloga 6. multorum teſtimonijs comprobatur. Vergilius in Sileno:

Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas. Horatius in Odis:

Carm. lib. 4. Ode 4. *Duris vt ilex tonſa bipennibus*
Nigræ feraci frondis in Algido, Seneca in Thieſte:
Nullaq́ latos ſolet
Præbere ramos arbor, aut ferro coli,
Sed taxo, & cupreſſu, & nigra ilice,
Obſcura nutat ſylua.

Fulmine frequentius icitur: quod Perſius ſatyra ſecũda innuit his verbis:

- At ſeſe non clamet Iuppiter ipſe?
Ignouiſſe putas: quia, cùm tonat, ocyus ilex
Sulfure diſcutitur ſacro.

In eos enim hæc protulit, qui cùm turpiter viuerent, ſibiipſis ignotum putant, cùm Iupiter in ilicem, non in eos fulmen iaculatus fuerit. Ilicis duo genera, alterum Arcades, autore Theophraſto milacem vocant. Folio non aculeato, & molliori, profundo. Hoc non multum ab oleis differt, inquiente Plinio. In prouincijs aquifolium dicitur. Aliud tamen à noſtrate aquifolio, quod multi non exiſtimauerunt. Ilicis vtriuſq; generis glans breuior, graciliorq́;, quam Homerus acylon appellat, eoq́; nomine à glande diſtinguit. Suem autem anguſtam, nitidam, ſtrigoſam & ponderoſam facit. Nouiſſima omnium hæc decidit. Roboris dotes omnes ilicem prouocare, excepto cocco, Plinius autor eſt. Suprà coccum quercum ferre in Cilicia ex Dioſcoride oſtendi. Et vt ad hiſtoriam eius deueniamus, Coccus Græcè κόκκος βαφική, Arabicis karmes, vnde hodie color ille carmeſinus vel crameſinus dicitur. Coccum autem ferentem, fruticem perexiguum antiqui ſcriptores dixerunt, ramis etiam quoque exilibus, ilicis folio, quiſquilium antiqui vocauere, & in Galatia, Africa, Piſidia, Cilicia, peſſimum in Sardinia naſci: hunc autem quercum Cilicienſem Dioſcoridis exiſtimauerim. Eſt autem coccus pilula, ſiue granum pumiceum, ex cuius coloris rubri, & aſpectu gratiſſimi ſucco pretioſo, quem vulgus ſcarlatam vocat, lanæ inficiuntur. Is autem colos Imperatorum paludamentis, antiquitus dicatus fuit. Ni autem tempeſtiuè legatur, celerrimè in vermiculum commutatur, ideò ſcolecion vocatum, vti eius honos ſtatim euaneſcat: ac ſi velit huiuſce ſeculi honores ex veſtitu & cæteris rebus citò perituros denotare. Legitur nunc coccus & in

Gallia Narbonenſi,in ſimili frutice,per veris initium,non annuatim, ſed cùm anni temperies tulerit. Nam ſi ver pluuium fuerit,omninò deperit. Ad hanc enim meſſem, ingens hominum turba vndiq; tam ex locis vicinis quàm remotioribus concurrit. Ordinatim omnes procedunt, vt nemini ordinem aut præuertere,aut anteuertere liceat,magiſtratibus etiã prohibentibus,ad quam item leguleì in campo decubant,à quibus tunc mercatores fructum ipſum emunt.Et vt ad ilicem reuertamur,fert etiam ſcribente Theophraſto, hypheat, & viſcum, vt ſæpe fructus quaternos habere hanc arborem continget, duos natura ingenitos, ac peculiares, alteros item aduentitios,viſcum ſcilicet & hyphear,hoc à meridie,illud à Septentrione.Leo conculcatis ilicis folijs obſtupeſcit.Supereſt res medica.Folia tuſa tumotibus proſunt, & imbecilles membrorum partes confirmant. Radix verò tuſa, & ictui dryini impoſita plurimum prodeſt. Eiuſdem cortex priuatim in aqua decoctus,dum flaueſcat,capillos prius cimolia terra confricatos,tota nocte illitos,denigrat. Coccus vulneribus ex aceto recentibus imponitur, & epiphoris ex aqua, & oculis ſanguine ſuffuſis inſtillatur.

De ſubere, & adagijs ab ea, & phellodry. CAP. XVIII.

SVBER Græcè φέλλος dicitur. Theophraſto arbor admodum procera,alto caudice, parum ramigera, folio fraxini,ſed oblongiori, præcraſſo cortice,qui diſrumpi, vt in picea,ſoleat,verùm fragmentis prægtandioribus.Sunt autem qui in vniuerſum diuidendum cenſent, alioquin arborem fieri deteriorem. Detractus enim cortex intra triennium in denos pedes etiam vndiq; explanatus renaſcitur. Tantùm cortex in fructu eſt. Glans rara,atq; item peſſima,quæ ſuum carnem fungoſam faciat. Lignum cauernoſum, quod in aqua equidem non ſidit, vnde retibus & natantibus alligatur,ne poſſint ſubmergi,vnde tractum adagium, Subere leuior.In homines inconſtantes dicitur.aliud,Tanquam ſuber. De his qui diſſimulare aut mergi aduerſis fortunæ procellis neſciunt.Apud Pindarum ὡς φέλλος dicitur,quod ſolum nō ipſum mergitut,verumetiam alijs alligatum ſidere non ſinat. Suberis autem cortex tritus, & ex aqua potus, ſanguinem fluentęm ex vtraque parte ſiſtit, quod etiam teſtatur Serenus:

Sed quacunq; fluit, vis immoderata cruoris,
Subereus cortex, calidis potatur in vndis,
Antè minutatim ſtudio vincente terendus.

Cinis enim ex vino calido potus, ſanguinem excreantibus magnoperè prodeſt.Paulus Ægineta ait,cinerem ex ſubere,quæ in vinorum cadis inſetuierit,in ſiccandis vehementiſſimum fore, & ad inteſtinorum tormina,in medicinis miſceri.Arcades autore Theophraſto,phellodryn arborem vocant,quæ mediæ inter ilicem ac robur naturæ ſit. Folio ambabus perſimili,maiori quàm ilicis, minori quàm quercui, fructu minimo. Lignum,quàm ilicis,candidius, quàm roboti fuluius. Ilignea materies du-

rior,ſed ſolutior,ſpecioſiorq́; eius medulla. Plinius hæc omnia ſuberi attribuit. φέλλος enim, vt ſupra dixi, ſuberem denotat & fructus φελλόδρυος dicitur, quæ ſi ex etymi ſignificatione interpretari velimus, phellodryn arborem, inter ſuberem & quercum dicemus, verùm ex magna harum arborum affinitate maximè ilicis foliorum cum ſubere, & harum fructus cum quercu aut robore hæc euenire arbitror.

De fago. CAP. XIX.

FAGVS Græcè φηγὸς, vt M.Varro libro primo de gente Romana exiſtimauit, citante Soſipatro. Seruius autẽ ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quod eſt comedere, dici voluit. Loco enim literæ φ, priſci Latini F, libenter ponebant. Ex qua conſuetudine, hodie quoq; in aliquot vocibus, quas à Græcis mutuati ſumus, loco φ, F, ſubiungimus, vt in fuga, fama, fagus. Dioſcorides autem quercus generi aſſignauit. Craſſo caudice eſt, in orbem comoſa, tenue ei folium, ac leuiſſimum, celerrimè flaueſcens, populi ſimile, ſupernè plerunq; media parte paruam, ac viridem baccam, cacumine aculeatam gignens. Duo eius genera quidam poſuerunt, de altero infra. Fagi glans nucleis non abſimilis, figura trigonali, cute includitur, & calyculo echinato, non, vt in caſtanea, hiſpido, blanda quidem. Dulciſſima eſt, ac muribus gratiſſima, ideò eius animalis vna prouentus. Glires quoque ſaginat. Turdis item expetitur. Suem hilarem facit, atq; eius carnem coctilem, leuemq́;, & ſtomacho vtilem. Reperitur tamen in quodam fagi genere, atteſtante Theophraſto amara. Faginæ glandis cinis calculis illinitur, item contra alopecias cum melle. Folia in gingiuarum, labiorumq́; vitijs manducantur. Tuſa verò & trita tumoribus proſunt, & corporis infirmas partes corroborant. Vipera fagi ramulo tacta confeſtim obſtupeſcit, vt Plutarchus in primo Sympoſiorum ait.

De ſciſſima. CAP. XX.

FAGI genus alterum, quod Græcis ὀξύα dicitur. Lydi myſon vocant, noſtri ſciſſimam, quod in laminas ſectilis ſit. Theophraſtus autem inter pinorum genera poſuit, & abieti æquiparari. Erecta enim eſt, enodis, leuis, craſſitudine procera, glabro cortice, folio craſſo, quàm pyri longiore, bifido, atq; in extremitatibus aculeato. Glandifera minimè eſt. Nam Macedones eam nunquam florere arbitrantur. Ligno colorato, robuſto, ac neruoſo, radice non multa, nec altius agente. Nonnullos huic vires, quas alij quercui, aſſignaſſe legi.

De Galla, & eius generibus. CAP. XXI.

SVPRA de arboribus glandiferis, quas gallam ferre diximus: reliquum eſt, vt de ipſa diſſeramus. Græcè κηκὶς. Fructus notiſſimus, inæquali ſuperficie ſalebroſus. Alternis tantùm naſcitur annis, ſole de Geminis exeunte. Theophraſtus verò & albam & nigram

in Mar

in Martij exitu. Noctu ſemper vniuerſa erumpit, creſcitq; vno die candidior: quòd ſi ab æſtu excipiatur, protinus areſcit, vt vlterà ad iuſtam magnitudinem grandeſcere valeat minimè, atq; intra fabæ magnitudinem ſubſiſtit. Gallæ pauciora genera Plinius facit, albam, ſcilicet, & nigram, maiorem ac minorem, ſolidam & perforatam, vt omnia hæc, duo genera compræhendant. Dioſcorides verò & Galenus duo item genera poſuerunt, quorum alterum ὀμφακῖτις dicitur, non vtiq; vt per hanc vocem immaturam ſignificare voluerint, quod multi apud eundem interpretati ſunt. Exigua hæc, nodoſa, ac ſolida, nulloq; foramine peruia. Alia enim glabra, leuis, ac perforata. Hanc Galenus ruſticos ὀνοχιδᾶν vocare ſcribit, quaſi aſininam magnam, fungoſam, & minùs efficacem. Forſitan Plinio eſt, quæ nigra dicitur: diutius enim viret, creſcitq; ad mali amplitudinem. Hemeris optimam fert, corijs perficiendis vtilem. Æſculi ſiue latifolij huic ſimilis, niſi quòd leuior ſit, & minùs probata.

De gallarum virtute. CAP. XXII.

GALLARVM vim medici per genera diſtinxere. In plurimis tamen æquales ſortiuntur vires. præferunt omphacitim, maximè Commagenam. In tertio autem abſceſſu deſiccat, in ſecundo verò refrigerat. Alterum verò genus deſiccat etiam, verùm non vſqueadeò efficacius; atq; eò minùs, quò minùs acerbæ qualitatis particeps eſt. Illa enim plurimum terrenæ ſubſtantiæ habet. Fluxiones repellit, cogitq;, & imbecillas partes contrahit, atq; omnibus fluidis morbis ſtrenuè reſiſtit. Hæc autem cocta, poſteà contuſa, & appoſita, inter cataplaſmata, quæ ad ſedis phlegmonas, & procidentia, fieri ſolent, annumeratur. At ſi mediocri adſtrictione opus ſit, in aqua tunc decoquenda: vbi autem vehementiori, in vino. Quod ſi adſtrictionem augere oportuerit, vino auſteriuſculo vtendum erit. Carbonibus enim cremata, vſq; dum igne flagret, & candeat, & vino poſteà, aut aceto, vel etiam muria arida, reſtincta, ſanguinem ſiſtit. Ab vſtione enim, caliditatem & acrimoniam acquirunt, & tenuioris tūc ſubſtantiæ ſunt, propterea maiore exſiccandi vi pollere oportet. Galla, vt Celſus ait, corpus exedit. Tritæ ambæ carnium excreſcentias tollunt, proſuntq; gingiuarum diſtillationibus & vuæ ac oris exulcerationi. Capillos denigrat aqua, acetóve macerata. Illita autem paronychijs ex melle & vnguibus ſcabris, pterygijs, vlceribus manantibus, condylomatis, vulneribus, quæ phagedæna vocantur. In vino autem decoctæ, auribus inſtillantur. Aduerſus eruptiones & panos, cum aceto. Immaturæ verò cum aceto lienem conſumunt. Decoctum autem contra procidentes vuluas, & menſes fotu efficax, & his, quibus inſidere expedit. Nucleus vtriuſque gallæ medius, commanducatus, vt voluit Plinius, dentium cauis inditus, dolores eorum ſedat, vt Dioſcoridi placuit. Item ambuſta & intertrigines. Obſonijs vtiles. Nam ad hanc rem, vel miſtæ, vel integræ, in aqua percoqui debent, in qua nihil excoquendum quod in ipſis conferat. Lucilius,

lius,vt Feſtus Pompeius atteſtatur, cùm gallam fore bibendam pronuntiabat, aut ventris rugas conducendas præmonebat, vtendum parſimonia fore,& ventrem coarctandum,nec gulæ indulgendum.

De viſco. CAP. XXII.

INTER frutices de viſco diſſerere par erat,niſi quòd ſolum eius ingenita natura, atq; eius indiuidua ſocietate, ſolius arboris comes ſit, in qua perpetuum conſtituerit domicilium.Satum verò omnino non naſcitur,nec niſi per auium aluum redditur, maximè autem palumborum & turdorũ. Athenæus autem vnum auium genus eſſe ſcribit, cuius fimo generetur, œnadem appellat, quam nonnulli apud Ariſtotelem vinaginem interpretantur. Ipſe autem turdum exiſtimauerim. Nam hæc auis vinearum maximè accola eſt. Propterea Plautus propter glutinum, quod ex eo fit, mortem ſibi creare dicit, his verbis:

Ipſa ſibi auis mortem creat.

Adagialiter autem in eos dicitur,qui ſibiipſis extremi exitij cauſam præbent.In quercu autem,robore,ilice, pruno ſylueſtri, amygdalo, terebintho,necnõ alijs arboribus adnaſci pleriq;,autore Plinio,arbitrantur.Dioſcorides enim addit & in malis, pyriſq;. In meſpilo autem natum conſpexi,& in cotoneo,& aronio.In Gallia enim in omnibus ferè arboribus naſcitur. Altitudo eius non excedit cubitum. Fruticoſi generis eſt, ſemper virens, buxi folio, verùm craſſiori. In viſco autem diſcrimen adijciunt,vt Theophraſtus,in his,quæ folia admittunt,& quæ decidunt:contrà quibus adhærent,& externa ſunt fronde. Copioſiſſimum in quercu, quod dryos hyphear vocant. Viſci tria genera regiones animaduerterunt. Nam in abiete ac larice, ſtelim Eubœa, hyphear Arcadia, non viſcum nominat. In omni autem arbore, ilice excepta & quercu differentiam facit,odor & virus,foliumq; non iucundi odoris. In vtroq; verò viſco amarum & lentum. Optimum recens, quodq; leuiſsimum eſt, extra fuluum,intus porraceum,in quo nil aſperum aut furfuroſum occurrit. E robore autem præcipuum. Quidam commanducantes acinos,corticem expuunt, alij acinos contundunt, pòſt lauant, dein in aqua decoquunt. Græci ἰξὸν vocant. à recentioribus enim, lignum ſanctæ crucis. Sunt autem,qui aureum illum ramum, quem Æneas apud Maronem, ex Sibyllæ præcepto ex ilice decerpſit, & ad inferos detulit, viſcum fuiſſe exiſtiment, & omnia ex Druydum ſacris deſumpta fuiſſe. Sed iam Vergilium audiamus,

Aen.6. *Accipe quæ peragenda prius: Latet arbore opaca*
Aureus & folijs, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus ſacer: hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt conuallibus vmbræ.
Sed non antè datur telluris operta ſubire,
Auricomos quàm quis decerpſerit arbore fœtus. Et pòſt:
Diſcolor vnde auri per ramos aura refulſit,

Quale

Quale ſolet ſylua brumali frigore viſcum
Fronde virere noua, quod non ſua ſeminat arbos:
Et croceo fœtu teretes circundare truncos
Talis erat ſpecies auri frondentis opaca Ilice.

De viſci natura, & vi, & qualiter fiat glutinum, capiundis auibus aptum, quod etiam viſcum dicitur.

CAP. XXIII.

VISCVM aëriæ & aquoſæ ſubſtantiæ eſt, exiguum terrenæ habet, multum actimoniæ: ſiquidem ex alto, valenter humores, non tam tenues quàm craſsiores extrahit, diffundit, digerit: Ex eo medicamentorum genere eſt, quod admodũ non protinus excalfaciat: Nam & tempus requirit. Tubercula, panos, cæteraſq; collectiones, ad maturitatem perducit. Cum cera verò & reſina pari pondere, epinyctidas, in ſplenio impoſitum. Quidam galbanum adiiciunt, eorum ſingulorum pondere, eoq; modo ad vlcera vtuntur. Ait Dioſcorides cum thure, vetera vlcera, ſuppurationeſq;, quas cacoëthas vocãt, emollire. Cum calce verò gagaléve aut aſio lapide decoctum, ac mox impoſitum, lienem abſumit. Vnguium ſcabritias expellit, cum trito auripigmento, vel ſandaracha illitum: vel, vt Plinius voluit, ſi ſeptenis diebus ſoluantur, nitroq; colluantur. Miſtum enim cum calce & vini fæce, vires acquirit, ac auget. Vlcera commanducatu, impoſituq; efficaciſsimè ſanari, quidam arbitrantur. Aduerſus epilepſiam, apoplexiam, & paralyſim mederi, ſi amuletum ex hoc in collo nuſquam non circunferant, & fœminarum conceptum adiuuare, ſi omnia ſecum habeant. Scio & ad hoc orbiculos ex ligno multos detuliſſe. Quidam ad religionem referentes efficacius fieri putant, ſi prima luna, ſine ferro, & ſi terram non attigerit, ex arbore collectum ſit. Alij pulueriſant, & è vino pocillant. Ex eo enim, quod in aronio naſcitur, ad arquatos mederi, quoſdam proſperius ſciui. Glutinum ex acinis, ligandis auium pennis, idoneum fit: magnum quidem, venatotibus inſtrumentum ex Plinio hoc modo: Colliguntur acini, meſsium tempore immaturi. Nam ſi acceſſere imbres, amplitudine quidem ipſa augentur, viſco verò marceſcunt, deinde ſiccantur, & aridi tunduntur, & aqua conditi putreſcunt, duodenis ferè diebus, vnumque hoc rerum, putreſcendo gratiam inuenit. Inde in profluente rurſus malleo tuſi, amiſsis corticibus, interius lenteſcunt, quo poſtea cùm vti voluerint, iuglãdis oleo ſubigunt, & prætenues virgulas, ſecundum auium, quas capere deſideràuerint, robur, illinunt. Fit alio modo, vt in aquifolio dicetur, vt cuiquam plantæ, naturæ dos propria relinquatur.

Præfat

Præfatio libri vigeſimiſeptimi.

GLANDIFERAS *arbores pòſt ſyluas & nemora deſcripſimus, quod illæ potiſſimum ſyluarum incolæ ſint, nec alibi lætius naſcuntur, vt ſolæ per ſe ingentes occupent ſyluas, nec latiores ex alia ſola arbore inuentæ ſunt. Vix enim ſua firmitate, ſua magnitudine, ſuo item longæuo ſenio cæterarum conſortium admittunt, propter quod etiam alijs citius emorientibus, non eadem facies, non idem denique honor, viſitur & permanet, neque idem, diſſentientibus ex diuerſis generibus naturæ, ſimilis amor & ſocietas eſſe poteſt. Pòſt has verò meritò piniferæ ſequi debent, vtpote quæ æui propinquitate & generis & ſocietate poſt glandiferas ampla loca veſtiant. Rarò enim cum alijs ſiue domeſticis ſiue ſylueſtribus coeunt. Nec inter illarum genera quæ multa ſunt maior refertur affinitas. Vſqueadeò arcta, vt aliud genus ab altero vix facie diſſimiles cernantur, tam ſimillimo caudice, fronde, flore ac fructu ſunt, nec niſi ab his qui eas magno ſtudio, & frequenti conuerſatione coluerint. Sed de illarum autem differentia ſuprà nonnulla dixi. Inferius verò prolixius in ſuo quoque genere dicemus.*

HORT

HORTORVM LIBER VIGESIMVSSEPTIMVS.

De terebintho, et prouerbio, Terebintho ſtultior.

CAPVT I.

TEREBINTHVS Græcè τέρμινθος, circa Idam Troadis, necnon in Macedonia breuis, atq; contorta arbor eſt. At in Syriæ Damaſco magna, ſpatioſaq; viſitur. Talis autem ex Theophraſto huius imago eſt: Folia ex vno pediculo denſa habet, eo, vti in ſorbo modo digeſta, vnicum in ſummo exit, parem numerum conturbans: anguloſa & minora quàm in ſorbo. Laurinis per ambitum ſimiliora, lentore abundantia, & vt fructus oleoſa. Flos racemoſus, oliuæ modo, ſed colore rubens. Fructus verò faba non grandior, tactu reſinoſus, cum vite matureſcens. A ſimilitudine eius terebinthas dicitur, puſtula rotunda, ſiue cutis excreſcentia, ex nigro vireſcens. Oribaſius phymatis ſpeciem eſſe aſſerit. Quod ſubiacet, deſquamato ſimili apparet. Pus enim, vbi ſcalpello diuiſeris, depræhenditur. Fœminarum altera fructum quàm primùm rufum edit, lentis magnitudine, qui non matureſcit. Altera primò herbaceum, demum rubentem, poſtremò cum vua matureſcentem, ac nigreſcentem, fabæ magnitudine, interim maiorem, reſinoſum, odore iucundiorem. Quandiu verò immaturus eſt, in aqua ferè ſupernatat, niger autem ſidit. Fert lentorem reſinoſum, qui è cortice erumpit, non tamen hinc reſina colligitur, ſed ex materie. Producit etiam folliculos, nucibus perſimiles, inanes, vt vlmis. In quibus beſtiolæ culicibus non diſsimiles innaſcuntur. Fructus, folia, & cortex quamuis adſtringant, in ſecundo tamen ordine calefaciunt, priuatim verò fructus. Vbi autem inaruerit, ad tertium accedit, vnde vrinam mouet, & lieni confert. Eſt enim adeò calidus, vt mandentibus, eius caliditas protinus percipiatur. Reliqua verò etiamnũ humida in primo, accita in ſecundo excalfacientium. Ad eadem omnia, ad quæ lentiſcus conueniunt. Folia item, & radix, collectionibus imponuntur. Decoctum eorum ſtomachum iuuat. Semen autem in capitis dolore, ex vino bibitur, & contra vrinæ difficultatem Ventrem leniter emollit, & venerem excitat. Fructus vſui eſt, verùm ſtomacho aduerſatur. Contra phalangiorum ictus, vtiliter in vino ſumitur. Oleum autem è terebintho fieri Plinius ſcribit. Commune prouerbium eſt, Terebintho

ſtultior, quòd hæc arbos latè ramos porrigat. In ſtupidum, ſibiq́; placentem dicitur. Qui verò malunt terebinthum fatuam dici, vt recentium nonnulli, quòd fœminarum alterum genus maſculam ſuperet, aut quòd & ſi radices validas habeat, materiam tamen lentam, parùm probè ſentiunt, quum & huiuſmodi plures arbores fatuæ cenſerentur, & omnes quarum fœmineum genus ferax, ſterili maſculino eſt: plures item radices habent, quarum tamen materies leuis eſt.

De cupreſſu, & cypariſſijs. CAP. II.

CVPRESSVS, Græcè κυπάρισσος, ἀπὸ τοῦ κύειν παρίσους τοὺς ἀκρέμονας. Id eſt, à partu parilium ramorum, inquit Didymus, quæ vox etiam apud Latinos recepta eſt. Verg.

Aen. 3. *Aeriæ quercus, aut coniferæ cypariſſi.* Martialis:

Lib. Epigr. 12. *Daphnonas, platanos, ac aërias cypariſſos.*

Cypariſſiæ etiam Feſto Pompeio, ignes prodigioſi ſunt, acies quædam igneæ, quæ noctu apparere ſolent, à cupreſſorum ſimilitudine. A poëtis verò Græcis κωνοειδεῖς etiam dicuntur, quoniam hæ arbores in acumen tollantur. Didymus cupreſſos duplici nomine vocari ſolitas memoriæ prodidit, cypariſſos videlicet & charites. Hoc vltimum propter Charites Eteoclis filias, quæ dum tripudio ad Dearum æmulationem ſubſiliunt, extra choream euolutæ, in puteum delapſæ. Quod dolens Dea Tellus in virides plantas conuertit, ipſarum iucunditatem mortalibus inducens. Arbor verò longo & recto caudice attollitur, fructu ſuperuacua. Quare Athenienſis Phocion dicere ſolitus fuerat, Leoſthenis ſermones, cupreſſis fore ſimiles: quæ etſi pulchræ, ſublimesq́; ſint, nullum tamen fructum ferant. Folio pini, carnoſo, & amaro, odore violenta, ac ne vmbra quidem grata. Baccis torua. Semen ei exiguum, quod in galbulis continetur (pilæ ſunt cupreſſorum) pilulæ etiam & coni vocantur, tam Græcis, quàm Latinis: vnde Vergilio coniferæ, & nuces quoq; dicuntur. Cùm verò matureſcunt, dehiſcunt, tunc ſemina efflantur, & euolant, magis quàm decidant, ideoq́; collectu difficilia. De hac enim arbore verboſius, quàm de omnibus alijs M. Cato diſſeruit. Cupreſſus refrigerat, & adſtringit. Ea verò diſcutit, Celſo autore, quæ in corporis aliqua parte coierint, raſura etiam eius ſerpentes fugat: potus cum aqua ſomnum conciliat. Galbuli & turiones (inquiente Paulo Aegineta) ſiccandi viribus pollent, calore nullo conſpicuo, quamobrem in duris corporibus, magna vulnera conglutinant. In flaccidis ac putridis vlceribus, fixas in alto humiditates, citra noxam depaſcuntur, inteſtinorumq́; ramicibus opitulantur. Quare compertam vim exſiccandi, abſq; inſigni acrimonia aut caliditate habere, veluti & guſtus indicat. Apparet enim in ea laus quædam acrimoniæ, verùm plurima amaritudo, multum etiam plus acerbitatis, quæ ex plantæ acrimonia & caliditate, tanta, quanta opus eſt. Eam in altum deducere, vt mordacitate, & caliditate corpora afficiat. Pilulæ eius ex vino tuſæ, contra dyſenteriam, alui fluxionem, tuſſim orthopnœam, & ſanguinis excreationes, bibuntur. Earum verò decoctum, idem poteſt.

teſt. Tuſæ etiam cum fico, duritias molliunt, nariumq́; polypis medentur. In aceto enim decoctæ, & cum lupinis tritæ, ſcabros eijciunt vngues, herniasq́; inteſtinorum prolapſu erumpentes compeſcunt. Aduerſus ſerpentium ictus ſumuntur. Cum ſemine verò tuſis ſuccus exprimitur, qui admiſto oleo, caliginem oculorum aufert: tumores diſcutit, & cum fermento ſtrumas. Eadem præſtant & folia, quæ ſerpentium ictibus imponi Plinius ſcribit, ac capiti cum polenta, ſi à ſole doleat. Eadem enim cum duabus panis mollis partibus conciſa, & vino Amineo ſubacta, pedum & neruorum ſudores ſedant. Trita verò, & impoſita, vulnera conglutinant, ſanguinem ſiſtunt. Ex aceto enim conciſa, capillum denigrant. Quod etiam teſtatur Serenus his verſibus:

Quos pudet ætatis longæ, quos ſancta ſenectus
Offendit, cupiunt proprios abſcondere & equos,
Et nigrum crinem ſucco ſimulare doloſo:
His prodeſt acri contrita cupreſſus aceto.

Illinitur etiam per ſe, aut cum polenta ſacris ignibus, carbunculis, & vulneribus, quæ ſerpunt, atq; oculorum inflammationibus, tanquam citra excalfactionem, humiditatem, quæ eos morbos faciat. Cum cerato enim miſta, & impoſita, ſtomachum corroborat. Pilulæ autem cum ſuæ arboris coma incenſæ, culices abigere creduntur. Radix enim cum folijs tuſa, potaq́;, menſes cit, & ſcorpionum morſibus aduerſatur. Cupreſſus reſinam liquidam effundit, quæ in eclegmate & per ſe etiam tuſsi veteri, auxilio magnoperè eſt. Fit ex ea oleum, quod effectus eoſdem habet, quos myrteum. Vinum etiam fit, myrtitæ viribus æquale. Vbi verò vligo, aliáve peſtis ſegetẽ enecat, cupreſsi folia ſpargi & inarari, autore Columella, conuenit. Aduerſus ouium mentiliginem, quam paſtores oſtiginem vocãt, cupreſsi trita folia, & aquæ miſta, ſi his os & palatum perluatur. Pilulis in aqua decoctis, equorum pedes, contra illorum mollitiem fouentur.

De cupreſsis iuxta Alcmæonis ſepulcrum, et Cypariſsi fabula, et adagio, Cupreſſum ſimulas. CAP. III.

ALCMÆON vel, vt alijs placet, Alcmæus, Amphiarai filius fuit. Is autem à Temeno & Axione Phlegei filijs interemptus, in Arcadia apud Pſophidem ſepultus, circa cuius tumulum pulcherrimæ ac tantæ proceritatis cupreſsi agnatæ ſunt, vt propinquum montem adumbrarent. Indigenæ Alcmæoni ſacras exiſtimant: quæ ab his παρθένοι dictæ, proptereà eas non excidebant. Cypariſſus puer ſpecioſus, vt ait Placidus, Telephi filius, dum venaretur, in amorem ſui Apollinem compulit, à quo mirum in modum adamatus. In Chio inſula, vt ſcribit Probus, ceruum habuit pulcherrimum, ac manſuetiſsimum, quo ab Apolline donatus, quem enixè dilexit. Alij dicunt Nymphis ſacrum. Per ſyluas verò errans, & laſſus, ſub arbore, & in herba obdormiuit: ſtrepitu autem à ſomno excitatus, longe ceruum vidit: & ſylueſtrem credens, iaculo imprudens traiecit. Quod vbi agnouit, tanto affectus eſt dolore, vt nec Phœbi conſolatione, nec

medicinæ viribus ab huiuſcemodi luctu ac planctu retrahi potuerit, vt cibo etiam & potu abſtinuerit. Sed illud tandem ſupremum munus à Deo petijt, vt omni tempore ei ſemper flere liceret. Itaq; Apollo eius miſertus, in arborem ſui nominis conuertit, ex qua lacryma deflueret. Sic enim apud Ouidium in decimo Metamorphoſeos Apollo ait:

- Triſtisq́ Deus, Lugebere nobis,
Lugebisq́ alios, aderisq́ dolentibus, inquit.

Aliter Seruius in primo Georgicorum: Ab Syluano Deo amatus, cuius ceruam inſcius occidit, vt præ dolore puer poſteà contabuerit: verùm ab amatore Deo, in arborem ſui nominis conuerſus: quam hic pro ſolatio portare dicitur: Vergilius:

Et teneram ab radice ferens Syluane cupreſſum.

Adagium eſt, Cupreſſum ſimulas: vel, Cupreſſum ſcis ſimulare. In eum enim quadrat, qui relicta ad rem materia, in aliam importunè tranſgreditur. A malo ſcilicet pictore ortum, ſcribente Porphyrione, qui nil aliud, quàm cupreſſum, adfabre ſciret depingere. Ab eo autem naufragus quidam petijt, fatum ſuum in tabella exprimi. Ille autem interrogauit num vellet aliquid ex cupreſſo adpingi? ad quod alludit Horatius in Arte:

- Et fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare. quid hoc? ſi fractis enatat expes
Nauibus, ære dato, qui pingitur.

De pino, ſtrobilo, & pinaſtro, & Sinide latrone.

CAP. IIII.

GRÆCI pineam nucem κῶνον vocant, à cuius forma, terræ vmbra mathematicis conum dicitur, quidam cocalon. Ab his quandoque στρόβιλος dicitur: vnde illud ξανθοὶ μυελοὶ ἐκ στροβίλων. Plinius tamen ſtrobilon ponit, per Italiæ oram naſcens, pinaſtro perſimile, quod à natalium cognatione, ſic vocatum ait. Succinctius hoc, graciliusq;, & ſine reſina. Galenus prætereà ſtrobilinam reſinam à pinea diſtinxit. Nux pinea etiam κωνάρια à Simeone Sethio dicitur. Alij conon nucleum tantùm vocãt, & ipſos conos oſtracidas, vt inquit Athenæus. Cæteras nuces omnes magnitudine ſuperat, fructus quidem lignoſus, frequenti nucamento, in turbinatam effigiem compactus, altiſſimè ſuſpenſus. Intus exiles nucleos lacunis includit, ſingulis toris veſtitos, alia ferruginis tunica, mira Naturæ cura, vt molliter ſemina ſua, & genitum fœtus collocet, & enutriat. Hos autem alij πυρηνὰς & πιτυΐδας vocant. Nunc arborem, & eius reliquas partes proſequamur. Arbor procera, vecte enim ſolicitata, cubitis octo longiorem fieri Theophraſtus ait: qua verò ratione id fiat, neque ab eo, neq; ab alio didici, niſi hoc inſtrumento radicibus via aperiatur. Vnico caudice, atq; recto conſurgit. Folio denſo, plurimo, longo, mucronato, pinato, vt ab ipſo arbor ipſa nomen acceperit. Albertus foliorum acumen antiquitus pinum vocari ſcribit, capillamento etiam prætenui & pingui. Duplex pinorum genus, vnum vrbanum, alterum ſylueſtre, quod

pinaſter

pinaſter dicitur, mira altitudine, & à medio ramoſum, ſicuti in vertice pinus. Pinaſtri item duo genera Theophraſtus poſuit: quæ ſolum ipſe diſtinxit, ex his, qui in Troade, & in ipſa Ida naſcerentur, vt vnum, à monte Idæum, & montanum vocauerit, aliud maritimum. Idæa verò pinus folio tenuiore, & imbecilli, ramoſior hæc, rectiorq́; ac celſior, & craſſior, cui etiam nux oblongior, viridiorq́;, atq; etiam minor, tanquam ſylueſtrior, & dehiſcens. Maritima autem cortice læuiori, nuce rotundiore, breuioriq́;, & minùs dehiſcente. Lignum ei validius. Macedones quoddam pini genus ſterile dicunt. Pinus exciſa, nullam ſobolem poſteà remittit, quod prorſus emoriatur. Sunt etenim eius naturæ. Quare Crœſus Lydus, atteſtante Herodoto, Lampſacenis præcepit, vt Miltiadem, quem illi, diſpoſitis inſidijs, viuum exceperant, miſſum facerent, alioqui ſe illos in pini morem extriturum. Quod intelligentes Lampſaceni, Miltiadem remiſerunt. Vnde adagium natum vt exteri dicantur pini modo. Nucum pinearum Plinius quatuor genera poſuit: durum, quod eſt vulgare: alterum, tenerum digitis fragili putamine, ideoq́; auium furto in arbore expoſitum, Tarentinum vocant, quod Sabini hac voce molle denotabant. Tertium è picea ſatiua nucleorum cute, verius quàm putamine, adeò molli, vt ſimul mandatur. Plinius ſapineum vocat. Quartum pityidas vocant. Pinus autem prodeſſe omnibus his creditur, quæ ſub ea ſeruntur. Locus verò in Iſthmi initio pinis conſitus fuit, in quo Sinis Latro, quos pugna ſuperaſſet, vicinarum pinorum cimis in terram deorſum flexis adalligabat, quas poſteà ſubitò in aërem ſurſum efferri permittebat, vt vnaquæq; arbor ſibi annexum membrum ſecum traheret, ideò pityocampta dictus, quomodo & ipſe à Theſeo, vt ſua arte periret, diſcerptus eſt. Hæc in Corinthiacis Pauſanias, quo autore, ibi pinorum nemus in ordinem conſitus fuit.

De pinorum vi. CAP. V.

VIM pini arboris enucleantes, ab eius fructu incipiemus, quum in eo præcipua ampliorq́;, quàm in cæteris eius partibus inſit. Viridis enim amaritudinem quampiam, & acrimoniam, cum aquoſa humiditate habet: proinde ad ſuppurationes & pectoris ac pulmonis faciles excreatus, quando hoc illud expedit, accommodatus. Eſculentis verò exquiſitus, aqua prius, vt acrimoniam exuat, maceratur. Temperatior enim tunc redditur, roſionis expers. Concoctu difficilis, vnguine ſuo, opplens & obſtruens: craſſioris etiam ſucci eſt: aſperitates tamen lenit. Quidam enim in ſecundo calidum dicunt, ſiccum autem in primo. Caput grauat, bonum ſanguinem gignit. Vim ad ſemen genitale addit. Acredini, quæ in ventriculo, aut in renibus fit, & his, qui ad tremorem procliues ſunt, prodeſt. Stomacho idoneum Celſus ſcribit. Cum paſſo autem, vel ſemine cucumeris poti, vrinam cient. Item ad veſicæ & renum vlcera. Tuſſi verò & pectori cum melle ſumptus, vtilis. Integer ab arbore decerptus, &, vt Plinius expreſſit, vt reſinam habeat, leniter contuſus, & in paſſo deco-

ctus, vetuſtis tuſſibus, & rabi, quam phthiſim vocant, ac ſanguinis excreationi, ita ſi quotidie ex eo decocto trini cyathi ſumantur. Purgati nuclei ſumpti ſitim ſedant. Cum portulacæ verò ſucco, deſumpti, ſtomachi vehementiores roſiones leniunt, corruptosq́; humores obtundunt. Ex aqua poti, aut vino, vel paſſo, vel balanorum decocto, bilem pellunt. His autem, qui ſalamandram hauſerint, cum triſaginis decocto, auxilio ſunt. Fauces exaſperare videntur, & tuſſim. Nonnulli (inquit Columella) antequam pecus mamillis inducant, virides pineas nuces in mulctram demittunt, & mox ſuper eas mulgent: nec ſeparant, niſi cùm transmiſerint in formas coactam materiam. Ipſos quidem virides conterunt nucleos, & lacti permiſcent, atq; ita congelant. Folia acriora ſunt, trita & illita inflammationes liniunt, vulneraq́; ipſa ab inflammatione vindicant. Hepáthicis drachmæ pondere, cum aqua mulſa, vtiliter bibuntur. Ex pinu verò rudicula, acoporum paſſorumq́; compoſitionibus idonea fit. Pini cortex adſtringit. Tritus verò & illitus intertriginibus, & vlceribus ſummam cutem occupantibus, & ambuſtis, cum thuris manna & argenti ſpuma. Cum ſutorio verò atramento tritus, quæ ſerpunt, cohibet. Vlcera in tenetis corporibus, cum cerato & myrcheo oleo ad cicatricem perducunt. Decoctus enim contra tormina datur. Suffitu partum & ſecundas eijcit. Potus autem aluum ſiſtit, & vrinam cir. Materies minutatim conciſa, & in aceto decocta, vt hoc decocta dentes colluantur, ad ſedandum dolorem valet. Ex materie verò cremata ad librarij atramenti confectionem, fuligo excipitur, quæ honeſtandis palpebris efficaciſſimè imponitur. Græci καλλιβλέφαρα appellant, vt colorem mentiantur. Eroſis etiam oculorum angulis, & collacrymantibus prodeſt, & calloſis glabriſq́; genis. In melle decoctos nucleos Taurini, aquicellas vocant. Fit è pineis nucibus vinum, quod Græci ſtrobiliten vocitant, nucibus recentibus fractis & in muſto maceratis, & poſteà expreſſis. Eaſdem cum reſinato vino vires habet. Quod ſi quiſpiam nuces pineas in muſto decoxerit, id potum egregiè ijs, qui tabitudine conficiuntur, prodeſt.

De picea, & Pitys fabula. CAP. VI.

PICEA, Græcè πεύκη. Poëtæ etiam βλωθρὴν appellant. Folia breui ſeta, ac craſſiore, dura ceu cupreſſis, inſecta pectinum modo, & pungentia. Rami ſtatim à radice modici velut brachia lateribus inhærent. Nucleos habet minimos, nigrosq́;, & totis panniculis minoribus, gracilioribusq́: quare Græci phthirophon, quaſi pediculiferā & tineoſam vocant. Theophraſtus autem piceam à pinu hoc modo differre memoriæ mandauit. In quā differentia Plinium ſcire oportet, larici tribuiſſe, quæ ille pinui. Eſt autem picea pino breuior, minusq́; recta, folio rariore, ſicciore, ac tenuiore, & algentiore, ni totum horridior appareat. Conum prætereà magis algentem, minoremq́;, nucleos reſina perfuſos. Pinus autem vſtis radicibus minimè repullulat: contrà picea, quod contingit in Leſbo inſula,

ſula, montis Pyrrhæi incenſo nemore, qui piceis ſcatebat. Arbor quidem feralis, & funebri indicio ad fores expoſita, & rogis virens. Arcades enim piceam ſterilem dicunt, apud quos tamen rara, verùm frequens circa Elin, vt ait Theophraſtus. Nuces, ſicut in pino, pityides dicuntur. Dioſcorides piceæ vim cum pino confundit. Alij tamen ſeparatim de ea pertractant, & ſi communes quaſdam cum pinu vires habeat. De quibus ſpeciatim dicendum arbitror. Fructus autem miſtam vim obtinent, adſtringentem, & acrimoniam cum amaritate poſſidentem, quamobrem thoracis, pulmonisq; abſceſſibus conferunt. Folia humidiora ſunt, quibus vis quædam vulnerum glutinandorum ineſt. Et quamuis in fructu ſimilis facultas ſit, validior tamen tum in folijs, tum in cortice, adeò vt decoctum nil probè efficere poſſit: verùm moleſtiam quandam ad mordacitatem habent. Cortex eximiam adſtringendi vim poſſidet, qua intertrigines belliſſimè ſanat, & ambuſta illitus perſanat, & ad cicatricem perducit. Fuligo autem ad pilos ſuperciliorum fluentes accommodata: ad oculorum eroſos angulos, lippientesq;, ac lacrymantes oculos. Pytis, vt Græci fabulantur, puella perquam formoſa fuit, quam perditè Pan Deus adamauit: hanc quoq; Boreas: vtriq; enim adducta Pani adhæſit, quare zelotypia ſtimulatus, & concitatus Boreas, Pytim in ſaxa impellens, neci dedit. Cuius vicem Tellus Dea condolens, in ſui nominis arborem commutauit: mutatoq; vitæ genere, apud eos permanſit. Pana enim ramo virenti coronat, lugetq; immeritum facinus, collacrymans arbor, quòd Boreas maligno ſpiritu impulerit.

De abiete. CAP. VII.

PLINIVS libro duodecimo cuiuſdam generis abietis meminit, quod elate vocatur. Alijs palma dicitur, alijs ſpathe. Pingui lacryma, quæ ad vnguenta addatur. Vbi verò abietem cum palma confudiſſe videtur. Dicta eſt autem abies, quòd in cœlum abeat: vt hac ratione Græcè etiam elate dicta, ab ἐλάω quod eſt impello, prolongo. Nam in faſtigium aſſurgit, vt omnium reſinam ferentium ampliſſima ſit. Creſcit primùm quoad liberiore ſole fruatur, neq; interim craſſeſcit, neq; fructificat. Tunc enim nec ramus vllus, neq; laterũ germinatio, neq; craſſities, quæ tunc omnia fatiſcunt. At vbi in iuſtam magnitudinem excreuerit, in profundum latumq; dilatatur. Itaq; totis arboris partibus excreſcit. Enodem Ouidius dicit. Forma decora. Nam ſola ramorum progerminatu, ordinem ſeruat. Quippe ramorum exortus germinationes ſequuntur: totaq; facies concamerationem imitatur, ſimilisq; Bœothorum cyathis, vt inquit Theophraſtus, conſpicitur. Statim verò à radice rami modici, velut brachia, lateribus inhærent, ſubrectaq; diuiſura, in cœlum non proni tendunt, quare intuitu hilarior. Folio pinnato, pectinum modo inſecta ac pungenti. Caudice rotundo. Arbor tota iuſtar cepæ: multiplici enim cortice tunicatur, vſqueadeo denſa, vt nec niues, nec imbres tranſmittat, cuius etiam vmbra ſubditis fruticibus, tanquam nouerca ſit. Nam quæcunq;

cunq; attigerit, non dubiè id venenum eſt. Rigore enim naturali contenta eſt. Non citò ab onere flectitur, verùm ſurſum renititur. A pino autem differt, quòd huic rami plures, abieti verò duriores, ac flaueſcentes. Plures aliæ differentiæ, quæ etiam aſpectu depræhenduntur. Semen pulcherrimum, circa Arcturi emerſum, emergit: quo tempore Romæ menſis Septembris eſt. Termitem, à quo vitiatur, alit. Calefacit, ſiccatq; quo populus nigra. Pilulam profert, quæ nucleum continet. Hæc hyeme ereſcit, Vere aperitur, tota cadit, cùm folia creſcere cœperint. Iuxta vitem abietem fulmine percuſſam, domini interitum prædicere, ex aruſpicum libris quidam aiunt.

De ſapino. CAP. VIII.

PLVRES vnam & eandem arborem ſapinum & abietem exiſtimauere. Plinius verò aliter, qui ſapinum nil aliud eſſe, quàm piceam feritate paulùm mitigatam, cuius imas partes tedas vocet. Seruius autem Honoratus ſapinum abietis ſpeciem dicit. Vitruuius libro primo vno in loco, ſapinum ſtatim ab abiete ſeiunxit. Alij inferiorem abietis enodem partem ſapineam vocauere. Sic enim abies à terra excreſcit: fluuiata decorticatur. Superior pars durior & nodoſa, fuſterna vocatur. Arbor recto caudice, vt abies. Ramis abieti in ordinem exeuntibus, qui altum nituntur: folio etiam abietis leniter mucronato, non tamen per ordines, vt in abiete exeunt. Conis longioribus, cæteris numeroſior, caudicis cortex liuet.

De tæda. CAP. IX.

SEXTVM genus arborum reſinam ferentium tædam Plinius poſuit, & alibi montes amare dicit. A Græcis δὰς & δαδίον dicitur. Alijs verò πεύκη. Tædas etiam alia ligna vocamus, quæ picis oleíve illitu, faculæ modo, flammas emittunt. Habet autē quiddam acre, & vim concoquendi, & abſtergendi: vnde aceto decocta, dentium dolori medetur, ſi ex eo os colluatur. Quòd ſi ſemel addideris, conferre quoq; collutio ad pituitam per os educendam. Eclegmatis quoq; ad ſcreatus è pectore eliciendos miſcetur. Folia recentia vulnera glutinant. Piceæ inſuper viribus reſpondet, verùm moderatior. Sed vt de tæda finiamus, nonnulli Plinium hallucinatum dicunt, quòd vnum genus reſinam ferentium poſuerit, & tædam liquorem ſolum arborum reſinam ferentium arbitretur.

De larice. CAP. X.

LARIX, vel larex, vt nonnullis placuit, nota eſt arbor municipibus, qui circa Padi ripam, & maris Adriatici litora ſunt, vt Vitruuius ait. Nunc verò circa ea loca arbor tantùm conſpicitur, quæ cupreſſi folio eſt, quam tamariſcum incolæ vocitant. Dioſcorides autem in Gallia, quæ Alpibus contermina eſt, gigni ſcribit. Huic autem eadem, quæ piceæ, facies. Folio

pini,

pini, pungenti. Theophraſtum enim ſub piceæ nomine hanc compræhendiſſe, nonnulli exiſtimant, nec à picea quouiſmodo ſeparaſſe, propter eius cum ea cognationem. Aliqui à ſapino aut magis propriè ab abiete diſcernunt, quòd illarum nonnullæ altæ vt abietes, atq; inter ipſas creſcunt. Humiliores aliæ, quæ tamen longiùs ramos ſuos protendant. E genere maioris ramuſculi, tumores paruos in pupillæ formam extuberant. Hi folijs iuniperi, humilioribus tamen, ac mollioribus veſtiuntur, quæ per hyemem decidunt. Pomum fert pinus ſimile, ſed breuius. E ramis eius, panicularum modo, nucamenta veluti piceæ dependent. Seduni populi in Allobrogum Alpibus ſiti ſunt: apud eos larix multa naſcitur, vt nulla frequentior: propterea apud eos plurimo vſu eſt maximè medendi. Recentiores eius ramuſculos, per Maium effringunt, & ſtolones effodiunt, quibus in balneis vtuntur, vt hac ratione plurimis ſibi morbis opitulari credant, præſertim verò lepræ, à qua ſe tutos exiſtimant, ſi ex eius materiei cubiculis inhabitent, & lectis cubent. Corticis cinis ambuſtis & intertrigini medetur. Epotus enim aluum ſiſtit, vrinam ciet, vuluas ſuffitu corrigit. Laricis fumum ſerpentibus grauem. Lucanus hoc carmine oſtendit:

Et laricem fumoq; grauem ſerpentibus vrunt.

De taxo. CAP. XI.

TAXVM à Græcis ſmilacem vocari, Seſtius, Galenus & ſequaces, autores ſunt: caſtus etiam à Galeno. Ab aliquibus thymion. Nonnullis milos. Italorum vulgus, litera vna mutata naxum vocat. Galli iffum nuncupant. Arbor abieti perſimilis. Quare Nicander ἐλατηΐδα vocat. Eam etiam Galenus approbare videtur, quæ ſit abietis genere, aut ilicis, deinde quæ in Oëta Æthiopiæ monte naſcitur. Nam etiam eodem aſpectu, eodemq; folio, ſed pinguiori. Ligno minùs viret. Dira, triſtisq;, auctu inſignis, procera, ſed non adeò vt abies, gracilisq;, alis magis ſinuata. Quæ verò in Arcadia naſcitur, inquiente Theophraſto, ligno nigro aut puniceo eſt. Quæ autem in Ida, flauo, cedroq; perſimilis, vnde vendentium fraus, pro cedro venundantium. Baccifera eſt, nullo ſucco, fructu rotundo, faba paulò maiore, ruſo colore, tactu molli. Mas fructu noxius. Venenoſa arbos, vt eam Dioſcorides inter venena, quæ ipſe δηλητήρια, id eſt, lethalia, appellat. Vnde illud θανάτοιο πολυδακρύτοιο δότειραν, id eſt, eſt lacrymoſæ mortis datricem dicunt, vnde Latini taxica quaſi toxica dicta. Statius in Thebaidos ſexto:

– Metuendaq; ſucco Taxus. –

Quare poëtæ eam apud inferorum opaca naſci finxerunt. Seneca in Hercule furente:

Horrent opaca, fronde nigrantis comæ
Taxo imminente. –

Fingunt etiam infernales furias, ex hoc ligno faces gerere, vt autor Placidus. Vnde Statius libro octauo Thebaidos:

Necdum illum aut trunca luſtrauerat obuia taxo

Eumenit. Sunt etenim in Arcadia lethales, in qua, vt ait Dioſcorides, & Hiſpaniæ Carbonia, tam præſentis veneni, vt qui ſub ea ſubſideant, dormiántve, aut cibum capiant, emoriantur. Quod Plutarchus in Sympoſij commentarijs aſſeruit, præſertim verò, cùm nouis floribus turgens ſit. Vniuerſo autem corpori frigiditatẽ facit, ſtrangulationes etiam, celerem deniq; interitum adfert. Theophraſtus etiam veterinaria, ſi ex ea folia manderint, mori. Attamen ruminantia nihil huiuſmodi pati. Dioſcorides etiam aues, quæ ex Italica taxo eſitarint, nigreſcere prodidit: quas item ſi ederint, alui profluuio corripi. In Corſica plurima naſcitur, Diodoro autore, vt ex his mel collectum, amarum ſit, Verg. etiam prodente:

Ecloga 9. *Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.*

Taxi ſucco aliquot gentes ſagittas tingũt. Plin. ſcribit baccis aluum reſolui. Fumus eius mures enecat. Vaſa etiam viatoria ex ea Gallia, vinis fuiſſe mortifera compertũ eſt. Theophraſtus tamen eius fructum ab aliquibus mandi memoriæ mandauit, & illis ſuauem, innoxiumq́; eſſe. Alij cohortales gallinas illo ſaginari tradunt. Aduerſus taxũ remedia eadem ſunt, quæ & ad cicutam. Claudius etiam Cæſar, Tranquillo ſcribente, vno edicto propoſuit, nihil æquè ad viperæ morſum facere, quàm taxi ſuccum. Rara hæc in Ida, ſed in Macedonia atque Arcadia frequens, vbi abundè fructum fert. Innoxia fit, inquit Plinius, ſi in ea clauus æneus adigatur.

De reſinis. CAP. XII.

RESINAS omnium arborum illas fundentium vno in loco dixiſſe lectori non vſquequaq; moleſtum eſſe debet, vt poſteaquam ferè omnes eius naturæ in vno libro deſcripſimus, vt ſequatur illarum liquor, cùm nonnulla etiam ſint, quæ tum natura, tum arte omnibus communia ſint. Quæ in qualibet arbore repetiſſe, ſatis faſtidioſum fuiſſet. Loci inſuper natura, & vnius ad aliam comparatione, & differentijs, vis ac illarum poteſtas dignoſcitur, & ſeparatur. Et vti ab etymo incipiamus, ab Hebræis nomen accepiſſe videtur, apud quos rez dicitur. Græci ῥητίνην vocant. Galeno enim ἀυτόρρυτος, à ſpontaneo fluxu dicitur. Paulus vocat. Reſinarum autem duo genera, vna liquida, altera ſicca, vel, ſi mauis dicere, ſpiſſa. Fluit autem liquida è terebintho, lentiſco, larice, & cupreſſo: maximè in Aſia & Gallia, quæ Alpibus contermina eſt, & Syria. In hac autem etiam è palma & cedro flui Theophraſtus in literas mandauit, verùm id perrarò. E pinu verò, ac picea etiam gigni, Dioſcorides autor: ſed non vbiq;, ſed in Gallia & Thyrrhenia (antiquitus Colophon) vnde & Colophoniæ ſibi nomen vendicauit. Sicca autem è pinu & picea fit. Quædam autem harum arborum, alibi liquidam, alibi ſiccam ferunt. Locus enim naturas mutauit, ſicuti & colores etiam. Præter cæteras Colophonia fulua eſt, quæ, ſi teratur, alba fit. Alba enim eſt, quæ ex Arabia aſportatur. Iudaica calloſior, colore verò mellis Attici eſt. Larigna verò alia oleoſo colore, alia albo eſt. Reſina autem ſic excipitur. Nonnulli

enim

enim à Solis parte,binis aut ternis non minimùm vno à terra cubitis,arborem cortice exuere contenti ſunt, vt plurimum bipedali hiatu: tunc enim humor è tota in vlcus confluit. Cæteri verò nec corpori parcunt, cùm haſtula in fructu ſit. Simili modo ex alia parte aperitur, ac deinde ex alia. Fructum autem ab inciſura, aliæ primo, aliæ ſecundo, aliæ tertio anno largiuntur. Pinus autem in hac frugalis,vt & primo,& ſecundo,ac tertio præbeat.Expletur enim plaga,tot annis,totidemq́; colligitur,ligno non explente vulnus,quòd natura illi denegatum: cæteris enim eiuſdem naturæ conceſſit, vt ligni cicatricem coitione obducat: quare pinus ſic tot vulneribus debilitata,facilè ventorum vi proſternitur. Tunc vritur,& humor excipitur. In terebintho enim non ſolùm vtranq; caudicis partem ſauciant,ſed & ramos:verùm copioſior atq; præſtantior,quæ è caudice,quàm quæ è ramis defluit. In hac etiam è radice detrahunt, tametſi ex his partibus damnetur.In Macedonia autem pinum maſculam vrunt, fœminæ tantùm radices. Aliæ autem Solis contactu deſudant, vt picea, & abies,quæ modicum reſinæ exſudat,plurimum picea. Huiuſmodi autem arbores eſſe, poſt germinationem, affirmant. Tunc enim liquoris confluuium, vberius manat. Porrò ſciendum eſt, aliud eſſe reſinam vri, aliud coqui. Vritur autem ad fuliginem, coquitur ad medicinæ vſum. Crudæ enim nullus in medicina vſus. Coquitur autem omnis liquida reſina in vaſe,quod quadruplicem inſundendæ reſinæ menſuram capiat. Oportet enim reſinæ congium vnum, in aquæ pluuiæ congijs duobus, ſubiectis leuioribus prunis aſſiduè agitando, donec odorem omnem amiſerit,concoquere,& donec friabilis,ſtridulaq́; reddatur.Cæterùm vbi refrigerata fuerit,in fictili nouo vaſe picato adſeruatur. Quæ verò ſic decocta erit, candidiſſima eſt. Prius tamen bene eliquatam percolare, quo ſucculenta,ſordesq́; ſecernantur. Vritur & ſine aqua,primùm igne lento, deinde carbonum maior ſtrues ſupponitur,& triduo cum ſuis noctibus, abſq; intermiſſione, vſq; dum odoris ſuum virus exuerit, decoquitur. Dein,vt dictum eſt,reponitur. In ſiccis verò, vnius diei ſpatio decoxiſſe, ſat erit. Hoc enim modo decocta, ſtillatitia vocatur. Talis verò odoratis malagmatis,& vnguentis colorandis ſummoperè vtilis.Alia ad crapulam temperies.Nam reſinæ crudus flos,cum plurima haſtula auulſus,tenui,& breui ad cribrum minuta, conciditur: deinde feruenti aqua, donec coquatur,perfunditur. Hoc enim expreſſum pingue, præcipuaq́; reſina fit, quæ rara, & non niſi in paucis locis, maximè ſubalpinæ Italiæ conueniens. Vritur etiam reſina,vt ſuprà dictum eſt,atq; ex ea perinde,atque è thure fuligo excipitur. Idonea quidem ad circumlitiones, quibus palpebras dehoneſtamus, & colorem natiuum mentimur. Ad quod alluſiſſe Iuuenalem credimus, dum canit:

– Quid enim reſinata iuuentus.

Vtribus liquida portatur, dein ſpontè quo nunc cernitur modo, ſpiſſatur. Reſina omnis oleo diſſoluitur.

De reſinarum differentijs. CAP. XIII.

RESINARVM differentias, tum arboris genus, tum locus ipſe, ac regio faciunt. In arborum autem genere, poſt maſtichen, de qua ſuo loco diximus, principatum obtinet terebinthina. Sunt tamen nonnulli, qui hanc illi præferant. Tenuiſſima enim eſt, & ſpiſſitudine præſtans, odore gratiſſimo: Larigna verò gracilis, liquore lentiore, qui dureſcat. Multi pòſt terebinthinam locant: qui enim eam ſumpſerint, quicquid meierint, ſuauè olet. Statim pòſt, & ferè eodem gradu, abietinam & piceam. Illa enim ob eius odorem celebrata, hæc verò plurimam reſinam fundit, pinguem, ponderoſam, & thuris modo ſuccoſam. Candida enim eſt, interueniente gemma, thuri tam ſimilis, vt miſta, viſu diſcerni non queat, vnde ſeplaſiæ fraus. Eam priuatim Aëtius πιτύινον φύσημα dicit, & ſiccam aridiſſimam inter omnes prædicauit. Cedri craſſior, Cupreſſi acerrima. Quæ autem è tæda (ſequentes eorum opinionem, qui tædam arborem exiſtimauerunt) pinu, & ſtrobilo, cupreſſuq; emanant, non magnoperè in vſu ſunt, minùs enim efficaciores, ignauioresq; ſunt. Nihil enim viribus ad ſuperiores attinent. Veruntamen vt illæ, earundem gratia deſumi conſueuerunt. Piceæ autem tædæ, acrior, pini ponderoſiſſima. In Hiſpania è pinaſtris reſina fit, minimè laudata. Eſt enim harum, amara, arida, & graui odore. Oribaſius & Ægineta reſinæ genus, in Italia tantùm naſcentis eſſe ſcribunt, quæ xylodis dicitur. Illam autem intelligere voluerũt, quam Dioſcorides Tyrrhenicam ſiue Gallicam vocat. Colophonia odore grauior, ex arbore decorticata, vt ait Columella. Ob id non vtuntur ea vnguentarij. Arabica, acri odore, concoctuq; difficilis. Terebinthina laudatiſſima nationum, Cypria & Syriaca: vtraq; enim mellis Attici colore, ſed Cypria carnoſior, ſicciorq;. Piceæ verò & abietis præſtantiores, quæ è Pytiuſa inſula, quæ ſecundum Hiſpaniam ſita eſt. In Aſia autem, quæ è picea fit, admodum candida, ſpagas vocatur. Apud Aëtium phyſema memoratur, quæ omnium aridiſſima ſit. Et, vt de omnibus ſecundum loca diſſeramus, Reſina omnis optima, quam loca admodum aprica & aquilonia præbent, contrà verò quæ opacis, horridior, limum referens. Quare montana campeſtri præſtantior. In omnibus quippe eligenda odoratiſſima, & tranſlucens, non rufa, nec humida, ſed ceræ quandam faciem repræſentans, & quæ friabilis ſit. In ſicco autem genere, quæ ſit candida, quæve pura, & perlucida quærunt.

De reſinarum vi. CAP. XIIII.

NATVRA omnibus calfacere & deſiccare. Nam corpori noſtro admotæ, celeritmè & manifeſtè calefaciunt, verùm plus aliæ, minùs reliquæ. Porrò vbi acriores ſunt, ita & eo calidiores. Expurgant etiam, ac diſcutiunt. Omnes enim ixiæ venenis aduerſantur. Panos, & ſimilia tubercula, cum ſeuo taurino, & melle ſanant. Tabidis, & tuſſientibus per ſe, aut in eclegmate, ex melle conueniunt, vrinam potenter mouent, cruda concoquũt, vuluæ onera extrahunt. Suffitu etiam ventrem emolliunt. Purulentis cum

æugine,

ærugine, ac ſutorio atramento, illinuntur. Auribus ſaniem fundentibus, & contra genitalium prurigines, vtiles. Malagmatis, emplaſtris, acopis quoq; miſcentur. Laterum doloribus illitu, & per ſe poſitæ auxilio ſunt. Renibus inhærentes calculos deturbant, & remorantes arenulas exugũt. Boum ſcabiem, reſina & pice humida ſimul miſtis inungunt. Liquida verò in eclegmate, & per ſe, contra diutinas tuſſes, mirum in modum efficax. Hæc autem in vniuerſum, de vi, ac poteſtate reſinarum dictum ſit. At quoniam aliquæ, quibus præter cæteras ſpeciatim ineſt virtus, reperiuntur. Igitur de his ſeparatim deſcripſiſſe oportuit. Quòd inter omnes, primas, vt iam dictum eſt, obtinet terebinthina. Præter cæteras omnes adſtrictionẽ habet, non tamen tantam, quantam maſtiche, amaritudinem tamen maiorem. Molliendo verò omnes alias ſuperat. In euocando enim ea, quæ altius in aliqua corporis parte coierint, nulla alia ei comparanda. Pſoras, & vulnera aperit, membrorum doloribus calida illinitur, ſpaſticiſq; in ſole, totiſq; corporibus, mangonum maximè cura. Ad gracilitatem verò emendandam, ſpatijs ita laxantium cutem per ſingula membra, capacioraq; ciborum facientia corpora. Vbi verò bos opetando laſſus fuerit, & cibum faſtidit, reſinam terebinthinam ſimul cum oleo, ex æquo coquebant, radicem vſq; cornua deungebant. Larigna, autore Vitruuio, phthiſicis medetur, qua etiam medici propter tuſſim vtuntur, & viſcerum vlcera. Pinea, autore Celſo, carnem nutrit, & vlcus implet, vulneribus optimè medetur. Picea & hac magis ſtrobilina, acrior terebinthina, verùm minùs ea digerunt, ignauiuſq; euocant. Inter has autem picea & abietina medium tenent. Illa autem offertur his, quibus ſalamandra data ſit. Reſinam Ægyptiam, ex melle vorare, aduerſus ramices prodeſt, Plauto autore. Nam apud eundem Acanthio, Charicio ait:

Tua cauſa rupi ramices, iam dudum ſputo ſanguinem. Cui hic:
Reſinam ex melle Aegyptiam vorato, ſaluum feceris.

Liquida medici perraro vtuntur, ſed in ouo ferè. Pudet confiteri (quod ad vltimum de ea dictum ſit) vt inquit Plinius, maximum iam honorem eius eſſe in euellendis virorum corpori pilis. Reſinarum fuligo eroſis oculorum angulis prodeſt, collacrymantibus etiam, tumentibus, & ſaniem diſtillantibus. Fit ex ea atramentum ſutorium.

De Zopiſſa. CAP. XV.

ZOPISSAM aliqui vocant eraſam marinis nauibus reſinam, cum cera marino ſale maceratam. Alij pineam reſinam eſſe volunt. pleriſq; hypochyma dicitur. Optima autem hæc à tyrocinio nauium. Efficacior enim omni reſina, omni pice, traditur. Prodeſt autem ad omnia, quibus ille, abiecto ſalis marini callo. Diſcutiendi vires habet, quòd marino ſale macerata ſit. Additur in malagmata, ad diſcutiendas collectiones.

De pice. CAP. XVI.

PICIS materiam Theophraſtus,& alij qui de ea ſcripſerunt, cum reſinæ hiſtoria, illarum cognatione & affinitate coniunxerunt. Nam pix nil aliud eſt, quàm deuſtæ reſinæ fluxus. Coquitur enim pix liquida in Europa & alibi è tæda ad multos præter vim medicam vſus, maximè muniendis naualibus. Lignum eius conciſum in furnis vndiq; igni extrà circundato, ne flamma erumpat, feruet: quod ſi contrà contingat, pix tunc deperit. Quamobrem locum terra ſepiunt, lutoq; obſtruunt, ne quà emineat. Primus enim ſudor aquæ modo in canali fluit. Hoc in Syria cedrium vocatur. Sequens verò liquor, craſſior iam picem fundit. Hæc rurſum in cortinas æreas coniecta aceto ſpiſſatur, & coagulata bruſſiæ cognomen accipit, à Brutijs ad Mamertium oppidum, feraci nemore, vbi naſcitur, vt inquit Strabo. Hæc autem dolijs, vaſisq; cæteris vtilis: lentore ab alia differens, item colore rutilante, & quòd pinguior, ac reſinoſior ſit. E tæda omnia illa fiunt. Picis enim fertilitas, vt ait Theophraſtus, tum in copia, tum in bonitate conſiſtit. Nigram picem Palladius coracinam à coruí colore vocat. In pice autem liquida, quod oleoſum ſupernè fluitat, Galenus πισσανθον, hoc eſt, picis florem vocat. Picis verò genera duo, alterum ſpiſſum, alterum liquidum, quod alij conon vocant. Pix optima ex Aquilonijs, & aprico ſitu, plus quàm ex opacis, atq; hybernis. Serenitate verò ſteriliores fiunt. Quæ autem in planis, tenuiorem præbent, montes etiam tædaſiorem. Imbribus abundantiores. Sunt autem qui hoc adijciant, vti ex maſcula arbore probior fundatur. Quod Plinius poſſe intelligi, non arbitratur. Theophraſtus verò ex Ida tum colore, tum odore, ac dulcedine præſtantiorem emanare dicit: quod in omnibus montoſis generaliter exiſtimandum. Maritima autem flauiorem, craſſioremq; picem effundunt. Minùs enim ſeri habet, quæ ex montanis legitur. Laudatur in primis pinguis, leuis, pura, odorata, & ſplendens, ac quæ linguæ dulcedinem reſipiat. Item maximè commendatur, quæ inter coquendum, neque bullas, neq; proſilientem ſtrepitum elidat. Probæ autem experimentum eſt, ſi feruens in frigidam merſa, non odore ſolùm, verùm guſtu quoque placeat. Crudæ etiam cocta præfertur, & arida liquidæ. Vitia autem picis hæc ſunt, odor fumidus, & aduſtio, acorq;, cuius periculum eſt, vt fragmenta ſubluceant, & ſub dente acore iucundo lenteſcant. Regiones etiã præſtantiam addiderunt. Laudatur quæ in Narycia maris Ionij inſula fluit, quam Vergilius condiendis vinis optimam aſſeruit. Sic de ea Columella in ſuo carmine:

Lib. 10. *— Sobolem dabit illa capacem Naryciæ picis.*

Hic etiam Nemeturicam, quæ in Liguria conficitur, & Allobrogicam, quæ corticata dicitur. Vetuſtate verò hæc ſiccata in puluerem reſoluitur cribraturq;. Idem meminit cuiuſdam generis crudæ, quod taſim vocat, traditq; in defrutum Neapolitanum addi ſolitum. Quidam Rhæticam commendant. Aſia Indicam, Græcia & Macedonia Piericam. Didymus poſt Piericam Idææ palmam tribuit. Alij Rhodiam anteponunt.

Picis

Picis natura, & de eius fuligine, & de foſſili apud Apolloniatas pice. CAP. XVII.

PICIS natura eſt, explere, & excalfacere: quod vtiq; experimento comprobatur. Siquidem verò celerrimè calida fit, & protinus inflammatur. Inſuper corporibus noſtris admota notoriè calfacit. Sed arida in ſecundo abſceſſu deſiccat, minùs tamen calfacit: at contrà liquida plus calefacit quàm deſiccet, habetq; quid calidum cum humiditate admiſtum: habet etiam attenuandi vires, ideoq; ſuſpirioſis, quos aſthmaticos vocant, & pectoris ſuppurationibus, in eclegmate, cum melle cyathi vnius menſura illita confert. Ad hæc autem, omnia, quæ poteſt arida, præterquam in glutinandis vulneribus. Inſunt verò ambabus abſtergendi, maturandi, diſcutiendi vires: habentq; in guſtu leuem acrimoniam, vt ob eam cauſam ſcabros vngues eximunt, miſtæ cum cera. Lichenas, ſiue impetigines detergunt, crudos & induratos tumores maturant, cataplaſmatis inditæ. Omnibus venenis aduerſatur, priuatim verò ceraſtæ morſibus cum polenta. Cum ſale enim trito ſerpentium inūgitur morſibus. Pthiſicis etiam cyathi menſura quidam dederunt, & contra veterem tuſſim. Cum melle pariter tonſillis inungitur. Anginæ vtiliter perunguntur, purulentiſq; auribus cum roſaceo infunditur. Vuluæ tubercula, & ſedis duritias diſcutit. Item cum farina hordeacea, & pueri impubis lotio decocta, ſtrumas ad ſuppurationem perducit, vlcera cum melle explet, & purgat, cum vua paſſa, & melle, vel, vt Plinius voluit, cum axungia. Carbunculos & putreſcentia vlcera emarginat, ſerpentia verò cùm pineo cortice, aut ſulphure, efficaciter inungitur, ea coërcens. Hoc modo etiam furfuribus. Vuluæ conuerſiones odore cedunt. Item lethargicos excitat, aluum ſoluit. Quinetiam cum thuris mamma & cerato, profunda vlcera conglutinat. Rimis etiam ſedis, & pedum, & digitorum, quas rhagadas vocant, maximo auxilio liquida illinitur. Ad mulierum autem mammas, Brutia ex vino feruefacta, cum polline ferraceo, quàm calidiſſimis impoſitis. Vulnera, vt ait Galenus, ouibus, tondendi occaſione à ſorfice facta, pice liquida ſanantur. Theophraſtus etiam, referente Plinio, in Apolloniatarum agro foſſilem picem Macedonica deteriorem ſcribit, præcipuum ad pecorum ſcabiem remedium, aut ſi fœtus mammas læſerit. Id optimum & naturale, quod cùm feruet, innatat. E liquida fit fuligo, hoc modo: In lucerna noua, quæ ellychnium habeat, picis nonnihil incendito, lucernamq; fictili vaſe, furno ſimili operito, quòd in ſuperiore ſui parte in orbem circinatum anguſtatumq; ſit. In inferiore enim ſui parte, vt furnum, perforato. Sinito deinde ardere, conſumptaq; pice, aliā ſuperinfundito, quoad volueris fuliginem colligere. Vis ei eſt adſtringendi, acrimoniamq; habet. Palpebris honeſtandis, circunlitionibuſq; vtilis, & vbi genis glabris pilos reſtitui oportet, non inutilis inſuper ad infirmos, lacrymoſoſq;, & vlceratos oculos.

De

De palimpiſſa, piſſaſphalto, maltha, & oleo picino.

CAP. XVIII.

PALIMPISSA nil aliud eſt, quàm reſina bis decocta. Prima enim coctione, pix liquida fit. Quæ ſi iterùm decoquatur, bis pix eſt, id eſt, παλίμπισσα, quæ in picem coit. Eſt autem in hoc genere quædam, quæ viſci modo lenteſcit, boſcas cognominata: altera verò ſicca eſt. Probatur, quæ pura, pinguiſq; ſit, reſinoſa, odorata, & ſubrutila. Vis illi calefacere, mollire, & ad ſuppurationem perducere. Tubercula, panoſq; diſcutit, & vlcera explet. Vulnerarijs emplaſtris miſcetur. Piſſaſphaltos, hoc eſt, bitumini miſta pix, ac ſi picibitumen dicas, compoſito ex pice & bitumine nominibus vocabulo. Naturaliter naſcitur, Galeno & Plinio prodentibus, in Apolloniatarum circa Epidamnum agro, & montibus Ceraunijs, impetu fluminis rapitur, æſtuq; in litus expuitur, glebarumq; modo cogitur. Alterum factitium. Quidam ipſi picem miſcent, præcipuum pecorum ad ſcabiem remedium, aut ſi fœtus mammas læſerit. Maltha, Feſto Pompeio, pix cum cera miſta dicitur. Græcè μάλθη. E liquida verò pice oleum fit, quod piſſelæon vocant. Omnis autem liquor aquoſus, qui ſupernatat, ſeparatur, qui illi eſt, vt lacti ſerum. In cortinis concoquitur, velletibus ſupra halitum expanſis. Quæ accepto halitu, & madentia, in vas aliquod exprimuntur: idq; tam diu faciendum, vſq; dum pix coquitur. Probatur maximè è Brutia, & quæ recentiſſima ac pinguiſſima ſit. Color oleo fuluus. Quod autem è pice nigra fit, calidius eſt. Quod verò è liquida, illi ſimile, verùm naturæ tenuioris. Hoc enim ad omnia, ad quæ pix liquida, facit. Alopecias cum farina hordeacea, illitu replet. Iumentorum ſcabies & vlcera, vtiliter inunguntur.

De ſuccino, & eius varijs appellationibus. CAP. XIX.

SVCCINVM arboris lacryma & ſuccus, vnde & nomen ſortitum eſt. Cuius ratio infrà oſtendetur. Græci ἤλεκτρον, quod digitorum attritu accepta caloris vi, ad ſe paleas, & arida folia, veſtium quoq; fimbrias attrahat, & lenta omnia, præter ocymum, vt inquit Plutarchus, & quæcunq; oleo fuerint imbuta, quæ reſpuit, aut ſponte abigit. Hac etiam ratione, à rapiendo, ἅρπαγα vocauerũt: & ob eandem cauſam Mauri, perſico vocabulo caraben vocant. Multi enim ambram. Colorum etiam varietas, nomina immutauit. Amelleum & Falernum quidam vocauere, vtrunq; verò de ſimilitudine aut vini Falerni, aut vtiq; mellis. Chryſolectrum Calliſtratus appellauit, nouam differentiam adferens. Dioſcorides chryſophoron, quaſi coloris aurei, & præſtantiſſimi manè aſpectus. Sualternicum, quod fuluum ſit Scythæ vocant, Ægyptij ſacal. Pruſſis verò gentarus. Lyncurion Demoſtratus vocat, & fieri ex vrina lyncum beſtiarum, è marium fuluum & igneum: è fœminarum languidius atq; candidum. Alij langurium dixere, & eſſe in Italia beſtias langurias. Zenothemis langas vocat eaſdem, & circa Padum ijs vitam adfirmat. *Poetæ*

Poëtarum fabulæ ſuper ſuccini ortu. CAP. XX.

SVPER ſuccini origine, Græci Latiniq́; poëtæ multa finxerunt, præſertim verò ſuper Phaëthonte ac eius ſororibus. Fuit autem ille Solis & Clymenes filius. Cùm autẽ illi obiectum ab Epapho Ægypti Rege eſſet, illum non de Sole, ſed ex adulterio procreatum, acerbè accipiens ad patrem venit, à quo tandem petijt, vt in huiuſce rei fidem petenda concederet, quod ſe facturum pater liberè promiſit, etiam cum iureiurando per Stygem paludem. Ille autem vnius diei, ſui currus regimen poſtulauit. Quod pater propter iuriſiurandi religionem negare veritus, tametſi ægrè, propter periculum, illi conceſſit. Itaq; conſcenſo curru, & eo ab equis propter ætatem & leuitatem ſpreto, cœpit ſolitam viam aberrare. Incenſa etenim via, quæ poſteà in cœlo Galatia dicta eſt. Cœpit etiam maxima orbis pars incendio deuaſtari, vnde adhuc nigri Æthiopes. Quod videns Iupiter, veluti ſibi ipſi pertimeſcens, ac totius orbis incendium & ruinam, Phaëthontem fulmine icit. Qui in Eridanum lapſus eſt. Quem cùm ſorores Heliades, Phaëtuſa ſcilicet & Lampethuſa amarè flerent, Deorum commiſeratione, in arbores populos, vel, vt Verg. ait, in alnos mutatæ:

Tum Phaëthontiadas muſco circundat amaræ Ecloga 6.
Corticis, atq; ſolo proceras erigit alnos.

Hic tamen alibi in populos verſas dicit:

Populeas inter frondes, vmbramq́; ſororum
Dum canit, & mæſtum Muſa ſolatur amorem. Idem in culice:
At quibus inſigni curru proiectus equorum
Ambuſtos Phaëthon luctu mutauerat artus,
Heliades teneris amplexæ brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.

Seruius autem Eridanum Solis filium fuiſſe ait, &, vti ſupradictum, currum patris agitaſſe, & à Ioue fulminatum, cecidítq; in Italiæ flumen, cui nomen dedit. Ab ardoris autem luce Phaëthon dictus. Singulis verò annis, eodemq́; tempore lacrymas effundunt, ex quibus electrum fiat. Sic verò dictũ, quoniam ſol ἠλέκτωρ per epitheton dicitur, quòd homines à ſono excitet, & homines ſine lecto eſſe faciat. De his ſic Ouidius:

Inde fluunt lacrymæ, ſtillataq́; ſole rigeſcunt Metam.lib.2.
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis. Et alibi:
- Et ab arbore lapſas Heliadum lacrymas.-

De his etiam Apollonius Rhodius in quarto Argonauticorum, & Lucanus etiam ſic:

Eridanus, fractaſq́; euoluit in æquora ſyluas, Lucan.lib.2.
Heſperiamq́; exhaurit aquis. Hinc fabula primùm
Populea fluuium ripas vmbraſſe corona:
Cumq́; diem pronus tranſuerſo limite ducens,
Succendit Phaëthon flagrantibus æthera loris,

Gurgitibus raptis penitus tellure peruſta,
Hunc habuiſſe pares Phœbeis ignibus vndas.

Primi fuere, qui hæc ſcripſerunt, vt arbitratur Secundus, Æſchylus, Philopœnus, Nicander, Euripides & Satyrus. Lacum iuxta Eridanum Italiæ amnem fuiſſe, veteres Græci hiſtorici prodidere, cuius aqua à nullo animalium genere ob graueolentiam deguſtaretur. In hunc autem Phaëthontem fulmine ictum decidiſſe, antiquitas credula fabula exiſtimauit, & ob eam rem dirum illum, ac tetrum odorem contraxiſſe, & mortiferam inſuper vim habuiſſe, qua ex illo bibentes citiſſimam conſequantur mortem. In illius verò margine excelſas fuiſſe populos, fama eſt, vnde turgentibus ramis, nitida ſudarent electra. Lacum hunc nonnulli Aornum appellauerunt. Sunt tamen qui Aornum lacum iuxta Cumas fuiſſe commemorent, ſic dictum, quòd ſupra illum nulla ſuperuolaret auis. Figura enim rotundus fuit, aqua illius cæruleo colore ſubnigrante. Sophocles poëta tragicus, electrum vltra Indiam fieri dixit, è Meleagridum auium lacrymis, Meleagrum deflentium. Quod demiratur in eo Plinius, propter cothurni grauitatem, & vitæ famam, aliâs principe loco genitus Athenis, rebus geſtis exercitu ducto clarus, vt ille ea crederet, vel alijs perſuaderi poſſe exiſtimaret, quæ nec puer tam imperitus reperiri poſſit, qui ea crederet, ſcilicet vt annuos auium ploratus, lacrymásve credat: vel tam grandes aues, vt è Græcia, vbi Meleager perijt, apud Indiam ploratum iri. Sed Apollonij interpres electrum eſſe Apollinis lacrymas ſcribit, ab eo autem effuſas, cùm filii Æſculapij cædem deploraret, & ob Iouis increpationem ad Hyperboreos profectus. Cæteri autem illum tunc illacrymaſſe, cum Admeto regi, ob Cyclopum interitum, inſeruire iuſſus ſit. Theomenes iuxta Syrtim magnam Heſperidum hortum eſſe ait, ex quo electrum in ſtagno Cablat ab Heſperidum virginibus colligi eſt. Quid ergo? vt ait Plinius, non multa fabuloſa produnt poëtæ. Et vt ad Phaëthontem redeamus, qui è fabula veram hiſtoriam multis tradidiſſe videtur, vti è populis iuxta Padum flueret ſuccinum. Alij ad rem naturalem conuertunt, & terram à Phaëthonte concrematam. Quòd arbores ſuccinum ferentes ſub Iunio & Iulio, atque ſub æſtu valido fiſſis corticibus, liquorem illum fundant. Lucianus huius rei ſcrutandi gratia ad Padum ſe contulit, ſerioq; non (vti ſolet) ludicro ſcriptis fatetur, neq; populos ibi eſſe, neq; ſuccinum ibi defluere, nec deniq; reperiri. Sed in fabula etiam variatum. Multi Phaëthontem in Æthiopia Ammonis perijſſe, & ibi delubrũ eſſe, atq; oraculum & electrũ ibi gigni.

Succinum vbi colligatur, & de varia ſuper hoc autorum ſententia. CAP. XXI.

QVAM diſcrepantes, quamq; varij fuerint autores tum maximè Græci in ſuccini ortu, Plinius vno in loco aperuit. Quæ omnia, item & alia à me recenſitum iri, non indignum fuerit, ne item legentes, modò æquè perpetiantur, aliorum ſcriptis onerem, perquirereq; alibi ea, quæ ad arborum hiſtoriam faciant, coacti ſint.

Græcorum

Græcorum diligentiores inſulas electridas in mari Adriatico eſſe dixerunt, ad quas Padus dilaberetur. Qua certè appellatione nullas vnquam ibi fuiſſe certum adfirmauit Secundus, nec ibi vllas eſſe appoſitas, in quas quicquam curſu Padi deuehi poſſit. Æſchylus enim in Iberia, hoc eſt, Hiſpania Eridanum eſſe dixit, eundemq; Rhodanum appellari. Euripides rurſus, & Apollonius Rhodanum & Padum in litore Adriatico confluere arbitrati: quorum in tanta orbis ignorantia, faciliorem veniam facit ſuccini ignorati. Modeſtiores autem, ſed æquè falſum, prodidere, in extremis Adriatici ſinus rupibus inuijs, arbores ſtare, quæ Canis ortu, hoc gummi effundant. Sudines verò arbores in Liguria eſſe, quæ illud gignãt. In qua ſententia & Metrodorus fuit. Sotanus autem in Britannia ex arboribus, quas electridas vocat, effluere ſcribit. Cteſias Indis flumen eſſe, Hypobarum, quo vocabulo ſignificetur, omnia vaſa ferre bona, & fluere à Septentrione in exotiuum Oceanum, iuxta montem ſylueſtrem, arboribus electrum ferentibus refertum. Hæ autem arbores aphytacoræ vocantur, qua appellatione, dulcis ſuauitas ſignificatur. Aſarubas, qui Plinij tempeſtate viuebat, iuxta mare Atlanticum, Cephiſida lacum eſſe vocatum tradidit, quem Mauri electrum vocarent, quod ſole excalfactum, è limo, fluitans electrum daret. Mneſias in Africa Sicyonem locum appellauit, & Cratin amnem in Oceanum è lacu effluentem, & ibi aues, quas meleagridas, & penelopas vocat, viuere. Ibi enim naſci eadem ratione, qua ſuprà, dictum electrum. Theophraſtus in Liguria effodi dixit. Philemon in Scythia etiam foſſile dixit: idq; erui duobus locis, candidum atq; cerei coloris, quod electrum vocaretur. In altero loco fuluum. Diodorus Siculus inſulam nomine Baſileam, in Scythia ſupra Galatiam ſitam ſcribit, & Oceano oppoſitam, in quam tempeſtas electrum quamplurimum eijcit, nec in alia orbis parte inueniri. Theophraſtus autem, exæſtuante Oceano id ad Pyrenæi promontorium eijci, quod Xenocrates credidit, qui de ijs nuperrimè ſcripſit. Sed nunc ad hos, qui propius ad rem acceſſerunt. Guttones Germaniæ populi, Mentonomon (vt autor eſt Pyteas) Oceani æſtuarium accolunt, ſpatio ſtadiorum ſex millium. Ab hoc autem vnius diei nauigatione abeſt inſula, quam Abulum hic vocat. Timæus Bannomannam illo vere fluctibus aduehi & concreti maris purgamentum eſſe. Incolas verò pro ligno ad ignem vti, proximiſq; Teutonis vendere. Nicias Solis radiorum ſuccum intelligi voluit: & hos circa occaſum vehementiores in terram actos, pinguem illum ſudorem, in ea Oceani parte relinquere. Deinde in Germanorum litora eijci, & in Ægypto naſci, ſimili modo. Mithridates autem in Germaniæ litoribus inſulam eſſe ſcribit, ac Oſtericam vocari, cedri genere ſyluoſam, inde in petras diffluere. Hæc ſunt quæ de ſuccini ortu Græci autores prodidere. Quorum mendacium ea res, vt Plinius ait, quæ quotidie inuehitur, & quæ abundat, coarguit, manifeſtoq; oſtendit, quàm mendax, quamq; audax ſit in hiſtoria Græcia. Verùm hominum ſumma contentio eſt, & intoleranda mendaciorum impunitas. Verùm vt ad ipſius rei veram hiſtoriam deueniamus: certum eſt, Germanicum Cæſarem primùm nobis

id demonſtraſſe. Nam eo ibi rem claſſibus gerente, & Germaniæ oras ſcrutante, reperit hoc in inſulis Septentrionalis Oceani gigni, & vnam Gleſſariam de nomine gentilitio à noſtris appellari, à Barbaris verò Auſtrauiam. Mithridates inſulam, in qua naſcitur, Oſtericam nominauit. Vidit enim eques Romanus miſſus ad id comparandum à Iuliano curante gladiatorium munus Neronis principis,qui hæc commercia & litora peragrauit. Cornelius Tacitus ſcribit Æſtyios in ſuo litore legere. Ij ſunt & Sudini,olim Auſtraſij,à ſubere verò Subarij dicti,& etiam Gleſſarij. Hi autem regionem Samelandiam incolunt, quæ pars Baruſſiæ eſt, verè Pomeſiana. Proximi ſunt Efflui. Sudini autem optimi vrinatores, qui ibi ſuccum,in maris fundo,& litore legunt.Ibi enim frequentes abietes, piniq;, ac reliquæ arbores reſinam ferentes. Sunt qui dicant in Cadamo, vel Baltheo maribus tantùm legi, cùm intumeſcens æſtus rapuit. Ex inſulis certè in litora expellitur, ita volubile, vt pendere videatur, atq; in vado conſidere. Rigore enim vel tepore autumnali condenſatur. Primùm vile & abiectum, nulliusq; pretij & vſus inter cætera maris eiectamenta iacebat: poſteà verò luxuria noſtra illi nomen dedit. Taxatio in delicijs tanta,vt hominis, quamuis parua effigies, viuorum hominum vigentiumq; pretia ſuperet: prorſus vt caſtigatio vna ſit ſatis. In Corinthijs æs placet,auro argentoq; miſtum:in cælatis ars & ingenia: vniones, quòd capite circunferuntur:Gemmæ,digitis.In ſuccinis verò deliciarum tantùm conſcientia. A Germanis autem in Pannoniam prouinciam affertur. Inde Veneti primùm, quos Græci Henetos vocant, proximi Pannoniæ rei famam fecere,circa mare Adriaticum id accipientes: quod ibi primùm Itali viderunt, vt inde prius illic natum putauerunt, vt Eridani & Phaëthontis fabulæ annexa cauſa videretur. D C.ferè millia paſſuum à Pannoniæ Carnuto, litus Germaniæ, ex quo aduehitur, abeſt. Hector Boëtius in Scotiæ annalibus refert, vltrà Scethlandicas inſulas eſſe alias, quæ Orchadum diœceſeos ſint, in quibus naſcatur ad ſcopulos ſuccinum. Mare autem,aſſiduo pulſu,ſcopulis illiſum,ſpumam candidam,verùm viſcoſam,in eos euomit, perpetuoq; motu, incrementa ſuppeditat, donec tandem,aut fluctu quopiam impetuoſiùs ingruente,aut ipſa natura in mare decidens influat. Aiunt autem ij, quibus id crebrò cernere contingit,dum cautibus adhuc illud adhæret, aut nondum maris fluctibus iactatum eſt, bulloſum eſſe,nec vllius eſſe vigoris. Quod cùm ad vicinas prouincias deuenerit,maris fluctibus,in omnes partes voluentibus, diutinoq; maris commercio maturatur, ac vires proprias induit. Dum enim natans eſt, molle vt quod obuium fuerit, facilè comprehendat, vnde alga illi plerunq; inuoluta cernatur. Ablataq; ab hinc duobus annis,vt ille ſcribit, vti ad ſuam hiſtoriam tempus referamus, in Buthquhamiam regionem electri maſſa, quantitate equum ſuperans. Quam aſpicientes paſtores,gregem propè paſcenres,ignari quid eſſet,in ignē conijciunt,& cùm ſuauem odorem ſenſiſſent, ad parœcum ſuum læti accurrunt,quid egregium inueniſſe arbitrantes:qui imperitus,& quid eſſet inſciens, thuris loco tantùm ad ſacra vſus, accepitq; quod ſibi ſatis exiſtimaret,

maret, reliquum paſtoribus reliquit. Qui candelarum & incenſorum officio vſi, ludicri laſciuia prius peſſundarunt, & diſſiparunt, quàm ad peritorum aures perueniret. Et vti ad Germanici hiſtoriam & Romanorum ex Plinio luxuriam deueniamus, tanta copia ab equite illo Romano inuecta fuit, vt retia arcendis feris, podium protegentia, ſuccinis nodarentur, arma verò & libitina, totusq; vnius diei apparatus eſſet è ſuccino. Maximum pondus is glebæ attulit quatuordecim librarum. Naſci item in India certum eſt. Archelaus qui regnauit in Cappadocia, illinc cortice adhærente, tradit auehi rude, poliriq; ſuis lactentis adipe incoctum, eumq; videmus nitorem.

Succini natura, & vis. CAP. XXII.

SVCCINVM lacryma eſt pinus arboris, etſi Aëtius, populi albæ dixerit, magis Phaëthontis ſecutus fabulam. Porrò pineæ eſſe indicium eſt, odor pineus, ſi vſſeris, vel attriueris, & quòd accenſum, tædæ modo, ac nidore flagret, mox in picem reſinámve lenteſcit. Humoris autem abundantia erumpit, & defluente medulla, naſciturq; vt gummi in ceraſis, & reſina in pineis. Funduntq; illud arbores pineæ in inſulis Occidentis quomodo aliquot arborum genera Orientis thus & balſamum. Liquidum primò diſtillare, argumento ſunt quædam intus tranſlucentia, vti formicæ, aut culices, lacertæq;, quas adhæſiſſe muſteo, non eſt dubium, & dureſcenti incluſas. Quod Martialis quoque de formica electro incluſa expreſſit:

Dum Phaëthontæa formica vagatur in vmbra, Epigr. lib. 6.
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.
Sic, modò quæ fuerat vita contempta manente,
Funeribus facta eſt nunc pretioſa ſuis.

Genera plura, Candida, odoris præſtātiſſimi, verùm neq; his, neq; cereis, pretium. Fuluis verò autoritas maior. Ex his etiam tranſlucentibus amplior, præterquam ſi nimio ardore flagrent, imaginemq; igneam ineſſe, non ignem placet. Falerno ſumma laus, molli fulgore perſpicuis. Sunt & in quibus decocti mellis lenitas placeat. Verùm hoc quoq; notum fieri oportet, quocunq; tingi libeat hœdorum ſeuo & anchuſæ radice: quippe etiam conchylio inficiuntur. Succina etiam gemmis, quæ ſunt tranſlucidæ, adulterandis, magnum habent locū: maximè amethyſtis, cùm omni, vt diximus, colore tingantur. Domitius Nero in cæteris vitæ ſuæ portentis, capillos quoque coniugis ſuæ Poppeæ in hoc nomen adoptauerat, quodam etiam ſuo carmine ſuccinos appellando, ipſiusq; omnis apparatus abſq; ſuccino inornatus fuit. Et quoniam nullis vitijs deſunt pretioſa nomina, hic colos à matronis expeti cœpit. Succini ramenta, oleo addito, dilucidius flagrant, quàm lini medulla. Philemon tamen negauit, electro flammam reddi. Ramenta etiam pro thure in ſuffitus aſſumūtur, quo nil gratius Indis, vt fœtidum & peſtilentem aërem corrigant. Africani in rogos defunctorum inijciunt. Succinorum verò in medicina vſus

aliquis inuenitur.verùm ob hoc à fœminis expetitur. Infantibus autem alligari,amuleti ratione prodeſt.Calliſtratus & cuicunq; ætati contra lymphationes tradit. Tranſpadanorum etiam agreſtes fœminæ, non tam monilium viæ,ac decoris gratia, quàm medicinæ cauſa ſuccina geſtant: quoniam tonſillis reſiſtere creditur,& faucium vitijs.Varia enim aquarũ genera iuxta illos,eorum guttura & vicinas carnes infeſtare ſolent,quod hodie Turcarum equeſtres copiæ in ſuis equis obſeruant. Calidum in primo ordine,ſiccum in ſecundo.Tritum verò ac potum,prodente Dioſcoride,ventris,ſtomachi,fluxiones ſiſtit,& vrinæ difficultatibus prodeſt, vel etiam adalligatum.Stomachi etiam vitijs vel per ſe farina eius ſumpta, vel cum maſtiche ex aqua pota,corporis pallorem emendat.Cum melle verò ac roſaceo tritum,aurium vitijs: & ſi cum melle Attico conteratur, oculorum quoq; obſcuritatibus. Alia recentiores inuenerunt. Geſtatum etiam contra incantationes prodeſſe,& febrem curare, & coli doloribus mederi,& cardiacis, & corde trementibus, auxilio eſſe. Nauſeam & vomitum ſedat,& prauos in ventriculo gigni humores prohibet.Ad citandos partus candidum prodeſt: quod notiſſimum Germanis mulieribus dixerunt.Veſicæ quoq; calculos ac renum elidi,& euocari,eo poto multi teſtantur,& vulneratis prodeſſe,& ob id etiam malagmatis aſſumi.Inſperſum autem rhagadibus, dolorem & pruritum præſenti auxilio, mitigare creditur.Multi emollire ceræ inſtar tentauerunt: ſed ea res non ſucceſſit. Scio nonnullos,equidem non paucos è Germanorum neotericis,qui limum exiſtiment, qui è montibus, ſole excaleſcente fluat, & in herbido algidóve, quod his montibus ſubeſt, ſolo indurari & ab Oceano *illic* æſtuante,inde ad proxima litora rapi,expelliq́;.Indiciũ autem deſumunt, quòd in ſolo cerea mollitie eruitur,& illud mari demergunt, vt cuius rigore lapideſcat.Hanc igitur opinionem neq; ipſe ego talia non expertus omnino adſtruere,neq; refellere in animo eſt. De hoc autem meminiſſe me oportuit,quòd ad arborum hiſtoriam faceret.

De agarico. CAP. XXIII.

AGARICVM, vel agaricus (vtrunq; enim apud autores inuenitur) dictum quidam autumant, ab Agaro oppido, & fluuio Sarmatiæ,à quo illud nomen accõmodauit. Appianus autem Alexandrinus,Agaros refert gentem Scythicam illud contra ſerpentum morſus adhibere ſolitam,à qua agaricum nuncupatum,& Mithridatem agaricum: quod venenorum antidotum eſſet,ſemper apud ſe habuiſſe.Dioſcoridi verò,atq; pòſt eum Galeno radix eſt plantæ laſerpitio non abſimili,quæ ſit in ſuperficie minimè denſa,Paulo Æginetæ radix etiam arborum truncis adnaſcens, fungoſo corpore,quæ ex aëria,terreſtriq́; ſubſtantia coaluerit à caliditate extenuata. Agaricus fungus, quadam putredine in ſummis arborum caudicibus proueniens,odoratus, colore candido, noctibus lucens, ideoq́; tenebris abſtrahitur. Naſci in ilice, larice, Galenus autor eſt. Alijs etiam in ſylueſtribus & incultis Sarmatiæ locis. Plinius circa Boſphorum, & in Aſiæ Galatia & Cilicia cedris,ſed hoc friabile,& infirmum.Galliarum quoque

gland

glandiferæ arbores agaricum etiam ferunt. Duo eius genera, mas & fœmina, de quibus ſupra. Hoc autem rectis venarum pectinum modo diſcurſibus conſtat, quod præſtantius Aëtius exiſtimat, friabiliusq́; eſt, ac leuius, rarius, mollius, ſplendidiusq́;, atq; breuius. Primum verò rotundum, vndiq; conuolutum, ac concretum, atq; amarius. In fracturis autem folioſum, neruorum modo, durius, & nigrius. Vtrunque enim guſtu ab initio dulce, mox cùm diffundi per os cœperit, amarum. Eligendum eſſe albiſſimum Aëtius conſulit, & quod facillimè frangatur, nec ſit valdè lignoſum, vel perforatum. Itaque Dioſcorides agaricum nigrum inter venena connumerauit. Hoc autem illud, ſtrangulatus excitat, vt in eo, ſicuti in fungis, deprehendatur: aut magis, quàm opus ſit, purgat. Neutrum adulterationem recipit.

De viribus agarici. CAP. XXIIII.

VT autem ad agarici vim medicam deueniamus, calefaciendi vim habet, quod ad primam claſſem, multi præſcripſere, & incidendi, & adſtringendi. Vis autem eius bilis, pituitæq́; purgatrix eſt: ſed lentũ ad functionem obeundam, quare ſtomacho aduerſatur, quòd ſua moroſitate emergens enatet. Sunt tamen qui ad concoctionem faciendam, poſt cibos in aqua calida potandũ præbeant. Hoc modo etiam & crapulam diſcutere, craſſosq́; humores digerere, & incidere aiunt. Vnde etiam viſcerum maximè obſtructionibus purgando medetur: & pares cum curcubita ſylueſtri vires habere. Regio morbo ob hepatis obſtructionem laborantes iuuat. Ad tormina, rupta, cruditates, præcipitationes facit. Suſpirioſis autem iocinoris, renumq́; vitijs laborantibus, itẽ vrinæ anguſtijs, & contra vuluæ ſtrangulatus. Pallidis, ac decoloratis drachma vna dari ſolet. Ab his enim, qui cibum in ſtomacho non continent, deuoratur, nullo addito liquore. Simili modo acidè ructantibus datur. Sanguinis verò excreationes, triũ obolorum pondere, cum aqua ſumptum ſiſtit. Menſes cit. Fœminis verò contra vuluæ inflationes auxiliatur. Datum verò febrium rigores, ante acceſſiones ſoluit. Antidotis efficax, quòd venenis aduerſatur, drachmæ pondere, cum dilutavini potione deſumptũ. Alij epoto veneno poſtquam euomuerint, denarij pondus ex aquæ mulſæ cyathis tribus præbẽt. Si verò ſerpentes morſus ſubſrixerint, vel ictum vibrarint, trium obolorũ pondere, cum vino potum mirè auxiliatur. Contra ſcorpiones quatuor obolorum adijciunt, cum vini totidem cyathis. Aëtius generalius: Morſui & puncturæ ferarũ lethali frigiditate lædentium, ſiue extrà, loco affecto applicetur, ſiue intra ſumatur, auxiliatur: verùm id drachmæ vnius pondere in vino bibitum. Propria eius facultas eſt, caput, cerebrum, & purgare, & membranarum eius morbos ſanare, propterea epilepticis, apoplecticis, & maniacis, & vertiginoſis medetur: & cùm ad omnes corporis partes accommodetur, Democritus familiarem medicinam vocauit. Et vti in vniuerſum dicam, omnibus interioribus vitijs accommodatum, vt tamen ex viribus & ætate propinetur. Alijs autẽ ex aqua, alijs ex vino, cæteris ex aceto, multis ex aqua mulſa, vt prudenti medico, ſecundum ea viſum fuerit.

Præfatio libri vigeſimioctaui.

SYLVARVM *autem arbores ſuprà meminimus, quæ vt plurimum glandiferæ & pinniferæ ſunt, quæ etiam ſui generis conſortium indiſſolubili naturæ vinculo amant. Imitatæ quidem quorundam animalium naturam, quorum aliquot generum natura eſt, vt gregatim ſimul ambulent, progrediantur, volitent, & vnà paſcantur. Et horum quidem generum, alia in montibus, ſyluis & aſperis locis, alia in planis, alia in aquoſis. Illæ verò ſuo robore & loci aſperitate: Hæ autem propter naturalem ſocietatem, & quod inuicem hoc munere indigeant. Nam & radicibus infirmæ admodum ſunt, quas tantùm in terræ ſuperficie agunt, vt propterea ſine turba minimè conſiſtere poſſint. Et hæc duo genera vt plurimum in montibus & aſperis atq; frigidis locis proueniunt, quæ autem loca ſyluestribus, nequidem omnibus idonea. At nunc de his dicendum, quæ in vallibus ac conuallibus & aquoſis locis magis ſua natura & ſponte, ſæpè item & cultura proueniunt, vt populus, ſalix, alnus & ſic de cæteris de quibus infrà. Sunt etenim valles vt ſæpius aquis ſcaturientes. Hæ etenim eius naturæ ſunt, vt eiuſmodi loca deſiderent, ne hæ item ſtagnorum, lacuum, fluminum margines ament, vt in ipſis ſæpè medijs aquis oblectentur.*

HORT

HORTORVM LIBER VIGESIMVSOCTAVVS.

De populo alba & alpina. CAPVT I.

POPVLVM Plautus ſarſarum vocauit, nonnulli autem à foliorum multitudine dictam volunt. Huius verò Theophraſtus & Plinius tria genera poſuere, albam videlicet, nigram, & alpinam. Verùm hic tantùm de alba & alpina dicendum. Alba à Græcis λέυκη dicitur. Folio bicolor eſt, ſupernè candicans, inferiori parte viridi. In iuuenta, circinatæ rotunditatis: cùm autem vetuſtiora ſunt, in angulos exeunt. Semper autem tremula, & crepitantia, ob quam rem nonnulli tremulum vocant, & vulgò ſic apud aliquos vocitatur. Omnibus gratiſſima lanugo, quæ candidè vti iulus euolat. Græci χνῶν vocant. Caudice enim recto eſt, ac proceero, cortice læui ac carnoſo. Alpina autem, quam Plinius vocat, albæ tum magnitudine, tum etiam ramorum candore, ferè ſimilis. Plinius tamen nigerrimam ſcribit, & folio, vt nigræ, minimo, Theophraſtus hederæ perſimili eſſe, parte verò altera hebeti, altera anguloſo, nigro virore, pendetq; tenui pediculo, prolixo, & inflexo. Cortex aſperior, veluti pyro ſylueſtri, ſcaber. E naſcentibus verò fungis laudatiſſima. In primo ordine calfacit, nec ad tertium gradum id poteſt, cum neq; odor multus, neque ſapor eximius. Deguſtata enim modicè adſtringit, & poſteà ſubobſcuram amaritudinem inuehit, & olfacienti quid non inſuaue, & horũ omnium exiguum repræſentat. Galenus, & ſequaces, hanc miſtæ ex aquea, tepida, & terreſtri ſubſtantia, temperantiæ eſſe dixerunt, propterea abſterſoriæ facultatis. Pilulæ autem, quæ primo foliorum partu exiliunt (prima enim quædam germina ſunt, quæ in orbem, pilularum modo, conuoluuntur) conciſæ, & ex melle inunctæ, oculorum hebetudini medentur. Fert etiam vuam, quæ bryon dicitur, optima circa Gnidum & Cariam, in ſitientibus & ſiccis locis. Cortex autem albæ, vnius denarij pondere potus, iſchiadicis, & ſtranguriæ prodeſt, quod teſtatur Serenus:

Sæpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit, & greſſus diro languore moratur:
Populus alba dabit medicos de cortice potus.

Albertus mulierem fieri ſterilem, ſi foliorum ſuccum ebiberit. Alij abortiuum fieri credunt, ſi cum muli renibus cortex bibatur. Folia quoque,

cum vino ſtatim à purgatione pota, idem maleficium præſtare feruntur. Horum autem ſuccus calidus aurium dolori inſtillatur. Virgam manibus tenentes, intertrigines non metuunt. Si verò nigræ, ac albæ cortex, in exigua fragmenta ſectus ſit, mox in ſtercoratis ſulcis inſperſus fuerit, ediles ac innocuos, toto anni tempore fungos fert, vt aiunt.

De populo nigra. CAP. II.

POPVLVS nigra Græcis αἴγειρος, memorabilis Homeri celebratione & loco, quòd inter arbores hortorum Alcinoi commemoretur. Folio numeroſiore quàm albæ, ligno ſimili, hæc tamen craſſior, procerior'q;. Cortex ſcabrior, & in totum ſtrigoſior. Ferunt & populi in folijs guttam, ex qua apes propolim faciunt. Verùm hæc ad multa remedia efficax. Fundunt & reſinam, ſed exiguam: ad malagmata expetitur. Populus nigra efficaciſſima in inſula Creta naſcitur. Calida verò eſt in primo receſſu, modicè exſiccat, tenuioriſq; ſubſtantiæ eſt. At reſina cæteris partibus calidior. Semen autem ex aceto potum comitialibus vtile. Folia in aceto decocta podagris imponuntur. Humor, qui è populi nigræ ramis effluit, verrucas, papulaſq; corporis attritu tollit. Nonnulli autem ferunt, vermes hominis, animaliſve vulnere decidere, ſi horum vel pili, vel lana in apertum corticem, ante Solis ortum recondantur. Hoc autem betulæ quidam adſcribunt. Populneum vnguentum, quod à Græcis ægirinon dicitur, à recentioribus verò ſeplaſiarijs populeum, conficitur è populi vua, verno præcipuè tempore, cùm plurimum grauis prægnansq; reſina eſt. Oleum è nigra fit hoc modo. Alij enim olei vncias ſeptuagintaſex recipiunt: vini verò libras quatuor, arboris vere gemmarum libras tres, quas diutiſſimè terunt: pòſt in oleo ac vino infundunt. Septem verò ſequentibus diebus quotidie eas exagitare oportet. Octauo enim leuibus prunis ſubijciunt, incoquuntq; ad vini conſumptionem. Pòſt fortiter comprimunt, & in vaſe ad vſus reponunt. Alia ex Aëtio ratio: Sumuntur granotum, quo tempore, ſemen reſinaq; abundat, vnciæ quatuor, conteruntur, & in olei dulcis ſextario Italico infunduntur, quadragintaq; diebus inſolantur, deinde reponitur. Iucundi odoris eſt. Attenuandi, calefaciendiq;, ac molliendi facultates habet. Cutis denſitatem ſanat, autore Paulo. Ad capitis dolorem valet, & illitum membris dolentibus, podagris, arteticis, & nephriticis.

De ſalice. CAP. III.

SALICTO tertium locum, in ruris æſtimatione M. Cato attribuit, priorem verò, quàm vel olivueto, quamq; etiam frumento, vel pratis, quòd nullus tutior reditus ſit: vt potè qui minoris impendij ſit, atq; contra tempeſtates ſecurior. Varijs etiam animalium generibus victum præbet. Quæ ſi hominibus amara ſit, teſte etiam Vergilio,

Salices carpetis amaras. Animalibus tamen dulcis. Cito etiam prouenit.

uenit.Propterea Feſtus & Maurus Seruius,eam dictam eſſe volunt,quòd ea celeritate creſcat, vt ſalire videatur. Græci ἰτέαν vocant. Arbor breui & recto caudice eſt,ramis flexilibus & lentis. Quare Vergilius ait,

Lenta ſalix.- Ouidius vtiq; in quarto Metamorphoſeos:

Lentior & ſalicis virgis.- E trunci enim ſummo, veluti à capite exeunt (hoc enim ruſtici caput vocant.) Ramus enim ſalignus Græcis ῥίψ, aut vimen flexile παρὰ τὸ ῥέπω, quod ob lentitudinem flectatur. Folijs mucronatis eſt, ſupernè ſubalbidis, & penè ceruleis, nitentibusq́;, quare à poëtis glauca dicitur,ſicut & oliua. Vergilius:

- Et glauca canentia fronde ſalicta. Georg. 2.

A quo colore glauci quoque oculi dicuntur. Duro , & aſpero per ſenectam cortice.Per iuuentam autem leni & nitenti. Theophraſtus, Plinius, & Columella in tria genera diuiſerunt. Non id tamen eadem ratione, neq; iiſdem appellationibus. Ille enim in nigrum,à cortice nigro,vel puniceo, viminibus vtilius hoc. Secundum, candidum à colore etiam denominatum. Tertium genus candidæ & nigræ miſtum eſſe dixit,coactæ breuitatis. Hoc & ſpontaneæ naturæ incremento in excelſum orbato,vt cedro & palmæ : quod in cæteris arboribus idem intelligi poteſt. Extremum hoc Arcades non ſalicem,ſed ἑλίκην vocant. Candidum verò vimina ſpiſſiora & nigra,pulchriora & ad nexus fert Hæc autem genera in Aſia obſeruari Plinius ſcribit , qui etiam apud nos totidem genera connumerat. Primum vimineæ , quæ purpurea. Alterum vitellinæ , à luteo colore,quæ ſit priore tenuior. Tertium Gallicæ,quæ ſit tenuiſſima.Alibi tamen & amerinæ,& nigræ,& candidæ meminit.Alibi etiam Græcæ.Alia eius ſecundum diuerſas materias diſtinctio. Columellæ autem hæc ſunt genera, Græca, Gallica, Sabina. Hanc enim plures amerinam vocant. Græca flaui coloris eſt,Gallica obſoleti,purpurei,atq; tenuiſſimi viminis. Amerina verò gracilem virgam & rutilam progenerat.

Salicis vis medica. CAP. IIII.

SALICIS partes omnes, vt puta folia, flos, fructus, cortex quoque, ad glutinanda ſanguinolenta vlcera vim habent: ſed medici propè omnes,vt ſcribit Galenus, & eius ſimiæ, deſiccandis emplaſtris florem maximè commiſcent. Eſt etenim eorum omnium vis quædam deſiccatoria. Nam ſine eroſione areſaciunt. Habent quoque nonnullam adſtrictionem,verùm eo magis cortex. Porrò ſiccioris temperaturæ eſt, veluti cæteri cortices omnes. Semen ante maturitatem in araneam abit. Quod ſi prius colligatur, ſanguinem expuentibus prodeſt. Amerinæ , nigræq́; ſemen cum argenti ſpuma,pari pondere à balneo illitum,pſilothrum eſt. Salicis autem eſum ſemen infœcunditatem mulieribus gignere dicitur. Salicis fructum Porphyrius (referente Stobæo)antequam abſoluatur,decidi arbitratur. Proditum tamen eſt,ſalicis fructum cum vino epotum ſterilitatem inferre, & genituram omnino extinguere , & libidinis impetum, & marcore afficere. Flos autem cum folijs tritus , in facie furfures purgat.

De fronde verò Serenus hoc carmine expreſſit:

Frons ſalicis cum flore ſuo contrita medetur.

Folia enim cum ramis in cubiculis ſtrata,aëtem infrigidant,& infirmantium ardores mitigant. Hæc verò ex aqua decocta donec colorem immutauerint Trallianus in anginis ad gargarizandum dabat. Hoc enim craſſa auellit,iuuatq;. Trita verò,& cum aqua ſumpta,libidinis impetum coërcent, & ſæpius deſumpta in totum vſum auferunt. Eorum decocto podagras foueri vtiliſſimum. Plinius addit, vt trita cum cera decoquantur.His etiam cum cortice & in vino decoctis,neruos foueri efficax. Trita etiam cum piperis exiguo, dein ex vino pota lienoſis vtiliter ſubueniunt. Horum autem, atq; corticis ſuccus cum roſaceo, in calyce mali punici calefactus, auribus infunditur. Salicis verò amerinæ folia, vt ſcribit Hippocrates, cum nigro vino pota, ad vuluæ purgamenta faciunt. Salix autem,ſcribente Ægineta,probè trita,& in aceto cocta, non ſolùm incipientes ægylopas,ſed etiam in vomicam mutatas,perſanat:rumpitq;, & vſq; ad os penetrat.Hoc autem vſu non ſolùm ægylopas,verùm etiam anchilopas curabis. Corticis enim cinis valenter deſiccat. Nam clauos, quos callos vocant,Græci τύλυς, ſanat. Plinius aquam miſcet.Nonnulli dum floret, corticem incidunt, & ſuccum colligunt. Plinius triplicem poſuit, prædictum ſcilicet, alterum verò, qui gummi modo ab arbore ipſa defluat. Tertium autem, qui in ramorum detruncatione ſtatim à falce diſtillat. Primus enim apprimè exſiccat, mordacitatis quidem expers, & abſterſoriæ ac tenuitatis facultatis. Quo vtuntur ad ea, quæ pupillas obfuſcant, & ad ciendam vrinam, & ad omnes intus extrahendas collectiones,multa deniq; ad alia.

De alno. CAP. V.

ALNVS dicta, quòd ab amne alatur. Arbor nota, alto & recto caudice,virgis gracilioribus,folio craſſiſſimo, tactu pingui, pyri,verùm neruoſiore,amplioreq;, & quadantenus orbiculato. Cortice ſcabro, intus ruſo. Iulos fert. Folia toris ſternuntur, ad remouendos pulices. Alberto autore,ex feruenti aqua tumori ſunt remedio:ſuppurationes diſcutiunt. Ea quoque nuper inuentum eſt,ſiue viridia, ſiue arida ſint,vetuſtis vulneribus ſæpius impoſita,hæc ad ſanitatem perducere.

De ſambuco. CAP. VI.

INTER arbores aquaticas ſambucum dixiſſe par eſt.Nam inter has Plinius poſuit, quòd iuxta aquas, & in opacis potiſſimùm naſcatur. A ſambuca muſico inſtrumento, quod alij pectida,vel magadin vocant,dicta. Quare nonnulli ſabucum non ſambucum pronuntiant.Quod etiam Quintus Serenus hoc carmine contendit:

Conueniet teneræ radix decocta ſabuci. Et alibi:

Ungitur, & ſuccis dederit quos parua ſabucus.

Sic

Sic enim carminis ratio depoſcit. Alij ab autore denominatam, cui nomen Sambyx, Græcis ἀκτῆ. Fungoſi generis arbor eſt, aliter tamen quàm ferula. Quippe plus ligni ac ſucci ſambucus habet. Caudice galeæ craſſitudine. Nodos paucos habet, vt inter enodes annumeretur. Virgis minimè fruticoſa, quæ anniculæ in longitudinem rectè diſtenduntur, in ſena ſæpe cubita. Poſt autem id tempus, in craſſitudinem creſcunt. Eſt & in nouellis ramis, quædam internodiorum ſpecies, ſed quaſi rudis inarticulataq́;. Cortex autem lenis & tenuis: quidam canopon vocant. Alij verò ad eius florem transferunt. Folium, quod particulatim exit, molle, oblongum, vt latifolia laurus. verùm maius, latiusq́;, ſubtus, & in medio ſitu rotundius. In medio autem ſerratum, exacutumq́; eſt. Quod verò maius eſt & quaſi ex illis minoribus coaleſcit, vno neruoſo ac craſſo pediculo pendet, ceu ramulis. Folijs vtrinq; geniculatim ex ordine iugatis, vno ſingulari in verticibus relicto. Vniuerſa de ſingulis petiolis defluunt, vt totum vnum folium eſſe putaueris. Flos autem candidus, ex minimis floſculis etiam candidis, faui ſpecie, in vmbella congeſtus, è pediculi fiſſura dependens. Odore grauis, vt lilij: Fructus in acinis, vno pediculo racematim dependentibus, paulò quàm eruum maioribus. Immaturis verò vuæ acidæ color. Cùm autem ad maturitatem peruenerint, nigreſcunt: humore lento, manus capillumq́; inficiunt. Aqua enim decocti manduntur: ſeſamacea intus grana, turdis, ſturniſq́; non ingrata. Acinum Græci action vocant. Ego iuuenis, & venationis ſtudioſus, cuius cauſa ſyluas perambulaui plurimas, & alia inuia loca maximè verò Cotarſſianam prope Symphorianopolim agri Lugdunenſis ditionis, & Curtiorum, quod ad venationem attinet, iuris. Illic arborem generis fruticoſi folio ſed leuiori, flore verò ſambuco noſtræ vulgari ferè ſimili. Fructu tamen diſſimili quod racematim producat, colore per maturitatem rubeo, non vt in noſtra, nigro. Cuius ſtipitem vnum in hortos meos transtuli, atq; in ordinem cæterarum decuſſatarum arborum redegi: verùm diu non perdurauit, quòd loca opaca amet, & manus aſpernetur. Videant lectores an ſambuci aliud genus ſit. In ſambuco autem excauata, aureum munus Apollini Delphico Brutus obtulit, quo munere, Romani Imperij gubernationem promeruit.

De ſambuci viribus. CAP. VII.

DESICCANDI, atq; glutinandi ſambucus vim habet, & modicè diſcutiendi, refrigerare etiam inflammationes, maximè recentis ambuſti Actuarius dicit. Acini poti, acetabuli menſura, vrinam mouent. Coxendicibus, mulierum vuluæ morbis, vel earum locellis, & coxendicibus plurimùm, vt ait Hippocrates, medentur, etiam ſemen eius. Manducati verò, ac poti, aquas per aluum educunt. folia idem præſtant. Olerum modo igni decocta, ad pituitam eduntur, & ad bilem detrahendam. Quidam ex oleo & ſale comedunt. Horum etiam vel radicis, vel ſeminis, in vino veteri decoctum, & ad binos cyathos potum, ſtomacho vtile, & aluo

detrahit aquas. Eorum molliſſima cum polenta illita, canis morſum ſanant. Si horum etiam decocto aſpergatur domus, muſcæ abigentur. Succus verò cerebri collectiones, priuatim membranulæ, quæ circa cerebrum eſt, infuſus lenit. Radicis decoctum hydropicis confert. Eius verò ſuccus cum vino, inſtar vnciatum duarum potus, aquas deducit. Acini tingunt capillum. Cauliculi ijdem cum aqua macerati, ea ſparſa, pulices necantur. Æquales cum ebulo, quem chamæactem vocant, vires habet. Huius autem plures, inter quos Plinius vnus, alterum ſambuci genus faciunt. Ego verò inter frutices, quòd herba ſit, ne quidem annumerabo. Addit Albertus ſambuci ab imo ſurſum corticem raſum ventrem ſupernè ſoluere, contra infernè.

De oppulo. CAP. VIII.

DE oppulo ſolus, quod legerim, M. Varro, in ſuis de agricultura libris, & L. Columella meminerunt. Hæc autem ad vitium traduces, apud Mediolanenſes, vt ille ait, plantatur. Cotno ſimilis, vlmi proceritate, recto caudice & enodi, ramis rarioribus, brachiatis, frondibus vitigeneis, baccis racematim dependentibus, prima pubertate viridibus, & à maturitate pumiceis. Medicas autem facultates, à quoquam deſcriptas nondum inueni.

De fraxino. CAP. IX.

FRAXINVM ſic dictam, quòd in fragoſis locis libenter agnaſcatur, nonnulli arbitrantur. Græci μελίαν & μιλέαν vocant, & τρίοζον, id eſt, trinodem cognominant, quòd ramos prægrandes, ordinatos & numero pares habeat. Procera hæc arbos eſt, tereti caudice, cortice læui, tenuiq́;, rubro colore, radicibus crebris, ſublimibus, ac ſubalbidis. Folijs ſingulis lauri, oblongis, & anguſtioribus, per ambitum verò leniter ſerratis, colore portaceo, pennata & ipſa folijs ſuis. Nam pinnatis ſingulis ramulis, folia ſingula, vno pediculo, ordine continuo, cuncta prorumpunt, atq; per ampla laterum interualla, tanquam per genicula quædam, perinde atque ſorbo pendent. Quæ hoc modo diſpoſita, pennas auium imitantur, vti ſingulos ramulos, folia dixeris. Adeò enim ordinatè exeunt, vt vno folio, ea cuncta conſtare credas. Fructum in ſiliquis fert minutum, mucoſum, nucis amygdalinæ modo, guſtu ſubamarum. Flore, fructuq́; eam in Ida Troadis carere, autore Theophraſto. Producit, & muſcum lauri modo, & alia guſtu adſtrictiora, ſingula per ſe circinata, & in orbiculos, vt platani pilulæ. Horum alia cum fructu emergunt, alia multo pòſt naſcuntur. Duo eius genera Theophraſtus fecit. Alteram proceram, excelſam, enodem, ligno candido, neruoſo, molliore, & ſubcriſpo. Alteram breuem, duriorem, fuſciorem, ac ſcabriorem. Folijs latifoliæ laurus, ſed leniter ambitu ſerratis, & per marginum fibras in molles ſpinas coalitis. Primam Macedones bunichiam, quaſi polymeliam, id eſt, ingentem fraxinū

Æolia

Æolia pronuntiatione vocitant. Ampliſſima enim, vt dictum eſt, raro corpore, ſed id minùs criſpa. Cæteri autem ſitu diſcreuere, campeſtrem alteram vocantes, raram corpore, lætam, ſcabrioremq́; alteram verò montanam, coloratiorem, ſpiſſam, læuem, lentam & robuſtam. Alteri breuiora internodia, coniugationes plures. Secundæ verò latiora internodia, pluresq́; etiam coniugationes, & folia longiuſcula, & magis anguſta.

De fraxini vi medica, & natura. CAP. X.

TANTA fraxini vis eſt, vt ne matutinas quidem, occidentésve eius vmbras, etſi longiſſimas, ſerpens minimè attingat. Adeò enim ab ea ſerpentes longè propellit. (Experta prodimus, ait Plinius) ſi fronde ea gyro claudatur ignis, vt ſerpens, in ignes potius, quàm in fraxinum fugere. Mira naturæ eius arboris erga genus humanum, ob ſerpentum cum eo inimicitiam benignitas, vt primùm fraxinus, quàm eæ prodeant, floreat, nec antea folium dimittat quàm hæ ſe terra condiderint. Si autem vipera momorderit, præſens remedium eſt, fraxini cacumina, vel, vt alij volunt, folia terere, & expreſſum ſuccum ex mero ſorbendum præbere, ſi febre vacauerit: ea verò correptis, ex dilutiſſimo vino. Eiuſdem etiam arboris tritas frondes, læſæ parti ſuperponere eſt. Ait etiam Columella, vbi bos à vipera icta fuerit, tenera cacumina quinque librarum terere, & cum totidem vini & duobus olei ſextarijs expreſſum ſuccum, faucibus infundere proderit, & eiuſdem cacumen cum ſale tritum, ictui imponere. Semina autem, numero decem trita, & cum vino pota, vrinam ducunt, & vuluarum doloribus auxilio ſunt, inquit Hippocrates. Hoc etiam, cùm tuſſi fauces exaſperantur, integrum deuoratum prodeſt, & dentibus commiſſum, vt ait Serenus, quo autore hydropicis potum valet. Folia autem iocineris & lateris doloribus in vino medentur, aquam quæ ſubit cutem, extrahunt. Obeſa verò corpora, onere ſenſim leuant, & ad maciem reducunt, iiſdem folijs cum vino tritis, bibitis. At hoc iuxta virium poteſtatem faciundum, ita vt puero quinq; folia, cum tribus vini cyathis, robuſtioribus verò ſeptem folia, cum quinque cyathis. Aurium autem doloribus infuſus ſuccus, cùm torretur fraxinus exceptus, prodeſt, vt teſtatur Seren.

Quum ſæuus teneras dolor altè ſauciat aures,
Fraxineæ in flammis fundit quem talea ſuccum
Inſtilles. Cortex crematus, & ex aqua illitus, lepras eximit, ſcribente Ægineta. Non omittendum quòd hic & alij prædixere, Ramenta & eius ſcobem cauenda, pota enim perniciem afferunt.

De orno. CAP. XI.

ORNOS L. Columella fraxinos ſylueſtres eſſe dicit: multi vnum fraxini è Theophraſto genus. De hac Iuuenalis ſatyra prima:
Quantas iaculetur Monychus ornos.
Arbor procera, caudice tereti, cortice leni, ſpiſſoq́;, pinnatis vtrinq; ramulis. Folio fraxini, verùm latiore, per ambitum ſerrato, verùm paulò

paulò profundioribus crenis.Flore pyri.Quod voluit Vergilius:

Georg.2. *- Ornuſq́; incanuit albo Flore pyri.-*

Baccis racematim coactis,in adoleſcentia rubeſcentibus,ſecundum verò maturitatem nigreſcentibus, meſpilaceo ferè concretu,ſed multo gracilìore.Eadem vis,quæ & fraxino,rei medicæ prodentibus autoribus.

De acere. CAP. XII.

ACER, vel aceris , vt Solinus in ſuis memorabilibus dicit. Sic enim quibuſdam dicta , quòd artificum acria ingenia, propter eius materiei præſtantiam exerceat. Tiliæ fermè amplitudinis eſt , autore Plinio , ſed cortice paulò illa ſcabriore veſtitur,ſcribente Theophraſto, ſubliuido, craſſo,& flecti contumace. Radicibus paucis,criſpis,ſublimibus.Rara (vt Idæi voluerunt) inuentu. Apud nos tamen plurima. Flos coloris herbacei , ex quo fructus naſcitur oblongus,& paliuro ſimilis,verùm oblongior. Imparem Ouidius dicit: *- Acerq́; coloribus impar.-*

In generum verò numero autores diſſenſerunt. Nam alij bina,cæteri terna ſtatuerunt.Vnum album dixerunt,præcipui candoris. Hoc Gallicum etiam vocant. Naſcitur hoc trans Alpes , in Italia tranſpadana. Alterum carpinum vocant.Tertium hoc Plinio genus Zygia etiam dictum,quòd ex illius materie iuga bobus & iumentis comparent. Secundum Plinio genus, contortius criſpo macularum diſcurſu. A ſimilitudine pauonum caudæ nomen accipit. Excellentius hoc. Tertium Theophraſto lectiroria,vt Stagiritæ diſtinguere ſolent,craſſiuenium vocatur,ex viliori genere eſt. At alij à ſitu genera diſcreuere , vnum campeſtre vocantes. Græci γλεῖνον appellant.Alterum montanum.Hoc durius criſpiusq́; eſt.Quantum ad rem medicam ſpectat,Aceris radix, Plinio prodente,contuſa,iocinoris doloribus vtiliſſimè imponitur. Quod teſtatur ſuis carminibus Serenus:

Si latus immeritum, morbo tentatur acuto,
Accenſum tinges lapidem, ſtridentibus vndis.
Hinc bibis, aut aceris radicem tundis & vnà
Cum vino capis, hoc præſens medicamen habetur.

Alias eius vires non legi.

De carpino. CAP. XIII.

SVPRA carpinum inter aceris genera ex Theophraſto ac Plinio commemorauimus. Differre tamen ab acere Stagiritæ,illo autore,volunt.Quam differentiam tantùm à materie deſumunt. Carpino enim flaua , gracilior etiam, & macilentior,longior ac mollior,venis in longitudinem fluitantibus,vndoſa.Aceris autem candida,intercurſantibus plurimis venis.Olympi autem accolæ,carpinum tantùm montanam eſſe voluerunt, acerem verò etiam in planis naſci. Eſt autem carpinus frequens apud nos , quam vulgus carpinum vocat. Arbor tiliæ non abſimilis , cortice

quali

quali in acere deſcriptus. Paucis radicibus, ſublimibus, magna parte criſpis. Ex qua ruſtici maximè iuga boum conficiunt. Prætereà Vitruuio libro ſecundo, ζυγία, quaſi coniugalis, dicta eſt, quòd Græci iuga ζύγα vocant. Hæc autem nihil nec folio, nec reliqua arboris tota imagine, commune cum acere habet. Eſt enim acer apud nos: ſi quidem hæc ſit, quam nos arablum vocamus. Folio platani, verùm longè minori, quæ nec in amplitudinem minimè naſcitur, ex cuius tantùm materię arcus fabricentur.

De ſtaphylodendro & colycea. CAP. XIIII.

EST trans Alpes (inquit Plinius) arbor aceri ſimillima, materie alba, quæ vocetur ſtaphylodendros. Fert autem hæc ſiliquas, & in his nucleos nucis auellanæ ſapore. Hanc verò quidam eſſe contendunt, quæ colycea à Theophraſto dicitur. Ramoſa, comoſaq; in totum ampla, ſalicis folio, ſemen latum, modicè durum, in ſiliquis latioribus, minimè anguſtis. Fructu pro magnitudine non ſatis abundat. Alia ſub eodem nomine, & ab eodem deſcribitur, quæ circum Troadis Idam naſcatur, quæ item rara inuentu ſit. Fruticoſi generis eſt, ramoſa, & alis multis concaua. Folio latifoliæ laurus, ſed rotundiore, & ampliore, vti ad vlmeum propius accedat, supernè viridi, infernè verò ſubalbido ac neruoſo, tum ibidem neruulis prætenuibus, fibriſq; de medio callo in coſtarum ſpeciem deductis. Cortice leni, & quaſi vitiligineo. Radicibus per ſumma gracilibus, ac ſolutis, cæterùm fibratis, ac mirum in modum flauis. Flore autem, fructuq; vidua. Surculos tamen, & nonnullas gemmas, circa folia admodum læues, ac pingues, candidaſq;, amentacea facie, fundit. Succiſa enim, aut ignibus ambuſta, ab imo ſurſum rediuiua aſſurgit. Materie ſolida, duraq; eſt. Harum verò medicam materiam, nullus adhuc deſcripſit. Quod mirum quidem minimè eſt, ſi rara, vt ille prodit, inuentu ſit, & ſolùm apud Idam Troadis naſcatur.

De vlmo. CAP. XV.

VLMVS Græcis πτελέα dicitur. Amplitudine & altitudine hæc arbor pręſtat. Folio, quod illi indiuiduũ eſt, quàm pyro, oblõgiore, & per oram leniter ſerrato, virgis tenuioribus, & flexilibus per latera in ordinem folia ferentibus, quare aſpectu pulcherrima, præſertim in iuuenta. Leuia etiã hæc ſunt, vt eius vmbra lætior ſit, & magis deſideretur: & ob id in cõpitis & locis publicis ſeratur. Theophraſtus tantùm duo genera poſuit. Alterũ ὀρειπτελέαν vocat, quod nonnulli montiulmũ interpretantur. Secundum campeſtrem. Hoc fruticoſius, illud verò auctius. L. Columella etiamnum totidem genera putauit. Gallicum, & vernaculum. Illud attinia, hoc noſtrũ dicitur. Attiniam verò vlmũ Tremellius Scrofa, non ferre ſamaram, falsò eſt opinatus, quum ferat, ſed rariorẽ, idcirco pleriſq; ſterilis videtur, ſeminibus inter frondem, quam prima germinatione edit, latentibus. Eſt au-

tem longè procerior, longeq; lætior. Folijs quàm noſtras mollioribus. Frondemq; bobus iucundiorem præbet. At Plinius longè plura. Nam quatuor genera annumerat. Attiniam, excelſiſſimam vocat, & ex his ſiccanas præfert, quæ non ſint riguæ, Alterum Gallicas, Tertium noſtrates. Folio ex eodem pediculo numeroſiore atque denſiore. Quartum verò ſylueſtre. Vlmus autem vuam fert & gummi, lacrymæ modo, in petiolis, in Corynthо Siciliæ monte, ad nihil vtile.

Vlmi medica materia, & de tumulo Proteſilai.

CAP. XVI.

VLMI autem folia, rami & cortex, ſpiſſandi, deſiccandi, abſtergendi, ac vulnera recentia glutinandi vim habent. Folia enim ex aceto trita, ad lepras efficaciter illinuntur: vulnera recentia etiam contrahunt. Hoc autem Galenus, & ſequaces, cortici attribuunt. Foliorum enim cauliculi, cùm tenereſcunt, holerum modo, ad eſum obſonantur. Primi vino decocti tumores ſanant, extrahuntq; per fiſtulas. Cortex amplius ſubamarior, etiamq; magis abſterſorius. Porrò etiamnum recens & viridis, pro vinculo, & faſcia, vulneri circumuolutus, illud efficaciter contrahit. Nam lori modo in vincula flecti poteſt. Craſſior autem eiuſdem arboris cortex, vnciæ pondere, in aqua aut vino, ambobus vtique frigidis, potus, aluum purgat, pituitasq; & aquas priuatim extrahit. Radices eandem vim habent. Nam harum decocto quidam fracta oſſa fouent, quæ callum, ſiue tophaciam cicatricem, quam poron dicunt, deſyderant. Hac enim ratione, ocyus oſſa ſolideſcunt. Lignum etiam vlcera purgat, & pura iam facta, carne replet. Gummi autem collectionibus imponitur. Huius enim decocto, ambuſta, & vulnera fouere, prodeſt. Humor autem, qui è folliculis, prima germinatione, effunditur, cuti illitus nitorem inducit, faciemq; gratiorem præſtat. Prodeſt etiam his, qui ceruſſam ſumpſerint, cum aqua tepida ſumptus, & eo modo humor è folijs expreſſus, quibus tamen euocandus vomitus. In Cherroneſſo atq; in loco editiſſimo, Proteſilai tumulus fuit. (Hæc ſunt Græcorum monimenta) in cuius gratiam Nymphæ vlmos plantarunt, ea quidem lege, vt qui tumulum ſpectarent, & contemplarentur, illarum vnius partis rami protinus florerent, & ſtatim foliorum profluuium paterentur, altera parte vireſcente, vt Proteſilai immaturum caſum indicarent. Cùm enim Græcorum primus in Troianum litus deſilijſſet, à viro Dardanio interfectus eſt, vt in ſecundo Iliados deſcribit Homerus.

De orneglоſſo. CAP. XVII.

ORNEGLOSSOS, arbor vlmi ſpecie, folijs amygdalinis. Siliquas fert in circulorum cacumine, oleagina magnitudine, in quibus medulla quædam, auis linguæ ſimillima ineſt, vnde nomen accepit, intus ex candore in luteum vergens, exterius rubra, acri ſapore, & linguam cum amaritudine nonnulla vellicante.

cante. Abſceſſu ſecundo, vt tradunt, calfacit: venerem ſtimulat, atque genituram auget. Laterum dolores ſedat, vrinam ciet. Officinæ eam Auis linguam vocant.

De tilia & Oceani filia. CAP. XVIII.

TILIA Græcis φίλυρα dicitur, quæ dictio Latinis quoque vſurpatur, ſed & tenues eius tuniculas, quas plures inter lignum & corticem gignit, philyras vocant, è quibus facta vincula, etiam tiliæ vocantur. Saturnum autem Philyram Oceani filiam adamaſſe Seruius ſcribit, quam nonnulli in florem commutatam aiunt. Alij autem in arborem, cuius liber philyrinus vocetur, ex quo verò coronæ colligantur. Arbor quidem parua, ſi Dioſcoridi & Plinio credimus. Folium hederæ ſimile, verùm prolixius, atque in acutiorem angulum ſeſe rotundans. E medio enim ſui in acumen prodit, criſpum, & per orbem molliter ſerratum. Qua verò parte pediculo innectitur, incuruum. Flos quiſque pediculo annexus, qui primùm è ramo vnicus exit, poſtea è medio, in binas ternáſve partes ſeſe diuidit. Qui flos tantiſper dum calyculo continetur, viridis eſt. Qui quum emerſerit, leniter flauus. Fructus autem in orbem fabæ magnitudine oblongus, acino hederæ ſimilis, ſed maiuſculus, angulis quinis, veluti neruis quibuſdam eminentibus, in acutum depreſſis, & ſe extuberantibus. Minuſculus autem, indigeſta partitione, & omnino confuſiore, conſtat: maior autem ſi ſecabitur. Paruula quædam, & prætenuia ſemina effundit, vt videri poſſint atriplicis. Mirum in hac arbore, fructum à nullo animalium attingi. Foliorum autem, corticis quoque ſuccus dulcis eſt. At Dioſcoridi φιλλυρέα, arbor magnitudine qua cypros. Oleæ folijs, verùm minoribus, ac latioribus. Fructum verò lentiſco ſimilem fert, nigrum, ſubdulcem, & racematim cohærentem. Aſperis naſcitur locis. Hæc autem deſcriptio alia eſt ab ea, quam è Theophraſto ſuprà deſcripſimus. Cui arbor, quæ modò ſub tiliæ nomine viſitur, adamuſſim reſpondet, vt nihil de ea amplius ambigendum ſit: vt etiam nulla alia frequentius in locis publicis, maximè verò ante ſacras ædes ſeri, propter eius amplitudinem, foliorumq́; leuem vmbram, & iucundam opacitatem, tum odoris florumq́; gratiam conſuerit. Meminit etiam Theophraſtus, arboris philyræ, in Olympo naſcentis, celeſtri modo candidæ, perpetuæ comæ, fructum circa Vergiliarum occaſum edentis. Eſt autem tilia materiæ, ſi qua alia arbor, mollis. Quare Ouidius mollem in decimo Metamorphoſeon dicit:

- Nec tiliæ molles.

Medullam enim exiguam continet, neq; duriorem, reliqua materie.

Tiliæ vires, & de Cineſia poeta. CAP. XIX.

FOLIA adſtringunt, quibus commanducatis, oris vlcera iuuantur, & eorum decocto colluuntur. Ad eadem verò vtilia, ad quæ oleaſter, cùm adſtrictione opus eſt. Pota autem vrinam

& menſes ciunt. Hæc Dioſcorides in ſui ipſius philyræ deſcriptione, & Ægineta etiam prædictæ deſcriptioni attribuit. Quod lectorem monere volui, ne vires tiliæ Dioſcoridis, cum illa Theophraſti confundat. Nunc autem tiliæ Theophraſti vires ex Plinio proſequamur. Trita enim folia, & aqua aſperſa, pedum tumori vtilia. Cortex in vino decoctus, tumores ſanat, extrahitq́; per fiſtulas. Multi corticem commanducatum, vulneribus vtiliſſimum putant. Cachrys in Tilia gignitur. Nonnulli è medicorum recentioribus, exhalantem è floribus in mera (vulgus alambicum vocat) aquam, mirum in modum pueris epilepticis, quoquomodo adminiſtretur, conducere, cui multi viſcum quernum adiungunt. Nigricant autem tiliæ folia. Cineſias poëta Græcus flagitioſiſſimus olim fuit, in quem Lyſiæ oratoris celebratiſſimi conuiciorum & ſtomachi plena legitur oratio. Vnus autem eorum, qui è decem perfectis oratoribus vna tempeſtate Athenis fuerunt, extitit. Tam enim gracilis ille fuiſſe perhibetur, vt tiliaceis aſſeribus corpori circundatis imbecillitatem ſuam fulciret, quare Ariſtophanes illum poëtam philyreum vocitabat. Vſus etiam his Antoninus Pius, vt teſtatur Capitolinus. Quum (inquit) & longus eſſet, incuruareturq́;, tiliaceis tabulis in pectore faſciabatur.

De betulla. CAP. XX.

BETVLLA, Græcis ſemys, mirabili candore atque virgultorum eximia tenuitate. Folio fagino, ſed paulò anguſtiori, recto trunco, enodi, candicanti. Cortice multiplici, & verſicolore, ramis mira flexibilitate, propterea deorſum ſeſe curuantibus. Iulos ad inſtar coryli fert, verùm nigriores. Terribilis (inquit Plinius) magiſtratuum virgis. Nam ex ea olim Romæ magiſtratuum faſces conſtabant. Et hodie quoque pueros pædagogorum manus, virgis terret. Gallica hæc arbos (inquit ille.) Nam plurima apud hos, vt ex ea ſola ingentes ſyluæ, etiam cæduæ conſtent. Bitumen ex ea Gallia excoquit, cuius in medicina nullus, quod legerim, apud antiquos vſus, niſi quòd recentiores quidam eo paſtores ca-das fauces iungere dicant. Addunt & illi ſuccum dulcem in Vere exceptum aduerſus calculum & ictericiam vtiliter bibi. Vere enim inter primas ſucco turget, quare vulnerata ſuccum dulcem effundit, qui oris putredines, & cutis papulas ſanat, idem & foliorum recentium aqua ſtillatitia (inuentum recentium) in coagulum lactis inditus ſuccus, caſeos à vermibus innoxios ſeruat, idq́; magis è corticis cinere factum lixiuium.

Præfat

Præfatio libri vigeſiminoni.

*T*ANDEM *ad librum vltimũ arborum deuenimus (poſteà verò frutices tractabimus) in quibus multæ erunt quæ magis inter domeſticas, ſuo vſu, ſuaq́; frequentia, quàm inter ſylueſtres annumerari meritò debeant, tametſi minime inſerantur. Sæpe enim vſus & vtilitas, domeſticas facit, ſæpe etiam raritas, aut pulchritudo, aut alia quæuis dos. Vti eas in hortis noſtris vel loco domeſtico & magis familiari ac vicino ſeramus, ac ita ſedulò colamus & amemus, atq; ſi ex eis grandem fructum recepturi ſumus & nobis relinquant. Eſt enim in arboribus aliquid, quo, præter prouentum & ingentem vtilitatem non parum delectemur. Hoc enim auari & ruſtici tantùm hominis foret. Sunt etenim nonnulla quædam, præter victus neceſſitatem, quibus homines ex ipſa delectatione nutriantur & alantur, & bonam valetudinem tueantur, vt picturæ, incruſtationes, ſtatuæ, ædificia tum priuata tum publica, & alia huiuſcemodi, quibus viſus mirum afficitur, vt inde ſubſequatur non minimum animi gaudium, dein corporis firmitas, quod plurimum in præclaris viris, ſtudioſis & ingenioſis euenire ſolet, vt ex frequenti vſu naturæ ſolertiam & arboris in flores fructumq́; producendo demiremur.*

HORTORVM LIBER
VIGESIMVSNONVS.

De buxo. CAPVT I.

BVXVS, Capro autore, arbor, buxum verò materies erit. Buſſus etiam ſcribitur. Græcè πύξος affinitate Y, cum V, vt in plurimis alijs, & B, in P, vt ait Feſtus & Priſcianus. Nam Græci, illo autore, phalænam & pyrrhon, vbi nos balænam & byrrhum, pronuntiant. Arbor eſt proceritate non excellens, & frondium pallore commendabilis. Myrti folio, ſed minori, ac concauo. Flore herbaceo, ſemine ſeu grano, quod carthegon vocant, rotundiore, colore ruſo, cunctis animalibus inuiſo. A Septentrione autem viſcum, à meridie hyphear producit, quinetiam plura, mox interdum quaternas habet. Hæc ſimilia de ilice Theophraſtus ſcribit. Ennius autem libro ſeptimo, buxum amaro corpore dicit, his verbis: *- Longeq́, cupreſſi*

Stant rectis folijs, & amaro corpore buxum.

Tria eius genera Plinius connumerauit. Gallicum, quod in metas emittitur, altitudine procerius. Oleaſtrum, in omni vſu damnatum: fert graueni odorem. Tertium noſtrate vocant, ſylueſtre, vt ille credit, ſatu mitigatum. In Olympo autem Macedoniæ, gracilior, ſed breuis, prouenit. Craſſiſſima verò in Corſica, flore non ſpernendo, quæ cauſa amaritudinis mellis. Folia autem cum ſcobe materiei, & lixiuio capillum rufant. Scobs verò eius ex aqua decocta, alui profluuium ſanat, vt recentiores perhibent. Ferunt inſuper vulneratas ſerpentes ad ſanitatem peruenire, deguſtata eius radice. Somnum autem ſub ea capere pernicioſum, quòd eius odor cerebro aduerſetur.

De aquifolio, & viſco, ligandis auium pennis apto.

CAP. II.

AQVIFOLIVM quidam, propter foliorum ſimilitudinem, alternum, ilicis vnum genus putauerunt. Quod non facilè quis recipiet, propter tot eius differentias. Cùm nil cum ilice, præter foliorum figuram commune habeat, ſed quæ aquifolio ampliora ſint, quæ item aculeis pungentibus per ambitum armata ſunt. Craſſiora etiam, atq; viridiora. In ſenectute tamẽ, vno

vno tantùm aut duobus tribúſve. Theophraſtus atiam, ſiue agriam appellat, & adhuc nonnulli, vt Lugdunenſes agriolum vocant. Flore albo eſt & odoro, bacca verò punicea, racematim coaceruata, in arbore diutius permanens. Cortice læui & herbaceo. Quòd ſoli vbertatem & cœli ex eiuſdem natura, amicitiam non nacta ſit, vt plurimum non fructifera eſt. Sata autem in domo, villáve, veneficia arcet. Item baculum ex ea factum, in quoduis animal emiſſum, etiam ſi citrà defectũm mittentis ceciderit, ipſum per ſe recubitu propius adlabi: tam præcipuam ineſſe arbori (vt Plinius ait) naturam. Flore eius aquam glaciari Pythagoras tradit. Fit ex ea viſcus ligandis auium pennis. Corticem verò detrahunt, frondibus arborum inuoluentes, & ibi putreſcere patiuntur, quod fieri ſolet duodecim ferè diebus. Tunc marcidum eruunt, & tantiſper pila contundunt, donec in viſcum lenteſcat. Demum in profluente, vt adhærentes corticum reliquiæ ſordeſq́; fluitent, proluuntq́;, & adiecto iuglandis oleo, momento fictilibus recondunt.

De iunipero, & eius viribus. CAP. III.

IVNIPERVM quidam dici volunt, quòd iuniores ac nouos fructus pariat, antiquis matureſcentibus. Græcè ἄρκευθος. Arbor cedro ſimilis, vt folijs tantùm diſtare credatur. Frequentibus alis caua. Pro folio ſpina eſt, herbacea quidem. Cortice cupreſſi, membraneo, qui ſponte rumpatur, decidatq́;, ſed ſcabriori. Bacca autem, quæ arceuthidis nomen, id eſt, iuniperi retinuit, rotunda eſt, per maturitatem verò cærulea & nigra. Reliquo enim tempore viridis. Guſtu autem ſubamara, adſtringens, & commanducando odorata. Harum nonnullæ nucis auellanæ, aliæ fabæ magnitudine conſpiciuntur. Duo autem iuniperi genera fecerunt. Alteram maiorem, quæ à Catone capida dicitur. Aliqui ſylueſtrem cupreſſum dicunt. Sunt qui mneſitheum, alij acataram vocitent. Alteram verò minorem, quam Græci arceuthida, forma diminutiua, quaſi iuniperulum vocant. Ægyptij libium Aphri zicorinſiper. Galli iupicellum, nunc verò geneurum. Nonnulli mneſitheum ſicut maiorem vocant. Alij acatalidem. Iuniperus ſomnum adferre dicitur, ideò à Valerio Flacco lethæa dicitur, propter obliuionem, quæ è ſomno fit. Sic enim octauo Argon.

Contraq́; lethæi quaſſare ſilentia rami.

Scribit enim Medeam draconem ad ſonum incantantem. Sic enim Apollonius libro quarto:

ἡδ' ὄφιν ἀρκεύθοις νέον τετμηκότι θαλλῷ
βαπτῦσ' ἐκ κυκεῶνος ἀκήρατα
φάρμακ' ἀοιδαῖς ἐισεχάλα κατ' ὀφθαλμῶν.

Senſus eſt, vt Medea iuniperi nuper ſciſſo ramo ſerpentẽ potione Cyceone tingeret incorruptibilia, pharmaca, cãtibus inuocabat circa oculos. Iuniperi grauis vmbra præſertim cantantibus. Quod Verg. in Gallo teſtatur. Vtraq́; enim acris, & excalfacit, deſiccat in tertio ordine, extenuatq́; cedro aſſimilis. Accenſa autem ſerpentes fugat, ad quarũ ictus efficaciſſimè bibuntur

bibuntur baccæ. Hæ autem acriter calefaciunt:primo tamen tantùm abſceſſu deſiccant. Reperiuntur etiam,qui ſerpentum metu, totum corpus illis inungunt. Folia autem acrimoniam habent: ideoq; tam ipſa quàm illorum ſuccum,contra viperarum morſus,ex vino bibere,ac illinire prodeſt. Et vt ad baccas reuertamur, adſtringunt, vrinam mouent, ſtomacho vtiles, & lateris doloribus. Inflationes, languoreſq; diſcutiunt. Ad tuſſim & tormina bibuntur. Illitæ verò tumores ſiſtunt. Ruptis,conuulſisq;, & vuluæ ſtrangulationi ſubueniunt. Plinius aluum, & ventris tumores ſiſti ait. Baccis ex vino nigro potis, aut in vino decoctis viginti. Illinuntur & oculis in epiphoris. Corticis verò cinis, ex aqua inunctus, lepras pellit. Cauenda eius materiei ramenta:deuorata enim interficiunt. Sed hoc falſum quidam arbitrantur,& Dioſcoridis libro additicium. Lignum autem virens, aduerſus peſtilentiæ craſſantia contagia comburitur. Iucundum etenim fumum expuit, qui odoris ſuauitate, ſæuientem perniciem eluit,ac propulſat. Serpens, autore Plinio, vbi eius ſquammæ obtorpuere,ſpinis iuniperi ſe ſcabit.

De iuniperi gummi,quod vernix vocatur,& vino eius.

CAP. IIII.

E Iunipero autem humor, qui lacrymæ modo concreſcit,vt gummi ſit,vernix dicitur,quaſi Veris ros,quod Vere potiſſimùm gignatur,& æſtate perficiatur. Hoc enim tuſo chartas linimus,ne bibulæ ſint. Mauritani ſandaracham appellant, verùm aliud eſt à ſandaracha, iuniperi gummi. Nam illa exitialis, hoc autem res ſalubris. Quum verò primùm metitur, albo colore ſplendeſcit: quum verò ſeneſcit,luteum contrahit: in nimia verò ſenecta rufeſcit. Mauritani autem medici arborem apud Chriſtianos naſci meminerunt, quæ vernicis tantùm nomine percelebris ſit. Faciem verò arboris non expreſſerunt. Hoc enim Dioſcoridis & Galeni tempeſtatibus nondum in vſum venerat,niſi ſub ſuccini nomine, cui & naturæ dotibus & viribus par eſt,verùm paulò efficacioribus. Quòd ſi illud deſit, duplo pondere inuicem ſubſtituitur. Crematum hoc nidorem, thuri odore non cedentem exhalat. Quòd autem concreta ſit iuniperi lacryma,indicium eſt, quòd odor eius in ſuffitu attrituq; iuniperum redoleat,atq; ſtatim deflagret. Quòd ſi naturam eius, admoto igni tentare placeat,ſuccenditur,alitq; flammam, odore iuniperum redolentem, quæ poſtmodum in gummi rurſum lenteſcat. Excalfacit, exſiccatq; ſecundo receſſu. Defluentem naribus ſanguinem ſiſtit, ſi ex candido oui liquore tritum, fronti temporibuſq; illinatur. Ex thuris verò polline & oui albo exceptum vomitionem ſupprimit. Cum eiſdem enim perlitum, profluentem aluum firmat. Deuorata verò in ſorbili ouo eius polenta,in bilioſos vſus profuſum ſtomachum compeſcit,cruentamq; alui proluuiem retinet. Suffiti autem nidor diſtillationes ſuſpendit,arcetq; ne præcipites ad ima decumbant. Pituitam,quæ in ſtomacho,aut in inteſtinis coit,digerit. Humorem etiam, qui velox è cerebro deuoluitur, coërcet. Tincas

cætera ventris animalia enecat. Suffitu grauedini auxilio eſt. Vliginoſos fiſtularum ſinus inditum reſiccat:menſtruos curſus retinet: pedum,manuumq́; rimis ſuccurrit. Fit è iunipero vinum,cuius ratio ex Dioſcoride talis:oportet enim cæſos recenter ramos,ac diuiſos,cùm fructum edunt, in ſole aut balneo,ignéve, ſic exponere,vt deſudent, exſudatiq; humoris vnciam vnam in vini congio permiſcere eſt, & poſt duos menſes in alia vaſa transfundere,& antequam recondantur,inſolare,&,vt ſemel dictum ſit, ſactitiorum vinorum vaſa impleri oportet. Aceſcunt enim, quæ penitus expleta non erunt.Fit etiam è iuniperi baccis vinum,vt cedrites,ad eadem valens:cuius ratio ac vis ſuprà in cedro demonſtrata eſt,propterea hîc iterum referre nolui,ne quid bis idem repetatur,quod magnoperè in toto hoc opere cauendum cenſui. Iuniperi vinum vtile eſſe Plinius ſcribit, ob armorum equitatúsve laſſitudines. Illud præterea de iuniperi gummi non prætereundum, quod ſub vernicis nomine liquidum quid fiat,cùm lini ſeminis oleo,quo picturæ, aliaq; multa,vt poſtes, imagines, ferramenta, oblinuntur, vt illuſtriores fiant; ſic enim à rubigine, à ſitu immunes ſunt.

De tamarice. CAP. V.

TAMARIX, arbor ſylueſtris, cui non decidunt folia, vt ſuprà diximus. Omnibus enim, maximè apud Plinium, Lenæo, & antè Dioſcoridi, hanc eſſe in confeſſo eſt, quæ amerinis ſcopis perſimilis ſit. In Achaia verò brya ſylueſtris vocatur. Inſignis quidem in ea, quòd ibi tantùm ſatiua ferat fructum, videlicet gallæ ſimilem. Corinthus, & quæ circa eam regio eſt, bryoniam vocat,quòd ei fructus βρυώδης, id eſt, muſcoſus ſit. In Syria enim & hæc copioſa. Nunc & arbor circa Padum viſitur, cupreſſo folia ſimillima habens,ex qua vaſa fiant, hydropicis, phthiſicis, & inteſtinis apprimè medicabilia. Nunc quoque apud nos viſitur, magna ex Rhodo opera & cura equitum diui Iohannis Hieroſolymitani tranſlata, ſed adhuc rara,& pretioſa. Magna quidem eſt, atq; aucta perfacilis, ſalicis, imò potius oliuæ folijs, ſed læuioribus, ac ſubalbicantibus. Flore herbaceo, in croceum vergente. Quæ quum floret, quod poſt vrbanas contingit, fragranti & perſuaui odore eſt, vt nulla alia apud nos odoratior ſit, vt longè etiam ſentiatur. Fructum tamen nullum apud nos fert, in flore,ſicut in ſalice,euaneſcens. Si verò tamarix arbor ſit, quæ myrica etiam dicatur; eam quidem humilem eſſe oportet, ſi Vergilio credendum ſit, cùm ait:

Non omnes arbuſta iuuant, humileſq́ myricæ. *In Bucolicis.*

Eſt & apud nos perexiguus frutex, qui vulgò tamarix nuncupatur, ſemper virens coma.Folijs cupreſſo ſimilibus,verùm exilioribus,atq; acutioribus, ſcopis tantùm naſcens. Duo tamaricis genera fecerunt, vnam ſylueſtrem planè ſterilem, alteram verò mitiorem, quæ in Ægypto arbores proceriſſimas æquet, ramis ex herbaceo fuluoq; variegatis. Quæ cùm adoleuerit, promala à Poëtis dicitur. Ibi autem atq; in Syria fructum li-

gnoſum abundanter producit, galla maiorem, guſtu aſperum, quo medici in compoſitionibus, quas antheras vocant, vice gallæ vtuntur. Theophraſtus in Tylo inſula, tamaricis lignum, non, vti apud nos, imbecillum eſſe affirmat, verùm validum veluti iligneum.

Tamaricis vis medica. CAP. VI.

TAMARIX, quæ & Galeno, & ſequacibus etiam myrice dicitur, abſtergentis, & incidentis facultatis eſt, ſed vt non perſpicuè, & manifeſtè deſiccet, habetq; etiam nonnullam adſtrictionem. Cinis vehementius exſiccat, & abſtergit, parum adſtringit. Folia decocta, adiecto melle, gangrænis illinuntur, & ad ea, quæ ſerpunt, cum polenta imponuntur. Decocta autem in aceto vinóve, aut etiam radix lieni indurato proſunt. Alij abſumere dicunt. Adeò, inquit Plinius, mirabilem antipathiam contra ſolum hoc viſcerum faciunt, vt adfirment, ſi ex ea alueis factis bibant ſues, ſine liene inueniri. Ait etiam L. Columella, ſi ex tamaricibus canales fabricentur & ruſco, & repleantur aqua, & ſitientibus ſuibus apponantur, ſues à ſplenis doloribus tueri. Quippe ligni ſuccus epotus inteſtinum tumorem compeſcit. Ad alia etiam veterina hoc faciunt. Æſtate enim ſplenis incremento laborare vt plurimùm ſolent. Hoc autem malum magnis ſiccitatibus maximè euenire ſolet. Nam eo tempore pomis paſſim ſub arbore ſtratis, inexplebilem pabuli dulcedinem & ingluuiem ſectantur, & ideò homini ſplenetico cibum potumq; in vaſis dant, ex ea factis. Democritus phyſicus, etiam hominibus lienis vitio laborantibus, vinum bibere, carbonibus ligni tamaricis flagrantibus exuſtum præcipit. Idem faciendum in aqua in ſuibus. Foliorum decocto dentes in dolore colluuntur. Ad aurium etiam dolores ſalutare. Phthiriaſi, lendibusq; inſperſum prodeſt, potum verò vel impoſitum, cum roſaceo & cera epinyctidas ſanat: abundantiam mulierum ſiſtit. Semen autem cruentis ſputis datur, potu verò cœliacis quoq; & contra fœminarum profluuia, ac morbum regium, & aduerſus phalangiorum, & araneorum morſus, drachmæ pondere. Efficax & ad ſerpentium ictus, præterquam aſpidum. Suffitu etiam fugare ſerpentes, Lucanus in nono autor eſt:

Vltima caſtrorum medicatus circuit ignis:
Hic ebulum ſtridet, peregrinaq; galbana ſudant,
Et tamarix non læta comis.

Mures etiam viridis tamaricis ſuffitu fugari, quidam è Græcis ſuis monimentis ſcriptis mandauit. Cùm altilium pingui furunculis imponitur. Cortex verò tuſus, impoſitusq;, collectiones omnes illitus inhibet. Cinis autem ad eadem omnia prodeſt. Qui ſi caſtrati bouis vrinæ miſceatur, & in cibo potúve detur, venerem finiri. Carbo quoque ex eo genere eadem vrina reſtinctus, in vmbra conditur, idemq; ſi libeat accendere, reſoluitur. Magi & id ex ſpadonis fieri vrina tradiderunt. Sanari autem carcinomata, in vino decocta tamarice, tritaq;, & melle illita, Lenæus dicebat grauis in medicina autor, vt Plinius adfirmat, virgam ex ea factam, vt neq;

neq; terram, neque ferrum attingeret, ſedare ventris dolores aſſeuerauit, impoſitam, ita vt tunica cinctuq; corpori apprimeretur. Cuius etiam ſententiæ fuit Q. Serenus. An autem is fuerit, quem Plinius intelligit, neſcio. Eius verba ſunt:

Necnon iungenda vtero noua virga myricæ,
Illæſa hac ferro, terraq́ intacta geratur.

De liguſtro, & cypro. CAP. VII.

LIGVSTRVM arborem nonnulli à lego deduci volunt. Plinio in oriente cypros dicitur. Hæc tamen aliquibus non liguſtrum, ſed peregrina arbos. Proceritate qua tilia, coriandri ſemine. Alia verò oliuæ folijs, quæ circum ramos, profert, latiora, molliorāq; ſunt, ac virentiora. Plinius tamen in Ægypto cyprum eſſe folijs ziziphi, vel, vt alij volunt, & oliuæ, ſemine verò coriandri. Arbor parua, flos liguſtro minimus, candidus: quod indicauit Vergilius, cùm cecinit:

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur. In Bucolicis.

Muſcoſus, & odoratus eſt, fructu ſambuci, ſed potius lentiſci per maturitatem nigro, vnde in hortis Columella: - *Et nigro permiſta liguſtro.* Qui racematim cohæret. Naſcitur optimũ in Iudææ Aſcalone, & Ægypti Canopo, in ripis Nili. Tertium in Cypro inſula, ſuauis odoris. Suos in Europa vſus habere, Plinius autor eſt. Huius autem folia & ſumma germina, flores quoque, in vſum veniunt. Miſtas habent qualitates. Porrò modicè calida ſunt, cum aquea ſubſtantia. Habent etiam quid adſtrictorium, ex terrena ſubſtantia. Frigida diſcutiunt: & ſine moleſtia ac morſu deſiccant. Oris vlceribus, quæ aphthæ dicuntur, medentur, ad hoc enim manduntur. Illita verò inflammationibus & carbunculis illinuntur. Decocto enim eorum ambuſta fouent. Cum mica autem ſalis folia veteri vlceri & oris exulcerationibus proſunt. Capillum rufant, adiecto ſtruthei mali ſucco, vt Plinius, alij ex Dioſcoride ſucco ſtruthij malunt, id eſt, radiculæ herbæ, ſiue herbæ lanariæ. Madentia & inuncta diſcutiunt (vt ait Celſus) ea, quæ in aliqua corporis parte inhæret. Medicinis lieni dicatis miſcentur. Flos enim conciſus, & ex aceto fronti illitus, ſedat capitis dolores: ſuccus verò neruis, & articulis prodeſt. Acini contra phthiriaſim, item contra intertrigines, foliáve proſunt. Gallinaceorum pituitas ijdem ſanant. Fit ex eo oleum, quod cyprinum dicitur. Flos coquitur, premiturq; poſteà in oleo. Pretium ei, Plinij tempeſtate, in libras quinq;. Excalfacit hoc, neruos emollit, quòd miſtum & quòd feruenti natura prædita ſunt, aſſumat. Vnguentum è liguſtro Alexandro Magno miſit Abdelonymus Sicyonius, vt ſcribit Pollux. Plutarchus putat florem coronis intexendum fore, ob eam cauſam, quòd ſuauem placidumq; ſomnum potoribus conciliet: vt potè qui leuem ac mitem auram expiret. Qua verò temulentorum ſalebroſæ aſperitudines ſenſim læuigentur, & demum accerſita tranquillitate hebes crapulæ retundatur, atque caloris officio percoquantur.

De Cratego. CAP. VIII.

CRATEGVM, quem alij crategonem vocauere, Theophraſtus,Plinio autore,eam arborem intelligi voluit,quam Itali aquifolium appellant.Ex cuius tamen deſcriptione & Athenæi, alia eſt ab ea,quam ſuperius ſub aquifolij nomine deſcripſi. Arbor non equidem admodum magna,neq; craſſa. Ligno robuſto, verſicolore. Cortex illi læuis. Radix ſingularis, in profundum acta. Folio meſpili, cæterùm promiſſiore, longioriq́;, ac latiori,nec ad eundem modum ſerrato. Fructu vt plurimum rotundo, &, vt Athenæus ait,quali oleaſtro,qui cùm matureſcit, flauus & ſubliuidus, guſtu & ſucco meſpili,quapropter Theoph.meſpilus ſylueſtris putatur.

De herba ſabina. CAP. IX.

HERBA ſabina Græcis βράθυξ dicitur. Sunt qui βάρυθρον καὶ βάραθρον vocitent. Sabina dicta, quòd in Sabina regione plurima adnaſceretur. Coactæ breuitatis arbor eſt, ſeſe magis in latitudinem fundens, quamobrem à Romanis herba dicta. Duo eius genera Dioſcorides,& poſt eum Plinius poſuerunt. Alterum ſolijs cupreſſi,minùs aculeatis,& magis aſperis, ac frequentioribus. Quare quidam cupreſſum Creticam dixerunt. Horridior ſpinis, acris, ſeruens ac graui odore eſt: altera tamaricis folio ſimilis. Huius folijs nonnulli ad ſuffitus & odorem, vt ait Plinius pro thure vtuntur: quod in Culice teſtatur Vergilius:

Herbaq́, thuris opes priſcis imitata Sabinis.

Calefacit,exſiccatq́; in tertia claſſe, eſtq́; ex eorum numero, quæ vel maximè tenuium partium ſunt, habetq́; vim extenuandi & digerendi pota. Putredinibus accommodatur, præſertim verò vbi rebelliores fuerint, & diuturniores ſunt. Nam hæ vltimæ vim medicamenti citra noxam maximè ferunt. Vlcera inquinata & ſordida cum melle exterit. Menſes, ſi quid magis aliud, propter tenuitatis vim,educit,& ſanguinem per vrinas epota elicit. Vtriuſq; enim folia nomas compeſcunt. Collectiones [illegible] minuit. Cum melle verò nigritias,ſordeſq́; cutis,repurgat. Carbunculorum cruſtas,cum vino impoſita rumpit,& igni ſacro illinitur.Cum melle enim & vino pota,regio morbo medetur.Partus emortuos tam appoſitu,quàm ſuffitu extrahit,& viuos interficit.In medicamentis autem duplicato pondere, eoſdem effectus, quos cinnamomum habere traditur. Gallinacei generis pituitas eius fumo ſanari tradunt. Alij præcipiunt in fimo,qui ex ea fiat,cubent. Vnguentis enim, quæ calefaciendo ſunt, priuatim muſteo,quod gleucinum vocant,miſcetur.Quidam(vt Columella memoriæ mandauit) contra boum ſatietatem herbam ſabinam cum mero diluunt, idq́; potandum præbent. Ait Ægineta ſuauem corporis odorem facere,ſi manè parum deguſtauerit. Fit autem ex ea oleum. Deſumunt autem ſabinæ tenerrima cacumina, quæ diebus tribus contuſa oleo infunduntur. Quarto verò die ad medias decoquitur. Pòſt cola-

tum

tum vſui reſeruatur. Vis eius eſt ad capitis diuturnos dolores etiam hemicraneos inunctum.

De alaterno, laburno, celaſtro, & aria. CAP. X.

ALATERNVS folia inter ilicem & oleam habet, nec fructum fert vllum. Laburnum, alpina arbor, nec vulgo nota. Dura ac candida materie. Nil autem aliud habui, quòd de his depromerem, & hæc quidem ſolùm ex Plinio. Celaſtrus, ſyluestris arbor, cacuminibus montium gelidiſſimis naſcens. Fructum verò eius ſerò perficit, atq; ſtatim hyemis ſuperuentu perdit, vt multi exiſtimauere. Huius Theophraſtus, & ariæ, arboris ſylueſtris, in hyemis initio, fructificantis meminit.

De Iouis barba. CAP. XI.

IOVIS barba, eam nonnulli arborem eſſe, quam Theophraſtus dioſporon, hoc eſt, Iouis ſementem arbitrantur. Alij dioſpyron, id eſt, Iouis flammam vocitant. Cæteri Iouis triticum interpretari malunt. Arbor eſt in rotunditate ſpiſſa, folio argenteo, fructu ceraſo perſimili, nucleo intus duro, opere topiario tonſilis. Hæc pauca de ea prodita ſunt.

De adrachne. CAP. XII.

ADRACHNE, quam omnes Græci, inquiente Plinio, ſub portulacæ nomine interpretãtur, cùm illa ſit herba, & andrachne vnius literæ diuerſitate vocetur. Cæterùm adrachne eſt arbor ſylueſtris, neq; in planis naſcens, magnitudine minimè præcipua, folio, fructúve vnedoni ſimilibus, minori tamẽ folio. Cortice ſquamoſo, nec ſcabro, ſed qui circùm gelatus videri poſſit: tam triſti aſpectu eſt: Sic enim Plinius apud Theophraſtum περιπηγνύμενον legit, alij verò περιρηγνύμενον hoc eſt, rumpentem ſe per ambitum. Illud autem cum ſubere peculiare habet, vt detracto in orbem cortice, non moriatur. In Helicone autem hanc frequentem eſſe Pauſanias tradit.

De coggygria, & apharca. CAP. XIII.

COGGYGRIA apud Theophraſtum, neliæ nomen habet. Arbor vnedoni perſimilis, tantùm folio magnitudineq; minor, fructu tamen differens. Lanugine enim, vt pappus, conſtat, quòd nulli alij arbori euenit, vt propterea hunc amittat. Similis ferè huic, quæ apharca dicitur. De qua nil aliud habeo, quàm quod de ea alibi à me dictum eſt.

De colutea. CAP. XIIII.

COLVTEA arbor, cuius meminit tantùm ex antiquioribus Græcis autoribus, quod deprehenderim, Theophraſtus. Lipare enim,

quæ vna ex Æolijs inſula eſt,à Liparo Rege,cui ſucceſſit Æolus,ſic dicta, peculiaris. Nec alibi Alexandri Magni temporibus naſcebatur. Iam in Gallia plurima prouenit.Primùm enim vno caudice aſſurgit,vtpote quæ lateribus minimè frutificet. Ideoq; decurtata emoritur. Quadrima verò in ramos ſpargitur, prorſusq; arboreſcit. Folium fœnogræco non abſimile. Folliculum,ſiue ſiliquam mauis appellare,perlucentem fert,ac prætumidam,& turgentem, ac ſi ſpiritu quodam diſtenderetur. Quæ ſi digitis prematur, cum crepitu diſſoluitur. Habet enim intus ſemen lentis magnitudine,durum,atrum. A Barbaris vocari ſene, Actuarius autor eſt. Hoc mirum in modum oues ſaginat: quare opiliones pertinacius inhærentes, perticis decutiunt. Vento ſæpe deturbatur: quod ij legunt. Sed contraria ouibus hominum natura eſt, quòd illo macreſcant. Eiuſdem arboris genera duo faciunt, vnum hortenſe, alterum quod ſua natura ſpontè naſcatur. Surculorum autem, foliorum, & ſeminis tantùm apud recentiores medicos frequens vſus,vt nullum ſit ferè repurgans medicamentum, quod eius miſturam non recipiat, propterea ab aliquibus ſeſandros dicitur, quòd ſcilicet hominem ſoſpitet. Recentiores autem medici, calidum ſupra primum ordinem arbitrantur. Semen, vt Actuario placet, denarij pondere potum, bilem & pituitam deijcit, reliquosq; humores modeſtiſſimè purgat,retorridamq; atram bilem,earumq; ſuffuſiones ex iure gallinaceo expellit. Comitialibus,ſcabiei,impetigini,vetuſto capitis dolori ſuccurrit. Ventriculum autem offendere dicitur, propter vim flatuoſam,ſed gingiberis modicum ad hanc euitandam noxam additur. Quod autem apud Occidentales naſcitur, orientali infirmius. Quare illi maiore paulò vtuntur, vt magnitudine inæquales, è regionibus vires æquent,ne ſua expectatione qui ſumunt,& qui inſtituunt,fruſtrentur. Purgant efficacius ſiliquæ, quàm φυλλάρια, id eſt, folia. Arabes eius cum chamæmelo decocto,lotione cerebri neruos firmant:ſumpta enim quouis modo & viſum,& auditum iuuare tradunt.

De arboribus anonymis. CAP. XV.

SVPRA hoc toto opere de arboribus quibus certa communis appellatio indita ſit, dictum eſt,paucis exceptis, de quibus nonnullis in arboribus Indicis. Nunc verò cæteras proſequamur, quibus nulla adhuc nomenclatio impoſita ſit, neq; ab incolis regionum, in quibus agnaſcantur.Quod illis accidere poteſt,quòd raræ apud eos ſint,vel etiam nullius frugis, & quaſi abiectæ, & quarum item nullus in medicina vſus, eiúsve hominum. Quæ plures eſſe poſſunt. Sed eas tantùm,quæ autorum monimentis nobis notæ ſunt,referemus.Scribit Philoſtratus in vita Apollonij arborem in India eſſe,quæ byſſum ferat.Altitudine populum æquare, & folio ſalicis eſſe. Byſſo autem nobiles veſtiri ait, quo in ſacris plerique vtuntur:& in Ægyptum aduehi.Idem in ripis Hyphaſidis (flumen Indiæ eſt) adnaſci arbores ijs ſimiles, quæ penes Iſtrum naſcuntur, ex quibus vnguentum defluit,quo Indi in ſuis nuptijs perungantur,vt illorum nu-

ptiæ incelebres,ſi illo inuncti non fuerint,& Veneri ingratæ.Addit quoque Veneri has dicatas eſſe. Eiuſdem verò generis nemus ingens in ripis illius fluuij eſſe.Ibidem alia arbos lauro ſimillima,quæ ſiliquam ferat mali punici magnitudine. Hæc autem pomum continet colore cæruleum, ceu hyacinthi, guſtu verò omnium ſuauiſſimum. Idem autor arbores tantùm duas apud Gades eſſe, quæ Geryonæ dicantur, à Geryonis ſepulcro, iuxta quod poſitæ ſunt: cuius figuræ nuſquam alibi reperire eſt. Speciem pini cum picea miſtam habent. Sanguinem diſtillare perhibentur, veluti Iliaca populus aurum. Et vt ad Indiam reuertamur,vt tantùm eas, quæ antiquitus notæ fuerint dicamus. Peculiares enim multas præter cæteras prouincias habet, apud quas ſimilis figuræ non eſt videre. Strabone enim autore admirabiles producit arbores, ex quarum rami ad terram proni ſunt. Folia eius clypei ſunt. Alterius etiam ſpeciei ſunt, quæ pumiles ſunt. Siliquas fabæ inſtar, duorum digitorum longitudine,ferunt,mellis plenas: quas qui ederint, non facilè euadant. Apud Gedroſios (Aſiæ populi ſunt) arbor lauro perſimilis, ex qua cùm iumenta deguſtauerint,emoriuntur,ſpumam in morem comitialium euomentia. Hoc autem depræhenſum eſt, cùm Alexander ex India rediens, per hæc loca iter faceret. In maris autem rubri ora, arbores in profundo naſcuntur, lauri & oliuæ imagine. In maris autem refluxu in totum viſuntur, nec fluxu omnino teguntur. His autem vlterior terra caret: nec alibi quàm in profundo naſcuntur, quod demirandum eſt. Idem etiam autor è Poſſidonio apud Gades arborem naſci ſcribit, cuius rami vſque humum decuruentur. Folia enim mucronis ſpecie viſuntur, quorum longitudo eſt cubiti vnius. Latitudo verò duorum digitorum. Circa Carthaginem arbor prouenit, ex cuius cortice tela admodum pulchra conficiantur. Diodorus Siculus in Ægypto arborem ſe vidiſſe ſcribit, curuatura Gaditanæ ſimilem, ſed fronde diſſimilem, atque infertilem, cùm illa fructifera ſit. Cui ſi ramus defringatur, lac effluit. Radice enim ſciſſa minium emanat.Idem etiam atque è Poſſidonio in Gallia arborem fico perſimilem, fructu corni: eam ſi incidas, ſuccum lethalem effundere, ex quo ad veneficia ſagittas inungunt. Ex ea autem pharetra fabricantur. Hæc autem habui, quæ de anonymis plantis dicerem, atque de his, quæ apud diuerſos ſcriptores legerim. Neque ipſe omnes meminiſſe ſcio, ſicut nec illi. Quis enim ille erit, qui tot orbis regiones, tot plagas, tot anfractus, tot maris inſulas ſerutari potuerit, & luſtrauerit, & omnia, quæ in eis proueniunt, contemplari. Hoc autem ſupra humanum robur. Hoc mortalium vitam prægreditur. Illud hominum ingenium & memoriam excedit. Hæc igitur hominis ignorantia. Neque enim omnes, quæ apud autores ſunt, ego memoraſſe ſat ſcio. Satis etenim mihi fuit, has omnes non prætcrijſſe, ne nimis erga rem arborariam, quam toto nixu amplexus ſum, negligens fuiſſe meritò coarguar.

De

De muſco arborum. CAP. XVI.

MVSCVS, teſte Diomede, & ante eum Fl. Soſipatro Chariſio, à quo ad verbum tranſcripſit, herba eſt, quæ in parietibus, vel in arborum corticibus inhæret. Bryon dicitur, à nonnullis verò ſplachnos & hypnos, vt Aëtio. Alibi tamen hygni meminit, quæ canalicula eſt parua, ex arbore damaſcena, & rhodacinea exorta. Qui verò in populo alba, quercu, & picea inuenitur, vel maximè expetitur. Hoc etiam nomine ſunt & cani arborum villi, quales in quercu præcipuè conſpiciuntur, non è cortice modò, verùm etiam è ramis dependentes, cubitali longitudine, odore præſtantes. Primas bonitatis partes, qui è cedro legitur, ſecundas ex alba populo. In quorum generibus laudatur, qui odoratior, aut candidior ſit, & qui altius colligitur. Contrà verò nigreſcens improbatur, dein rutilus. Eſt & regionum propria dos. Probatur enim Cyrenaicæ prouinciæ, pòſt Cypri. Tertio loco Phœniciæ. Fertur & in Ægypto naſci. In Gallia verò Plinius non addubitauit. Vim autem adſtringentem habet, verùm inualidam. Nam plurimæ frigiditatis minimè particeps, vt propè temperatæ ſit naturæ: vnde etiam diſcutiendi & emolliendi facultatem habeat, potiſſimùm verò qui in cedro reperitur. Decoctum autem eius inſidentium vuluis vtile. Miſcetur balanino vnguento, oleis quoque, ob vim eius, quam ſpiſſandi habet. Acoporum, thymiamatumq; compoſitionibus conueniens eſt. Siſtere ſanguinem neoterici arbitrantur: & id ab vrſis didiciſſe, qui cùm primùm vulnerati fuerint, eo ſanguinem ſiſtunt.

De arborum carie. CAP. XVII.

ARBORVM cariem Græci βρωζότηλα vocant. Lignis enim veteribus; & arborum caudicibus, farinæ modo colligitur. Græci poëtæ embion etiam vocant. Quæ verò modicè & adſtringit, & abſtergit, qualis vlmi eſt. Inſperſa vlcera humida expurgat, & efficaciſſimè implet. Compeſcit item & ſerpentia, ſi cum pari aniſo & vino ſubacta fuerit, & linteis impoſita illinatur.

Præfatio libri trigeſimi.

POST arbores ſupereſt vti de fruticibus dicamus, quæ res ſatis difficilis propter materiæ incertitudinem atque propter ſcriptorum variam hiſtoriam & diſſentientes eorum inuicem opiniones. Qui ſæpenumerò herbas inter frutices, frutices inter arbores connumerant, vt ſæpè alij fruticem, alij herbam, & arborem cæteris ſub vna eademq́; voce deſcripſerint, vt ſi omnes plantas, quæ ſub fruticum appellatione apud autores memorantur, recenſere velim; quin maximam & ampliorem herbarum partem comprehenſurus fuerim, minimè ambigendum. Hoc autem à regionum lociq́; varia natura atq; plantarum contingit. Regionum (inquit Plinius) vbertas aliquos frutices fecit, quæ alibi herbæ ſint, vt quæ ſoli fertilitate, vel ſterilitate, vel ſolis vi & aëris clementia aut aſperitate quædam alibi herbæ, multis locis frutices, vt propterea plantas omnes, quæ ab omnibus ſub fruticum nomine denotantur, deſcripturus ſim minimè: verùm tantùm quos fide oculata atq; cognitione verè frutices ſciuerim, atq; etiam hos de quibus nulla apud autores diſcrepantia. Etenim non ſum neſcius Pedacium Dioſcoridem maximam herbarum partem, ſub fruticum nomenclatura poſuiſſe, forſitan quòd hæ apud Ægyptum, vbi ſua exarauit, loci benignitate frutices ſint. Vixit enim cum Cleopatra Antonij tempore, & ſua opera Ario ſummo Alexandriæ philoſopho dedicauit. Malui enim cum his tutius agere, quàm incerta autorum aſſertione & falſa aut vana depromere, & nonnullorum autoritati temerè inhærere.

HORTORVM LIBER TRIGESIMVS.

De fruticum quadam generali appellatione, & de virgulto, & viburno, & nonnullis alijs. CAPVT I.

SVNT tam apud Græcos, quàm Latinos, quædam vocabula, quæ generali illorum appellatione frutices denotent. Vt autem primùm fruticetum commemorem, eſt locus fruticibus repletus, quo etiam vocabulo Horatius in Odis vſus eſt: *- Et*

Lib. 3. Ode 12. *ſceler alto latitantem fruticeto excipere aprum.*

Virgultum enim Græcis φρύγανα & φρύγανον etiam. Faſciculum ſeu ſarcinam è diuerſis colligatam dicunt, ac ſi frutices multos colligatos dicere velint. Vnde adagium, φρυγανικὸν ὤνιον. id eſt, *Summaria indicatura.* De rebus vilibus maximo emptis dicitur. Virgultum à viridi deriuatum M.Varro vult, vel à vi quadam humoris, quæ ſi exaruit, moritur. Alij virgultum multitudinem virgarum pullulantium vocauere. Eadem verò ſignificatione apud Græcos thamnos eſt. Qua voce L.Columella in ſuo horto vſus eſt:

Lubrica iam lapathos, iam thamni ſponte vireſcunt.

Superius autem de hortorum minutulis egit. Nunc verò de omnibus in altitudinem excreſcentibus. In priapeis etiam, quiſquis eorũ fuerit autor:

Frondenti thamno vix potuiſſet tegi.

Homerus autem arbuſtum vtrinque foliatum, ſub quo nudus delituit Vlyſſes, & ſub quo à Nauſicaa Alcinoi filia repertus, ita vocat. Viburnum Seruius Maurus virgultum breuiſſimum eſſe dicit. Alij verò fruticis genus eſſe voluerunt. De quo in Bucolicis ſic Vergilius:

In Bucolicis. *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Feſto autem Pompeio Veſpices, fruteta denſa dicta ſunt, à veſtis ſimilitudine, & ſarſenum virgulti genus. Teſqua Acroni loca deſerta Sabinorum lingua ſentibus repleta.

De cinnamomo. CAP. II.

DE fruticibus autem, qui peregrinari minimè voluerint, quemadmodum in arboribus fecimus, par eſt, vt prius dicamus, & à cinnamomo incipiemus, quod etiam & cinnamum dicitur. Gignitur verò in planis, & in ſitu atque inter vepres, & rubos denſiſſi-

denſiſſimos. Ideò collectu difficilis. Siccitate enim delectatur, imbre verò ſterileſcit. Frutex ſtatim à terra ſex digitis ſurculoſus. Ramis humilibus, & repercuſſis, aridoq; ſimilibus. Folio origani. Duorum verò cubitorum altitudine ampliſſimus eſt, palmiq; minimus. Quatuor enim digitorum craſſitudinis, Theophraſtus verò magnitudine amerinæ ſcribit. Cùm autem viret, inodoratum eſt. Qui verò ad Indos profecti ſunt, arborem dicunt lauro ſimillimam, acinis tantùm minoribus, & albicantibus. Arboris libro tantùm vtuntur, quem è ramis, illæſo caudice in triennium delibrant. Non ſtatim, ſed poſt menſem ab inciſione. Alij autem in Molucis inſulis & in Zeila apud Indos naſci aiunt, ſurculoſa arbore, aliquando ſterili, huic quæ apud nos malum punicum fert, perſimili. Huius autem cortex ad Solis ardores dehiſcens, auellitur, & paulatim ad ſolem torretur. Dioſcorides autẽ plura eius genera poſuit. Aetius ſeptem annumerauit, quæ à locis, in quibus gignantur, cognomina ſumpſerunt. Optimum verò Moſylicum, à Moſylo oppido ſic dictum, quòd caſiæ nonnullam referat effigiem. Eſt etiamnum montanum, craſſum quidem, pumile, admodum ſylueſcens. Tertium Moſylico ſimile, nigrum, fruticoſum, paucis intercidentibus geniculis, perquam ſuauiter olens. Quartum candidum, fungoſum, aſpectu tuberoſum, vile, ac friabile, radicem habens magnam, quæ planè caſiam repræſentet. Numeratur & quintum genus, denſa radice firmum, guſtu amarum, nareſq; odore tentans. Quod vitandum eſt, minùs ramoſum, cortice caſiæ. Eſt & aliud genus, cui pſeudocinnami cognomen indidere. Galenus, & eius ſimiæ cinnamonidem vocant. Xylocinnamum hoc antiqui appellarunt: quod ſi ad vocis etymum referamus, nil aliud erit, quàm cinnami lignum. Fert hoc ſarmenta oblonga, & robuſta, odore cæteris longè inferiora, nullius honoris atq; pretij. Siquidem ignauo odore, ac virtute inefficaci eſt. zingiber etiam vocant. Xylocinnamomum à cinnamo differre, ſunt qui dicant, quòd eius natura aliud quid diuerſum ſit. Plinius verò duo cinnami genera poſuit, candidum videlicet, & nigricans, quod nunc laudatur. Quondam enim candidum præferebatur, atque etiam varium candido præferunt. Philoſtratus in vita Apollonij, in hac parte Caucaſi montis, quæ in mare rubrum porrigitur, naſci cinnamomum ſcribit, quod nouis ſarmentis aſſimilatur. Cuius bonitatis experimentum è capra ſuſcipiunt. Si quis enim cinnamum porrexerit, tanquam catulus admurmurat, hominemq; relicto ouili ſequitur. Quod ſi propius ad nares admoueris, non ſecus adclamat, quàm ſi pabulo vi abſtraxeris. Meſſem eius in quinas partes (inquiente Theophraſto) diſcernunt. Quod autem germinibus proximum, palmi vel paulò ſuprà longitudine concidunt. Alterum verò, quod ſequitur, & deinde tertium, quartum, quintúmve eodem ordine notatur, vt dein vilius ſit, quod radicibus magis propinquum eſt, atque quod in craſſitudinem non extuberatur, quoniam in cortice ſumma gratia eſt. Quamobrem præferuntur & cacumina, quod corticis plurimum habeant. Quod autem gracilius prouenit, eximium magis eſt. Præcipua bonitas virgultorum tenuiſſimis partibus, ad palmi longitudinem.

Cinnami autem iudicium, ex odoris ſui ſola proprietate fit. Eligi enim debet rugoſum, ſcabrum, leue, lignoſum. Probatur itidem, quod acre, mordensq́; ſit,& cum calfactione quadamtenus ſalſum, quodq́; in attritu tardè friatur,& fractum puluerulentum eſt.Si certior fieri voles,ab radice ſurculum vellito. Facilis nanq; eſt huiuſmodi probatio. Fragmenta quædam adiectitia ſunt. Inuenitur in probatiſſimo,quod ſeorſum naſcitur,rutæ odor,& cardamomo ſimile. In Moſyli verò genere, deligito nigrum, ex viroſo recens, in cinerem vergens, tenuibus cum læuore virgultis, ac nodis frequentibus cinctum, perquam iucundè olens. In cunctis autem his,quæ caſiæ,amomi,thurisve odorem ſpirat,minus ſuauitatis eſt. In primis enim damnatur molle,aut cui albet cortex. Quod verò potentius ſpirat,nares ſuo halitu cùm conſulentur,olfactu opplens,deterioris dignotionem impedit. Quo autem diutius duret, in vino teritur, & excipitur,exceptum in vmbra ſiccatur,& reconditur. Radicem autem vt inutilem reijcito. Lignum ipſum in faſtidio eſt, propter origani acrimoniam. Pretia autem quondam,ſcribente Plinio, fuere in libras denariorum mille:auctum poſteà,id eſt parte dimidia,incenſis,vt ferunt, Barbarorum ira ſylùis. Id acciderítne ob præpotentium iniquitatem, an forte, non ſatis conſtat: Auſtros enim ibi tam ardenter flare, vt æſtatibus ſyluas accendant,apud autores inuenimus.Xylocinnamomi pretium in libras viginti.

De vi,ac natura cinnamomi. CAP. III.

CINNAMOMVM tertio excalfacit, ſimulq́; exſiccat, ordine. Vis eius ſummè tenuis eſt, non tamen ita calida. Nihil enim eſt,quod æquè deſiccet, ex pari calefaciendi facultate. At quod minùs præſtans eſt, ſecundum tantùm attingit. Stomachum purgat. Craſſos enim ac lentos humores diſſecat, & abſtergit, diſcutitq́; ea, quæ in aliqua corporis parte inhæſerint,vt prodit Celſus,& vim aperiendi habet. Cibos concoquit,pituitam extenuat, & ad tuſſes humiditate conceptas facit. Vrinam ciet, purgat etiam quæ oculorum claritati officiunt. Contra verò beſtias, quæ vel ictu,vel morſu,venenum iaculantur,ſuccurrit. Renes refrigerat:proptereà qui humida & frigida ſunt temperatura,hoc cibis domeſticis miſcent: veſicam tamen offendit. Aquis autem ſubeuntibus efficax. Vulnera aperit, tanquam os in corpore, vt Celſus ait, vitiligines tollit, ſi cum melle perungantur. In ſumma magni ad omnia vſus. Ex eo vinum, autore Plinio,fit,& vnguentum, quod cinnamominum dicitur, quàm odoratiſſimum quamq́; pretioſiſſimum. Quod facilè ex his, quæ cum eo ſpiſſantur,intelligere eſt: vt eius etiam olim prodigioſa pretia fuerint à denarijs XXXV. ad CCCX. Huius autem ex Dioſcoride confectio talis eſt:E balanino oleo xylobalſami, iunci odorati ſpiſſamentis, cinnamomi & balſami ſeminibus, quadruplaq́; myrrhæ ad cinnamomum portione conſtat. Additur mel ad hæc cogenda omnia. Probatur autem acre,molle,od ore planè myrrham redolens,odoratum,craſſum,guſtuq́; peramarum.Quod

autem

autem huiuſmodi erit,ex myrrha corpus & craſſitudinē habebit. Quod verò ex reſina fit, non erit amarum, nec vllam odoris gratiam habebit. Vim acerrimam habet, excalfacientem. Itaq; venarum ora aperit, diſcutit, eijcit. Humores & ſpiritus extrahit. Efficaciſſimum contra fiſtulas, & putreſcentia vulnera. Aduerſus ſerpentium morſus illinitur. Caput tamen aggrauat.

De caſia. CAP. IIII.

CASIAM iuxta odoriſeram Arabiam gigni Dioſcorides autor eſt. Herodotus verò circa paludes legi propugnante vnguibus diro veſpertilionum genere, aligeriſq; ſerpentibus. Plinius autem in Æthiopia circa cinnami campos, ſed in montibus. Serebatur olim, vt hic ait, & in noſtro orbe,in extremo etiam Imperij margine,qua Rhenus alluebat, viuebatq; in apum aluearijs ſata. Verùm color ille ſole torridus aberat. Fruticis autem amplitudo trium cubitorum. Theophraſto verò amerinæ ſimilis, craſſiore ſarmento,tenui cute,verius quàm cortice, quem contra atq; in cinnamomo labore & exinaniri pretium eſt. Radix altè deſcendit, grandis quidem,& ſurculoſa, & ab ipſa tellure protinus, paulò ſurculo lento. Color triplex, qui pro arbuſculæ incremento euariat. Cùm enim primùm emicat,candidus,pedali menſura. Deinde rubeſcit,addito ſemipede, vltrò nigricans. Hæc autem pars maximè laudatur: dein, proxima: Candida verò damnatur. Solus cortex commendatur, cuius ſolùm gratia ſurculos conſerunt, longitudine binûm cubitorum. Mox præſuunt recentibus quadrupedum corijs, ob id interemptarum, vt putreſcentibus ijs, ſubnaſcentes vermiculi lignum erodant, & corticem excauent: qui nullo modo decorticari poſſit,tutum quidem amaritudine,& odoris acrimonia. Rubeſcit autem caſia, corallio lapidi perſimilis. Perangusta,longa,ac craſſa, fiſtulis plena,vt ait Theophraſtus,vel,vt Dioſcorides, foramine perangusto, in guſtu mordens, & pungens etiam, aliquanto feruore adſtringens eſt,aromatum modo odorata vini odorem referens, & roſam ſpirans. Probatur quæ eiuſmodi fuerit, & quæ odoris molliſſimi,quæ item guſtu etiam feruens,quam lento tempore leniter mordens. Theophraſtus duo genera poſuit. Totidem Galenus & Plinius, diuerſis tamen appellationibus diſcreuerunt. Ille in candidum & nigrum. Candido enim folium oblongum, oleæ perſimile. Nigro carnoſius, piperi magis,quàm tamarici,ſimile: cute enim ſcabrum, & tenui fiſtula, hircinum virus redolens. Candidum etiam humi ſeſe magis ſpargit odoratiusq; eſt,cùm nigrum odore careat. Galeno verò primum zigeros dicitur, alterum metodes. Plinius autem primùm lectam barbaro nomine vocari ait. Breui tunicarum fiſtula non fragili. Aliud balſamodes,à ſimili odore dicitur: ſed amarum,ideoq; vtilius medicis,ſicuti vnguentis nigrum. Sunt autem qui dicant primùm à Dioſcoride dahnitis vocari, quod Galeno zigeros eſt, Dioſcoridi zigir. Aëtio ozem. Plinius autem his mangones aliud addidiſſe ſcribit, quod dahnoidem vocitent iſocin-

namon cognominatam. Sunt apud alios alia genera, vt Moſylicus rubus à promontorio & emporio Æthiopiæ Moſylo, vnde affertur. Reliqua, de quibus Dioſcorides, vilia ſunt, vt quod aphyſemon vocatur. Nigrum hoc, & ingrato ſapore, cortice tenui ac rimoſo, quale eſt, quod citton & dacar barbaris nominibus dicuntur. Eſt & pſeudocaſia, cum reliquis ſimilior quàm explicari poſſit, aphaos dicta. Guſtu enim acri nec odore depræhenditur. Inhærentem enim medullæ corticem habet. Inuenitur etiam lata quædam fiſtula, leuis, mollis pinguior, ab alia diſtans, & eam bonitate ſuperans. In omnibus, autem recens probatur, maximè quæ ſit odoris molliſſimi, guſtúve quàm maximè feruens. Pretia optimæ in libras x L. Cæteris x v. Daphnoidis verò pretium faciunt c c c. vt inquit Plinius. Adulteratur ſtyrace, & propter ſimilitudinem corticum lauri tenuiſſimis ſurculis.

Caſiæ vires. CAP. V.

ET vt poſtremum ad eius vim & naturam deueniamus, calefacit, & exſiccat, tertio quodammodo ordine: ſed & tenuium admodum partium eſt: guſtu verò plurimum acrimoniæ habet, & nonnihil adſtringentis. Quamobrem omnia incidit, ſimul atq; diſcutit, quæ in aliqua corporis parte inhæſerint. Incrementa robur ſubinde inſtrumentis addit. Vrinam cit, & menſibus ob copiam & craſſitiem excrementorum retardatis auxilio eſt. Oculorum medicamentis, ad viſus claritatem accommodata. Lentigines cum melle illita tollit. Viperarum verò morſibus pota auxiliatur. Aduerſus enim omnes inteſtinas inflationes, & renum vitia vtiliter bibitur. Decocto eius fouentur, & ſuffiuntur inſidentes ad dilatationem vuluæ. In ſumma eoſdem ferè effectus, quos cinnamomum, habet, vt duplex eius pondus in medicamentis huius vicem ſuppleat. Si quis mane paululum caſiæ deguſtauerit, ſuauem facit odorem. Si caſiam ex oleo infuderis, & teipſum inunxeris, minimè à muſcis infeſtaberis.

De caſia ſyringe. CAP. VI.

CASIA ſyrinx, vel ſyringodes, id eſt, fiſtularis, & cathartica dicta, & Ægyptia ſiliqua, à nonnullis calamus, hoc eſt, arundo, vel potius Indica canna, priſcis Græcis incognita. Multi tamen eam arbitrantur, quæ antiquis medicis lignea caſia diceretur. Arabibus autem per maximè familiaris. Naſcitur partim in India, partim verò in Ægypto, vt in Alexandriæ hortis naſci negotiatores aſſeuerent. Iam & Aſiæ communis facta. Seritur etiam nunc & in orbe noſtro, verùm incaſſum, nec proſperè. Minimè enim ad frugem peruenit, frigoribus celeriter opprimentibus. Arborem prægrandem referunt, iuglandis folio, ſiliquas, vel, ſi mauis dicere, fiſtulas, ferentem, prælongas, lignoſas, ac teretes, vtrinq; faſtigiatas, colore rubro, & quaſi ex ſole ignéve torridas, ferè cubitales. Intra quas lignoſi per interualla orbiculi, & inter orbiculos cócreta ſemina, carne nigra inuoluta,

guſtu

guſtu prædulci,non planè medicato. Seligere oportet collucentem,ponderoſam, perplenam: quam ſi concuſſeris, incluſa intus grana non obſtrepant. Atram verò illam medullam ſiliquis detrahunt, & membranulas, à loculamentis eruunt,& in offas ſeu bolos coquunt, qua alui deiectionem moliuntur. Ad quam rem tam multus tamq; quotidianus eius vſus, vti ſine ea vix poſſit noſtrorum recentium medicorum vlla medicina conſiſtere. Tam benignum & innoxium eſt hoc medicamentum, vt omni etiam ætati,pueris,ac prægnantibus propinari,quibus potentius aliud medicamen deſumi abnegatum, neceſſitate quadam vrgente: vti etiam nullius temporis ratio habita ſit,quin ab epularum initio,aut paulò pòſt deuorari poſſit. Primo autem abſceſſu & calida & humida eſt. Pituitam per aluum extrahit, & flauam bilem, quæ in atram degeneret. Thoracis, & pulmonis, & aſperæ arteriæ phlegmonas reſoluit. Laterum doloribus auxilio eſt. Sitim ſedat, ſanguinem puriorem reddit, & eius acrimoniam frangit. His enim prodeſt,qui per naturam pallore decolorantur. Incandeſcentem verò, torridamq; bilem, aluo citra moleſtiam exigere,ſufficienti modo datam Actuarius ſcribit. Recentiores verò medici maiorem ſemini, quàm pulpæ internæ, vim aſsignarunt. Arborem caſiæ ſyringis,non fruticem,itaque etiam noſtræ iuglandis magnitudine ex illorum monimentis,qui eam viderunt & deliniarunt ſcio,verùm ambas caſias ſimul iungere me oportuit.

De amomo, CAP. VII.

AMOMVM pluribus naſci locis, apud autores eſt: vti in Armenia, vt in literas mandauit Dioſcorides, quod ipſe comprobauit,colore ad aurum inclinante, & ligno odoratiſsimo. At Plinius in illius parte naſci ſcribit,quæ vocetur Otene.Prouenit & in Media,in campeſtribus & aquoſis,quare infirmius,licet procerius,palleſcens,molli tactu.In Ponto etiam, ſed illud paruum,fragile,rugoſum, racemoſum, fructu turgens, & odore nares tentans. Paulus verò Oroſius inter Hircanos & Bactrianos, in monte Memarmalo dicto gigni ſcribit. In Aſſyria verò Vergilius & Lucanus. Ille in Bucolicis:

– Aſſyrium vulgo naſcetur amomum. Hic in decimo:
Auctumq; recens vicinæ mercis amomum.

Vt in Aſſyria intelligeret, quæ non procul ab Ægypto, vt per Mediam, Aſſyriam demonſtraret,loci vicinitate. Frutex verò exiguus, myrtuoſus, palmi altitudine,ex ligno in vuæ modum ſeſe conuoluens:vti Galeno,& Actuario amomi vua id dicatur, quòd racematim veluti in vua cohæreat. Flos eius ceu candidæ violæ, origani odore. Plinius laudat, quod mali punici folijs eſt, minimè rugoſis, & colore ruſo. Secunda bonitas pallido, peius herbaceum, peſsimum verò candidum, quod & vetuſtate euenit. Quidam è vite Indica, quæ ſit labruſca, naſci, folio vitis albæ, quam bryoniam vocant. Recentium plures ſunt, qui amomum roſam eſſe, quam nos hierichontidem, ſiue hieroſolymitanam vocamus, arbitrentur,

trentur, quam peregrini è Hieroſolymis adferunt. Multi roſam ſanctæ Mariæ appellitant. De qua multa ſuperſtitioſè creduntur, vti in natali Chriſtiano aqua aſperſa, aperiatur. Eorum tamen opinioni medici plures refragantur. Deligitur autem Dioſcoridis ſententia, quod candidum, quodq́; recens ſit, ſubrufum, ponderoſum, aere, guſtu mordicans, odoratum, modò cariem non contraxerit. Colore ſimplici, non variante, ſemine plenum, paruis vuis ſimile. Herba autem, quæ amomo ſimilis, ideò amomis dicta, adulteratur. Quæ etiam in Armenia naſcitur. Flore origani, ſine fructu, ſine odore, & etiam, vt Plinius ait, punicis folijs, & vt gummi liquido cohæreat, conuoluatq́; ſe in vuæ modum. Pretium vuæ Plinio in libras x. lx. friato verò xlviii. Cum radice verò carpitur, & manipulatim leniter componitur, protinus fragile.

De amomi viribus. CAP. VIII.

TERTIO ordine calefacit, validè exſiccat, adſtringentis verò nonnihil habet, tenuiumq́; partium eſt, etiam vt induratas affectiones perſanare poſsit. Acoro viribus reſpondet, vt prodit Aëtius; verùm illud ſiccius, hoc expeditius maturat. Fronti illitum ſomnum allicit, & eo dolores leuat. Ex ocymo contra ſerpentium ictus vtiliter illinitur. Podagris confert, leniens dolores: oculorum & viſcerum inflammationes, ex vua paſſa lenit. Vlcera autem, quæ Græci meliceridas vocant, diſcutit, & inflammationes. Ad vuluarum verò vitia, in peſsis, aut in ſeſsionibus, perutile. Eius enim decoctum iocineroſis, renibus, podagris, bibitur. Antidotis, & pretioſiſsimis vnguentis miſcetur. Hoc autem vnum poſtremò prænotandum erit, amomum, quod nunc ſeplaſiorum officinæ oſtentant, nec odoris argumento, nec alia ratione, illud eſſe, quod hìc ſcribitur.

De ferula. CAP. IX.

FERVLA antiquitus Imperij nota fuit, & pædagogorũ inſigne; quòd illa manus puerorum percuterentur. Ad quod alludit Iuuenalis, cùm ſcribit:

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus. Et Martialis ait,

Ferulæ minaces, ſceptra pædagogorum.

Columella etiam ferulas minaces dicit. Et Hippocrates eam pleſtiga vocauit: vt ea dici videatur, non tam à feruendo, quàm feriendo. Leuis etenim eius ex arboris natura ictus eſt, magisq́; ex ſeueritate, quam habere hi debent, qui cæteris præſunt, & eorum dignitate, quàm fuſtium atrocitate & verborum aſperitate formidabiles. Nedum illi ad ingenij cultum, & ad bonos deniq; mores dantur, ad iniuriam præbeantur. Ad regum enim inſtar, quibus ſceptra conceduntur, non legibus aſperiores, ſed pœna mitiores ſint. Trans maria naſci ferulam Plinius ſcribit, atq; in Ægypto. In Africa quoq;, vt Solinus ait, & apud Norion vnam ex inſulis fortunatis. Græcè νάρθηξ dicitur. Vno caule aſſurgit. In Ægypto verò cubitorum ſæpe ternûm altitudine. In cacumine verò finditur, & in ſtipites

pites quoſdam diſpergitur. A nonnullis fœmina exiſtimatur. His enim flos,ſemenq́; inhæret.Laterales tamen caules nec flore,nec fructu carent. Radice ſingulari ac profunda. Genicularis hæc eſt, & ſcapis nodata. Folium fœniculi,grande & aſperius. Quod autem terræ proximum,molle, maiuſculumq́; eſt, & ſubinde ad proximas partes, ſecundum interualla anguſtius,multifidum,vt capillamenti modo inſpiciatur,caulem vt arundines amplectens,ſed magis magnitudinis & mollitiei ratione deflexum, E geniculis,& calyculi quidam,non vt ex eadem geniculorum parte,ſed alternatim erumpat.Flos luteus,ſemen obſcurum,anetho ſimile,ſed paulò maius, & eiuſdem naturæ. Duo eius genera Plinius poſuit. Primum, quod in altitudinem prouehitur. Græci narthecam appellant. Alterum autem ſemper humile,narthecium per diminutionem vocant. Nonnullis ferulago dicitur. In Macedonia aliud ferulæ genus naſcitur quinque cubitorum altitudine,folijs primo quaternis, mox ſenis, & in terram iacentibus,& apta magnitudine rotundis,in cacumine verò oleaginis. Semine in muſcarijs,vt ferulæ,dependente. Plinius vnum genus ferulæ thaſiam eſſe deſcribit, decipiq́; eos, qui ferulæ ſemen thaſiam vocent. Dioſcorides tamen thaſiam à ferula ſeiungit, nec inter ferularum genera annumerat. Nulli fruticum maior leuitas, & cum ligni leuitate durities, & rigor firmior. Et id geſtata ſenectuti, & à longa valetudine ſe recolligentibus, facilius baculorum vſum præbet. Lignum omne corticis loco forinſecus. Loco verò ligni,fungoſam intus,vt ſambucus medullam habet. Quare Clearchus inter luſorias quæſtiones,quas ſcirpos vocamus,Græci gryphos & ænigmata, Ferulam lignum eſſe, & non lignum, dicebat. Iratam hyemem ferulæ negligunt.

Ferulæ natura,& vis medica. CAP. X.

FERVLAM, eius eſus commendauit. Caules enim decocti eduntur, faciunt tamen capitis dolores. Condita etiam in obſonijs, & in fine menſæ deuoratur. Ferularum natura murænis infeſtiſſima. Siquidem ea contactæ moriuntur. Salpa,vt autor eſt Plinius,ab aliquibus obſcœnus piſcis dicitur, quòd percoqui, niſi ferula verberatus fuerit, nequeat. Huius enim ſuccus,per meſſes,inciſo caule,& in Autumno radice,excipitur.Laudatur candidior,etiam potui accommodatus. Dein pallidior, quem ex candidis ferulis Solinus extrahi dixit. E nigris verò amariſſimum, atq́; improbatum. Pretium optimi, Plinij tempeſtate, in libras bini aſſes. Semen calefacit,& extenuat. Id verò quod intus eſt,medullam vocant, adſtrictionis particeps. Ideò ſanguinem,excreantibus, & cœliacis commanducata conuenit. Ad ſanguinem etiam ſiſtendum decem ſeminis grana vino trita.Dioſcorides verò naribus inditam ferulam,liniamenti modo ab his erumpentem ſanguinem ſiſtere dixit. Medullam autem bibere contra deuoratum ephemerum prodeſt. Aduerſus viperarum morſum in vino datur. Plinius enim & pondus & menſuram adijcit, vt denarij pondere, in vini cyathis duobus deſumatur. Eadem forma de radice ad tormina

expreſſit. Succus enim fabæ magnitudine deuoratus aluum ſiſtit. Ad omnia vtilis, ad quæ medulla. Sunt qui comitialibus dandum luna quarta, ſexta, ſeptimáve, ligulæ menſura putent. Caſtor radicis ſuccum claritati oculorum plurimum conferre affirmauit.

Promethei fabula. CAP. XI.

IGNEM ferula adſeruari certum eſt, etiam ſi poëtarum fabulis fides adhibenda ſit. Fingunt enim illi, Prometheum in cœlos à Minerua ſublatum, & ferulam rotis Phœbi admouiſſe, & accenſam in terram deportaſſe: Iuuenalis:

Hinc gaudere libet, quòd non violauerit ignem,
Quem ſumma cœli raptum de parte Prometheus
Donauit terris.-

Aliter alij, vt Higinus. Quum enim antiqui in magna ceremonia dijs immortalibus ſacrificarent, & in carnium idolothytarum diſtributione, quam Græci *χρεονομίαν* appellare ſoliti ſunt, totas hoſtias igne conſumere ſolebant, Prometheus tamen à Ioue impetrauit, vt hoſtiæ partem in ignem ſibi conijcere liceret, reliquam verò partem ad vſum conſuetum reſeruauit. Ille duos tauros immolat, quorum iecinora aræ impoſuit: reliquum verò carnis in locum vnum componit, & bubulo corio tegit: oſſa autem omnia pelle contecta, in medio aceruo. Iouiq; poteſtatem facit, vt quam velit, ſibiipſi ſeligat. Iupiter verò vtrunq; aceruum taurinis carnibus conſtare exiſtimans, fortè oſſium tumulum ſibi elegit, vnde prouerbium, Promethei portio. Quod cùm reſciſſet Iupiter, iratus, mortalibus ignem eripuit, vt carnium vſu carerent, cùm coqui minimè abſq; igne poſſent. Prometheus ſolus ad Iouis ignem venit, & eius aliquam partem in ferulam coniecit. Quare Iupiter propter impoſturam, tum etiam quòd homines ille luto finxerit, & ſubſuratum ignem, Prometheum in Caucaſo monte catena ferrea vinxit, vbi eius hepar ab aquila corroditur, & quod diu exeditur, noctu iterum renaſcitur, vt perpetua pœna crucietur. Veritatis autem fides hæc eſt, vt Prometheus primùm ignem ex ſilice prouocarit, & in ferula adſeruari docuerit, ſcribente Plinio.

De lycio. CAP. XII.

LYCII meminerunt apud antiquos Dioſcorides, & Plinius, & multi poſt eos. Sic dictum, quòd ex Lycia adueheretur. Et ſi in Cappadocia etiam, atq; India, & plerisque alijs locis naſcatur. Aliqui pyxacantham, id eſt, buxeam ſpinam vocant, & in Græcia pyxacanthum chironium. Succus verò ex eo expreſſus eandem appellationem ſortitur. Dioſcoridi arbos ſpinoſa, virgis tricubitalibus, & aliquanto maioribus. Folijs modo buxi, denſis, à quibus pyxacanthos. Fructum fert, colore nigrum, piperis figura, amarum, & læuore denſum. Cortex pallidus, lycio madefacto non diſsimilis. Radix numeroſa, oblonga, lignoſa. Aſpera loca amat. Colligitur ex ea ſuccus, tuſis cum radicibus ramis, antè per aliquot dies macera-

ratis,

ratis,ligno exempto. Qui ſupereſt liquor,denuò ad mellis craſſitudinem decoquitur. Ex ſemine etiam ſimili modo exprimitur,& inſolatur. Optimum, quod igne accenditur, & quod reſtinctũ rubentes ſpumas oſtendit. Glebis extrinſecus nigris,& cùm frangitur,intus rufis, inguſtabile,& cum amaritudine adſtringens. Colore crocino, quale Indicum, cæteris præſtantius. Adulteratur amurca,vel thure,decoctioni adiectis,vel abſinthij ſucco,vel aſphodeli radice,aut felle bubulo,item ſpina in Pelio monte nata. Indi camelorum,aut rhinocerotum,vtribus condunt.

Lycij vires. CAP. XIII.

HABET autem lycium exſiccandi vires, ex diuerſi generis ſubſtantijs compoſitas,quas Græci ἑτερογενεῖς vocant. Altera quidem tenuium partium eſt, ad diſcutiendum parata, & calida in ſecundo abſceſſu. Altera ex terreſtri eſt, atq; frigida,quate moderatam adſtrictionem obtinet. Idoneum ad varias ægritudines medicamentum. Adſtringit,quare cœliacis,dyſentericis,& potum,inditúmve,& mulierum profluuio appoſitum prodeſt. In aqua verò ſanguinem expuentibus & tuſſientibus datur. Abſtergit, propterea tenebroſas oculorum caligines diſcutit. Eo ad ſugillata vtuntur. Ad inflammationes,oris, ſedisq́; vlcera, ad ſerpigines, ad putrida & malefica vlcera,ac purulentas aures. Intertriginibus enim ac paronychijs illitum vtile. Palpebrarum autem ſcabiem,prurigines,& veteres fluxiones ſanat. Ad tonſillas verò, labiorum fiſſuras, & exulceratas gingiuas, facit. Contra rabidi canis morſum prodeſt: fabæ magnitudine, aut ex melle potum, aut deuoratum, catapotij vice. Innatans verò ſpuma, inter coquendum exempta, oculorum medicinæ adſeruatur. Flaueſcit inunctus eo capillus. Eius gummi ad cuncta efficacius.

De aſpalatho. CAP. XIIII.

ASPALATHVM alij eryſiſceptron,à iugulando verò phaſganon,quod Græci σφάττειν dicunt,vel ſplaganon,quæ vox gladium ſignificat,quòd frutex hic,ſuis aculeis,& gladio iugulet. Propterea Theocriti paſtor admonebat, ne diſcalceatus per montem deambularet, qui rhamnis, & aſpalatho frondeſceret. Syri diaxylon,quòd non ſecus atq; arbores, medulla intus ſolidiore materia ſit. Plinio etiam ſceptrum,adipſarheon,ſiue dipſacon. Naſcitur ad Iſtrum Cretæ ciuitatem. In Nyſico ex Cycladibus vna inſula. In Syria, Ægypto, Rhodo, Cypro, tractuq́; eiuſdem, & alijs quamplurimis locis, verùm non ita odoratus. Frutex ibi magnitudine paruæ arboris. Plinius autem in Oriente amplitudine iuſtæ arboris eſſe ſcribit. Candidus,flore roſæ, ſpinis multis aculeatis, quibus horret. Probatur grauis, & qui detracto cortice rubeſcat. Colore ad purpuram nigricante,qui odoratus itidem ſit,atq; denſus. Ideò aquis demerſus ſtatim ſidit, nec vnquam emergit. Qui idem guſtu amarus ſit. Eſt autem alterum genus candidum,lignoſum, ac ſine odore, quod deterius habetur. Spiſſandis vnguentis vtuntur vnguentarij.

Vires. CAP. XV.

EX varijs facultatibus, ſcilicet actibus & acerbis conſtat. Illis verò cum adſtrictione calefacit, his refrigerat: cum ambabus verò ſimul exſiccat. Ideò ad putredines & fluxiones vtilis. Et decocto eius ex vino putreſcentes gingiuæ congruè colluuntur. Ad nomas etiam genitalium, & vlcera ſordida infunditur, & natium ozenas. Iniectum peſſulis, partum extrahit. Eius autem decoctum, potum aluum, & ſanguinis excreationes ſiſtit. Vrinæ etiam inflationes & difficultates ſoluit. Radix vnguentis expetitur. Strangurias enim diſcutit. Ex aſpalatho vinum aromatites fit, oſſis in muſtum, aut vinum dulce deiectis. Et oleum etiam. Galenus autem, & eius ſimia Paulus, pro aſpalatho viticis ſemen accipiendum cenſent. In quocunq; enim frutice arcus cœleſtis innixus fuerit, eandem odoris ſuauitatem, quæ aſpalatho ſit, adferre tradunt. Quæ ſi fortè ipſi aſpalatho euenerit, inenarrabilem tradunt. Aſpalathi item radicem in domo locatam, inuidiam omnem, & inſidias omnes expellere, perhibent. Quod ſi verum ſit, vt cæteris omnibus plantis hanc ſolam præferam, nemo inficias ibit, vt quæ aduerſus has duas mortalium lues, ac moleſtias infeſtiſſimas remedium adferat. Idq; efficiat, quòd nec philoſophorum præceptiones, nec ſapientiæ documenta, quandoque præſtare minimè valeant. Quidam verò è recentioribus aſpalathum, ſandali genus alterum arbitrantur. Verius tamen conſtat, lignum rhodium eſſe, quod ad nos aſportatur, ex quo ad marinas deprecationes orbiculi fiunt, quibus ex diuitijs orbiculi aurei interſeruntur: qui ſæpe ex hominum luxu tenuiores in brachijs & collo inuoluuntur, quod nonnulli inficiantur, tanta eſt inuidentiæ inter medicos labes.

De chamæmyrſine. CAP. XVI.

AFFINITAS, quam cum myrto chamæmyrſine habet, notior & magis percelebris fuit, vt illi comparanda, vnum myrti ſcilicet ſylueſtris genus Græcis atq; Latinis auto[illegible]bus effecerit. Plures etiam ab ea nomenclaturas acco[illegible]odatas, veluti hieromyrtos, id eſt, ſacra myrtus. *Alijs* agonos, ſcincos, minthe, catangelos. Multi ocneron, cniten, lichenen, chamæpytim, acoëron vocant. Plinius à ſimilitudine acoron, Bœothij gyreniada, Magi Herculis genituram, Caſtor ruſcum. Aliud tamen ruſcum, apud Feſtum ex Verrio, & Seruium eſt. Alijs myrtacantha, quòd ea ruſtici pernas & caſeorum fiſcellas, ab murum iniuria tueantur. Folijs myrti, latioribus tamen, & in lanceæ formam mucronatis, rigidioribus, vt vulnerent potius, quàm pungant. Quare Vergilio horridior dicta, & in ſecundo Georgicorum aſpera.

Georg. 2. *— Necnon etiam aſpera ruſci* *Vimina per ſyluam.—*

Ob id etiam oxymirſine dicta. Hærent autem in folij medio baccæ rotundæ, per maturitatem rubeſcentes, oſſeo intus nucleo. Recentes fœtent.

Ramuli à radice exeunt, vitilium modo, lenti, cubitales, folijs pleni, & fru-ctu contumaces. Radicem gramini perſimilem habet, acerbam, ac ſub-amaram. Ruri ex ea ſcopæ fiunt. Vis ei ad calfaciendum, extenuandumq; efficax. Cauliculi recentes, aſparagorum vicem in cibo præbent, amari tamen ſunt, ſed vrinam cient. Folia & baccæ id faciunt. Ad expellendos enim menſes, frangendosq; in veſica calculos, in vino bibuntur. Serenus verò addit & oleum & acetum:

Prætereà myrti ſemen ſyluestris Iaccho,
Atq; oleo miſtum bibitur, nec deſit acetum.

Proſunt eadem fellis ſuffuſionibus, capitis doloribus, & vrinæ ſtillicidio. Radix eius etiam in honore eſt. Nempe decocta, atque in vino pota, eoſdem effectus habet. Loca aſpera, & prærupta amat. Officinæ bru-ſcum vocant.

De anagyri, & prouerbio Anagyrim ne tangito.

CAP. XVII.

Ἀνάγυρις Græcis, & Latinis dicitur, & anagyros: vtrunque enim inuenitur. Ab excitando enim aliqui acopon & ag-nacopon vocitant. Frutex arboris inſtar. Agni folijs, vir-gisq;, quod alij amerinæ interpretantur. Braſſicæ flore. Se-men autem in corniculis minimè breuibus gignit. Fir-mum, ſubrotundum, facie verſicolori, renibus ſimile, quod per meſſes dureſcit. Vua matureſcente, acri & fœdo odore eſt. Vnde adagium, Ana-gyrim ne tangito. Quod dicitur in eos, qui ſibi nocitura prouocent. Alij autem exiſtimant, Anagyrim aliquem fuiſſe, qui propter violatum eius ſacellum, vicinos omnes funditus deleuerit. Reperiuntur autem, qui hanc eſſe arbitrantur, quæ à Plauto in Aſinaria nautea vocitetur: ſed au-toritate carent. Nauteam tamen herbam grauem Feſtus ſcribit, qua co-riarij vtantur. A naui enim dictam, quaſi nauſeam. Calidæ ac diſcuſſoriæ virtutis eſt. Semen verò ſubtilium partium, Galeno, & eius ſequaci Pau-lo, prodentibus. Folia enim collectionibus imponuntur. Tenera verò trita, tumores illitu reprimunt, difficulterq; parientibus adalligantur, ita vt à partu ſtatim auferantur. Quòd ſi emortuus hæreat, & ſecundæ, men-ſesq; morentur, drachmæ pondere in paſſo bibuntur. Sic & ſuſpirioſis dantur, & contra capitis dolores, in vino, & ad phalangiorum morſus, in vino vetere. Radicis verò cortex, vel, vt alij volunt, ſuccus, diſcutiendis, concoquendisq;, adhibetur. Semen autem commanducatum, vomitio-nes vehementer ciet. Ex recentioribus nonnulli, anagyris duo genera poſuerunt, ſatis ex illorum effigiatione differentia, etſi vnius tantùm me-minerint antiqui, verùm alterū ab antiquo arborē aliam exiſtimauerint.

De dulci radice. CAP. XVIII.

DVLCIS radix Græcè γλυκύῤῥιζα. Paulus γλυκύῤῥιζον, Galenus γλυκεῖα, Palladius Glycyridia. Alij glyceraton, glycyphyton. Quidam ſymphyton, teontiam. Plures lybieſtalon, omœne-

mœon, pentaomœon. Theophraſtus Scythicam radicem, quod in Scythia circa Mæotim paludem plurima agnaſcatur. Multa in Ponto & Cappadocia. Præſtantiſſima in Cilicia. Loca autem frigida amat. Ramis binorum cubitorum altitudine aſſurgit. Lentiſci folijs, denſis, ac pinguibus, & tactu gummoſis. Flore hyacinthi, fructu aſperiore, qui Platani pilularum ſiliquis lentium modo continetur, rufis atque tenuibus. Radix oblonga, vt gentiana. Buxei verò coloris, quàm nigra, melior eſt: & quæ lenteſcit, magis quàm quæ denſatur, in ſuccum lycij exemplo. Is autem ſuccus leniter adſtringit, arteriæ ſcabritie efficax habetur, ſed vt linguæ ſubditus eliqueſcat. Stomacho verò æſtuanti, iocinori, ac thoraci conuenit. Veſicæ ſcabiem, & renum dolores, cum paſſo potus ſanat. Eliquatus enim famem, ſitimq́; ſedat. Theophraſtus autem tum ea, tum Hippace Scythas decem duodecimq́; dies degere, atq; vitam prolongare autor eſt. Ob eam rem nonnulli hydropicis, ne ſitiant, præbent. Et ob id nonnullis ἄδιψος dicitur. Illitus verò vulneribus accommodatur. Radix commanducata ſtomatice eſt, & oris vlcera, inſperſa ſanat. In ſubditis verò ad tertias decocta, cætero ad mellis craſſitudinem, aliquando & tuſſæ, quo genere & vulneribus imponitur, & faucium vitijs omnibus. Item voci vtiliſſimo ſucco, ſic vt ſpiſſatus eſt, linguæ ſubdito. Item thoraci & iecinori. Condylomata etiam & genitalium vlcera, ſanat. In quartanis verò quidam etiam drachmarum pondere duarum & pipere, hemina aquæ potui dedere. Commanducata autem ſanguinem ex vulnere ſiſtit. Sunt item qui calculos ea pelli tradant. Recentis verò radicis decoctum, ad eadem omnia conuenit. Eiuſdē etiam farina pterygijs vtiliter inſpergitur.

De daphnoide. CAP. XIX.

DAPHNOIDES autem in nominum ambitu, inquit Plinius, eſt. A nonnullis enim propter eius foliorum ſpecioſam pulchritudinem eupetalos dicitur. Aliqui chamædaphnen, cęteri peplion, pelaſgon. Multi cephalon. Alexandri ſtephanon, quòd eo Alexander Magnus coronari ſolitus ſit. Frutex cubitali altitudine, plures atq; flexibiles ramos habet, *ſurſum* verſus folioſos. Ramorum autem cortex egregij lentoris. Folia *lauro ſimillima*, verùm molliora, & graciliora, ac fractu contumaciora. Quorum guſtatu os & guttur incenditur. Flores candidi, bacca ſub folijs inſerta, coaceruataq́;, lauri baccæ perſimilis. Cùm maturuerit, nigra. Radix magna, inutiliſq;. Naſcitur, inquit Theophraſtus, in Arcadia multus. In montoſis, & frigidis locis, atq; opacis. Pituitam extrahit recens, vel aridum in potu folium: quinetiam manducatum oris pituitas purgat, ſternutamenta cit. Baccæ autem ſedecim potæ aluum reſoluunt: quod Plinius idem in folijs ſiue aridis, ſiue recentibus, cum ſale & hydromelle drachmis commanducatis, eſſe ait.

De vitice. CAP. XX.

VITEX à Græcis λύγος, quaſi vimen, propter inuictam flexilitatē, quam habent in vinciendo eius rami, vnde Diana λυγόδεσμος dicta,

cta, quòd inter hæc virgulta inuenta fuerit. Dicitur etiam ἄγνος, id eſt, caſtus,& purus,ab à priuatiua,& γεννάω genero, propter eius naturam, quam habet in inhibendo rei venereæ impetum. Nam, inquiente Galeno, caſtitatem ſeruat, quando ſubſternitur, aut eſtur, vel bibitur. Paulus quoque libro primo,vbi de nimia ſeminis abundantia ſcribit: His verò, qui in ſomno aut vigilia copioſiore fluxu abundant, vnà cum refrigerantibus herbis, viticis ramos ſubſternendos præcipit. Semen quoque eius genituram exoluit. Quare Athenienſium matronæ caſtitatem cuſtodientes,autore Dioſcoride, in theſmophorijs, hoc eſt, Cereris ſacris, folijs eius ſibi cubitus ſternebant. Statio Papinio arbor etiam caſta dicitur. Sic enim apud eundem libro ſecundo Thebaidos Tydeus templum Palladi vouens ait:

Centum ibi virgineis vota Calidonides aris
Actæas tibi ritè faces.- Et pôſt: *- Et ab arbore caſta*
Nectent purpureas niueo diſcrimine vittas.

Rudes adhuc medici agnum caſtum vocant,ignorantes caſtum expoſitionem eſſe præcedentis vocaminis. Agnus enim animal, ſic dicitur (Feſto inquiente)quod hoſtia pura ſit,& immolationi apta. Et CHRISTVS ſaluator noſter & ipſamet caſtitas,& pro nobis hoſtia, Agnus Dei à præcurſore eius Iohanne Baptiſta dictus, & indice oſtenſus. Ab hoc enim plures alias appellationes ſortitur. Agonos enim dicitur,ab à,priuatiua,& γόνος ſemen. Ad hoc etiam pertinet amictemixum, quòd ad venerem, marem cum fœmina miſceri prohibeat. Magis inſuper, ob illam eandemq; caſtitatis rationem ſemnos,id eſt,venerandus dicitur. Dioſcoridi verò aliæ nomenclationes ſunt. Hemadeos id eſt, ibis ſanguis, à rubore virgarum. Piper etiam agreſte. Liguſticum etiam,à ſimilitudine in ſemine ſaporis. Ægyptijs ſum, Romanis ſalix marina. Reperiuntur & aliæ apud alios appellationes,vt moſys,œſyæ,œſi,œſocarpi,vt Polluci & Phocioni placet, vnde gerra œſyma,id eſt,quadrata quædam tuguriola, quæ ex eius viminibus contexuntur. Quæ ligella à Plauto in Aulularia vocantur. Forſitan à lygo,id eſt,à vitice. Supereſt eius deſcriptio: frutex eſt, arboreſcens,non plurimum à ſalice,vitilium vſu diſtans,foliorum quoque aſpectu, ſi non odore gratior eſſet. Nam hæc oliuæ ſunt, ſed tenuiora, quare Theophraſto, compoſito nomine ἐλαίαγνον vocauit. Ramulos habet prælongos,ſuo lentore vitilium modo fractu peruicaces. Duo eius genera ſunt. Maius in arborem ſalicis inſtar aſſurgit. Flore cum purpura candido, vt inde candida quoque dicatur. Minus verò ramoſum, candidioribus folijs, ac lanuginoſis, flore purpureo, ſemine piperis, nigra nuncupatur.

De vi & natura viticis. CAP. XXI.

VITICIS autem folia,flores,ſemen quoque in tertio exceſſuum ordine calefaciunt, exſiccantq;. Tenuis ſubſtantiæ eſt. Caput enim tentat,& ſaporẽ adfert,non tam ab eius caliditate, quàm ob partium ſubtilitatem,quod eius naturæ indicium eſt. Nam omnium

omnium minimùm flatuoſum. Qua ratione Veneris impetum ſedat. Guſtu acris. Semen autem,ac germina,modicam adſtrictionem habent. Semen vini ſaporem habet, toſtum tamen, & comeſtum, minùs id peragit. Ideò Galeno autore, cum bellarijs, & tragematis, mandi ſolet. Serpentibus enim inimica vitex, vt ſcribit Ælianus. Nam foliorum ſuffitu ſerpentes propelluntur. Illita etiam, illorum morſibus auxiliantur, eoq; maximè phalangijs aduerſantur. Quorum morſu,genitale excitat. Inciſa verò & ſtrata, venena propulſat, inquit in Theriacis Nicander. Capitis dolores ex ebrietate, cum roſaceo ſedat. Semen verò cum pulegio, & melle potum aluum purgat, etiam potu, & appoſitu. Lichenas & lentigines cum aphronitro & aceto & oris vlcera & eruptiones cum melle ſanat. Teſtium enim duritias,cum butyro & vitium folijs emollit,& ſedis rhagadas,cum aqua illitū,& cum folijs medetur luxatis,vulneribusq;. Plinius addit,cum ſale,& nitro, & cera. Inſtillatur cum aceto & oleo capiti, in lethargia & phreneſi. Additur in malagmata neruorum, & ad podagras. Dicitur febres ſoluere,& cum oleo admiſtum,ſi vngatur, ſudorem facere,ſic & laſſitudines diſſoluere. Lac euocat, vrinam cit, & menſes in vino drachmæ pondere potum. Aluum ſiſtit:lienoſis auxiliatur. Ictibus venenatis, maximè quæ frigus inferunt, perquam vtile. Alterum genus efficacius. Ad ſerpentes enim bibitur eius ſeminis drachma, in vino, vel poſca,aut foliorum tenerrimorum, drachmæ duæ. Vtrinq; enim aduerſus araneorū morſus,ſemen bibitur,vel tantùm inungitur. Illorum enim ictus, acerrimos dolores, circa media præcordia excitat. Torum virgis ſubſternere,aduerſus culices prodeſt. Corui viticem, contra veſpertilionum moleſtias nidis collocant. Seminis verò decoctum,veſicæ calculos confringit,& illitum vehementiorem capitis dolorem diſſoluit. Frondis verò ſuffitu,vel appoſitu,vuluam purgat, & inflammationes ad inferiora pellit. Vomicas, panoſq; difficile concoquentes cum farina hordeacea, emollit. Refert Athenæus cygnos parituros,in nidos ſuos lygon inferre. Apud autores tamen non conuenit,an vitex intelligi debeat, cùm & lygos & lygea, & arbos, & herba interdum vocitetur. Viticis virgam, qui in itinere aut manu geſtauerit, aut cinctam habuerit, negatur intertriginem ſentire. Iunonem autem in Samo inſula, ſub vitice genitam fuiſſe, nonnulli tradunt. Quæ poſtea ibi in ſuo templo,tempore longo,viſa ſit. Hæc poëtarum fabulæ.

De roſa,& adagijs ab ea. CAP. XXII.

PRISCIS, ſicut & recentibus, roſam in honore maximo fuiſſe,ſatis antiquorum monumentis compertū eſt. Quod etiam adagio Græco comprobatum ῥόδον ἀνεμώνῃ συγκρίνεις. Id eſt, Roſam cum anemona confers. Vbi quis imparia inter ſe componit. Eſt autem anemone, papaueris genus,cuius flos,ſpecie roſam imitatur,cæterùm nulla odoris gratia. Eſt & aliud, Roſas loqui,id eſt,verba gratiſſima. Et Perſius ait:

– Quicquid calcaueris hic, roſa fiat.

Quod

Quod adhuc vulgus in homines glorioſos profert. Roſam Græci ῥόδον vocant ἀπὸ τῆς ῥοῆς ὀδωδῆς, quòd odoris fluxũ emittat, autore in Sympoſijs Plutarcho. Quæ cauſa eſt, vt ocyſſimè marceſcat, & refrigerandi vim obtineat. Poëtæ etiam βρώδον, plantam verò rhodoniam. Timarchides roſam in Arcadia, euomphaton, ab odoris præſtantia vocari ſcribit. Naſcitur ſpina, verius quàm frutice, rubo quoque proueniens de qua in rhododaphne. Illic etiam iucundi odoris. Omnis verò primùm cortice granoſo incluſa germinat, quo mox intumeſcente, in alabaſtros virides, faſtigiato, paulatim rubeſcens, dehiſcit, ac ſeſe pandit, in calycis ſui medio, luteos apices complexa.

De roſarum coloribus, & poëtarum fabulis, ſuper illarum mutatione. CAP. XXIII.

IN roſis autem color triplex inuenitur: aut enim albus, aut rubeus, aut ex his duobus conſtans, quod genus vulgò incarnatum vocant. Color tamen his potius roſeus dici debuit. Roſam priùs candidam fuiſſe ſcribunt poëtæ, ſed Veneris ſanguine, in colorem rubrum mutatam. Nam illa iuuenem Adonin perditè deperit, illam autẽ Deus Mars, Deus Deam ſequitur, Hominem verò Dea. Ambobus enim idem ardor, etſi genus diſpar. Mars autem Adonidis morte, Veneris in eum amores ſoluturum ſe ſperans, Riualem de medio tollit. Quod cùm Dea geſtum facinus reſciuit, & ſubſidium illi adferre maturans, Roſæ frutices, feſtinabunda offendit, & in pedis planta nullo ſandalio munita, transfigitur. Cuius cruore, roſæ color tranſmutatur. Quare Claudianus:

- Sic fata cruoris Carpit ſigna ſui.- *De raptu Proſ. lib. 2.*

Alij aliter: Ferunt enim Cupidinem in Deorũ conuiuio ſaltationibus laſciuientem, alæ concuſſu, pateram nectare plenam euertiſſe, cuius infuſu, roſæ flos, humi adrubuit.

De roſæ partibus. CAP. XXIIII.

ROSÆ autem partes octo medici neoterici adinuenerũt, nomine, item & viribus differentes, etſi in his inter recentes variatum ſit. Quarum etiam ſingularum vſus maximus, quod propterea ob medicam materiam nouiſſe proderit. Plinio vero roſæ vſus in folia, flores, & capita diuiditur. Foliorum autem partes, quæ candidæ, vngues vocantur. In flore autem aliud eſt ſemen, aliud capillus. In capite autem aliud cortex, aliud calyx. Verùm hæc dilucidiùs & ampliùs explicandum. Prima igitur pars, erit cortex, qui calycem ambit, & aperta roſa, in quinque pinnulas ſeu lacinias diuiditur, & finditur. Altera eſt caput, globulus in ima roſæ parte, ſolidum illud, quod ſi aperueris lanugine quadam refertum reperies, folijs & floribus ſubſtratum, ceu baſis totam roſam ſuſtinet. Capitis pars calyx. Roſæ autem globus, nondum totis folijs apertus. Tertia pars flos, medium illud croceum, quod capillamentis inſidet. Sequens, capilla-

mentum, quod ſubtile eſt, veluti filum, florum fulcrum ſeu ſuſtentaculum. Alia & lana in capite contenta erit. Folium ſequitur, cuius ima pars candida eſt, quæ à pharmacopolis, rhodomel & rhodoſaccharum præparaturis præcidi ſolet, vnguis dicitur. Vltima autem ipſa planta eſt. Anthera recentioribus roſæ flos eſt, deductum ab eo, quod eſt ἄνθος ῥόδυ, id eſt, flos roſæ. Lutei illi ſunt apices, vt ſuprà dixi, quaſi capillamenta, & fila quædam. Antheras etiam medici compoſitiones quaſdam vocant, oris ægritudini accommodatas, quibus roſæ miſcentur. Semina roſarum, inquit Palladius, non putemus medios floſculos eſſe, aurei coloris, quos roſæ ferunt. Sed baccas pyri breuiſſimi ſimilitudine, ſeminibus plenas, poſt vindemiam maturas, vt tamen harum maturitas tum ex colore ruſo, tum ex mollitie exiſtimanda erit.

De roſarum generibus. CAP. XXV.

ROSARVM genera permulta. Etenim odore, colore, foliorum numero, aſperitate & læuore differunt. Regiones etiã nomina impoſuere. Pauciſſima, quina folia, quibuſdam duodena, vicenaq́;. Alijs longè plura, cùm ſit vnum genus, quod centifolium vocitent, quod in Italiæ Campania, & in Græcia circa Philippos naſcitur. Sed ibi non ſine terræ prouentu plurima exit. Eam accolæ, è Pangæo vicino monte transferentes conſerunt, ipſaq́; tranſplantatione proficiunt. In his verò locis multæ eiuſmodi *ſunt*, quarum interna folia, minima. Nam ita oriuntur, vt alia intus, alia extrà emineant, & ſi non amplæ magnitudinis, neq; iucundi odoris. Cepio Tiberij Cæſaris principatu centifoliam in coronas addi negauit, præterquam extremos velut ad cardines, vtpotè nec odore, nec ſpecie probabilem. Odoratiſſimæ non ſunt, quibus folium maximum & latiſſimum. Odoratiores, quò rubicundiores. Indicium autem odoris, corticis ſcabritia. Quærit in Problematis Ariſtoteles, Cur ſuauius roſæ oleant, quibus aſper, quàm læuis vmbilicus ſit. Quòd magis ſecundum ſuam naturam conſtitutæ ſint. Natura enim ſua, roſa ſpinoſa eſt. Refert *enim* & cœli temperies, & ſolum ipſum. Annis enim quibuſdam minus odorata prouenit. Genera eius fecere poſteà, inquit Plinius, celeber*rima*, Prænestinam & Campanam. Addidere & alij Mileſiam, cuius ardentiſſimus, colos rubeus, duodena folia non excedentem, proximam & Trachiniam minùs rubentem, mox Alabandicam, viliorem, albicantibus folijs, vtiliſſimam verò pluribus, ſed minutiſſimis ſpineolam. Eſt quæ Græca à noſtris appellatur, ab illis verò lignis, non niſi in humidis locis proueniens, nec vſquam excedẽs quinque folia, violæ magnitudine, nulloq́; odore. Eſt & alia Græcula vocitata, conuolutis foliorum panniculis, nec dehiſcens, niſi manu coacta, ſuperq́; naſcenti ſimilis, latiſſimis folijs. Alia è maluaceo caule funditur, oleacea habens folia, moſceuton vocant, & inter has medias magnitudine, Autumnalis. Omnes enim tres poſteriores, ſine odore ſunt. Vnum genus inſeritur, ſpinoſæ, longiſſimis virgis, quinquefoliæ, quę è Græcis altera eſt. Pæſtana roſa, à Pæſto Calabriæ oppido, paſſim apud autores

autores commendabilis. Quotannis bis germinat. An autem ea ſit, quæ nunc apud nos Damaſcena dicitur, ignoraro? Parua enim hæc, candidi & rubei coloris, egregij odoris. Plures autem ab vno geniculo exeunt. Vltima autem hæc germinatu eſt, verùm continuè & vt diutius floreat hyeme etiam tepidioribus locis. Eſt & Prouincialis in Gallia ab oppido ſic cognominata, colore inter album & rubrum, quem incarnatum vulgus vocat. Ethruria has Anconitanas vocat. Siccandæ enim roſæ loco meridiano, ac ſublimi, ne ſol tamen eas tangat. Gallienus Imperator Veris tempore cubicula de roſis fecit.

De roſarum vi, & natura. CAP. XXVI.

ROSA ex aquea & calida ſubſtantia conſtat. Miſta verò alijs duabus qualitatibus, videlicet adſtringenti & amaræ. Sicca tamen magis adſtringit. Autore enim Celſo, ea, quæ in aliqua corporis parte coierint, diſcutit. Earum autem flos magis adſtringit, & deſiccat. Radix verò, earum præſertim, quæ in Macedonia naſcuntur (vt inquit Galenus) tenuium partium eſt, & digerentis facultatis. In calefaciendo verò, ſecundi ordinis aut tertij incipientis. Odorata enim calidis capitibus prodeſt, & humidis obeſt. Nempe ea deſtillationi obnoxia facit: ſumpta verò febres, quæ ex flaua bile contractæ ſunt, ſanat. Siccarum autem decoctarum ſuccus expreſſus facit ad capitis dolores, auriumq́;, ac oculorum, gingiuarumq́; etiam, & oris vlcera, ſediſq́;, tonſillas gargarizatus, recti inteſtini, vuluæ, ſic, vt aut penna inungatur, aut clyſtere infundatur. Per ſe verò vel cum aceto, ad ſomnos & nauſeas. Oculorum autem vlcera roſa ſordeſcunt, præterquam epiphoræ initijs, ita vt arida cum pane imponatur. Tuſa autem ſine expreſſione, mox illita, præcordiorum inflammationibus, humidis ſtomachi vitijs, ſacris ignibus medetur. Siccis ac tritis ſemina aſperguntur. Vulnerarijs antidotis atq; compoſitionibus, quas antheras vocant, miſceri ſolent. Ros verò ille, vt ait Didymus, in roſis inſidens, purè penna lectus, & ſpecillo genarum palpebris inſtillatus, oculorum lippitudini medetur. Zoroaſtres etiam negat, eius toto anno oculos dolorem ſentire, qui calyces, antequam in flores explicentur, leui tactu luſtret, tribusq́; earum alabaſtrulis oculos confricet, relictis in planta roſis. Ad cibum quoque condiuntur lapathi modo. Cauendus enim in his ſitus, celeriter inſidens. Folia verò vruntur in calliblepharam. Succus è recentibus folijs exprimitur, deiectis prius forfice vnguibus: reliquum verò in mortario premi & teri in vmbra, donec ſuccus denſetur. Qui ad oculorum circunlitiones, adſeruatur. Siccantur etiamnum folia, continua volutatione, ne contracto ſitu, muſceſcant. Vngues epiphoris ſalubres ſunt. Flos autem, qui luteus in medijs roſis inuenitur, deſiccatus, gingiuarum fluxionibus vtiliter inſpergitur. Flos ſomnum facit: inhibet mulierum fluxiones, maximè albas, in poſca potus, & ſanguinis excreationes, ſtomachi quoque dolores, quantum in vini cyathis tribus, vt ait Plinius. Semen his optimum crocinum, nec anniculo vetuſtius, & in

vmbra ſiccatur, nigrum enim nec inutile. Dentium verò dolori illinitur: vrinam ciet. Stomacho imponitur, item igni ſacro, non veteri. Naribus autem ſubductum caput purgat. Capita autem pota ventrem & ſanguinis excreationes ſiſtunt. Syluestris verò cum adipe vrſino, alopecias mirificè emendat. Scarabei roſa necantur, inquit Theophraſtus. Tarantius apud Apſyrtum ictos à ſerpente ſeruari contendit, qui roſæ radicem amuleti vice geſtauerint. Democritus etiam apud eundem, roſæ radicem, torquis modo, ſeu quouis alio modo portatam, veneficij ſcorpionis eſſe amuletum.

De oleo roſaceo. CAP. XXVII.

OLEO autem roſaceo homines olim inungebantur, idq; iam à Troianis temporibus, teſte Homero:

- ῥοδόεντι δ' ἔχρισεν ἐλαίῳ.

Cuius ratio talis eſt quibuſdam. In olei enim crudi libris tribus roſarum exungulatarum, bene tritarum libram vnam condunt, & ad ſolem dies octo ponunt. Die verò nono colatis prioribus, totidem reponunt, & vbi ter hoc modo fecerint, vas bene obturatum Soli per triginta dies exhibent, & poſteà ad vſum reſeruant. Aliter Aëtius: Sumito roſarum rubearum exectis vnguibus, & quæ per diem ac noctem contabuerint, vncias tres, olei omphacini ſextarium Italicum. Hæc autem ſimul in dolium conijcito, cuius os interius tomento, exterius verò membranula, ad reprimendos imbres obſtipabis. Deinde autem vbi per dies quadraginta inſolaueris, in tabulato ædium temperatarum reponitur. Sic Palladius, atq; id minori opera ac cura. In olei libris ſingulis ſingulas roſæ purgatæ vncias inijcito, & ſeptem diebus in ſole lunaq; ſtare ſinito. Galenus optimum ex oleo omphacino fieri dicit. In vnguenta tranſit, & per ſe medicas vires præbet. Emplaſtris atq; collyrijs imponitur, mordaci ſubtilitate, menſarum etiam delicijs in vngendo minimè noxia. Capiti calefacto & arefacto, vel à Solis, aut febris, vel alia quacunq; cauſa ardore prodeſt. Humectat enim, ac mitigat, ſomnum conciliat.

De vino, & aceto ex roſis. CAP. XXVIII.

VINVM etiam ex roſis tuſis fit, vt illarum mina in linteo colligata, in muſti ſextarijs octo demergatur, vt ſidat, nec ante tres menſes vas aperiatur. Pòſt vero exprimatur, & ſeruetur. Palladius ſic: quinque libras roſarum pridie purgatarum in vini veteris ſextarios decem mergito. pòſt triginta verò dies decem deſpumati mellis inijcito, & eo vtere. Vtile quidem & ijs, qui febre carent, & ad ſtomachi concoctiones, contra etiam lubricam aluum, & dyſenterias. Fit etiam è roſis acetum, quod Græci oxyrhodinum vocant.

De

De aqua roſarum, rhodomelle, & paſtillis. CAP. XXIX.

STILLATITIVM roſarum multi rhodoſtagma vocant. Frigidum eſt. Ex ea enim quam ex roſa adſtringendi vi, ventriculum roborat, ſitim ſedat. Et qui eo in febre pro vino vtuntur, maximam ſentiunt vtilitatem, vti è Simone Sethio eſt. Fit quoque è ſucco roſarum, quod rhodomel vocant. Cuius confectio è Palladio talis eſt: in ſucci roſarum ſextarijs ſingulis ſingulas mellis libras miſces, & diebus quadraginta inſolabis. Arteriæ ſcabritijs conuenit. Roſarum paſtilli, qui rhodides vocantur, ſic fiunt: Roſas virides ſumito, nullo alieno humore madentes: cùm autem languere iam & areſcere cœperint, drachmas trigiṇta, Indicæ nardi drachmas decem, myrrhæ drachmas ſex. Conciſa dein ſimul omnia, in paſtillos trium obolorum pondere, conformentur. Siccati etenim vmbra, in fictili minimè picato, vndiq; bene obturato, ne reſpirẽt, adſeruentur. Alij verò, coſti drachmas duas, iridis tantundem adijciunt, & cum melle vinum Chium miſcent. Mulieribus verò monilium loco vſui ſunt, ad minuendum ſudoris ingratum odorem. Tritis etiam vtuntur ad diaſpamata, quæ fiunt ad ſudores arcendos, ita vt à balneis corpori inareſcant, dein frigida lauentur aqua.

De Cynosbato. CAP. XXX.

CYNOSBATOS Græcè, ſic & Latinè. Columellæ verò canis ſentis, vel canirubus. Galeno autem & ſequacibus, abſolutè batos, Spina eſt. Sophocles enim in Phœnic. cinarũ vocat his verbis, κίναρος ἄκανθα πάντα πληθύει γύην, quẽ locum Didymus grammaticus interpretatur, vt cinarus ſpina ſit, quæ κυνόσβατος dicitur. Quòd aſpera ſpinoſaq; ſit. Pithia eam ξυλίνην δρῦν, id eſt, ligneam plantam vocauit. Vnde Locrus, cùm ab oraculo habuiſſet, vt illic vrbẽ conderet, vbi à canirubo morſum accepiſſet: in eo loco vrbem exædificauit, quo à canirubo tibiam perſtrictus fuiſſet. Alij cornum ſylueſtrem putauere. Eſt autem, Theophraſto autore, inter fruticem & arborem medius, punicæ ſimilis, folio viticis. Fructum fert rubentem, cytino punicæ non abſimilem. Dioſcoridi verò rubo longè maior, folioq; multo maiore, quàm myrthi, ſpinis circa ramos firmis. Flore candido, oblongo fructu, oliuæ nucleo perſimili, & per maturitatem rubente, intra quem lanis ſimilia inſunt. Cynoſpaſton & neuroſpaſton, vocari Plinius ſcribit, aliterq; quam illi, depingit, vt folium hominis veſtigio ſimile habeat, vuamq; nigram ferat, in cuius acino neruus ſit, quare neuroſpaſtos, id eſt, neruus paſſus dictus, aliaq; eſt à cappari, quam medici Cynoſbaton appellant. Prior verò deſcriptio cynoſrhodo magis conuenit, vt etiam quondam cynoſbatos, cynorhodos dicta ſit. Plures enim vnam & eandem plantam cynoſbaton cynorhodon eſſe, ex Theophraſti & Dioſcoridis autoritatibus contendunt. Plinius etiam baton, id eſt, rubum, qua appellatione plures ſuprà oſtendimus vocauere. Pilulam caſta-

neæ ſimilem ferre ſcribit. Alij verò cynoſbaton & cynorhodon tantùm pilula illa, caſtaneæ ſimili, quæ in cynorhodo inuenitur, & quæ rufa eſt, & echinis, non aſperis veſtita, & virgis, diſtinxere. Nunc ad medicam hiſtoriam. Fructus non ſegniter adſtringit. Exempta enim interiori lana, quæ maximè cauenda eſt, nam arteriæ inimica. Areſactus, & in vino decoctus, & potus aluum ſiſtit. Menſium profluuia cohibet. Flatu aduerſo legendum præcipiunt, alioquin periclitari oculos. Roſa verò cum axungia alopecias emendat. Folia mediocriter adſtringunt, ſuppurationes diſcutiunt.

De cynorhodo. CAP. XXXI.

SVPERIORI capite, nonnullos cynoſbaton & cynorhodon, vnam atque eandem plantam exiſtimaſſe dixi, vt hæc tantùm roſæ nomine ab ea differat. Hanc etiam nonnulli ſylueſtrem roſam appellant. Nihil præterea de eius ſpeciatim figura, atque illius deſcriptione, apud vllum autorem, quod meminerim, inueni, atq; ſi ij de ea in cynoſbato deſcripſiſſe lectorem ſuſpicatum eſſe intelligerent. Tantùm verò apud Plinium de eius vi medica vnum, maximum aduerſus canis rabidi morſum, remedium inueni, oraculo etiam demonſtratũ. Miles enim in prætorio militabat in Lacetania proxima parte Hiſpaniæ res gerebatur. Hic vero à canis morſu iam aquas expaueſcebat. Mater verò eius pridie in ſomnis, in fruteto fruticem cynorhodon ſibi aſpectu eblandiri videt, monitaq; oraculo eſt, vt radicem bibendam mitteret. Huius autem epiſtola ad filium ſuperuenit, orantis vt pareret religioni. Itaque ex inſperato ſeruatus eſt, & poſteà quiſquis auxiliũ ſimile tentauit. Vitruuius etiam de re veterinaria (ſi illius liber eſt) aduerſus canis rabidi morſum plurimum prodeſſe cynorhodi radicem ait. Lota enim prius, atq; contuſa, plagæ apponi debet, vel contrita in veteri vino quotidie propinari debet. Ab hac enim egregia virtute, nonnulli roſam canis appellatam exiſtimauere, poſteà inuentum, vt canum cibis miſta, eos à rabie excitari prohibeat. Alia apud autores cynorhodi medicina vna eſt. Spongiolæ enim in medijs eius ſpinis [illegible]tur. Hæ autem cum cinere, cumq; melle capitis alopecias exp[illegible] malefica etiam capitis vlcera vtuntur, & calculoſis præcipuo remedio eſſe Hypociſthidem, roſæ caninæ ſuccum Scribonius ſcribit.

De rhododaphne. CAP. XXXII.

RHODODAPHNÆ & rhododendro Latinum nomen, inquit Plinius, non eſt inuentũ. Apuleius tamen roſas vulgus vocare ſcribit. His autem appellationes fecerunt, roſæ flos, & roſæ arbor. Nec enim refert, quòd Dioſcorides illi folia amygdalis oblongiora tribuerit. Nempe l[illegible]rum diſpar figura. Alij nerion, nonnulli ſpongion, cæteri hæmoſtatim, Lucani ichmanem, Ægyptij ſcympham, Phocion rhodoniam, & a qu[illegible]uſdam vocari agnon ſcrib[illegible]t, propter ſimilem vim, quam ad coercen[illegible]m venerem

rem habet. Folijs quibus ſuprà roſarum. Flore,fructuq́; , nuci amygdalæ, corniculato, qui cùm dehiſcit, lanis plenus acanthi ſimilibus. Radix illi acuta,longa,lignoſa,guſtu ſalſa.Lucius autem Apuleius in ſua Metamorphoſi,hoc modo depingit:hæ autem arbores,in lauri faciem prolixæ,foliatæq́;. Pariunt in modũ floris inodori porrectos calyculos,modicè pumicantes. Hæc ille. Naſcitur in amœnis maritimis locis, & circa amnes. Folia verò & flores, iumenta & quadrupedes enecant. Quod etiam voluit Apuleius.Lucianus tamen,ex quo ille fabulam,verùm multò longiori filo contexuit,roſas è ſylueſtri lauro eſſe dicit, quæ non eſſent veræ roſæ,quarum arborem laurum vocarent,cuius cibus aſinis omnibus,equis omnibus, peſtiferus eſſet. Et hoc maius addit Dioſcorides, vti & pecus omne,capræ omnes,emoriantur, ſi aquam, in qua eius folia maduerint, ſumpſerint.Pereunt aurẽ atq; ſi morbo comitiali correpta fuerint.Quod Alexandro Magno res in India gerente,contigit.

Vires. CAP. XXXIII.

FOLIA homini aduerſus ſerpentium morſus præſidio ſunt vt ſcribit Dioſcorides,præſertim addita ruta,& ex vino pota.Galenus tamen,& eius ad verbum ſequaces, extrinſecus illitum,vim digerendi obtinere, ſcribunt. Contrà verò intus ſumptum pernicioſum & exitiale, non hominibus ſolùm,ſed & pecoribus pleriſq;. Tertij incipientis ordinis excalfacientium eſt, & primi deſiccantium. Si autem domi in ſcrobiculum eius ſurculos tuſos conieceris, in eum pulicum & muſcarum examina conuolabunt, vt autor eſt Apſyrtus & Anatolius. Producunt etiam ſi eius folijs, murium meatus occludantur,eos perire,ſi dum exire conentur, ea dentibus contrectauerint.Sunt ex Hebræorum Rabinis,qui dicant Moſem hoc ligno tactas aquas amaras ſanaſſe,& dulces reddidiſſe.

De rhamno. CAP. XXXIIII.

RHAMNVS Græcis & Latinis ſic appellatur. Inter ruborũ genera Plin.annumerauit. Sunt qui perſephonion à Proſerpina,quæ Græcè Perſephone dicitur,quòd pueris,alijsq́; ſuperſtitioſè nocere credebatur. Nanq; aduerſus eam remedium eſt. Alij leucocantham, id eſt, ſpinam albam, aut cerualem,vel ceruinam,à ceruino colore,quem,ſi cum cæteris ruborum generibus conferatur, habet. Aphri atadim. Theocritus autem fruticem eſſe oſtendit.Nam apud eundem paſtor comitem monet,ne ſyluam nudis pedibus ingrediatur,in qua ῥαμνοί τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι. Quæ ſi arbor foret,pedibus offendiculo minimè eſſe poſſet.Circa ſepes naſcitur, rectos fert ramos, ſpinis rectis, & non aduncis aculeis, inſtar ſpinæ, quam oxyacantham vocant. Folia habet oblonga, parua,tenera,ſubpinguia.Alterum verò genus candidius eſt.Tertium nigrioribus,atq; latioribus folijs eſt,& quadantenus rubentibus. Ramos autem cubitorum ferè quinq; longitudine profert,infirmioribus ſpinis,& ferè innocentioribus,

nec

nec penitus integris. Fructum candidum, latum, tenuem, veluti folliculũ haſtulæ regiæ ſimilem habet. Ex hac enim deſcriptione, aliud eſt à ſpina illa, quam vulgus groſelerium vocat, ramulis vietis, ſpinis recto mucrone horridis. Flore ex herbido candidante. Folio albeſcente, paruo, apij forma diſſecto. Fructu rotundo, primùm herbido, ſed per maturitatem, è candido rufeſcente, granis pleno, per iuuentam condimentis pluribus expetitur. Alius verò frutex, ſub hac appellatione in hortis ſeritur, virgis longioribus, ac rectioribus, ſpinis carentibus, folijs ſuperiori ſimilibus, verùm latioribus, atq; viridioribus. Fructus fert racematim congeſtos, per maturitatem rubeos, cæteris minores, & cùm maturuerint, dulciſſimos, & edendo ſuaues. Plures id eſſe contendunt, quod à Mauritanis ribes dicitur, vt nonnulli etiam recentium medici, ſub hac appellatione, illo in medicina vtantur. Sunt etiam nonnulli qui hoc vltimum eſſe exiſtiment poterium, de quo apud Dioſcoridem, Plinium, & Galenum.

De rhamni viribus. CAP. XXXV.

DESICCAT autem, autore Gal. & ſuis ſequacibus, & diſcutit ſecũdo abſceſſu. Primo verò, aut incipiente ſecundo, refrigerat: proinde herpetibus & eryſipelatis, & *igni ſacro*, admodum medetur. Nam hæc folijs illinuntur: ſed teneris vtendum. In vino verò auſtero pota ventrem equorum profluuijs confirmat. Huius verò radice in aqua decocta, fit medicamentum quod lycium vocatur. Semen eius ſecundas trahit. Quod etiam collectionibus & vlceribus accommodatur. Fama eſt, eius ramos, valuis, feneſtrisve appoſitos, omnium veneficiorum arcere maleficia. Quod Ouidius Naſo in Faſtis, Carnam deam cardinis, quæ prius Crane dicta fuerat, ab Iano adamatam atq; compreſſam, quæ in ſtupri compenſationem hoc ab eo habuit. Ille enim ait:

Ius pro concubitu noſtro tibi cardinis eſto:
Hoc pretium poſitæ virginitatis habe.
Sic fatus, ſpinam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas (hæc erat alba) dedit. Poſt Carna ſic loquitur:
Virgaq́; Ianalis de ſpina ſumitur alba,
Qua lumen thalamis parua feneſtra dabat.

Nicander etiam in Theriacis, & eius antiquiſſimus interpres aiunt, ἀλεξιλάρην ῥάμνον, Qui ait ieiunis datam, interitum à venenatis repellere.

De oxyacantha. CAP. XXXVI.

OXYACANTHA, id eſt, ſpina acuta. Alij pyxacanthon, pyrinem, pityanthen vocant. Mauritani berberim, Rura verò acrem ſpinam, & corrupto vocabulo criſpinam & ſpiniuinetam. Arbor Galeno, & ſuis, pyro ſylueſtri ſpecie, & viribus perſimili. Apud nos tamen frutex, etiã exiguus, vt cum pyro ſylueſtri nec magnitudine, nec folijs, aut flore, fructúve, nil cõmune habeat, num verò viribus, expertis relinquo. Folijs minimis eſt,

per

per ambitum ſerratis, Florem fert muſcoſum. Fructus verò ipſius, myrti baccis reſpondet,racematim congeſtus,rubens, Septembri, aut Octobri matureſcens, Guſtu auſtero,& acido, nucleos intus duos habet. Radice multifida eſt, atq; altius deſcendente, vllius loci minimè exoſus. Quippe & ſiccis & aquoſis prouenit. Syluas etiam, fruteta, ſepesq; non aſpernatus. In Olympo plurimus.

Vires. CAP. XXXVII.

TENVIVM partium eſt, & paulum quiddam inciſiuũ habet.Baccæ autem nõ ſolùm eſu,verumetiam potu, omnes fluxionum affectus cohibent, vt non alui tantùm,aut fœminarum fluxiones reprimant, ſed dyſentericis quoque, cholericis,& cœliacis prodeſt.Radix verò conciſa & illita, aculeos & ſpicula extrahit.Abortum fieri tradunt,ſi ter radice,prægnantis venter, leniter feriatur, aut ea perungatur. Vtiliſſima & luxatis. Acini autem ſaccharo & melle,ad refrigerandam ſitim, depellendamq; febricitantium malaciam,condiuntur. Elangueſcente enim horum appetentia, huius grato acore recreantur.Ex acinis etiam fit vinum,quod criſpinum vocant,ad eum vſum valens,ad quem vinum è malo punico.

De ſilere. CAP. XXXVIII.

SILER nonnulli, ſalicem arborem arbitrantur: ego verò fruticem, Vergilij autoritate fretus, qui ſic in ſecundo Georgicorum:

Nanq; aliæ, nullis hominum cogentibus,ipſæ
Sponte ſua veniunt, camposq́, & flumina latè
Curua tenent: vt molle ſiler, lentæq́ geniſtæ.

Neq; enim exiſtimandum eſt,Vergilium paruum fruticem, cum ingenti arbore ſociaſſe, ac coniunxiſſe, ſed tantùm ex loci natura. Nam ambæ plantæ aquas deſyderant. At aliqui tantùm herbam exiſtimant. Siler autem dicitur quaſi pumila ſalix. De eius verò vi hoc proditur, quòd eius folia fronti illita,capitis dolores ſedãt. Semen eius cum oleo tritũ,phthiriaſes mitigat. Serpentes autèm hunc fruticem refugiunt, vt contra eorum inſidias ruſtici ex eo bacillos ferant.

De geniſta. CAP. XXXIX.

VERGILIVS Maro vno carmine ſiler cum geniſta coniunxit, vt ſuperiori proximo capite à me demonſtratum. Sic ego faciendũ cenſeo, vt poſteaquam de ſilere egimus, de geniſta diſſeramus.Notus vnicuiq; frutex,ſemper virẽs. Quidam eam dici putant,quòd genu modo flexilis ſit,aut quòd genibus medeatur, ramis gracilibus & flexilibus, folio circum ramos minutulo,luteo flore.Semen,quod Græci eodem nomine appellant, per maturitatem rufum nigrumq;,lenticulis non abſimile,quod phaſeolorum modo,ſiliquis per æſtatẽ nigris, in vaſis dehiſcentibus etiam cum

crepitu, vt ſpontè decidat, continetur. Dubitabat enim Plinius, an hæc ſit, quam Græci autores ſparton appellauere: & nunquid eam deſignauerit Homerus cùm cecinit:

καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται.

In vſu autem Africanum aut Hiſpanum, minimè fuiſſe certum eſt, vt ille ſcribit. Vt cùm fierent ſubtiles naues, lino, non ſparto, ſuebant. Gellius tamen ex illo Homerico carmine contra aſſerit. Sed nunc in confeſſo eſt, aliud eſſe ſpartum, aliud eſſe geniſtam. Cùm illud virgis, abſq; folijs, & flore violæ albæ conſtet. Sunt tamen qui hanc controuerſiam dirimere ſatagentes, duo ſparti genera aſſignent. Vnum, quod geniſta ſit: alterũ, quod in Hiſpania & Africa naſcatur, quale ſuprà deſcriptum eſt. Aſia, inquit Plin. è geniſta decem diebus madefacta, lina facit, ad retia piſcatu durantia contexenda. Ait etiam Aëtius vites apud ſuos necti geniſta ſolere.

Geniſtæ vires. CAP. XL.

NVNC ad medicam hiſtoriam. Calfacit enim & deſiccat ſecundo gradu, cum axungia verò tuſa, dolentia genua ſanat. Purgat ellebori vice, drachma dimidia in aquæ mulſæ cyathis quatuor ieiunis. Ramis autem cum folijs, pluribus diebus in aceto maceratis & tuſis, ſuccus elicitur. Potus enim vnius cyathi menſura, iſchiadicis vtilis: quod etiam teſtatur Serenus:

- Necnon & teneræ gracili fronde geniſtæ
Arreptos caules, acidoq́ liquore madentes Sumere conueniet.-

Quidam marina aqua macerare malunt, & clyſtere infundere, eodem ſucco, addito oleo perungunt. Succus etiam, tum ſeminis, tum virgarum, viribus attrahendi plurimũ pollet. Semine quidam ad ſtranguriam vtuntur. E geniſta quidam vnguentum faciunt ad ouium ſcabiem vtile.

De hedera. CAP. XLI.

HEDERAM autem Feſtus, & longè poſt eum Apuleius dici vult, quòd hæreat, vnde Perſius ſequaces appellauit.

Quorum imagines lambunt hederæ ſequaces.

Et Vergilius errantes deſcribit. Hic etiam in Culice:

-Hederaq́ ligantis. Brachia: fraternos plangát ne populus ictus:
Ipſaq́ excedunt ad ſumma cacumina lentæ:
Pinguntq́ aureolos viridi pallore corymbos.

Alij ab edendo dictam aſſeuerant, quòd vetuſtos parietes, dum ambit, corrumpat, & exedat. Et abſq; aſpiratione & diphthongo ſcribi, breuiariq; primam. Vergilium in teſtimonium adducentes,

Paſtores edera creſcentem ornate poetam.

Alij verò dictam arbitrantur, quòd edita loca petat, & altè diuagetur, altiores parietes conſcendens. Vſqueadeo enim inhæret, vt ſepulcra rumpat. Græcorum verò nonnullis κίσσος, alijs, vti Dioſcoridi, citharon, multis ciſſaron, cæteris à corymbis, corymbia, nonnullis aſplenos. Perſis cemos. Gallis ſuibites, vel, vt Apuleius voluit, boluſellos. Qui & alias nomen claturas

turas addit, vt Dacos ſcribat abortiam vocare. Eſt autem in vniuerſum hedera, radice numeroſa. Tot enim radicum initia habet, quot & folia. Vnde antiqui poëtæ Lyrici, flexipedem cognominarunt, Denſa, craſſa, non nimis altè deſcendens, præſertim nigra. Folio in iuuenta anguloſo: Dum verò prouecta fuerit, rotunda gerit. Frondes parte ſuperna læues. Corymbus vua hederæ dicitur. Sic enim Seruius in illo Verg. carmine,

Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos. Bologa 3.

interpretatur. De flore inferius dicetur.

De hederæ generibus. CAP. XLII.

HEDERÆ multa genera, ſi quæ in alio frutice. De quorum verò numero, & differentia, varia & diſcrepantia, autores in lucem protulerunt, vti ex illorum monimentis incerta nobis hiſtoria remanſerit. Quicquid tamen illi de his diſſeruerint, in medium adſeram, vti nonnulla veritatis ſuperficies diligenti lectori ſaltem remaneat. Plinius autem cùm de eius vi diſſerit, viginti ſe genera demonſtraſſe aſſerit: cuius hiſtoriam è Theophraſto, atq; ex eius pluribus & diuerſis locis accepit. Corymbis enim, foliáve vel colore, humilitate quoque, vt quæ chamæciſſos dicta eſt, multifariam quidam inter ſe differunt. Nec quidem ego hos ignorarim, quædam genera poſuiſſe, quæ magis herbæ, quàm frutici annumerari debeant. Altitudine etiam quædam diſcrepant. Nam quædam in excelſum attollũtur, qualis eſt, quæ Columellæ orthociſſos dicitur, Alijs dẽdrociſſos. Eſt & rigens hedera, quæ ſine adminiculo ſtat, omnium ſola generum ob id Græcè κίσσιος, id eſt hederula vocitata. Dioſcorides autem multa genera ſcribit, ſed generalius tria, quæ in plura diuidit, vbi prius in duo genera, videlicet in maſculum & fœminam ſecauerit. Quarum vtriuſq; flos roſæ ſyluestri ſimilis ſit, vt tamen in mare magis ad purpuram inclinetur, vt intelligere voluerit, fœminæ florem magis albeſcere. Quæ verò florum diſcrimina, ab omnibus in cyſtho deſcribuntur. Neque enim in hederæ omnibus generibus florem foliatum ad roſam accedentem videre eſt, verùm quandam lanuginem, qualis aut in mori, aut vitis flore conſpicitur. Sed qui dulucidiùs hederarum omnium differentiam habere voluerunt, in tria genera diſcreuere. Duo autem à fructus candidi vel nigri colore ſeparantes, & candidam vel nigram vocantes. Prima Græcè κίσσος λευκὸς ἢ λευκόκαρπος. altera κισσὸς μέλας. Tertia helix, nullum parit fructum. Seruius autem albam hederam diſcerni dicit, non à folijs albis, ſed à ligno albo, dum illud Vergilianum interpretatur,

Candidior cygnis, hedera formoſior alba.

Sed candidarum plura ſunt genera. Quorum vnum aſperrimum, & inimiciſſimum, craſſitudine tanta, vt arbor fiat: maiore tamen ex parte ſuper aliud vitã degere ſolet. Ita enim pro ſua natura, è germinibus radiculas inter ſua folia, aſſiduè mittit, quibus muris, arboribusq; obrepit: ob id quaſi de induſtria à Natura exhibitis. Et quamquam hederarum omnium cuilibet generi brachia radicoſa inſint, huic autem maximè ramoſa, ac ro-

buſta inſunt. Signa eius, maxima folia atq; latiſſima, mammas, hoc eſt, germina gerentis,quæ ſunt cæteris inflexæ.Hæc eſt in muris,tametſi ambire non poſſit. Hæc autem inferius ſucciſa, nihilominus viuit, duratq́;. Harum etiam alia genera,quippe vnum fructu & folio candidis eſt.Rurſus fructum candidum ferentium,alijs denſus, denſiorq́; acinus,racemis in orbem circumactis. Athenienſes acharnicam riguam eam appellant. Nigris verò nonnullis folium minùs nigricans, ſemen crocatum, nonnulli bacchicam,alij dionyſiam & nyſiam vocitant,eadem ratione,quòd & Bacchus & Dionyſius & Nyſius dicatur. Maximis verò inter nigras corymbis eſt. De hac Vergilius,

Atq; ederæ pandunt veſtigia nigræ.

Græcorum quidam huius duo genera faciunt. Alterum enim à rubro acinorum colore,erythranũ dictum: alterum ab aureis corymbis,Chryſocarpum, vel chryſometon. Ab eodem colore, & vino, quòd Bacchus vini repertor fuerit,niſi Meron legere malueris,vt nomen habeat ab Mero Indiæ monte, in quo naſceretur. Alba & nigra fructu etiam non mediocriter differunt, quoniam alij dulces acini, alij tanta amaritudo,vt ne aues quidem attingant.Selenitio generi,acinus minor,*ſparſior* racemus. Simili modo & in nigra.Supereſt tertium genus,quod *helix dicitur*,quaſi clauicula,& pampinus. A cæteris fertilitate differt,quòd nullum *fructũ* ferat. Quidam verò,vt Theophraſtus,ac Plinius, hoc ætatis non *generis* eſſe arbitrantur,helicen exiſtimãtes,quæ vetuſtate hedereſcat.Verùm horum error depræhenditur: quum helicis quamlibet annoſæ folium & germen ab hedera plurimum diſtet,tum exiguitate,tum etiam quòd angulosum,concinniusq́; ſit.Internodiorum etiam longitudine differt.Sed huius, ſicut albarum & nigrarum, plura genera, verùm quæ inſigniori, conſpectiorq́; nota diſcernantur, tria ſunt.Vna enim herbacea,virensq́; eſt.Frequens hæc,auctu perfacilis,folio maiori,latiorq́;,germinibus protinus erecta, longitudine & gracilitate inflexa. Sed & huius item genera duo. Quorum alterum à ſuperiori,tenuiori, oblongiorq́; folio eſt,denſiori atq; in ordinem digeſto. Secus in primo,nam diuerſa omnia. Alterum genus candido eſt folio,vt in vno genere alia candidior ſit:vt etiam duo genera ſint. Tertium genus Thraciæ eſt, folio verſicolori, in quo etiam alia genera. Nam aliud amplioribus folijs eſt, aliud tenuioribus,ac ſimiliter ordinatis, denſioribusq́;.

De hederarum vi,ac natura. CAP. XLIII.

QVID autem Plutarchus de hederæ poteſtate in Sympoſiacis quæſtionibus diſſeruerit, primùm dicendum. Ignea ac feruida facultate dotata. Nam & fructus eius vino miſtus inebriat,corpusq́; ignea vi ferit,palmitemq́; in igne criſpari & torqueri prædicant,non inflecti more cæterorum lignorum. Triphon tamen, apud eundem, inter frigidas plantas poſuit. Sed nunc ad ea,quæ verius medici de ea protulerunt.Contrarijs certè viribus conſtat.Adſtringit enim,& refrigerat,vt oſtendatur,eam è terrena, & frigida

gida

gida conſtare ſubſtantijs. Item acris eſt,quod guſtus indicat. Ideò calida. Nec deeſt aquea facultas,qua tepida eſt. Verùm id cùm viridis eſt. Nam cùm areſcit,vt aqueam vim exhalet,neceſſe eſt, remanentibus cæteris facultatibus.Folijs verò in vino decoctis,grandia vlcera,etiam ſi cacoëthæ ſint,illinuntur. Nam ea glutinant. Alia etiam ab ignis aduſtione ad cicatricem perducunt. In aceto enim decocta, aut cum pane trita, pota, vel illita,lienes ſanant. Foliorum pediculus melle irrigatus, ac vuluæ inditus, & menſtrua,& partus extrahit. In vino autem decoquuntur,& teruntur, contra febrium horrores, & pituitæ eruptiones. Eorum autem decocto perungitur caput, & fouetur os. Foliorum corymborumq́; ſuccus irino vnguento,melle vel nitro additis,ad capitis dolores. Illud enim cum aceto & roſaceo perfundi vtile. Flores autem quodammodo valentiores. Horum etenim ſuccus cuiuſq; generis trium digitorum carptu, in vino bis in die potus,dyſentericos,& citam aluum emendat,& ambuſtis cum cera vtiliter illinitur.Ad pituitam naribus infunditur. Item diuturnis aurium defluxionibus ſuccurrit. Ad capitis dolores facit. Ad vetera vlcera, tam aurium quàm narium prodeſt. Quæ ſi acriora appareant, cum roſaceo,aut dulci oleo miſcetur.Radicis enim ſuccus in aceto potus, contra phalangia vtile. Quod de hederæ ſucco generalius Dioſcorides prodidit. Nunc de eius fructu,qui in acinis eſt.Triti enim,& appoſiti, menſes mouent. Iidem enim drachmæ pondere, poſt fœminarum purgationem poti, ſterilitatem facere creduntur. Nigræ etiam hederæ candidos acinos potos, viros etiam ſteriles reddere Secundus ſcripſit. Numero etiam nouem,aut ſeptem,triti,& ex aqua poti,calculos in veſica, mirificè frangere proditum eſt. Illiti capillum denigrant. Hos autem quidam terunt,mox comburunt, & ita ambuſta illinunt, prius perfuſa aqua calida. Triphon medicus hederam ad temulentiam conferre dicit caloris ratione, qua cutis ſpiracula laxat, & merum concoquit. Mammas autem propendulas, & iuſtò maiores, ſerto hederæ redimitas compeſcunt. Quod teſtatur Serenus:

Si caſtigatas ſtudium eſt, proſtrare mamillas,
Ex hederæ ſertis ambas redimire memento,
Protinus & raptas furnis mandare coronas.

Reperiuntur autem, qui hederam incidant, ſucci gratia, eoq́; ad eroſos dentes vtuntur, frangiq́; tradunt, proximis antea, ne lędantur munitis. Eandem vim hederam cum aceto habere arbitrantur,& neruis intus nocere:Iiſdem contrà foris adhibitam prodeſſe.Eiuſdem autem gummi,pſilothrum eſt, lendes illitu ac pediculos enecat. Dentibus ex aceto vtiliſſimum.Pilis enudat,vſqueadeò calidæ poteſtatis eſt,vt obſcurè adurat.Hederæ ligni vaſe ſplenicos bibentes ſanari,Plinius ſe inueniſſe tradit.Quod comprobat Quintus Serenus:

Quando lien tumido circumligat ilia vinclo,
Et plenum ſplenis demonſtrant membra rigorem,
Mollibus ex hedera tornantur pocula lignis,
Hinc trahit aſſuetos æger quoſcunq; liquores.

Hederæ ſecundũ aliquot genera vires, et de nonnullis eiuſdem erga animalium moleſtias auxilijs, & quibus remedijs eadem ſibi medeãtur: & de adagio, Vino vendibili non eſt opus hedera. CAP. XLIIII.

HEDERÆ autem vires nonnulli ſecundum genera menſi ſunt. Tanta fuit antiquorum in perſcrutandis Naturæ facultatibus diligentia. Differunt enim etiam in virtute hæ ex generibus. Nigræ autem ſuccus, vel epoti acini, corpus infirmant, & largius ſumpti mentem turbant. Huius etiam acinos tres, in linteolo puro ligatos, & amuleti vice geſtatos, intra triduũ lienoſos ſanare, Damegeron memoriæ poſteris reliquit. Ex alba autem acini terni in aceto mulſo ſumpti tineas pellunt: in cuius etiam curatione, ventri quoque impoſuiſſe vtile erit. Chryſocarpi verò generis acini viginti in vini ſextario triti, ita vt terni cyathi potentur, aquam, quæ cutem ſubierit per vrinam educunt. Eiuſdem etiam quinque, in oleo roſaceo in malicorio calfactos. Eraſiſtratus, autore Plinio, aduerſus dentium dolores, in contrariam aurem inſtillabat. Hæc ille à Dioſcoride habuit. Qui enim croci ſuccum potu ſumpſerint, à crapula tutos aiunt perſtare. Sanguinem etiam excreantibus, aut torminibus laborantibus proſunt. Phalangium non minùs ceruis quàm hominibus exitiale eſt, quo celeriter hæc pereant. At ceruis medicina eſt, vt ait Ælianus hedera adeſa. Harpæ aues vt noxias à nidulis ſuis beſtiolas abigant, hederam ingerunt. Si quis manſæ hederæ ſuccum in mulorum oculos inſpirauerit, horum albuginem diſcutiet. Apri ſibi in morbis hedera medentur. Agni morbo non laborabunt, ſi ſeptem dierum curriculo, hedera paſti fuerint. Veſpertiliones hederæ ſuffitu necantur. Hederæ folijs oleo dilutis, lecti aduerſus cimices inunguntur. Vitis autem ſtipitem prope terram aduerſus cantharidas, hedera coronant. Hedera ſignum eſt cauponarum, & vini vendibilis, vnde deductum adagium, Vino vendibili non eſt opus hedera ſuſpenſa. Id eſt, Vera virtus non indiget præconijs.

De arundine. CAP. XLV.

ARVNDO, canna eſt, inquit Agrætius, ab arunditate dicta. Columellæ tamen cannam graciliorem, & degenerẽ arundinem ſignificat. Græcis κάλαμος dicitur. Phœnicibus verò gingros, ob Adonim, quem lugent, & quem gingrem vocant. Arundo omnis ex ſtirpe vna craſſa numeroſaq; prouenit: ob id aduſta, vel reciſa, mori peruicax. Radix autem ipſa multis geniculata articulis: tereti caule eſt, tenuante in leue faſtigium cacumine. Folia verò omnibus oblonga, quæ à nodo gradu alterno orſa, tenues per ambitum complexu inducunt tunicas, atq; à medio internodio, vt plurimum veſtire calamum deſinunt: huic verò ab alarum cauo ſinu languidæ, promiſſioris comæ, & paniculæ, ponduſculo procumbunt. Indicis verò tantùm folia breuia. Arundinum magnas & apparentes differentias

folia faciunt,non multitudine ſolùm,aut raritate. Alia enim folioſior,tenuiorq́;,alia contrà paucis folijs. Poſitu quoq; aut nexu differunt. Quædam enim ab ima parte ſtatim plurima ferunt. Alia item contrà, vt neq; frequentia,neq; continuò ab inferioribus partibus. Latera verò arundini in rotunditatem, ſuper nodos, alterno ſemper inguine bina, alterum à dextra, alterum ſuperiore geniculo, à læua per vices, inde nonnunquam exeunt rami, qui calami ſunt prætenues. Paniculæ enim florem Græci ἀνθήλην vocant.

Arundinum genera. CAP. XLVI.

ARVNDINVM plura genera, vt Plinius vndetriginta ſe demonſtraſſe dicat.Neq; enim vno modo omnes proueniũt, vt iam de folijs oſtendimus.Aliæ item differentiæ ex rerum multiplici & naturæ vſu. Singulæ enim ad ſingula vtiles, vt nec vna, quod alia, idem præſtare poſſit. Colore etiam diſtant.Locus etiam has diſcrepare facit.Fecerunt deniq; nomina regiones. Alia verò tam carne,quàm geniculis, & breuioribus internodijs ſpiſſior. Alia rarior atq; maioribus geniculis.Quædam craſſiore,verùm tenuiore foramine ſunt,quas fungoſa medulla replet.Cæteræ autem totæ concauę nil neq; carnis,neq; ligni habentes. Alia quidem procera excelſaq́; eſt, & craſſa. Genus vnum obliquum reperitur,non altè naſcens, ſed ſuper terram, fruticis modo ſeſe ſpargens, ſuauiſſimum hoc animalibus, propter teneritudinem.Quibuſdam verò elegia vocatur,nonnullis verò zeugita. Quædam non fruticãt.Folio minimè longo,ſed ſalici perſimili,magnitudine atq; robore præſtantes, vt haſtarum vicem præbeant. Huiuſmodi verò circa Aceſinen amnem naſcuntur. Naſtos Dioſcoridi vnum genus dicitur, id eſt farcta. Toto enim internodio concreta. Item thelys, quæ etiam fœmina intelligitur. Hanc quoq; Creticam vocari Theophraſtus perhibet. Longiſſimis internodijs eſt,flecti quò libeat obſequens, calefacta.Locus etiam,vbi naſcuntur,differentiam facit,vt inter ſe aquaticæ, lacuſtres,& quæ in fluminibus, & in loco ſicco naſcuntur. Quæ verò donax dicitur,non niſi in aquaticis locis prouenit.Alij Cypriam vocãt.Fruticoſiſſima eſt, craſſa concauaq́;. Donax ſerui apud Terentium nomen eſt, ab arundine id ſortitum, vt ait Donatus, ac ſi inanem & fragilem, vt arundinem,velit intelligere.Naſcitur plurima inter Cæphiſum amnem & Melanam.Hic locus Pelecania vocatur. Cuius partes quædam Clytei appellantur.Lacus enim altitudines ſunt,in quibus laudatiſſimam arundinẽ prouenire affirmant, vt etiam probatia nuncupata adferatur. Fluuius ille ex Labadea fluit. Sed omnium optima apud Oxeam Campem naſci dicitur. Inſula eſt,in Termitanis Siciliæ locis.In lacu Agrigentino eiuſdem inſulæ arundo multa. Oleum ſupernatat, hoc pingue arundinum comis hæret. In lacubus agri Reatini arundines abundant. De Orchomenij lacus arundinetis,accuratius ex Theophraſto cogit dici. Eius enim inundatione, in ripis, ſpatiantibus vndis, arundo craſſior firmiorq́; naſcitur. Hac autem ratione grandeſcens, à nonnullis bombycina dicitur. Plona

ſeu plocimos in inſulis fluitantibus, quas Græci Ploadas vocant, nexilis hæc. πλοκὴ enim Græcè nexus, ſubtilior hæc atq; imbecilliori corpore. Laconicis folium colore varium, & ab vna parte denſius, tunicis longioribus. Ab vſu ſyringias vocatur, quaſi fiſtularis. Concaua eſt, & continuo foramine peruius calamus. Alterum genus auleticon, id eſt, tibialem vocitant. Nam Græci ἀυλοὺς tibias vocant. Naſcitur in Orchomeno, non niſi anno nono, vt nonnulli voluerunt. Nam & lacus incrementa hoc temporis curriculo obſeruarunt. Quod falſum Theophraſtus exiſtimauit. Euentum fortuitum, pro certo ordine capientes, cùm ſemel id eueniſſet. In totum enim naſcitur, aucto lacu, gigniturq; copioſior, ac melior, cùm poſt frequentes imbres, biennio, non minori tempore, aqua permanſerit. Remanente etenim hac lacus inundatione, alimenti vbertate craſſatur. Eſt & ſuum genus ſagittariæ, ſiue, vt Theophraſtus voluit, toxicæ, quòd vtilis ſit ad ſagittas. Nam & generali vocabulo, arundo etiam pro ſagitta accipitur. Vergilius: *- Perq; ilia venit arundo.*
Vallatoriæ, ſiue vallaris, vel ſepicularis etiam aliud genus dicitur, quòd vallis ſepibusq; idonea ſit. Dioſcoridi aliud genus, quod phramites, & vulgo etiam Græca. Vitruuio cerdone & characia Græca. χαρακεῖν apud Græcos ſepire eſt. Gracilis & candicans eſt. Ab artificio etiam nomina accepere. Aucupatoria è Panhormo laudatiſſima. Piſcatoria Abaritana, Armamentaria ex Africa. Reliquis enim omnibus naturalis alimenti præſtantia differt. Quippe quæ & plenior, & carnoſior eſt. Folium etiam & amplius & candidius, minusq; lanuginoſa eſt, vt haſtarum vicem præbeat. Plurimum etiam in vnoquoq; genere, firmitate, craſſitie, exilitate, & tenuitate inuicem diſtant. Quod plerunq; ex loci natura & ortu euenit, vt iam ſuperius dictum eſt. Aquaticæ autem, vſu multiplici, principatum obtinent. In India verò, prodente Solino, ex arundinum radicibus humor ad melleam ſuauitatem exprimitur. Nam & ibi arundinum dulces eſſe radices ſcribit Diodorus. Qui verò nunc Indiam perluſtrauere, arundines dolij craſſitudine ibi naſci prodidere.

Arundinis natura, & vis medica. CAP. XLVII.

SERPENTEM arundinis ictu vno percuſſam obtorpeſcere Ælianus, & apud Apſyrtum Apuleius ſcribunt: altero verò ac tertio ſeſe recolligit, & confirmat. Perdix etiam vt è nidulis ſuis noxias beſtiolas abigat, arundinem ingerit. Ranæ Nilum ingreſſæ, arundinis fruſtum demordent, idq; obliquum fortiter gerunt. Sic enim harri piſcis vim euitat. Non enim amplitudine habet, vt extenſum fruſtum deuorare poſſit. Autor Ælianus. Canis, vt è Frontone eſt, non fugiet, ſi humida arundine à capite vſq; ad caudam eum dimenſus fueris. Efficaciſsima autē in omni arundine, quæ radici proxima ſunt, & genicula. Folia virentia moderatè refrigerant. Tuſa verò & ſacris ignibus, & alijs inflammationibus appoſita, medentur. Luxata autem & lumborum dolores cum aceto illita leniunt. Radix enim cum ſuis bulbis tuſa, atq; illita, ſpicula, ſurculos, ſpinas, & eiuſmodi ſimilia,

ſubitò

ſubitò è corpore educit. Alij mel miſcent, & omnia in linteolum componunt, & imponunt. Ineſt enim ei vis abſtergendi. Exutus cortex & ambuſtus, ad diſcutiendum, attenuandumq́;, cum quadam leni abſterſione, potentiſſimus, vt tertio quodammodo ordine exſiccet & calefaciat: plus tamen deſiccat, quàm excalfaciat. Nunc ad peculiares generum vires. Cypriæ corticis cinere, alopecia cum aceto perunctæ ſanantur. Alexander Trallianus de omni arundine ſcribit, & idem de radice. Item putreſcentia vlcera. Phramites non mediocriter adſtringit. Recens verò tuſa, aut etiam eius radix trita, & in vino pota, venerem concitat. Arundinum verò ſummoperè vitandus flos. Nam ſi aures intrauerit, adeò tenaciter inhæret, vt auelli minimè poſſit, vt dein aures ipſas exſurdet. Magi apud Perſas pro baculo, arundine, vt ait Laërtius, vtebantur: quo etiam autore, Euclides in Alpheo flumine natans, arundinis acumine punctus interijt.

Syringis & Panos fabula, & de Ageſilao, & Socrate.

CAP. XLVIII.

AGESILAVS, autore Æliano, arundini inſidens cum filio adhuc infante equitauit. Quod cùm quidam vidiſſet, riſit. Ageſilaus: Nunc, inquit, tace: quum enim ipſe pater factus fueris, tunc etiam patres imitaberis. Tantus enim parentū erga filios amor, vt cum ipſis ſæpenumero puerilia peragant: vt non inconcinnè medicus Allobrox & Valentinus, mihi aliquando protulerit, filiorum hoc primum munus parentibus adſerre, vt eos dementes faciant. Quod his contingit, qui nimia in liberos indulgentia, cùm in his ſæpe infatuantur. Socrates etiam neſcio an cum liberis, cum pueris tamen arundine longa equitauit, vt autor eſt apud Latinos Iuuenalis. Syrinx (vt fabulantur poëtæ) vna Arcadiæ Nympha fuit, atq; alia ex his, quæ Dianam ſequerentur. Hanc verò Pan adamauit. Illa amatorē ſpernit. Fugientem verò Pan ſequitur. Ladon fluuius remoratur. Sorores in auxilium vocat, deniq; deorum miſeratione in arundinem commutata eſt: quam cùm Pan exſcinderet, è ſeptem diſparibus calamis cera ſimul compactis, & iunctis, fiſtulam ſibi primus in amoris ſolatium confecit, vt quam viuam habere non poſſet, ſaltem demortuam haberet. Vergilius:

Pan primus calamos cera coniungere plures Inſtituit.—

Albertus Magnus eos, qui ſimulato amico fiderent, baculo arundineo inniti dicebat. Nam ob leuitatem pro baculo, arundine vtimur, qui propter leuitatem ſæpius frangitur, ſic amici ficti facilè ab amico deficiunt.

De eryce. CAP. XLIX.

ERYCEM Athenienſes, vt Plin. ſcribit, tetralicem vocabant. Eubœa ſiſaron. M. Varro ſiſaram. Theoph. etiam tetralicem. Columella erycem pro amaricine intelligit. Frutex eſt non multum à myrice differens, verùm multò minor. Folio & flore in cādido purpureus penè roriſmarini, ideò Theoph. roremarino ſimilē dicit. Bis in anno floret. Ex cuius flore apes mel reprobum & ſylueſtre, arenoſo ſimile, conficiunt, quod nonnulli è recentioribus improbarunt. Diſcutiendi per halitū vim ſine eroſione obtinet, Gal.

&

& ſequacibus prodente.Flore tamen & folijs eius potiſſimùm vtendum. Flores & cacumina ſerpentium ictui illitu medentur. Galæius fructũ inter adſtringentia oculorum pharmaca recenſet.Recentiores verò è floribus balnea ſudantia & fomenta conficiunt, eaq; ratione podagris ac paralyticis ſe mederi exiſtimant, quòd viſcoſos humores ſolui hoc modo arbitrentur.Stillatitius liquor,vt illi perhibent,colico dolori laborantibus prodeſt,maximè verò ſi ſitis atq; calor adſint.Florum decoctum,lumborum ac ventris dolores diſcutit.Erycem arborẽ in Ægypto Iſidi quondã gratam Plutarchus memoriæ reliquit, quòd tempeſtate deiectum Oſiridem,excepiſſet,& ſubitaneo incremento intra ſe clauſum operuiſſet.

De agallocho. CAP. L.

AGALLOCHVM lignũ, Aëtius xylaloen,ob amaritudinem vocat,quaſi lignum aloes.Cenſetur enim eſſe hoc,& quod paſſim rhodinũ vocatur. Thiæ ligno ſimile eſt,quod Plin. tarũ vocaſſe videtur.Ex caſiæ(inquit) & cinnami confinio cancanum & tarum inuehitur per Nabathæos Troglodytasq; ijs vicinos. Lignũ Thiæ ſimile,maculoſum,punctis diſtinctis, odoratum, guſtu quadam amaritudine adſtringens, cortice imò verius cute, verſicolore. Arabicæ autẽ familiæ medici agallochũ baccas ſubrubentes quas harmonias vocant,ferre ſcribunt, piperis minuti ſimilitudine, propterea piperellam vocant.Ex pluribus autem regionibus aſportatur,non tam ad rem medicam,quàm ad plurimos luxus,ex India ſcilicet,Arabia & Ægypto.Faſtigia eius,ſiue genera,nonnulli quatuor,alij plura ponũt. Indicum & ex Sappho Indiæ vrbe ſapphicũ. Speon aliud genus eſt,verùm non omninò eſſe agallochum nonnulli arbitrantur. Hygrium vnũ aliud genus eſt,id eſt,humidũ,quod in quatuor alia differentia genera ſecarũt. Lignum autem hoc quandiu incorruptum,inodorum eſt,nec alias futurum odoratum,quàm vbi antea teredinibus computruerit.Siquidẽ verò ſuauiorem marcore odorem aſciſcit. Quare ſolitũ ſub terra condi, quapropter locorum incolæ,in fruſta diſſectũ ſub terram componunt,multoq; aggere obruunt.Poſteà verò tẽporis ſpatio,quo illis ſatis emarcuiſſe videatur,educunt,& mercatoribus vendunt Ægyptij, & alij delibrant, & corticem adijciunt,& in hanc ſpeciem redigunt. Recentiores autem pro eo alia eiuſdẽ coloris ligna vendi,vt ſylueſtris oleæ dicunt. Sed hoc connubium depræhenditur,ſi prunis ſuppoſitũ,abſq; odore ſit. Agallochum lignum Aloes exiſtimant,quod de aſpalatho Ruellius arbitratur.

Agallochi vis medica. CAP. LI.

AETIO omnia agallochi genera excalfaciunt, deſiccantq;, hygrion maximè,ac Indicũ.Cætera verò longè minus. Halitus verò gratia ab his, quibus anima fœtet, cõmanducatur. Thuris vice,ad odorẽ & ſuffimenta,incenditur. Ventrẽ ſiſtit,& ſtomacho accõmodum. Particulas interiores corroborat,& duritias ventriculi liquefacit. Siccũ tritumq; omnibus corporis partibus ad arcendos ſudores inſpergitur. Ex aqua enim bibitũ, iocineris,laterisq; doloribus,dyſenteriæ,& inteſtinorũ torminibus ſuccurrit.

Radix

Radix autem denarij pondere epota, languidũ ex humore ventriculum, reſolutumq́; confirmat,& eius ardores mulcet. Omnia verò eius genera, præter Indicum, ſi crebrò ſuffiantur, ob dulcedinem pediculos generant. Hoc enim ſolum propter ſuam actimoniam naſci prohibet.

De roſmarino. CAP. LII.

ROſmarinũ inter frutices poſuiſſe par eſt, verius enim quàm herba eſt. Quare Græci δενδρολίβανον, quaſi herboraſcentẽ libanũ vocãt. Teſtis etiã Gallia Natbonenſis, cuius colles & tractus plures, eo perpetuò virent, vt multi haud temerè nõ aliud lignũ comburant: & ipſe huius ligno aduerſus peſtis contagia, ad ignẽ vſus ſum, cùm ibi ſtudiorũ cauſa diuerſarer. Græcæ λιβανῶτις στεφανωματικὴ, à thuris odote, ſic nomẽ mutuatus. Nam thus λίβανος dicitut, vt pro thure antiqui ad deorum ſacrificia vſi ſunt. Ramos mittit prætenues, circa quos folia minuta, denſa, oblõga, pinnata, carnoſa, intus concaua, & ſtriata, & candicãtia, ſupernè verò herbacea. Flore cum candido cæruleo, tactu reſinaceo. Pluries in anno floret. Semine exili eſt, & atro. Radice nigra, multis fibris capillata. Frutex graui odore eſt. Cuius tria genera, de quibus apud Dioſcoridis ſcholiaſtas.

Vires. CAP. LIII.

EXcalfactoriã vim habet, deſiccatq́; ſecũdo ordine. Omnia enim libanotidis geneta, quorũ hoc tertiũ eſt, eaſdẽ vires poſſident, emolliendi ſcilicet, extergendi, & incidendi. Regiũ ſanat morbum, ſi in aqua decoctum ante geſtationes, inambulationesq́; ſumptum, & pòſt in balnea deſcendat, & merũ bibat. Suffitu enim ſitim, & diſtillationes ſedat, &, quod in primis egtegiũ eſt, incenſus, nidore eius omnem aëris in peſtilentia petniciem à domo propellit. Miſcetur acopis, & oleo, quod gleucinum, id eſt, muſteum vocari ſolet.

PERORATIO.

HÆc *habui, venerãde domine Camenrie, qua de hortorũ hiſtoria ſcribẽda exiſtimauerim, in quo quidẽ opere mihi abundè ac amplè ſatisfactũ iri arbitrabor, ſi vnus inter tot lectores mihi arriſeris: ſcio etenim te rei arboraria cupidũ et doctiſſimũ vt hoc fauore nec mei laboris nec impenſi pœnituerit, vtpotè cuius tuis beneficijs ac fauore has tantas ſarcinas ſuſceperim, vti ſi non æquas gratias habere poſſim, ſaltẽ pro his conatus noſtros ex tua in omnes humanitate bono animo accipias. Nihil enim habui quod pro mea erga te amicitia maius offerre potuerim, propter ingẽs opus et tot longas illius vigilias, vt nihil maius à me pro tua beneficẽtia expectare valeas. Quòd ſi tale op⁹ ſit quod à viris doctis laudetur, et in plurimos annos legatur, pluri mũ tibi obtuliſſe exiſtimabo nõ ex meritorũ cõpẽſatione, verũ ex fama gloria, qua plus ex tui nominis memoria quã ex conatu meo cõtinget.*

FINIS.

Excudebat Ioannes Tornæſius Lugduni
anno ſalutis M. D. LX.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Legatoria
R. SALVAREZZA
Via Val Sassina, 56
Tel 825 823 – ROMA